Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DESIDERII
ERASMI
OPERVM
OMNIVM

TOMVS DECIMVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI
OPERA OMNIA
EMENDATIORA ET AVCTIORA,
AD OPTIMAS EDITIONES, PRAECIPVE QVAS IPSE ERASMVS POSTREMO CVRAVIT, SVMMA FIDE EXACTA,

DOCTORVMQVE VIRORVM NOTIS ILLVSTRATA.

TOMVS DECIMVS,

QVI APOLOGIARVM ERASMI PARTEM SECVNDAM COMPLECTITVR.

Ad quam accesserunt, in hac Editione, Martini Lydii *Apologia pro* Erasmo, *Index Expurgatorius in ejus Opera,* Guilielmi Insulani *Oratio Funebris in obitum* Erasmi, *Epistola inedita, & Index Universalis ad omnia ejus Opera excepto* III, *Volumine, cui Indices sui sunt adjecti.*

J. Goeree del. J. Duplent sculp.

LVGDVNI BATAVORVM,
Curâ & impensis PETRI VANDER AA, MDCCVI.
Cum speciali Privilegio Illustr. ac Præpotent. Ordd. Holl. & West-Frisiæ.

ACADEMIA RHENO TRAJECTINA

Digitized by Google

CONTENTA
HVJVS VLTIMI VOLVMINIS.

Hyperaſpiſtæ Diatribes libri duo contra Servum arbitrium Martini Lutheri. 1249
Purgatio adverſus Epiſtolam ejuſdem Martini Lutheri. 1537
Detectio præſtigiarum *libelli cujuſdam.* 1557
Epiſtola adverſus Pſeudevangelicos. 1573
Epiſtola ad Eleutherium. 1587
Epiſtola ad Grunnium. 1590
Epiſtola ad fratres Germaniæ inferioris. 1589
Spongia adverſus adſpergines Ulrici Hutteni. 1631
Pantalabus, ſeu adverſus febricitantem. 1673
Adverſus mendacium & obtrectationem *admonitio*, 1683
Antibarbarorum *liber.* 1691
Adverſus Graculos. 1745
Reſponſio ad Petri Curſii *defenſionem.* 1747
Epiſtola de Termino ſuo. 1758

SEQVENTIA ADDITA SVNT.

Martini Lydii *Apologia pro* Eraſmo. 1759
Index Expurgatorius *in* ejus *opera.* 1781
Guiljelmi Inſulani *oratio funebris in obitum* Eraſmi. 1845
Epiſtola *inedita.* 1859

SEQVITVR,

Index generalis *ad* omnia *ejus* opera *excepto III. volumine cui* Indices *ſui ſunt adjecti.* 1861

HABENTVR ET NONNVLLA ALIA EJVSDEM ARGVMENTI IN VOLVMINE EPISTOLARVM, NEMPE EPISTOLAE APOLOGETICAE.

Ad Epiſtolam cujuſdam Anonymi.
Ad Marcum Laurinum *contra rumorem.*
Contra libellum Holandice *ſcriptum.*
Adverſus Tyrologum.
Ad Eugubinum.

Sunt & Novo Teſtamento præmiſſæ Apologiæ, quas iſthic invenies.

Digitized by Google

ERASMVS ROTERODAMVS
LECTORI S. D.

PRODIIT Servum Arbitrium, *titulo* Martini Lutheri, *ſed elaboratum à multis, multo tempore, (nam ante annum liber excudi cœperat, ut narrabant, qui prædicabant ſe vidiſſe paginas aliquot) ſummaque cura, quod ipſa res indicat. Liber mihi ſero redditus eſt, idque caſu: nam ipſi celabant, ut ſaltem ad menſes aliquot triumphum agerent, non ſolum addicti* Luthero, *verùm etiam ambobus inimici, mihi quidem ob bonas litteras, illi vero ob improbata dogmata. Temporis ſpatium, quod dari poterat tum relegendæ Diatribæ, tum perlegendo* Lutheri *libro, non tam prolixo, quam loquaci, tum reſponſioni meæ, non erat longius diebus decem, & redditus eſt jam defeſſo, atque adeo etiamnum ſatagenti in abſolvendis iis, quæ parabantur in mercatum proximum. Ejus rei certiſſimi teſtes ſunt* Baſileæ, *ſi quis mihi diffidit. Et tamen quoniam ſenſi, quam inſolenter jam tum ad odorem hujus libri quidam exſultare cœperint, viſum eſt aliquam reſponſionis partem, hiſce nundinis* Francfordienſibus, *quamvis tumultuariam edere, quo moderatius ageretur iſtis triumphus ante victoriam. Reſpondimus autem ad eam partem, qua pugnat cum Præfatione meæ Diatribes, reliqua daturi per otium elucubratiora. Aliquoties capitum* Lutheranæ *Diſputationis numeros adjecimus in marginibus, quo facilius conferas quæ refellimus, ſi prius illius capita numero ſignaveris. Bene vale, & exſpecta in argumentando certiorem victoriam.* Baſilea 20. *Februarii, An.* 1526.

DESIDERII ERASMI
HYPERASPISTES
DIATRIBAE
ADVERSVS SERVVM ARBITRIVM
MARTINI LVTHERI.
LIBER PRIMVS.

QVOD felix fauſtumque ſit, protinus ipſam rem aggrediemur, & quidem Attica lege, ἀνὰ προοιμίων καὶ παθῶν, quod idem ſi tu quoque, *Martine Luthere*, facere animum induxiſſes, minus profecto detriviſſes otio tuo, cujus inopiam quereris, & mihi minus addidiſſes negotii, cui jam erat plus ſatis. Nunc dum maluiſti quorundam affectibus obſequi quam tuo judicio, quam multa ſunt in iſto tuo libro prorſus ἀπροσδιόνυσα, quam multa ſupervacanea, quot in locis communibus moræ, quantum convitiorum, quam multa manifeſtæ vanitatis, quantum ſtropharum, quantum figurati morſus, quam multa parum pudenter detorta ac depravata, & ex depravatis tragicæ concluſiones, rurſus ex his vociferationes in immerentem. In his quoniam tibi viſum eſt bonas horas collocare male, cogor & ipſe in refellendo nonnullam aquæ meæ portionem conſumere.

Primum igitur demiror, cum mea Diatriba nihil habeat niſi moderatam de re diſputationem, cumque è propinquo allatret *Hieronymus Emſerus*, è longinquo *Joannes Cochleus* adjurget, ex *Anglia* præter *Roſeum* & alios, *Joan. Epiſcopus Roffenſis* juſtis voluminibus te laceſſat, è Gallia *Jodocus Clithoveus Lutherum* oppugnet *Anti-Luthero*, ex Italia *Chriſtophorus Longolius* elaboratam orationem in te torſerit: denique cum hîc habeas ex tuæ ſodalitatis Coryphæis, qui tibi ſedulo faceſſant negotium, quorum *Ulrichus Zwinglius* edito libello nequaquam, ut ferunt, edentulo, dogma tuum, ſed ex parte cum Eccleſia commune, de Euchariſtia oppugnat, cum idem fecerit *Capito*, & *Joan. Oecolampadius*, nullis quidem convitiis, ſed crebrioribus & acrioribus machinis: hæc, inquam, cum ita ſint, demiror quo conſilio, ad omnes obmuteſcens, noſtræ Diatribæ reſpondendum putaris, præſertim cum præter modeſtiam, tam frivolis rationibus rem agat, quemadmodum ais, ut cauſam, quam ſuſcepit, reddiderit deteriorem.

A Nec tamen expoſtulo quod reſponderis, nec inquiro cur Opus ante annum excudi cœptum, nunc demum abſolveris: illud demiror, cur meam in reſpondendo civilitatem non ſis imitatus, quam te decuit etiam ſuperare, ſi nobis iſtius animi ſpirituſque, quem tibi vindicas, fidem facere velles. Verùm hîc obſequutus es fratribus, inter quos ſcio permultos eſſe, quorum mores procul abſint ab Euangelio, cujus titulo ſeſe venditant. Horum cupiditatibus, *Luthere*, te plus ſatis obſequentem præbes, non ſine gravi detrimento cauſæ quam ſuſtines. Non enim me clam eſt in cujus gratiam ad iſtum modum ſcripſeris in *Cochleum* & in Regem *Anglia*. B Is nimirum erat in quo duas perſonas Comicas poſſes agnoſcere, ſtupidiſſimum ac glorioſiſſimum *Thraſonem*, & adulantiſſimum *Gnathonem*. Certe indignus erat cujus hortatu vel Epiſtolam ſcribere debueris in tam arduo tamque periculoſo negotio. Quin illud potius erat tibi reputandum quam perſonam ſuſcepiſſes, videlicet qui ſe profiteretur Euangelium jam plus mille quingentis annis ſepultum & obrutum revocaturum in lucem, & abrogata Pontificum, Conciliorum, Epiſcoporum & Scholarum auctoritate promitteret Orbi certam veramque viam ſalutis, quam hactenus mundus ignoraſſet. Quam vero non congruebat, ut qui tam C arduo negotio velut *Atlas* cœlo ſuppoſuiſſet humeros (jam enim tecum ſic ago, quaſi vera ſint omnia quæ tibi arrogas) perinde quaſi in re ludicra dicteriis, ſannis, ſalibus, & cachinnis in quoſcunque lubitum fuerit ludat, & ex *Wilheyli* cujuſpiam arbitrio ſtylum vel ſtringat vel moderetur in quenquam, non dicam in Regem. Inſtigavit idem alterum quendam ut Dialogum ſcriberet in *Leum*, & hunc itidem atque te multis mendaciis inſtruxerat. Nihilo melius te inſtruxit, mihi crede, cujus impulſu librum iſtum emiſiſti. Ego tot eruditis, tot Eccleſiæ proceribus, tot Orbis Monarchis efflagitantibus, quibuſdam etiam cum minis exigentibus, ut ſummis eloquentiæ viribus in te detona-

Digitized by Google

rem ac fulminarem, nisi vellem Ecclesiæ desertor, & tuæ sodalitatis fautor videri, tamen excusavi, non quod probarem tua dogmata, quæ, sicuti vere scribis, non intelligebam, sed partim ne imprudens læderem causam, cui initio totus pene Orbis applaudebat, partim quod intelligerem negotium non esse mearum virium. Itaque metuebam ne, quod solent imperiti Medici, malum siniſtra curatione exasperarem. Postremo sic aliquando mecum cogitabam, quid si Deo visum est corruptissimis horum temporum moribus, tam sævum dare Medicum, qui sectionibus & usturis sanet, quod potionibus & malagmatis non poterat. Videbam eruditos homines pedibus in tua dogmata discedere, perspiciebam fatalem quendam Orbis favorem, animadvertebam quo vehementius à Theologis ac Principibus obsistebatur, hoc latius propagari, ac magis invalescere negotium, ex his ratiocinabar rem non sine Numine geri, itaque decreveram spectator esse tuæ tragœdiæ, sic apud me cogitans juxta *Gamalielis* sententiam, si Deus hæc movet, non est meum resistere, sin aliunde ortum est quod agitur, sua sponte dissipabitur. In Actis Apostolorum legimus: *Cæterorum nemo audebat se illis conjungere.* Simili religione abstinebam à vestro negotio. Verùm ubi Principibus diutius excusare non possem, & opprimerer invidia falsissimaque suspicione, scripsi Diatribam, sed ita temperato stylo, ut tu non posses optare disputationem civiliorem, ac Pharisæis quibusdam visus sim tecum non decertare, sed colludere, qui sic dentes & ungues continuerim. Certe putabam me abunde vitasse, ne tibi debacchandi convitiis ansa data videretur. Quædam in tua assertione dicta odiosius, prudens dissimulavi: quoniam nisi te læso tractari non poterant. Ubi ad morum comparationem ventum esset, declino locum invidiosum, malens vitare offensam, quam servire commodo causæ meæ. Quodam loco nominatim etiam depello suspicionem abs te, cum ita scribo: *Non hæc proprie in* Lutherum *dixerim, quem de facie non novi*, &c. Et vide quam consentiant vestra judicia. *Philippus Melanchthon* huc scripsit meam Diatribam æquissimis animis acceptam *Wittembergæ*. Et adjecit, iniquissimum sibi videri, si non liceret in Ecclesia suam cuique sententiam dicere. At tu respondens, sic arte stylum temperas, ut in alios forte scripseris clamosius, in neminem hostilius aut amarulentius: id quod vanissimum videri patiar, nisi mox omnibus perspicuum fecero. Meam disputationem, Diatribam & collationem appello: quo titulo quid esse potest modestius? Ipse non pronuntio, cum versor in argumento, quod in integrum aut in dubium disputando revocare fas non erat. Congressurus tecum, depono Cæsaris, Pontificum, Conciliorum, Academiarum, & veterum Orthodoxorum auctoritatem, qua te poteram urgere, etiamsi argumentis fuissem inferior. Ex tuis legibus quamvis iniquis tecum confero manus, nec te tamen appello quemadmodum tu me. Habet enim ipsa compellatio quiddam contentiosum & contumax. Nec tua solius argumenta tracto, ut non proprie tecum, imo ne tecum quidem certare viderer, sed cum tua assertione. Non video quid potueris optare civilius. Usque adeo-ne non pateris quenquam contra tua placita hiscere? Atqui huc soles omnes provocare, ut tecum manus conferrent. Et ubi est illud quod admonet *Petrus*, *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea qua in vobis est spe, sed cum modestia & timore.* Et *Paulus* vult Episcopum esse διδακτικὸν, non πλήκτην. Quod si ego parum erudite disputassem, debebas illud *Pauli* meminisse: *Sapientibus & insipientibus debitor sum.* Qui tibi fuerant juratissimi, audent in te ferrum stringere, nec à convitiis temperantes: & *Erasmum* moderatissime disputantem ferre non potes? Ego mordicus tenui meam modestiam, quam sciebam mihi futuram invidiæ: hanc cum tua laude, cumque causæ, quam agis, utilitate, poteras ac debebas imitari. Scilicet pervicit tuam patientiam quorundam exsultatio, mihi decernentium triumphum, te victum esse jactantium. Quos tu mihi triumphos narras? Hîc tantum erat de mea Diatriba silentium, ut mihi propemodum exciderit scripsisse. Semper solus esse volui, nihilque pejus odi quam juratos & factiosos. Sed ad tuum libellum, velut ex insidiis subito provolantem, Deum immortalem, quæ fuit tuorum exsultatio, quam glorioſas voces sparserunt: Habet *Erasmus* quod agat, habet malum calculo gravius, aliaque vehementer Euangelica. Verùm nec tui calami amarulentia, nec hujusmodi vocum petulantia me perpulit, quo minus in hac Apologia rationem potius adhiberem in consilium quam affectus. In dictis nonnunquam animi motus præcurrunt rationem; in scriptis nihil tribuendum est affectibus: nec spectandum est quid tum sic affecto videatur esse rectum, sed quid perpetuo rectum videri possit. Quanquam hîc, ut vere dicam, levissima pugna fuit cum affectibus. Ad istiusmodi maledicta tot Epistolis, libellis famosis exercitatus occallui.

Vis autem scire quantum molestiæ pepererint aculei tui? Utinam ante annos quinque, cum me prædicares, strinxisses in me calamum tuum, multo quam nunc hostilius! Verùm quoniam tu in hac tam non amica responsione vis etiam amicus, si Superis placet, & candidus videri, te simul cum tuis scire volo, me nec esse tam stupidum, qui istiusmodi strophis falli, nec tam imbecillo animo, qui tuis convitiis commoveri possim. Simplicius fecisses, si tui similis palam in me debacchatus fuisses. Soles enim τῷ λεοντῇ ἐνδυσάμενος clava rem gerere. Nunc vulpinam pellem assuisti leoninæ, & melle toxico me perungis. Atque ad hanc scilicet fabulam, sesqui anno fere meditatam, adsciscendus erat Logodædalus, qui componeret orationem, rhetoricosque fucos adderet, nimirum adversus hominem rhetoricum. Novi enim impetum tuæ dictionis, & torrentem illum ingenti fragore è monte decurrentem, ac saxa truncosque secum rapientem. Istius Logodædali oratio lenius fluit, sed plurimum veneni secum trahens. Non me fugit quis sit. Est enim unus ex eorum numero, qui, quod tu cum candidus & memor videri vis, fateris, hoc ipsum, quod habent, loquentiæ, fere hauserunt è meis Lucubrationibus. Nec mihi jam novum est, in meis vulneribus pennas meas agnoscere. Nec satis erat unus rhetor suppositititius, cum urget belli moles, *Patroclum* tuum nobis immittis, qui simul & tuis armis & suis, hoc est, dicendi viribus, nobiscum pugnet. Adeo enim est infans, ut me potius eloquentia gravet, quam argumentis. Ac ne me putes in tenui discrimine dictionis hallucinari, non est nisi unus qui hoc possit, quod ille præstitit. Quanquam & alioqui notus est mihi peculiariter illius in dicendo genius. Nam prior ille rhetor absque bonorum Auctorum lectione, absque Grammatica facundus est. Et si tu pateris huic imputari fucos ineptos potius quam tibi, non repugno. Sunt autem quædam admixta tuo libro tam insulsa indoctaque, ut nunquam crediturus sim abs te profecta fuisse, quæ suis locis indicabuntur. Sed interim iniquior est mihi hæc pugnæ conditio, quam gladiatorum. In arena unus cum uno, retiarius cum *Mirmillone* committitur: mihi uni cum multis res est: & si cum uno, cum *Geryone* tamen. *Isaac* in uno homine agnovit duos: ego in uno libro varias voces diversasque manus sentio. Cum phalange pugna est, non minus armata linguis, eruditione, convitiis, quam strophis, vafritie, obliquisque consiliis. Nunc agnosce consilium tuorum Logodædalorum, qui sic cogitarunt: Non est impotentibus convitiis debacchandum in *Erasmum*. Nam ea res liberaret illum suspicionibus, quibus gravatur apud Principes, & invidia, qua premitur apud Theologos ac Monachos.

Sed

Digitized by Google

Sed eſt appetens gloriæ. Proinde paſſim inculcabimus, illum nihil ſcire: & ubique veluti nullius rei hominem magno faſtidio contemnemus conſpuemuſque. Ea res peſſime uret illum. Cæterum ut hoc faciamus cum fide, laudem admiſcebimus, amicitiam ſimulabimus, & miſericordiam potius quam odium præ nobis feremus. Tribuemus illi ingenium & eloquentiam ſummam, quo lector hîc perſpecto candore noſtro, exiſtimet nos cætera quoque tributuros fuiſſe, ſi promereretur. Deinde ſuſpicionem & invidiam, qua gravatur, omnibus modis augebimus, exaſperabimuſque, ſic temperantes orationem, quaſi ille nobiſcum ſentiat, ſed partim metu, partim amore lucri diſſimulet. Sophiſtas cum hoc collatos, longe præferemus. Denique ſic agemus fabulam, ut ab utroque theatro gratiam ineamus, & fratrum, qui illi jampridem male volunt, & Sophiſtarum ac Phariſæorum, quos ob bonas litteras jam olim habet infenſos. Denique tantum admiſcebimus ſcommatum & convitiorum, ut homo ſeniculus ac meticuloſus, ſi nec loquacitate delaſſari, nec argumentis obrui poterit, ſaltem maledictis conficiatur. Hoc conſilium tam ſimplex & Euangelicum, cum nemo cordatus non ſtatim deprehendat in tuo libro, tamen tuis viſum eſt perquam facetum. Quis hîc non videbit ſcorpii complexum, mox infigentis aculeum? Quis non ſentiet venenatum poculum, melle prælitum? *Venerabilis* Eraſme, *mi* Eraſme, *cariſſime* Eraſme, *optime* Eraſme, *ſummo ingenio, maximis dotibus, ſumma eloquentia prædite, cui plurimum debent bonæ litteræ*, &c. Nimirum hic eſt complexus, hoc mel. Sed mox idem laudatus *Eraſmus tam impie ſcribit, ut nec impii Sophiſtæ potuerint ferre: blaſphemus eſt in Deum*, & quod his quoque gravius eſt, *nihil omnino credit, ſed Epicurum ac Lucianum ἄθεον celat in pectore, dicens in corde ſuo: Non eſt Deus: aut ſi eſt, non curat res mortalium.* Hic eſt aculeus, hoc lethale venenum, hoc eſt rubetæ virus. Si liber hic non ſcatet undique talibus facetiis, ſim ego *Cretenſi* vanior. Sin & hæc & alia multa paſſim impinguntur, inculcantur, & iterantur, quæſo proferas in quem unquam ſcripſeris virulentius. Et hic ipſe tuus ſermo ſecum pugnans, prodit inſinceritatem tui pectoris. Quî convenit ut tibi ſit cariſſimus, & frater cariſſimus, & venerabilis, optimus, & quid non? cum eundem pronunties impium, blaſphemum adverſus Deum, denique ἄθεον? Adeo-ne putas homines eſſe fungos, ut non intelligant quo ſpiritu ducaris cum iſta ſcribis, ex eodem ore frigidum efflans & calidum, ex eodem poculo mel porrigens ac venenum, altera manu panem oſtentans, altera lapidem incutiens? Quorſum autem attinebat hic tot verba perdere de mea ſumma eloquentia, deque tua ſumma infantia? In diſputatione *de Libero Arbitrio* quid facit eloquentia? Ego iſtam eloquentiam non jacto, nec agnoſco, nec affecto. Certe in Diatriba non depromſi ſi quam habeo, & erat locus ampliſſimus ſi voluiſſem. De tua vero infantia, quando, te rogo, queſtus ſum? Aut quando deſideravi in te eloquentiam? Utinam tam adeſſet tibi ſobrius ac ſincerus animus, quam non deeſt eloquentia! Rurſus quantum abeſt ab Euangelica ſimplicitate, toties precari veniam infantiæ, cum ſubornaris ad cauſam agendam hominem inſigniter eloquentem, quod ipſe declarat orationis fluxus? Jam quid mihi donas, cum tribuis ſummam eloquentiam cum ſumma rerum ignoratione conjunctam? Aut quid largiris, cum concedis ingenium ſexagenario, & prædicas bonæ ſpei indolem? Si nunc tantum ingenioſus ſum, quando ſapiam? Verùm hic eſt fucus merus tui Logodædali, qui ficte tribuit eloquentiam, ut cum fide adimat ſcientiam: & fucate laudat ingenium, quo probabilius hæreat in me crimen animi diſſimulati. Atque hoc ipſum quod initio tribuis, in diſputationis progreſſu detrahis, dum *Eraſmum* facis adeo ſtupidum, ut nec ea videat quæ ſunt Sole clariora. Quoties autem illi facundiſſimo impingis imperitiam rhetorices, qui non intellexerit cauſæ ſtatum, qui toties dicat aliena, toties ipſam cauſam funditus ſubvertentia, male definiat, pejus dividat, peſſime ratiocinetur, breviter, qui nihil non faciat contra præcepta rhetorices. Et hæc qui ſcribit, ni fallor, litteris huc miſſis tribuit mihi eloquentiam *Ciceronianæ* proximam: quæ res adeo me delectavit, ut legens riſum tenere nequiverim. Et objicis, quod ſummis eloquentiæ viribus oppugnem dogma tuum in Diatriba, cum illi Lucubrationi vix dederim dies decem: interim ne cogitans quidem de dictionis ornamentis, quorum & alias mihi non ſolet eſſe anxia cura. Hæc tam ſibi pugnantia ſatis arguunt, te nihil ex animo loqui. Ergo detracta eloquentia, ſupereſt ingenium, quod initio tribuebas. At in diſputando mea Diatribe ſtupet, cæcutit, ſtertit, ſomniat, nihil meminit, nec intelligit quid alii dicant, nec quid ipſa loquatur. Sic *Eraſmus* eſt ingenioſus. Verùm ad iſtum modum variare ſolent, *Luthere*, qui non ex vero ſermonem depromunt, ſed ex arte loquuntur omnia.

Neque multo melius cohæret, quod in Operis tui principio præfatus, non eſſe contemnendam auctoritatem *Eraſmi*, in progreſſu nihil aliud agis, quam ut *Eraſmum* ludos delitiaſque facias, & Orbi deridendum propines. Quod ſi te auctoritas diſſentientis prolicit ad pugnam, quin cum *Joanne* Epiſcopo *Roffenſi* manus conſeris? Ille & eruditione, & dignitate, & non vulgari vitæ ſanctimonia probatiſſimus eſt, ac te toties laceſſit, nec prodis ad certamen. Rurſus quam illud congruit, in fine diſputationis mihi gratias agis, quod mea Diatriba tibi præbuerit occaſionem confirmandi dogmatis tui: id ſi dicis ex animo, cur toto libro ſic in illam debaccharis, cum illa ſine ullis convitiis diſputarit? Sed hæc ſunt argumenta tuæ perpetuæ conſtantiæ. Porro quod tibi cum *Paulo* vindicas ſcientiam, utinam id vere poſſes, ſimulque præſtares ſpiritum Euangelicum, qui fragrat in ſcriptis *Pauli*, cum in tuis obſtrepat alius ſpiritus. Aut quæ tandem contumelia eſt, ſi tu mihi derogas ſcientiam, cum eandem jamdudum detrahas & Conciliis univerſalibus & Pontificibus & Epiſcopis omnibus, & priſcis pariter ac recentibus Eccleſiæ Doctoribus, denique Scholis omnibus? Quis unquam ſapuit, qui vel latum, ut ajunt, digitum, diſſenſit à tuis dogmatibus? Omnes quamlibet antea docti, protinus ut tibi contradicere cœperint, patiuntur hanc metamorphoſim, ex Lynceis vertuntur in talpas, ex hominibus in fungos. Et tamen illis juſtius exprobraris ignorantiam, qui magno ſupercilio vindicant ſibi peritiam Scripturarum, prædicantes te nihil omnino ſcire, tuaque paradoxa, quo nomine hactenus ſum uſus, illi donant aliis titulis. Ego meam imperitiam ſemper ingenue confeſſus ſum, & hoc nomine me ſemper excuſavi, ne tecum committerer. Proinde mihi objicere ignorantiam, perinde eſt, ac ſi quis cæco mendico, deploranti luminis orbitatem, exprobret quod in clariſſima luce nihil cernat. Ego quanta poſſum voce quotidie opploro auribus *Jeſu*, miſerere Domine, da ut videam lumen, & tu ſic clamanti dicis: Tace luſcioſe. In ipſa Diatriba, quoties profiteor imperitiam meam? Atque utinam ante annos quatuor Orbi perſuaſiſſes me nihil ſcire rei Theologicæ, videlicet præſtitiſſes officium longe gratiſſimum: nam ego quantumlibet eloquens, ut ais, illud cum maxime conarer, perſuadere non potui. Ac miſere metuo ne nunc quoque non perſuadeas quibus vellem. Siquidem olim in tuis commentariis, quibus explicas Epiſtolam ad *Galatas*, prædicor vir in Theologia ſummus, & invidiæ victor: ſic in Præfatione. Rurſum in ipſo ſtatim frontiſpicio commentarii ſum Theologiciſſimus, in progreſſu vero quoties citor honorifice. Ibi *Eraſmus* recte dicit ut omnia, ibi digniſſime reddo Græca, ibi ſum *Eraſmus* optimus, ibi cum *Eraſmo* tuo liben-

ter sentis. Rursum in Appendice, quam adjecit *Commodus Brittannus*, tu posteriores fers, mihi prima laus decernitur in restituendo Euangelio. Non hîc proferam sexcentas Epistolas tuorum, quibus prædicor Theologiæ princeps. Verùm simulatque sum ausus hiscere adversus tuum dogma, subito factus sum totius ignarus Theologiæ. Quid si is, qui scripsit meam Diatribam æquissimis animis isthic acceptam, primas agit in hac fabula? Quis vestro judicio tam inconstanti fidem ullam est habiturus, optarim autem haberi quam maximam, hac potissimum in causa. Quæso te, quid dicent homines cordati, cum viderint tantam animi tui inconstantiam, hunc librum tuum cum illis tuis scriptis conferentes? Me *Proteum* appellas, hoc superat omnes *Proteos*. Quo colore hîc excusabis scripta cum scriptis pugnantia? Dices, opinor, tibi tum illusum fuisse à spiritu carnis, nunc *Christi* Spiritu duci. Nimirum habes lemma, quo possis excusare quidlibet, si tibi fides habeatur. At tum temporis plurimi de tuo spiritu bene sentiebant, qui nunc aliter sentiunt, & in dies sentiunt pejus. Excute Lucubrationes meas omnes, & si quid tale deprehenderis, me *Proteum* voca. Tum blanditiis illectabas in tuum fœdus, nunc offensus Diatriba, conaris ex *Erasmo* talpam reddere. Verùm ut illis magnificis laudibus non capiebar, ita nunc ista tua vituperatione ne tantulum quidem commoveor. Sciebam illas laudes non proficisci ex animo, quemadmodum has vituperationes tibi dictavit odium & ira. Sed quemadmodum illic prædicatus summus in re Theologica, ne pilo quidem factus sum eruditior: ita nunc simili hyperbola prædicatus nihil omnino scire, nihilo reddor indoctior. Vis argumentum quam me delectarint illa tua præconia? Monui te per litteras ut inposterum à talibus laudibus abstineres. Vis scire, quantum mihi displiceam abs te dejectus? Majorem in modum opto, ut quod suades persuadeas, vel isto dedecore cupiam emtum otium. Nunc mihi vide quam reliqua vestra judicia consentiant. Excusa est Epistola *Melanchthonis*, in qua tibi tribuit plurimum, me tamen non dubitat Veteribus omnibus anteponere. Rursus quidam *Erasmus Alberus*, è tua Schola Θεοδίδακτος, me divo *Hieronyma* vel æquat vel anteponit. Si Veteres omnes, si *Hieronymus* nihil noverunt rei Theologicæ, si cæcutierunt cum Ecclesia, & illorum miseret, & meam cæcitatem moderatius fero, cum tot eximiis viris communem. Sed ut tuorum laude ne tantulum quidem commoveor, ita tuo judicio propemodum etiam delector. Si tua dogmata passim insulsissem in meis Lucubrationibus, papæ quantus fuissem Theologus! Verùm ego mihi conscius mei moduli, semper malui cum *Paulo* sapere ad sobrietatem, cum scientia inflet, caritas ædificet: ac nunc etiam vehementer gaudeo mihi non esse tantum scientiæ, ut promerear nomen Hæresiarchæ, quod promeruit Scripturarum peritissimus *Arius*. Quare te rogo, *Luthere*, huc totis viribus incumbas, ut persuadeas omnibus me nihil scire rei Theologicæ, id non solum mea, sed tua quoque refert. Sunt enim qui per orbem spargunt vanissimas voces, & plurimis fecere fidem quicquid scribit *Lutherus*, hausisse ex uberibus *Erasmi*, meque libris etiam editis magistrum tuum, te vocant discipulum meum, simul & me falsissimis laudibus onerantes, & tuæ scientiæ contumeliosissime detrahentes. Adversus hos blaterones vindica tuæ scientiæ, quam prædicas, gloriam, eadem opera & à me magnam initurus gratiam. Et tamen in hac disputatione quàm non præstiteris istam admirabilem totiesque jactatam scientiam, suo loco declarabitur. Adhuc tantum mihi res est cum tuo Logodædalo, cui tu delineatam abs te figuram, coloribus fucandam locasti, tuæque dictionis œconomiam commisisti, quo rhetorem arte rhetorica tractaret. Verùm is multum loquentiæ suæ perdidit in deprecanda tua infantia, in extollenda tua scientia meaque eloquentia, in detrahenda mihi scientia, & tuo spiritu prædicando. De stylo tuo ne verbo quidem unquam

A

B

C

D

E

F

questus sum. De scientia tua jam frequenter audivimus, nec hanc in te desideramus, meam ignorantiam semper ingenue professus sum. Spiritum illum, quem tibi vindicas, utinam tam præstares in tuis scriptis, quam constanter & fortiter asseris! Utcunque hæc habent: Amarulentia Logodædali tui, si stultitiæ, ineptiæ, & crassissimæ ignorantiæ convitiis fuisset contenta, dissimulassem. Cæterum impietatis crimen intentatum, blasphemiam in Deum, non semel objectam, postremo *Lucianum* illud ἄθεον si dissimularem, dignus essem qui vere talis haberer, qualem tu prædicas. Et hæc tamen ita diluam, ut nullum convitium in te regeram, ne Pontificum quidem aut Theologorum censuris te gravabo, quibus tu nunc vafer propemodum adularis in odium mei, cum nondum abolita sint quæ in eos scripsisti.

Sed hæc suis locis, nunc carptim ad convitia tuis blandimentis inspersa, si prius indicaro & illam Logodædali tui stultitiam, quod meam Diatribam componit cum libro *Melanchthonis* de locis Theologicis. *Melanchthon* pro te pugnat, ego contra te, quid igitur aliud quam aquam igni comparas? Et istud tuum judicium quid habebit ponderis apud cordatos, si laudas tuum propugnatorem & deprimis antagonistam: quanquam periti rhetorices solent attollere vires & animum adversarii, quo reddant illustriorem victoris gloriam. Discedat *Melanchthon* in diversam partem, & arma moveat in te, protinus & ille tibi putebit, neque mitiorem patietur metamorphosim, quam passus est *Carolstadius*, qui repente è Spiritus Sancti myrotheciò factus est organum Satanæ, simulatque latum unguem discessit à tuis præscriptis. In præsentia nihil detraho laudibus *Philippi*, nec ad rem facit, tantum illud obiter dicam, me jam pridem non diligenter legisse Locos *Melanchthonis*, qui si mihi per omnia satisfeciisset, abstinuissem à Diatriba. Εἰρωνείων tribuis mihi geminam victoriam, alteram quod mea modestia tuum spiritum & impetum remoratus sum, alteram quod nugalibus ac jam olim protritis argumentis, quas tu vocas feces, sic asseram Liberum Arbitrium ut nihil dicam novi, & tamen plus tribuam illi, quam hactenus tributum est à sophistis. Hoc posterius quam impudenter abs te dictum sit, suo loco perspicuum faciam, & fecis convitium tuo ingenio condono præter infantiam: malim enim feces dici quam venena, feces ablui possunt, venena non item. Cæterum quis illud absque risu leget, quod scribis mea modestia te segniorem redditum ad pugnam, cum ista fortitudo tua, me frustra revocante, jam orbem universum exitialibus dissidiis concusserit? An equo sic currenti erant subdenda calcaria? Habemus fructum tui spiritus, res usque ad cruentam stragem progressa est, & metuimus atrociora, ni Deus propitiatus averterit. Dices hanc esse naturam verbi. Ego nonnihil arbitror referre, quomodo prædicetur verbum Dei, ut jam Dei verbum sit quod doces. Non agnoscis hosce seditiosos, opinor, sed illi te agnoscunt, & jam compertum est multos, qui se jactabant Euangelii nomine, fuisse seditionis crudelissimæ instigatores. Quorum conatus si successisset, fortassis existitissent qui probarent, quod nunc re male gesta detestantur. Tu quidem libello in Agricolas sævissimo, suspicionem abs te depulisti, nec tamen efficis, quo minus credant homines, per tuos libellos, præsertim Germanice scriptos, in oleatos & rasos, in Monachos, in Episcopos, pro libertate Euangelica, contra tyrannidem humanam, hisce tumultibus fuisse datam occasionem. Nondum tam male de te sentio, *Luthere*, ut existimem te huc destinasse tua consilia, sed tamen jam pridem cum hanc fabulam ordireris, è calami tui violentia cepi conjecturam, rem huc exituram, & hoc erat quod primis litteris admonui, ut ad hoc negotium adferres animum sincerum, cavereisque ne quid impotenter aut factiose scriberes. Videbare suscepisse negotium purgandi mores Ecclesiæ, quos nemo non fatetur eo prolapsos, ut nec vitia nostra, nec remedia pati pos-

Digitized by Google

possimus. Idem sæpe frustra tentatum est, & vicit mundus. Tu videbaris ad hoc idoneus, & orbis applausus, favorque Principum, felicem aliquem exitum pollicebatur, ad eam rem videbam quam esset inutilis ista tua violentia, non in Pontifices tantum, aut Episcopos, in quos ferociam tuam plerique fortitudinem Euangelici pectoris interpretantur, sed in omnes qui mutirent adversum te: nam quid in me scriberes nunquam fui sollicitus, & propemodum optabam, ut tuo calamo lacesseres etiam non responsurum, tantum aberat, ut eam modestiam mihi persuaserit tui formido. Quod si paratus eras debacchari in omnes, qui fabulam abs te susceptam non omnino improbarent, actionem vero damnarent: id ego ante annos complures tot Epistolis editis testatus sum. Cur dissimulabas? Sed nolebas me exonerare invidia, hoc erat catum & callidum tuorum consilium. Moderationem autem non ego solus in tuis scriptis desideravi, desiderant etiam ii qui tibi sunt juratissimi. Siquidem ipsa re comperiunt, quot hominum millia calami tui sævitia, aut si mavis parum Euangelica facetia, abalienarit ab Euangelio, si modo quod tu doces Euangelium est. Ac multis quidem festivus es visus, cum in hunc & illum luderes, cum in Pontificem & Regem Angliæ, fortis etiam & intrepidus, cæterum ubi pari modestia tractares *Carolstadium*, dictu mirum, quam hîc displicueris tuis σωεργοῖς. Et ferre non potes si ego, qui sum alienus à vestro consortio, modestiam in te desidero? Verùm hæc alias fortassis
4. incident opportunius. Illud risi fateor, quod negas te deterritum à respondendo timore mei. O fortem virum! Quid ego audio? An tu tantus leo timeas muscam *Erasmum*, aut si quid musca imbecillius? an mihi sunt armatæ phalanges? an ulla factio? An versor in aulis Principum, ut illos in te concitem? Nemo magis fugit aulas. Et si quid mihi cum illis est consuetudinis, hactenus quoscunque potui, dictis & scriptis revocavi à sævitia: recte-ne an perperam, alii viderint. Ego carnifex esse non possum, factiones semper odi. Hactenus solus esse volui, nisi quod ab Ecclesia Catholica non segregor. Nihil igitur erat quod metueres, cum uno eoque inermi, tibi tot conjuratis munito res erat. Sed armatus, inquis, es eloquentia. Eam in te non exercui, si quam habeo: nec hanc armaturam solum deposui, verum etiam omnem auctoritatem Ecclesiæ procerum, qua vel sola satis armatus videri poteram. Quorsum igitur attinebat excusare timorem homuncionis, & unius, & exarmati, qui & Pontifices, & Cæsares, & Theologorum cohortes hactenus fortissime contemsisti? Verùm in his tibi rhetoricari libuit. Jam illud quî consistit, ut mea Diatriba multos ex his, qui spiritum è tuis scriptis nondum hauserant, subverterit, cum adeo frivolis nitatur argumentis, ut tibi tuisque risum potius ac miserationem moverit? Adeo-ne facile deficiunt homines ab Euangelio? Ecce autem aliud incommodum. Ubique lubricus sum, inter *Scyllam* & *Charybdim* navigans: & hîc scilicet fit mentio *Protei* & *Ulyssis*, miror cur prætermiseris Polypos & Chamæleontes, Vertumnos & Empusas. Tale seculum, *Luthere*, nobis peperit tua fortitudo, ut jam de *Christo* nec bene loqui liceat nec male. Quanquam est hoc hominis imperiti, non temere quicquam asserere, sed ab aliorum magis pendere judicio. Certe in Diatriba non ago *Proteum*, sed ingenue propositis diversorum sententiis, designo cum quibus mihi potissimum congrediendum est: & post argumentationem aperte pronuntio, quam sententiam ipse sequar. Porro quod mihi videor, ut dicis inter *Scyllam* & *Charybdim* navigare, vix habeo quod respondeam, nisi tu declares, utram Ecclesiam *Charybdim* aut *Scyllam* appelles. Ab Ecclesia Catholica nunquam defeci. Tuæ Ecclesiæ adeo nunquam fuit animus dare nomen, ut homo plurimis alioqui nominibus infelicissimus, hoc certe nomine videar mihi felix, quod constanter à vestro fœdere abstinuerim. Scio in hac Ecclesia, quam vos Papisticam vocatis, esse multos qui mihi displicent:

A sed tales video & in tua Ecclesia. Levius autem feruntur mala quibus assueveris. Fero igitur hanc Ecclesiam donec videro meliorem: & eadem me ferre cogitur, donec ipse fiam melior. Nec infeliciter navigat, qui inter duo diversa mala medium cursum tenet.

Nunc ad ea quæ tu ex mea Præfatione decerpta, 6.
magno artificio detorques ad calumniam, & locum communem de *Scepticis* nobis aperis. Hîc statim excitas tragœdiam, quod *Scepticorum* meminerim: quasi sentiam omnino nihil asserendum. Nec facis calumniandi finem, donec me facias atheon, cum præfatus sis te nolle nunc judicare de animo meo. Quam pulchre illa congruunt: Optimo animo dicis, item, *Nolo nunc de animo tuo judicare*, & quod sequitur, ἄθεον Lucianum *in pectore circumfers*. Et hîc mihi liberum facis, utrum videri velim ridiculus orator, an impius & insanus scriptor. Hæc est illa tua moderatio, qua meam Diatribam imitaris. Verùm hîc mihi vide, quam bis agas calumniose. Primum ipse nominatim excipio à *Scepticis*, quicquid sacris Litteris proditum est, aut quicquid nobis tradidit auctoritas Ecclesiæ. Nihil opus ut mea verba recensеam, cum ipse recitaris. Proinde totus ille sermo, quo magno supercilio detestaris *Scepticum* animum in his quæ sunt Christianæ Religionis, maviſque vel *Stoicis* pertinaciores assertores, tibi sapientissimo oratori prorsus extra causam declamatum est, ut non pessime te ipsum reprehenderis hisce verbis: *Sed ego longe stultissimus, qui in re clariore quam Sol est, verba & tempus perdo.* Et tamen non potes desinere, sed subjicis, non minore temporis jactura: *Quis Christianorum ferat assertiones esse contemnendas? Hoc esset aliud nihil, quam semel totam Religionem ac pietatem negasse, aut asseruisse nihil esse Religionem, aut pietatem, aut ullum dogma. Quid ergo tu quoque asseris: non delector assertionibus, & hoc ingenium te malle quam diversum?* Hæc tua, *Luthere*, verba sunt. Sic argumentaris homo sapientissimus adversus imperitum, quasi mecum non de causa, sed de principatu imperitiæ certes. Neque minus absurda sunt quæ subjicis. 9.
Sed quid dices de istis tuis verbis, ubi non de una Liberi Arbitrii causa, sed de totius Religionis dogmatibus generaliter dicis: *Si liceret per inviolabilem auctoritatem divinarum Litterarum, & Ecclesiæ decreta, te discessurum in* Scepticorum *sententiam, adeo non delectaris assertionibus? Quis Christianus sic loqueretur?* Ita tu. Quantum tribuam sacris Litteris, quamque non vacillem in articulis fidei, puto satis liquere ex scriptis meis. Hîc adeo non opto nec habeo *Scepticum* animum, ut pro his mortem oppetere nihil dubitaturus sim. Sed de dogmatibus contentiosis loquor, in quibus & olim Ecclesia *Sceptica* fuit, diu considerans antequam definiret: quod genus sunt, de processione Sancti Spiritus ab utroque, de comprobatione vocis *homusii*, de transsubstantiatione panis in corpus Domini, de Purgatorio, de Baptismo non iterando, de baptizandis parvulis, de conceptione Virginis matris, & fortassis de Libero Arbitrio: de his & hujus generis quæstionibus loquor, in quibus si nihil definisset Ecclesia, rogatus quid sentirem, responderem mihi non liquere, sed Deo cognitum esse. Posteaquam de his quoque definivit Ecclesia, contemtis argumentis humanis, sequor Ecclesiæ decretum, & *Scepticus* esse desino. Referam mea verba, quæ tu satis rhetorice depravas: *Qui semper*, inquam, *arcano quodam naturæ sensu abhorruerim à pugnis.* Audis, *Luthere*, me non de Scripturis sacris, sed de pugnis, hoc est, contentiosis quæstionibus agere? Et mox: *Eoque semper habui prius in liberioribus Musarum campis ludere, quam ferro cominus congredi: & adeo non delector assertionibus, ut facile in* Scepticorum *sententiam pedibus discessurus sim, ubicunque per Scripturarum divinarum inviolabilem auctoritatem*, &c. Nimirum impius animus est, qui non audet definire, de quo nondum definivit Ecclesia: quique in re controversa dubitationem ani-

mi ponit ad Eccleſiæ proditam ſententiam. Quis Chriſtianus ferat hunc animum? Mox hunc animum meum confero, non cum his qui aſſerunt Symbolum Apoſtolorum, aut Conciliorum decreta, aut Conciliorum præſcripta, ſed cum iis qui pertinaciter aſſeverant omnia. Sic enim ſequitur: *Atque hoc ingenium mihi malo, quam quo video quoſdam eſſe præditos, ut impotenter addicti ſententiæ, nihil ferant quod ab ea diſcrepet: ſed quicquid legunt in Scripturis, torquent ad aſſertionem opinionis, cui ſe ſemel manciparunt*, &c. Hæc cum perſpicua ſint, quorſum pertinet locus communis, quem atrociter tractas adverſus eos qui putant nihil aſſerendum in divinis Libris, aut in cauſa fidei? A temeritate definiendi abhorret animus, non ab aſſerendo. Quæ tradita ſunt fidei noſtræ, non ſic excutienda ut in dubium revoces, ſed profitenda. Et hæc omnia dico ſub perſona hominis imperiti, quam mihi ſumo te probante. Nec ſimpliciter eos damno, qui conantur moderata diſputatione aliquid inquirere, quod non eſt expreſſum in ſacris Litteris, aut ab Eccleſia definitum: ſed qui in hujuſmodi quæſtionibus ſeditioſe digladiantur. Hæc ſunt mea verba: *Quanquam illud libenter perſuaſerim mediocribus ingeniis, in hujus generis quæſtionibus non adeo pertinaciter contendere, quæ citius ladant Chriſtianam concordiam, quam adjuvent pietatem. Non damno moderatam inquiſitionem, ſed contentioſam digladiationem, cum jactura pietatis & concordiæ.* Audis, *Luthere*, me non omnes excludere ab hujuſmodi quæſtionibus, ſed mediocria tantum ingenia: at multo minus ea tractari volo apud rudem plebeculam. Verùm hic urges me dilemmate: *Si de frivolis quæſtionibus loqueris, quid ad nos qui tractamus neceſſaria? Si de Libero Arb. non in loco tibi hæc dicta ſunt, nec opus eſt te magiſtro.* Audi nunc ad tuum mutilum ſyllogiſmum. Sunt aliquot quæſtiones, in quibus non damnatur modeſta inquiſitio, quales ſunt, de annis *Mathuſalem*, & quoto ætatis anno *Solomon* factus ſit pater: ſed anxia inquiſitio contentioque damnatur. Rurſum multa themata verſantur inter Theologos Scholaſticos, de quibus nondum dilucide pronuntiavit Eccleſia: de his ſentit animus ille *Scepticus*. Sed urges, hîc agi de Libero Arb. quod ſi colloco inter quæſtiones frivolas, recte loquor, ſed impie ſentio: ſin inter neceſſarias, pie ſentio, ſed impie loquor. Hîc ſcilicet conſtringor inter ſacrum & ſaxum. Sed facillimus exitus. Ego quæſtionem, an ſit aliquid Liberum Arbitrium, adeo non judico ſupervacaneam, ut potius hæreticum exiſtimem de eo dubitare, quod ab Orthodoxis omnibus magno conſenſu traditum eſt, quod Eccleſia clara voce definit, non jam diſputandum, ſed credendum. Oportet enim aliquem eſſe diſputandi finem: nam quod nunc veluti de re integra diſputatur, tu nos cogis, qui tot jam ſeculis comprobata, fixa, & ἀκίνητα, revocas in dubitationem, imo convellis ac demoliris. Alioqui meum animum nulla unquam ſubiit dubitatio, an eſſet aliquid Liberum Arbitrium. Verùm ut illud præſcriptum eſt, eſſe liberum hominis arbitrium, ita multa diſputantur circa quæſtionem hanc, quæ ſine diſpendio ſalutis poſſent omitti, meo quidem judicio, in quibus nec veteres Orthodoxi, nec recentiores per omnia conſentiunt, & de quibus adhuc ſuam ſententiam ſuſpendit Eccleſia. Adhuc enim diſputatur inter Scholaſticos, an hæc propoſitio, *Deus aliqua præſcit contingenter*, in aliquo ſenſu vera ſit. Nec deſunt qui credant omnia contingentia à Deo contingenter præſciri, cum fateantur Dei præſcientiam falli non poſſe. Rurſum, *an Deus omnia faciat neceſſitate*. Item, nihil certius eſt quam eſſe tres Perſonas, proprietatibus inter ſe differentes, cum ſint eadem eſſentia. Cæterum circa materiam hanc multa quæſita ſunt olim ab *Auguſtino*, plura à recentioribus, quomodo differat Perſona à Perſona, & quare productio Sancti Spiritus à Patre, *proceſſio* dicatur non *generatio*: & an divina eſſentia generet aut generetur: & an ſit eadem identitas divinæ eſſentiæ ad quamlibet Perſonam in Triade, quæ eſt divinæ eſſentiæ ad ipſam divinam eſſentiam: Et an potentia generandi in Patre ſit abſolutum quiddam an reſpectivum: & an potentia generandi poſſit communicari Filio à Patre. Item, ſi concedatur, Deum generare Deum, utrum Deus generet ſe ipſum Deum, an alium Deum. Hoc genus innumera tractantur circa ſimpliciſſimum & clariſſimum articulum fidei catholicæ: nec in Scholis opinor impie diſputari, modo ſobrie. Ita circa quæſtionem prædeſtinationis, quæ eſt affinis Libero Arbitrio, quærunt, an poſſibile ſit aliquem prædeſtinatum damnari, & reprobatum ſalvari. Item, an præter divinam voluntatem ſit alia cauſa prædeſtinationis aut reprobationis. Hæc tractare in Scholis, modo ſobrie, non improbo: verùm conſultius arbitror, ut qui mediocri ſunt ingenio abſtineant ab hoc quæſtionum genere, in quibus periculoſe erratur: nec tractentur apud populum. Non igitur damno qui apud populum docent eſſe Liberum Arbitrium, ſimul adnitens cum adjuvante gratia, ſed qui apud rudem plebeculam tractant eas difficultates, quas vix in Scholis convenit. Veluti Sacerdos pie docet populum, eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: cæterum illas Scholaſticorum difficultates, de notionibus, de realitate & relationibus, tractare apud promiſcuam multitudinem, an expediat, tu videris.

Hujus generis exempla cum aliquot proponam in Diatriba, intermiſces hæc verba, *non ſine aculeo & ſuſpicione.* Quid hic eſt ſuſpicionis, ſi nolim ea, quæ circa has materias diſputant *Scotiſtæ* & *Occaniſtæ*, diſputari apud imperitos, ne apud doctos quidem altius in hæc penetrari quam ſat eſt? Aut quem aculeum mihi narras? An ut ſugillem articulum de tribus Perſonis & eadem eſſentia? Quid enim tu dubitabis impingere, quem non pudet toties *Eraſmum* vocare *Lucianum* & *Epicurum?* De peccato irremiſſibili dicetur alias. Sunt igitur quæſtiones prorſus inutiles, quales arbitror de inſtantibus & prioritatibus: & an ſit propoſitio poſſibilis, Pater odit Filium Deum, & an anima *Chriſti* potuerit falli aut mentiri. Sunt rurſus utiles, ſed in quibus non ſit operæ pretium ſic contendere, ut ſcindamus Chriſtianam concordiam, ſed ſatius eſt, ut permittamus unumquemque in ſuo ſenſu abundare. Sunt rurſus dogmata maxime neceſſaria, ſed in quibus aliquouſque progredi licet, quoad nobis prælucet Scriptura divina. Quod genus eſt de uno Deo ac tribus Perſonis. Quanquam hîc quoque bis peccatur, ſi vel altius ſcrutemur quam oportet, vel apud eos tractemus quibus hæc non conveniunt. Hanc fuiſſe mentem meam palam perſpiciet, qui meam Diatribam attente legerit. Quare etiam atque etiam te rogo, *Luthere*, quid ad hanc cauſam faciunt, tot tua convitia, tot calumniæ, tot inſultationes, tot vociferationes, tot exſecrationes, me optare in Litteris ſacris *Scepticorum* licentiam, me nihil curare, utrum aſſequar an non aſſequar quod præſcribit Scriptura aut Eccleſia, & mea verba nihil aliud ſonare, quam apud me nihil referre quicquid à quolibet ubique credatur, modo pax mundi conſtet, liceatque ob periculum vitæ, famæ, rerum & favoris, illum imitari qui dixit, *Ajunt, ajo: negant, nego*, & habere Chriſtiana dogmata nihilo meliora, quam Philoſophorum opiniones, & ex verbis meis nihil aliud declarari, quam me in corde *Lucianum* aut alium quendam de grege *Epicuri* porcum alere, qui cum ipſe nihil credat eſſe Deum, rideat occulte omnes qui credunt, & confitentur: & ais alibi me tibi grandem inhalare crapulam *Epicuri*, nec aliud ſpirare quam *Lucianum* ἄθεον. Nec his tantis convitiis contentus, etiam figuram rhetoricam adhibes: *Scis*, inquiens, *quid hic premam.* Hîc tibi præſto ſunt illæ tuæ hyperbolæ, ſine quibus nihil ſcribis. Sophiſtis, (ſic enim vocas Theologos) ubique tribuis ſummam impietatem, & me facis tam impie ſcribentem, ut ab impiis ſuerim dentibus dilacerandus, niſi tu eos tua pietate revocaſſes. Perinde quaſi dicas, baſiliſcum nec ab aliis venenis tolerari. Deinde cum me toties facias *Lucianum*

ἄθεον,

Digitized by Google

ἀθεον, qui dicam in corde meo: Non est Deus, cum me facias *Epicuri* de grege porcum, quasi credam aut nullum esse Deum, aut si quis est, ei non esse curæ res mortalium, hæc, inquam, cum impingas, quibus ne fingi quidem quicquam potest atrocius, tamen addis hyperbolam, me scire, quid hîc premas. Hic erat locus in te debacchandi, si calami tui petulantiam imitari vellem. Nihil erat opus tam impudentibus commentis. Poteram ex aliorum sententiis aperire quod monstrum tu celes in corde, & quem spiritum tua scripta nobis inhalent. Etenim si tibi jus facis quidlibet in me jaculari vel ex tuorum veredariorum delationibus, vel ex fratrum litteris, vel ex animi tui divinatione, quanto justius ego possem idem ex Cæsaris ac Pontificum diplomatibus, ex gravium virorum libris in te proditis? Obtestor tuum istum spiritum, quem toties nobis jactas, *Luthere*, utrum hæc ex animo scribis, an in odium mei confingis? Si me sentis esse talem qualem describis, falsissimam de me concepisti opinionem: Sin ista, quod magis credo, confingis, facile divinas qualem ego de te concipiam opinionem. Sin hæc ad te detulerunt fideles in Christo fratres, pessima fide mentiti sunt. An ideo mihi curæ non sunt Ecclesiæ dogmata, quia tuas damnatas assertiones tueri recuso? An hoc testantur tot meæ Lucubrationes, me credere nihil esse Deum? Quorsum opus erat tantum laboris desudare, cum licuerit profanas tractare materias? Aut quis unquam audivit ex me vocem de Deo impiam? Verùm scio te longe aliud sentire quam scribis, neque cuiquam obscurum erit quo spiritu afflatus hæc tam odiose scripseris. Nec illa fucata facient, ut quisquam tibi credat: Metue Spiritum Dei, qui scrutatur renes & corda, nec fallitur compositis verbis. Hujusmodi si velim in te vicissim uti, quantam dicendi copiam mihi non ars rhetorica, sed ipsa res suppeditatura sit, & tu vides, opinor. Sed certum est tueri promissum, depellam intentatam calumniam, non recalumniabor. Quantiquam hæc calumnia tam impudens est, ut non egeat ullo patrocinio. Ergo ad rem.

Si tibi usque adeo displicent *Sceptici*, si tantopere placent assertores, cur quod ab Orthodoxis omnibus assertum est, quod Ecclesiæ clarissima voce præscriptum est, audes convellere? Utrum magis impium est, non disputare plusquam sat est de dogmatibus Christianis, an ea labefactare, disjicere, conculcare, & his ornare vocabulis, quibus tu ornas? Hîc mihi rursus ingeres tuam figuram, quasi tu revereare (inquis) Scripturas & Ecclesiam. Quid superest, nisi ut prophetiæ spiritum tibi vindices, imo divinitatem quandam, ut pronunties quid quisque celet in corde? Et tamen toties repetis, te nolle de animo meo judicare. Solus Deus dictus est καδιογνώστης. Excute tuum cor, & noli de alieno judicare. Vides hîc, *Luthere*, quid mereare audire? Ego non revereor Scripturas Sacras, & tu revereris? Et hîc scilicet erat locus scommati: *Verùm*, inquis, *tu de confitendo* Christo, *& dogmatibus ejus, hîc nihil voles dixisse.* Recte moneor, & ego in gratiam tui, meo juri cedo, ac de animo tuo nolo judicare, inque aliud tempus vel aliis id reservo. Hæc tua, *Luthere*, verba quid olent, quid spirant, quid sapiunt? Quid nisi spiritum sinceritatis Euangelicæ? Obsecro te, si velles, potes tu judicare de animo meo, & si judicares, quid aliud quam impudentiam luerifaceres? Aut quod jus tuum vocas, quod in gratiam meam cedis? Num licentiam in quoslibet jaculandi quidlibet? Aut quem morem tuum mea causa relinquis? Nonne toto hoc libro morem antiquum obtines, nisi quod maledictis & calumniis teipsum superas? Aut quod tempus, quos alios sycophantas mihi minitaris? Itane tu purgatus eris Ecclesiæ Catholicæ, si mihi crimen impietatis impegeris? Istis artibus, opinor, Apostoli Mundum pellexerunt ad Euangelium. Hoc volo te tuosque omnes scire, primum quod ad Scripturas attinet, fieri potest, ut in his enarrandis labar imprudens, quod, ut tu prædicas, passim accidit *Hieronymo*. Cæterum non alia in re plus colloco vel spei, vel solatii quam in divinis Litteris, ex quibus arbitror me tantum hausisse lucis, ut absque tuis contentiosis dogmatibus ex misericordia Domini sperem æternam salutem. Itaque Scripturarum non minor est apud me reverentia, quam apud eos qui illas adorant religiosissime. Deinde quod ad Ecclesiæ reverentiam pertinet, fateor me semper optasse repurgari Ecclesiam, à quibusdam moribus, nec me per omnia assentiri omnibus dogmatibus Scholasticorum, cæterum Ecclesiæ Catholicæ decreta, præsertim ea quæ generalibus Synodis prodita sunt, & Christiani populi consensu comprobata, tantum apud me ponderis habent, ut etiamsi meum ingeniolum humanis rationibus non assequatur quod præscribit, tamen velut oraculum à Deo profectum sim amplexurus, nec ulla Ecclesiæ constitutio à me violabitur, nisi necessitas ipsa legem relaxet. Ac mihi vehementer displicerem, animoque discruciarer, si proceres Ecclesiæ eam sententiam in me tulissent quam in te pronuntiarunt, qualem causam sis habiturus apud Deum, ipse videris. Hunc animum hactenus præstiti & præstabo. Tu divina ex tuo animo quæcunque voles, ac me terque quaterque Papisticum appella. Animo meo nihil potes objicere, nisi quod cum omnibus bonis viris optavi correctionem Ecclesiæ, si sine gravi rerum tumultu fieri posset. Nec te pudet toties mihi objicere optatam *Scepticorum* licentiam, quasi quod per se falsum est, repetendo & asseverando fiat verum. In Litteris sacris, quoties sensus dilucidus est, nihil *Scepticum* esse volo: similiter nec in decretis Ecclesiæ Catholicæ. Cæterum in aliis, de quibus assertores magna contentione digladiantur, dico me facile discessurum in sententiam *Scepticorum*, hoc est, diu consideraturum, nec temere pronuntiaturum. Non est igitur *Scepticus*, qui non curat scire quid verum, quid falsum, cum à considerando nomen habeant: sed qui non facile definit, neque pro sua opinione digladiatur, verùm quod alius sequitur ut certum, ille sequitur ut probabile. Tales *Scepticos* videas fuisse veteres Orthodoxos frequenter in enarrandis sacris Litteris, inquirentes ac suspendentes interim sententiam, judicium aliis deferentes. Et in plerisque definiendis Ecclesia, sicut ante diximus, *Sceptica* fuit, multis seculis suspendens sententiam. Quis autem tam perversæ mentis est, ut malit nihil certi scire, quam omnium rerum habere certam scientiam? Verùm in tanta rerum caligine, modestius simul & quietius est *Scepticum* agere quam contentiosum assertorem. Quid erit tandem quod tu non depraves ad calumniam? Quam vero amanter interpretaris quod scripseram, *sive assequor, sive non assequor*, id est, *non curas, an assequaris nec ne.* Et addis graviter, *Christianus vero anathema sit, si non certus sit & assequitur quod ei præscribitur: quomodo enim credet quod non assequitur?* Ita-ne, vir egregie, assequi est certum scire? An potius rem intellectu difficilem, ingenii viribus, & naturalibus argumentis percipere? Neque te fugiebat, quid sentirem, non usque adeo rudis es Latini sermonis, sed huc te rapuit calumniandi libido. Et si parum scires Latine, ipse sermonis contextus indicat quid sentiam. Quid enim aliud est submittere sensum humanum Ecclesiæ judicio, nisi credere quod præscribit Ecclesia? Ego non assequor quomodo differat Pater à Filio, quomodo procedat Spiritus Sanctus ab utroque, cum neutrius sit filius, & tamen hoc apud me certius est, quam quod digitis contrecto. Et vide quam inique calumniaris omnia: eandem sententiam, quam in mea Diatriba calumniaris multisque convitiis exagitas, ipse ponis in tua formula, qua meam scilicet corrigis: *Ubicunque*, inquis, *per infirmitatem liceret*, &c. Quod tu vocas infirmitatem carnis, ego dico non assequi. Neque enim veritas est in causa, quo minus assequamur, sed infirmitas ingenii, quale me profiteor habere. Hic αὖθις αὖ triplicem litem moves. Primum, quod scripseram in sacris

Lit-

Litteris esse aliquid obscurum, deinde quod tibi jus adimam rescindendi, quæ sunt à Priscis decreta, denique quod nolim omnia apud quosvis evulgari. Ut ad medium primo loco respondeam, jus istud adimat tibi qui dedit. Surgente posteriore propheta jubetur prior tacere, quid tum postea? Ergo-ne fas est cuivis rescindere Veterum sententias publico Ecclesiæ judicio comprobatas? Denique cur tu sic commoveris in prophetas qui surgunt post te? Cur illis juxta Pauli præceptum non das locum? Deinde quod dicis de luce Scripturarum, utinam esset verissimum! At longe aliter sentiunt qui in his explanandis multis retro seculis desudarunt. Sed de hoc posterius incidet ut loquamur. Atque hunc campum ingrediens, statim uteris arte tua, dicens quod ego Christiana dogmata sic distinguam, ut quædam sint necessaria cognitu, quædam minus. Obsecro quis unquam dixit Christiana dogmata non esse cognitu necessaria? De quæstionum generibus loquor, non de Christianis dogmatibus. Deinde non illic ago de Professoribus Theologiæ, sed de vulgo: nam hodie & coriarii in compotationibus disputant de Libero Arbitrio.

Jam quod ipse fateris in signis tantum obscuritatem esse, non in rebus, haud magni refert ad excludendam obscuritatem: utrum fatearis res non intelligi, propter ignoratas voces, an rerum caliginem esse in causa ut voces non intelligantur. Quod si sola Grammatices peritia submovet omnem obscuritatem à sacris Litteris, quî factum est, ut divus *Hieronymus* Linguis omnibus instructus, sic passim hæreat, sudet in explanandis Prophetis? ne quid alios commemorem, in quibus est & *Augustinus*, cui nonnihil tribuis. Cur tu ipse, qui Linguarum inscitiam non potes prætexere, nonnunquam hæres in explicandis Psalmis, testificans te somnium animi tui sequi, non damnatis aliorum opinionibus. Atqui si veritas in propatulo est, oportebat eorum opiniones, qui à vero aberrassent, rejicere. Hoc eum certe decebat, qui sic odit *Scepticos*, professus assertorem. Denique cur inter tuos fratres adeo male convenit? Eandem Scripturam habent omnes, eundem spiritum sibi vindicant omnes: & tamen *Carolstadius* abs te fortiter dissensit, dissentit & *Zwinglius*, & *Oecolampadius*, & *Capito*, qui *Carolstadii* sententiam probant, probationes non probant. Rursus inter *Zwinglium* & *Balthazarum*, quantis de rebus quantum est dissidium? Ne commemorem imagines ab aliis ejectas, per te defensas, ut taceam de novo baptismo, à tuis rejecto, ab aliis prædicato, ut sileam humanas disciplinas, ab aliis reprobatas, abs te defensas. Cum tractetis omnes rem Scripturæ, si ea nihil habet obscuritatis, cur inter vos tam male convenit? Nec est quod hîc miseros Sophistas exagites: docet hoc *Augustinus*, obscuritatem alias proficisci ex ignoratione seu ambiguitate vocum, alias ex ipsa natura rei, nonnunquam ex tropis & allegoriis, interdum ex locis inter se pugnantibus, quod ad sermonis speciem attinet. Et causam adfert, quare Deus hanc obscuritatem in sacris Voluminibus residere voluerit. In loco de peccato in Spiritum Sanctum nunquam remittendo, negas quicquam esse obscuritatis. At *Augustinus* fatetur se semper vitasse hujus difficillimæ quæstionis molestiam, & tamen cum tractet eam accurate, non sibi fidit, sed suspendit sententiam. Breviter, an sibi satisfecerit nescio, mihi non satisfecit. *Verba sunt*, ut ais, *clarissima, peccatum irremissibile:* sed doce quæ sit illa blasphemia in Patrem aut Filium, cui promittitur remissio, quæ in Spiritum Sanctum, cui negatur. An contumelia Patris & Filii non pertinet ad Spiritum Sanctum? Deinde, quod est illud seculum futurum, in quo videntur condonari quædam peccata? Vide quanta sit in clarissimis verbis obscuritas. Quæ non torquet *Augustinus*, ut ex his angustiis semet explicet: & tamen non explicat, nec mea, nec sua ipsius sententia. Porro quod me cum omnibus Sophistis provocas, ut vel unum locum obscurum aut abstrusum proferamus è divinis Voluminibus, quem tu non statim ostendas esse dilucidum, utinam præstare posses quod polliceris! Deferemus ad te difficultatum examina, tibique condonabimus, si nos appelles talpis cæciores, modo luculenter explices in quibus hæremus. Quod si nobis hanc legem præscribas, ut quicquid tu fueris interpretatus, id credamus sentire Scripturam, non patientur tui sodales, qui tibi fortiter reclamant, asseverantes te de Eucharistia perperam interpretari Scripturas. Quare non æquum est nos tibi plus auctoritatis tribuere, quam tribuunt tuæ professionis sodales præcipui. Jam cum hîc agamus de difficultate quæstionum, quæ ex mysticis Litteris nascuntur, veluti cum quærimus quid sit illud quod distinguit in sacra Triade Personam à Persona, res an relatio, & an Spiritus Sanctus cum procedat ab utroque, ab uno principio procedat, an à duobus, aliaque innumera. Item cum legamus impiis post hanc vitam denuntiari ignem gehennæ, quæsitum, an impiorum animæ statim ut avulsæ sunt à corpore, dedantur suppliciis, an serventur luituræ pœnas in die supremo. Rursus an ignis ille sit materialis: & si est, quomodo res corporea agat in animam incorpoream. Tu, qui solus nunquam deflectis à re proposita, mire huc confers Scripturas & rationes, de lapide revoluto à monumento, de Euangelio prædicato omni creaturæ: quasi tales difficultates prædicarint Apostoli. Quod si nomen Euangelii Christique quæstiones ejusmodi universas complectitur, unde factum est, ut post prædicatum Euangelium tanta cæcitas resederit in Ecclesia Dei, ut post Apostolos nullus exstiterit, præter *Joannem Hus* & *Wiclevum*, qui non passim hæreat in sacris Litteris? Nisi forte sentis nihil ultra quærendum, quam sacris Litteris expressum est. At hoc nec te nec tuos sentire verisimile est. Nam tu hactenus cum Ecclesia faciens, pronuntias in synaxi verum esse corpus & sanguinem, id est, substantialiter: atqui substantiæ vox non est in sacris Litteris. Rursus tui fortissime contendunt, non esse illic corpus & sanguinem, nisi in signo efficaci. Ne hoc quidem exprimunt sacræ Litteræ. *Omnibus*, inquis, *notum est, Filium Dei factum hominem, esse Deum trinum & unum, Christum pro nobis passum, & regnaturum in æternum:* poteras eadem opera è Symbolo proferre duodecim articulos. Ista fateor & laicis decantanda. Sed quid hoc ad difficultates quæstionum quæ ex his articulis oriuntur? Nam nos de his loquebamur non disputandis apud promiscuam plebem. Proinde vides, opinor, quam illa sint ἀπροσδιόνυσα quæ citas: *Prædicate Euangelium omni creaturæ:* &, *In omnem terram exivit sonus eorum:* &, *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt:* &, *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum*, &c. Ista quis unquam negavit? Hæc scilicet faciebant ad rhombum, ut tuis abutar facetiis. Porro quod rejicis meum *Corycium* specum, qui declarat aliquo usque scrutandas Litteras sacras, cæterum altius quam sat est ingredi nefas esse, ne scrutator majestatis opprimatur à gloria, sed doces abstrusissima quæque mysteria omnibus in promtu atque propatulo esse, satis tu quidem fortiter asseris: sed ipso mundo reque ipsa reclamante, postremo tuis ipsius scriptis, ac tuorum dissidio refellente quod asseris. Non admodum excutiam hîc distinctionem tuam, qua discernis Deum à Scriptura, quemadmodum creatorem à creatura: quam propositurus, nescio quamobrem profitearis te velle rhetoricari aut dialecticari: aptius erat si dixisses sophisticari. Nam illi distinctionibus solent elabi, quod tu nihilo rarius neque verecundius facis quam illi, quoties tibi commodum est. Scriptura nobis Deum depingit, ac de divinæ naturæ mysteriis loquitur. Proinde sermo de re ut est incomprehensibili, & ipse aliqua ex parte incomprehensibilis sit oportet. Nec refero pronomen *Ejus* ad Scripturam, ut tu divinas, sed ad Deum: *Inepte igitur*, inquis, *accommodas ad Scripturam, cum illic* Paulus *loquatur de Deo, quemadmodum*

Digitized by Google

dum & Eſaias. Verùm inter ſeſe reſpondent imago & res expreſſa. Et *Paulus* antequam ad hæc verba veniret, tractaverat ex ſacris Litteris difficillimam quæſtionem de *Jacob* dilecto, & *Eſau* odio habito, de figulo & luto fictili. Quare non tam inepte mihi tractata ſunt hæc loca, quam tu videri vis. Sed quæ adducis teſtimonia, nihil faciunt ad ſenſum meum, qui tamen non videtur fugiſſe te, cum hunc in modum
17. ſcribis: *Si loqueris de Sophiſtarum quæſtionibus circa has res agitatis, quid tibi fecit innocentiſſima Scriptura*, &c. Sciebas igitur me non de Scriptura, ſed de quæſtionibus hinc exſiſtentibus loqui. Proinde quorſum attinebat tot verba incaſſum fundere? Quanquam non omnes quæſtiones ſophiſticæ ſunt; ſunt & utiles & neceſſariæ, modo ſobriæ ſint, & quoad fas eſt progrediantur: & tamen in his ſunt quædam, quæ nec à quibuslibet tractanda ſunt, nec apud quoslibet. Rurſus illa diſtinctio de obſcuritate interna & externa, ad nihil conducit niſi ut elabaris, noſque tua loquentia delaſſes. Nec in hoc dico in Scripturis eſſe difficultatem aliquot locis, ut homines ab ejus lectione deterream, ſed ut exhorter potius ad acre ſtudium, & à decernendi temeritate dehorter parum exercitatos. Verùm hæc alias fortaſſis incident.

Veniam ad formulam Chriſtianæ mentis, quam tu pronuntias plus quam Ethnicam & Judaicam, quam tamen, ut dictum eſt, præſcripſimus non tui ſimilibus, ſed idiotis, qui nihil aliud ſunt quam Chriſtiani. Sed præſtat ipſam formam hîc referre, quo magis perſpicuum ſit lectori quod agimus: *Ego meo*, inquam, *judicio, quod ad liberum arbitrium attinet, quæ didicimus è ſacris Litteris, ſi in via pietatis ſumus, ut alacriter proficiamus ad meliora, relictorum obliti; ſi peccatis involuti, ut totis viribus enitamur, adeamus remedium pœnitentiæ, ac Domini miſericordiam modis omnibus ambiamus, ſine qua nec voluntas humana eſt efficax, nec conatus; & ſi quid mali eſt, nobis imputemus; ſi quid boni, totum adſcribamus divinæ benignitati, cui debemus & hoc ipſum quod ſumus. Cæterum quicquid nobis accidit in hac vita, ſive lætum ſive triſte, ad noſtram ſalutem ab illo credamus immitti, nec ullam poſſe fieri nobis injuriam à Deo natura juſto, etiamſi qua nobis videntur accidere indignis: nemini deſperandam eſſe veniam à Deo, natura clementiſſimo. Hæc, inquam, tenere meo judicio ſatis erat ad Chriſtianam pietatem, nec erat irreligioſa curioſitate irrumpendum ad illa retruſa, ne dicam ſupervacanea, an Deus contingenter præſciat aliquid*, &c. Primum, ut ſæpe jam dictum eſt, hæc forma datur idiotis Chriſtianis, quibus ſatis eſt ut pro viribus proficiant, ſeque totos voluntati divinæ commendent, nec ab his, opinor, requires, ut ſeſe torqueant quæſtionibus, ne inter Theologos quidem ſatis explicatis, de futuris contingentibus, de præſcientia & prædeſtinatione Dei: & affingis me hîc depoſito Sceptico, aſſeverare, cum bis adjiciam, *meo quidem judicio*. Verùm iſtiuſmodi permulta tibi permittis, & ego, ne nimium hîc operæ ſumam, ad multa connivebo. Nunquam enim diſſuaſi, ne cum inciderit oportunitas, populus quoque audiat, eſſe liberum arbitrium, ſed inefficax abſque Dei gratia: verùm illa quæ nunc doces populum, nullum eſſe lib. arb. omnia mera neceſſitate fieri, præterquam quod falſa ſunt, pernicioſe dicuntur apud imperitam multitudinem, nec mihi videtur conſultum, ut etiam qui aſſerunt lib. arb. cæteras hujus quæſtionis difficultates tractent apud populum. Quot ſunt puriſſimi Chriſtianiſmi virgines, quæ ſeſe totas divinæ voluntati conſecrarunt, nec tamen intelligunt quomodo præſciat Deus, & an aliquid præſciat quod nolit, & quomodo eadem velit & non velit: & quomodo præſciat contingentia quæ pendent ab humana voluntate. Corpus noſtrum non intelligit quomodo vim ſuam in ipſo exſerat anima, ſatis eſt, quod animo ſe præbet morigerum: ita non eſt neceſſe ut anima ſciat, quibus modis in ipſa operetur gratia, ſufficit quod ſe gratiæ præbet obſequentem. Tu vero putas nihil eſſe religioſum, ſi hæc à Religione Chriſtiana ſemoveantur, an noſtra voluntas agat aliquid cum operante gratia, an Deus præſciat aliqua contingenter: ſed hæc occurrent ſuis locis. Nondum enim diſputamus, ſed tuas calumnias, quibus liber tuus undique ſcatet, refellimus: quarum hæc una non multum habet frontis, quantum mentis neſcio. Formam hanc damnas ut Ethnicam ac Judaicam, quod ne jota quidem fecerim mentionem *Chriſti:* quaſi doceam, eſſe pietatem Chriſtianam ſine *Chriſto*, tantum ſi Deus natura clementiſſimus totis viribus colatur: quanquam hæc verba, *Tantum ſi Deus*, &c. de tuo affinxiſti, ne non haberet aliquem fucum tua calumnia. Hîc iterum appello tuam conſcientiam, *Luthere:* non te pudet tales nænias miſeris chartis illinere? Tu huc torques mea verba, quaſi formam totius Chriſtianiſmi præſcripſerim omnibus. Imo præſcripſi quod ſatis eſſet ſimplicibus adverſus contentioſas difficultates, & propemodum inexplicabiles, quæ tractantur circa materiam liberi arbitrii. Cedo mihi, ubi nominatur Deus, utique Chriſtianorum, an illic abeſt *Chriſtus?* Niſi *Chriſtum* non habes pro Deo; & ubi Chriſtianus nominatur, an ibidem non intelligitur *Chriſtus*? In cujus libris frequentius inculcatur nomen *Jeſu Chriſti*, quam in meis? Et poſt tam evidentem calumniam, de nihilo ſuſcitatam, infers hæc tragica: *Quid hic dicam*, Eraſme? *Totus* Lucianum *ſpiras, & inhalas mihi grandem* Epicuri *crapulam. Nunquam tibi deeſt quod dicas, ſed puto cordato lectori non eſſe obſcurum, quid hic de te cogitem.* Jam illud mihi vide quam tibi non conſtes, homo adamantinus: cui *Eraſmus* eſt Proteus. Id accidere ſolet, quoties quis non ex animo loquitur. Admoneo ut Chriſtianus ſe totum mancipet voluntati divinæ & totus ſpiro *Lucianum*, & inhalo crapulam *Epicuri*. An hoc eſt negantis eſſe ullum Deum? Num hoc eſt ſpirare *Lucianum*, qui ἄθεος dictus eſt, quod in libris ſuis derideat omnes Gentium Deos, hactenus pii vocabulo dignus, ſi verum Deum agnoviſſet? An hoc eſt inhalare crapulam *Epicuri?* Quomodo quis committet ſe totum Deo, quem aut credat non eſſe, aut ſi eſt, non tangi cura rerum humanarum. Rurſum qui credit omnia tum læta tum triſtia piis immitti à propitio Deo ad ſalutem noſtram, an is exiſtimat res hominum non eſſe curæ Deo? Etiam atque etiam vide, *Luthere*, quo te rapit impetus animi tui, cui nimium obſequeris, contra quam decorum eſt perſonæ, quam ipſe tibi impoſuiſti. Et tamen quaſi jam argumentis irrefutabilibus eviceris quod intendis, adornas glorioſum, prolixum ac magnificum triumphum, quem agis aliquot capitibus.

Hæc verba, *Luthere, totis viribus enitamur, adeamus remedium pœnitentiæ ac Domini miſericordiam omnibus modis ambiamus, ſine qua nec voluntas humana efficax*, &c. non miror tibi videri ſine Chriſto, ſine ſpiritu dicta, & quavis glacie frigidiora, cum diſſentiant à tuis dogmatibus, à quibus quicquid diſcrepat, impium eſt tuo ſane judicio, & hæc ipſa tamen videntur tibi non ex animo dicta, ſed metu Pontificum ac tyrannorum extorta, ne prorſus viderer ἄθεος. Dic mihi, καρδιογνώστα, eſt-ne ullus locus in tot meis lucubrationibus qui aliter loquitur de libero arbitrio quam hîc loquor, juxta definitionem Eccleſiæ, & Orthodoxorum ſententiam? Aut audivit me quiſquam approbantem tuam de libero arbitrio ſententiam? Qua igitur fronte fingis metu Principum nunc demum hæc verba à me extorta? Malueram tecum in arena gladiatoria non committi, vel quia prævidebam me nihil profecturum, niſi ut equum in campum, quod ajunt, provocarem, vel quia malueram aliis vacare ſtudiis. Proinde ſi me dicis adverſus animi ſententiam prodiſſe in arenam, non aberras à vero. Sin exiſtimas me tecum ſentire, cum aliud apud me celem, aut erras tota via, aut impudentiſſime confingis hoc, ut alia multa. Invitus ac detrectans acceſſi ad conflictum, ſed in ipſo conflictu nihil aliud defendi, quam & ſenſi ſemper & hodie ſentio: id quod teſtificatus ſum & in mea Diatriba. Et tu jam olim in me ſtomachabaris: (id arguunt litteræ 12.

tuæ à tuis excusæ) quod in causa liberi arbitrii abs te dissentirem. Unde igitur novus ille tyrannorum metus, qui has voculas expressit adversus animi sententiam? Illud scito, *Luthere*, nullum esse dogma tuum, de damnatis loquor, in quo tecum per omnia sentiam, nisi quod quæ scribis in mores Ecclesiæ corruptos, veriora sunt quam vellem; tantum abest, ut hac una in parte abs te dissentiam. Quare posthac omitte illas blandas appellationes, *mi Erasme*, *mi Erasme*, & palpis istiusmodi tibi juratis caput demulce. Atque hîc mirum quam tibi fluant verba tragica, falso multumque fluenti expressa arbusto, quasi omnibus interdixerim ne vestigent quid possit voluntas nostra, quid agat in nobis gratia Dei. Imo quæ curiosius circa hæc disputantur, non requiro ab omnibus Christianis, & nego esse ventilanda apud populum. Et legis in mea Diatriba taxatos eos, qui irreligiosa curiositate in hæc irrumpunt, significante nimirum aliquam piam esse curiositatem, qua hæc aliquousque sobrie citraque contentionem possint investigari. Et vis nullum haberi pro Christiano qui ignoret, quid sit in nobis illud quod vocatur liberum arbitrium, & utrum sit in voluntate tantum an etiam in intellectu: & an tantum patiatur ab agente gratia, &c.

Superiores illæ quæstiones, & illis similes possunt à simpliciter Christianis simpliciter credi, etiamsi non excutiantur subtilitate Scholastica. Proinde quoniam à scopo nostri sermonis aberrasti, quicquid hîc atrocibus verbis exaggeras, irreligiosum, impium, supervacaneum, frustra tibi dictum est. Deinde quid opus est simplices Christianos disputare de contingentibus, deque voluntate tantum patiente, cum jam Ecclesia magistra persuasum habeant, aliquid agere voluntatem, verùm id inefficax esse, nisi perpetuo adsit opitulatrix gratia. Hoc dogma jam annis mille quingentis tenuit populus Christianus. Nec de hoc disputare fas est, nisi si qui moderate in hoc disputent, ut magis confirmetur quod tradidit Ecclesia. Cæterum quod in congressu profiteor me disputatorem, non judicem, civilitas erat, quam tibi tuisque tribui, qua simul & auctoritate Conciliorum, Pontificum & Academiarum memet exarmavi. Quid enim attinebat me pronuntiare, de quo jam olim pronuntiavit Ecclesia catholica? Proinde cum hoc agam tota mea Diatriba, ut evincam esse verum quod definivit Ecclesia, esse in homine vim liberi arbitrii, quæ operanti in nobis gratiæ cooperetur, sed sic ut ipsum non assequatur salutem absque gratia: quid attinet mihi ingerere mea verba, quibus assero voluntatem aliquid agere in his quæ pertinent ad æternam salutem, & hanc rursus inefficacem esse, sine misericordia Dei? Sed hic mecum pugno, ut ais, qui præfatus sim, esse curiosum his de rebus disputare cum ipse disputem. Non solum curiosum, verum etiam impium est illa vocare in dubium, quæ tanto consensu recepit Ecclesia, id quod tu facis. Et addo multas alias quæstiones quæ huic adhærent, quas tu prudens retices. At in forma non definio, quid valeat nostra voluntas, quid misericordia, & quomodo intelligendum sit agere & pati, quo videlicet prudens, ut scribis, faciam ignaros. Grave flagitium si hæc non explico in forma, quam præscribo simplicibus, at explico satis, opinor, in ipsa disputatione, & forte melius quam tu ferre possis. Nam quod tu Diatribam meam sic elevas, sic dejicis, sic conspuis, hoc ipsum arguit illam non tam adspernabilem esse quam tu videri vis, si non urgeret te, non tot convitiis in illius auctorem debaccharetur tuus calamus. Rursum illa vide, quam non in loco tibi dicuntur, quod neutri parti adhærere statui, & inter *Scyllam Charybdimque* tuto evadere, ut medio mari fluctibus obrutus & confusus omnia asseram quæ nego, & negem quæ assero. An omnes defecerunt ad tuam *Charybdim* qui non stringunt calamum pro Ecclesia? An defecit ab Ecclesia, quisquis maluit aliud agere, quam tecum congredi? A vestro fœdere me alienum esse semper professus sum, cum Ecclesia Catholica pacem habeo, cui & censuram scriptorum meorum detuli, si quid inest erroris humani, nam malitiam aut impietatem procul ab illis abesse scio. In nullius gratiam unquam impugnavi cognitam veritatem, nec ullius tyrannidem meis scriptis fovi. Mihi in Pontificum & Episcoporum vitam censoria virgula data non est. Et si quid monitis proficitur, videor mihi hîc fuisse liberior, quam huic personæ congruebat. An ideo sejunctus sum ab Ecclesia, quod mihi cum duobus aut tribus Theologis, quos tu Sophistas vocas, parum convenit? Hæc cum tot Epistolis & privatim scriptis, & per typographos evulgatis ante tot annos declararim, tibi adhuc navigo inter *Scyllam* & *Charybdim*, (nam hoc tam lepido dicto videris mire delectatus, toties inculcas nobis) & neutri parti adhæreo. Si persuasisses nobis, te esse virum illum divinitus Orbi datum, qui gladio verbi Euangelici renovares Ecclesiam, qui ducereris Spiritu Dei, cui soli nihil esset obscurum in sacris Litteris, ultro isthuc adrepsissemus, etiam pedes tuos exosculaturi. Verùm hoc, quantumvis arrogas tibi, mihi nondum persuasisti. Permulta quidem obstiterunt, sed inter præcipua fuit ista tui calami amarulentia, & effrenis convitiandi libido, ac plusquam scurrilis dicteriorum sannarumque petulantia, qua uteris in omnes, qui audent adversus tua dogmata hiscere. Hîc enim non solum desiderare coguntur Spiritum illum *Christi*, quem tibi fortiter arrogas, verum etiam sentimus longe alium Spiritum, videlicet *Lucianicum* aut *Aristophanicum*, nisi mavis *Archilochium*.

Et tu negas animam hominis ferre duos sessores, quorum alter alterum vicissim depellat, at qui tua legit sentire videtur ambos simul eidem animæ inequitantes. Cum enim nobis commendas fiduciam erga Deum, cum extenuas vires hominis, cum divinæ Scripturæ majestatem & auctoritatem extollis, omniaque humana præ hac dejicis, multa sic dicis, ut videri possint ab Euangelico spiritu proficisci: rursus ubi tuis *Wilheylis* & applausoribus incipis agere fabulam, tanta est petulantia subsannandi convitiandique, tanta vafrities, & adeo nullus in his modus, cum in argumentando sis adstrictus, ut nullus, quamvis æquissimus tibi, possit excusare spiritum tuum. Jam quo gravius vulneres, vafritie quadam addis maledicentiæ strophas, & obliquas figuras, hoc est, gladio venenum illinis. Quemadmodum & hîc facis, cum nihil omiseris quod in hominem deploratissimum dici possit, cum sim tibi *Lucianus* Atheos, cum *Epicuri* de grege porcus, cum tam impius, ut nec impiissimis Sophistis sim tolerabilis, cum hostis totius Christianismi, qui nolim apud populum disputari, an de futuris contingentibus sit certa veritas: tamen adhuc aliquid premis in pectore, & concedis de tuo more, & vela contrahis, & ni *Erasmus* essem tuo more ferreris in me, quasi tibi postules & gratias agi pro tam clementi modestia. Hæc in te cum sint evidentia, tamen postulas ut credamus te nihil facere ex libero arbitrio, sed ex moderatione Spiritus *Christi*, & indignaris quod non protinus deserta doctrina, quam tot retro seculis amplexa est ac tenuit Ecclesia Catholica, juremus in tua verba. Mihi nunquam fuit animus admiscere vestræ conspirationi. Et tamen si me tæderet hujus Ecclesiæ, quæso te per Euangelium, quo me vacillantem ac perplexum vocares? ad istam vestram disgregatam congregationem, & undique dissectam sectam: *Carolstadius* in te debacchatus est, tu viciffim in illum. Nec diffidium fuit *de lana caprina*, sed de re graviffima. *Zwinglius* & *Oecolampadius* multis voluminibus oppugnant tuam sententiam. Et his consentiunt aliquot proceres tuæ congregationis quorum est *Capito*. Rursum *Baltazarus* quanta contentione pugnavit cum *Zwinglio*? Et haud scio an istic in exigua civitatula, satis inter vos conveniat. Hîc tui discipuli palam docebant, disciplinas humanas esse venenum pietatis, non esse discendas Linguas, nisi Hebraicam & Græcam ex aliquantula parte, Latinam

Digitized by Google

nam prorsus negligendam. Exstiterunt qui tollerent baptismum, tum qui novarent, nec defuerunt qui hos opprimerent. Alicubi Divorum imagines dira passæ sunt, tu illis tulisti suppetias. Ubi prodisset libellus tuus *de instaurandis studiis*, ajebant te destitutum tuo spiritu, jam humano spiritu cœpisse scribere, qui pugnaret cum Euangelio, idque dictitabant te facere in gratiam *Melanchthonis*. Exortum est istic propheticum genus, quicum tibi fuit acerrima conflictatio. Denique quemadmodum quotidie inter vos exsistunt nova dogmata, ita simul exoriuntur nova dissidia, & postulas ne quis à vobis dissentiat, cum ipsi inter vos de rebus gravissimis sic dissentiatis? Finge igitur verum esse quod toties sine fronte repetis, me miserum fluitare inter *Scyllam* & *Charybdim*, in quod littus, in quem portum me vocas? Si quando dedissem nomen vestro fœderi, & in veterem Ecclesiam revolutus essem, vos poteratis defectionis & inconstantiæ crimen impingere, alii vocarent resipiscentiam. Si vestram doctrinam comprobasset Orbis Christianus, vel pertinax vel impius videri possem, qui solus non accederem. Si vos inter vos consentiretis in dogmatibus, fastidium objicere poteras, qui nollem auscultare quod tanto consensu docerent homines eruditi. Nunc cum Ecclesiæ Catholicæ semper adhæserim, à vestro consortio semper abstinuerim, cum vestra doctrina damnata sit per Ecclesiæ principes & Orbis Monarchas, ne quid dicam de censuris Academiarum, cum vos sic inter vos digladiemini, & nemo interim sibi non vindicet Spiritum *Christi*, sacrarumque Litterarum certissimam cognitionem, quomodo tibi adhuc inter *Scyllam* & *Charybdim* navigo, & indignaris quod homo senex & rei Theologicæ rudis malim sequi consentientem auctoritatem Ecclesiæ, quam vos sic dissentientes ab Ecclesia, ut nihilo secius inter vos dissentiatis? Hæc pluribus inculcare visum est, quod te non pudeat toties occinere nobis *Scyllam* & *Charybdim*, & animum ancipitem in medio fluctuantem. Ego, *Luthere*, tantum habeo fidei divinis Litteris, & Ecclesiæ decretis, ut etiam absque vestræ fidei præsidio sperem mihi salutem à misericordia Domini. Quare noli posthac tibi vindicare quod est Dei, noli pronuntiare de spiritu hominis, sed tuum ipsius spiritum excute, ne forte alium habeas sessorem quam prædicas. Ego cum ex aliorum auctoritate possem, de tuo spiritu non ausus sum pronuntiare, tantum dixi mihi suspectum esse, & optavi ut mea me suspicio falleret, quod idem & hodie opto. Hoc de te suspicatus sum, jam inde ab initio, cum tu fabulam hanc magno Orbis applausu saltare instituisses. Hunc animum constanter præ me tuli, multo antequam in me stringeres calami tui cuspidem: idque factum gaudeo, ne si quid nunc de tuo animo judicarem, causari posses, non esse judicii, sed doloris & odii. Promittis alicubi te effecturum ut me pudeat editæ *Spongiæ*. Ego contra non ausim polliceri me effecturum, ut illius rei te pudeat, ea est animi tui præsentia: attamen efficiam, ut omnes intelligant, quantus sis artifex, detorquendi, depravandi, calumniandi, exaggerandi quidlibet, quanquam istuc jam pridem agnoscit mundus. Sunt qui libris editis ingerant tibi tuam inconstantiam, & vafre dissimulas, mihi occinis, *ajunt ajo, negant nego*, & hîc assero quæ nego, nego quæ assero, cum tu tantus *Protei* capiendi artifex, adhuc ne unum quidem locum proferre potueris, in quo mihi non constem, nisi forte *ajunt ajo, & negant nego*, putes in eos competere, qui ajunt quod affirmat Ecclesia, & negant quod rejicit Ecclesia, ut jam dictum hoc inversum videatur in te torquendum, *ajunt nego, negant ajo*, adeo lubens dissentis ab omnibus quæ recepit Ecclesia: nec assero quæ nego, negans quæ assero, sed ea tibi vafrities est, ut recte dicta depraves quoties est commodum: ut quod album est vertas in nigrum, quod lucidum vertas in tenebras. Pertinet & hoc ad artem, quod subinde mones, ut metuam Spiritum *Christi*, Deum non irrideri. Ita-ne periculum est ne offendam Spiritum Dei, si metuam dissentire ab Ecclesia *Christi*? Imo hoc est, cur non audeo me vobis credere, quod metuam offendere Spiritum Dei. Et postea nobis excusas tuam istam admirabilem infantiam, cum ad maledicendum & calumniandum suppeditet tibi tanta copia sermonis amari, ut quamvis otiosum & patientem delassare queas, rursus tantum adsit artis, ut nihil tam circumspecte dici possit, quin tu vertas in atrocem tragœdiam.

Primum quod dixeram obiter in Præfatione, *satius esse si de difficultatibus, quæ incidunt circa materiam liberi arbitrii, non disputetur ab idiotis, aut apud idiotas, id quod nunc fit libris in Linguam vulgatam versis, adeo ut passim à militibus audiamus, Quid refert? non est liberum arbitrium, Deus omnia operatur in nobis & bona & mala: Sinamus illum operari, scit quid agat, & ejus voluntati nemo resistit*: sic interpretaris, quasi nolim quenquam usquam loqui de libero arbitrio. Simili arte cum ego multas quæstiones recenseam, tu unam aut alteram urges, cum in meo sermone à sobriis quæstionibus perveniatur ad curiosas, & postquam omnia detorsisti, tum præsto sunt illa tragica, *curiosum, vanum, supervacaneum, irreligiosum*, quo lectorem, talem offundens ob oculos pulverem, exocules. Prodeo, ut ais, in medium diremturus vos, præfatus de his rebus non esse disputandum, & rem esse supra captum humani ingenii, & interim facio quod improbo. Primùm non dirimo vestram litem, qui me disputatorem tantùm profiteor. Ea testificatio erga te civilitas erat, erga Catholicam Ecclesiam deprecatio malitiosi erroris. Deinde non tecum luctatur Ecclesia, imo adversus tuum dogma, quod jam olim prostratum est ab Ecclesia, disputo, sed sobrie, sed coactus. Si rem tam arduam mea sponte suscepissem, poteras impingere crimen temeritatis, nunc cum detrectans & nihil non excusans susceperim, temeritas objici non potest, sed obedientia laudari debet. Postremo non disputo quo te superem, sciebam enim me nihil profecturum, sed ut omnibus testatissimum facerem, me non sentire tecum, & tuorum quibusdam fucum detraherem, qui prædicabant & plerisque persuaserant, me tecum sentire. Quam suspicionem, ut capitalem ita falsissimam, tu quoque fovere conaris tametsi frustra: ni plane pro lapide habes *Erasmum*. Rursus ipse mihi contradico, qui in eadem formula jubeam anniti totis viribus, & asseram nostros conatus esse inefficaces sine Dei misericordia. Sic arguis: *Qui nisus & virium meminit, sentit aliquid agere voluntatem nostram, qui fatetur inefficacem esse sine Dei misericordia docet eam nihil aliud quam pati*. O inconstantiam! Quid ego audio? quicunque professi sunt hominis vires non sufficere ad parandam salutem absque Dei misericordia, fatentur voluntatem nostram nihil agere, sed tantum pati? Atqui istud nemo neque veterum neque recentium Orthodoxorum negat, qui tamen docent nostram voluntatem aliquid agere simul cum agente gratia. An absurdum videtur, eandem voluntatem juxta diversam rationem simul & agere & pati? Quin istam inconstantiam impingis divinis Litteris, ubi toties legis misericordiam Dei cui debemus omnia, rursum toties illa, *insta, vigila, labora*: legis apud *Paulum, plus omnibus laboravi*: & rursus, *certa bonum certamen*: &, *cursum consummavi*. At apud eundem legis, *gratia Dei sum id quod sum*: quin huic impingis inconstantiam, quam mihi impingis è duabus vocibus, *nitendi*, & *misericordia*? Sed non definio, ut ais, quomodo illud agere & pati sit intelligendum. Hoc scilicet explicandum erat in formula, quasi non satis fuerit in disputatione ubi oportebat id esse factum. Postremo an Christianus sit impius futurus, si tantum didicerit, quicquid in nobis est boni, id totum divinæ benignitati adscribendum, nisi pollice metiatur etiam, quantum debeatur illius misericordiæ, quantum nostris viribus? Sed hanc quæstionem paulo post magnifica pollicitus tractas. Illic igitur audies quam non respondeat tua probatio pollicitis.

Hisce rebus tam feliciter gestis adornas triumphum, 13.

& animi gratia exſpatiaris in locum rhetoricum, *ut cum Rhetore parum rhetoriceris*, ſic enim loqueris, vere parum rherorice. Ac mire urges me ſimilitudinibus ſcribendi Poematis, agricolandi, belligerandi, & turris ædificandæ, ex Rhetorica *Quintiliani*, & Poetica *Horatii*, & hîc, ſi Superis placet, citantur *Virgilii* Georgica & *Saluſtii* ſententia, quaſi quicquam ſit ſimile inter agricolam humana induſtria colentem agrum, & Deum operantem in nobis. Nam quod adducis ex Euangelio de turri, aut fruſtra huc adducis, aut contra te facit. Quid enim ſupputabit ille, qui nihil habet quod impendat?

15. Eadem felicitate poſt adducis ſimilitudinem ex media arte Rhetorices, de oratore & præceptis. Deum immortalem! non puduit tuum Logodædalum hujuſmodi nugas infulcire diſputationi, in qua tu profiteris eſſe cardinem totius doctrinæ Chriſtianæ? An qui ſic doceat ſimplicem Chriſtianum, ne te torqueas quæſtionibus, quæ ſuperant ingenii tui modulum, ſed juxta Dei præcepta connitere, ut fugias quod vetitum eſt, & præſtes quod præceptum eſt, at ita ut ne quid tuis fidas viribus, neu quid ex benefactis tibi arroges, ſed totum adſcribas benignitati divinæ, cui debes non ſolum quod recte facis, verum etiam hoc ipſum quod naturæ viribus potes aut es, docet ſocordiam, & dicit oraturo, ne labores de præceptis, tantum ſcribito? Tam inſulſis jocis mecum agis qui vindicas tibi cum *Paulo* ſcientiam, mihi vix ſenſum relinquens communem. *Paulo* minus inepte contuliſſes tua ſimilia, ſi Chriſtianum comparaſſes agricolæ, colendi rationem Dei præceptis, cœli favorem gratiæ divinæ. Huic, opinor, non abſurde quis diceret: Tu gnaviter labora juxta præcepta agricolationis, verùm hoc ſcito, te fruſtra facturum omnia, niſi cœlum faverit: nam illud fructificat potius quam ager. Sed cœli favor tibi in manu non eſt, nec ſemper ſcis quomodo faveat: nam favet aliquando, cum credas inimicum. Similia ſunt quæ præſcribo ſimplici Chriſtiano. Itidem ſentiendum de eo qui dicturus ſit de re Chriſtiana: Exerce te in Litteris ſacris, meditare quid ſis dicturus, ſed invocato illius Spiritu, ſine cujus auxilio ſterilis eſt hominis ſermo. Nec eſt tuum illi præſcribere, quomodo ſit moderaturus organum linguæ tuæ. Scit ille quid expediat. Hîc tu dicturum voles lancibus expendere, hoc ego præſtabo, tantum Deus, ſic ego dicam, ſed Deus ſic afficiet animos hominum. Opinor & martyrem jam apparatis cruciatibus & mortibus, jubebis expendere quid ipſe poſſit ſuis viribus, & quid miſericordia Dei, ſimulque cogitare, quomodo patiatur aut agat liberum arbitrium, quomodo operetur miſericordia Dei. Quanto Chriſtianius monueris illum, ut ſuis viribus diffiſus, totum ſe tradat miſericordiæ Dei, ipſe tantum ne ſe ſubducat gratiæ, reſpiciens carnis præſidia. Sed valeant ſtultiſſimæ Logodædali tui collationes. Qui docet Dei miſericordiam in nobis operari principium, incrementum, & conſummationem, ſed ſimul cum illa conari noſtram voluntatem, pie docet: qui vocat in dubium an ſola gratia operetur, voluntas nihil aliud quam patiatur, non pie diſputat. Quod autem cenſes fuiſſe pios homines, qui nunquam veſtigarunt quomodo Deus neceſſario præſciat ea, quæ pendent à libero arbitrio, & an ipſe Deus, quando voluntatem habet immutabilem neceſſitate faciat omnia, quemadmodum nos omnia neceſſitate quadam facimus, quod illius omnipotenti voluntati nemo poſſit reſiſtere: & quare traxerit *Petrum*, cum *Judam* non traxerit, aliaque hujus generis innumera: neque enim tantum loquor de hac quæſtione, an gratia totum peragat in nobis, & voluntas nihil agat, ſed de omnibus quæ Scholæ Philoſophicæ huc invehunt. Nec, quod mihi ſæpe repetendum eſt adverſus tuam importunitatem, loquor de ſobriis eruditorum inquiſitionibus, ſed de rixoſis contentionibus apud populum.

15. Hæc cum ſic habeant, expendito, quam non in loco tibi dicuntur illa: *Qui hoc non ſentit, fateatur ſe non eſſe Chriſtianum: qui vero reprehendit vel contemnit, ſciat ſe eſſe ſummum Chriſtianorum hoſtem. Nam ſi ignoravero, quid, quatenus, & quantum ego poſſim & faciam erga Deum, pariter incertum & ignotum mihi erit, quid, quatenus, & quantum Deus in me poteſt & faciat, cum Deus operetur omnia in omnibus. Ignaratis vero operibus & potentia Dei, Deum ipſum ignoro. Ignorato Deo Deum colere & gratias agere, ſeruire Deo non poſſum; dum neſcio quantum mihi tribuere, quantum Deo debeo.* Hic eſt tuus ſyllogiſmus ſcalaris, in quo cum nobis egregie ſophiſtam agas, tibi tamen mirus videris Theologus. Non eſt neceſſe ut Chriſtianus ad trutinam expendat, quid ipſe poſſit, quid Deus, & quantum ipſe faciat, quantum Deus, modo ſciat, quicquid boni facit id divinæ benignitati acceptum ferri oportere. Nec potentia ſcitur, ſed creditur, nec protinus Deum ignorat qui per imbecillitatem humani ingenii non aſſequitur, quomodo operetur omnia in omnibus. Quemadmodum non aſſequimur ingenio quomodo condiderit mundum, & tamen conditum ab illo credimus. Et multi pii credunt *Chriſtum* fuiſſe Deum & hominem, qui tamen neſciunt, quomodo, & quatenus, quibuſque modis agglutinarit ſibi natura divina humanam: nec reſpondere poſſint, an eo tempore quo corpus exanime jacebat in ſepulchro, *Chriſtum* potuerit dici homo. Nec male gratias agit Deo, qui ſibi nihil tribuens, ſummam boni operis illius gratiæ fert acceptam, etiamſi non dimetiatur pollice, quantum debeat ſibi tribuere, quantum Deo. Egit *Auguſtinus* gratias Deo, coluitque Deum, & tamen aliquando ignoravit illud tuum quid, quantum, & quatenus. Coluit, egitque gratias divus *Bernardus*, qui tamen hæret in his quæſtionibus. Egit *Thomas*, opinor, & *Scotus*, qui inter ſeſe diſſentiunt. Agunt & hodie plurimi gratias Deo, qui contenti Patrum definitionibus non expendunt ad trutinam, quid, quatenus, & quantum. An Chriſtianus non eſt, nec Deum colit, nec illi ſervire poteſt, aut agere gratias, qui cum toto pectore credat articulum de carnis reſurrectione, tamen non diſputat, nec aſſequitur illa tam multa, quæ Theologi circa hanc materiam diſputant? An totum Deum neſcit, qui certa fiducia ſperans vitam æternam, non excutit innumeras difficultates, quæ de videndo Deum facie ad faciem ſicuti eſt, tractantur à Theologis? Ipſa Virgo ſacratiſſima non aliud quæſivit ab Angelo, quam quomodo ſine viri contactu eſſet paritura, ſimulatque audivit: *Spiritus Sanctus ſuperveniet, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi:* nihil ultra ſciſcitata, ancillam profeſſa eſt cœleſtis opificii: & fieri poteſt ut vel ignorarit, vel non inquiſierit multa, quæ Theologi diſputant de rationibus, quibus in corpuſculo Virginis illud opificium Spiritus fuerit peractum. Intelligis quot exempla queam hîc congerere, in quibus ridiculus & impius erit tuus ſcalaris. Quot ſunt Chriſtianorum millia, qui Deum ſincere diligunt, coluntque, quos tamen ſi interroges quid ſit gratia, utrum creatum quiddam an increatum, & an ſit eadem gratia qua nos attrahit Deus, & qua nos illum redamamus, reſponſuri ſint, Deus novit. An pronuntiabis de talibus in univerſum, quod Deum neſciant, ignari quid, quantum, & quatenus in ipſis operetur? Nam huc perducent illos tui gradus. Et impius erit indignuſque Chriſtiani nomine, qui contentus tenere quod traditum eſt, verum *Chriſti* corpus & ſanguinem eſſe in Euchariſtia, niſi quæſierit & aſſequatur, quomodo corpus ſolidum ſit abſque dimenſionibus, quomodo corpus hominis ſit abſque diſtinctione membrorum, hoc eſt, ut non alibi ſit pes, alibi caput, alibi pectus, ſed ubique totum ſit: item quomodo ſolidum corpus poſſit in cœlo ſedere ad dextram Patris, & idem tot locis in terra comedi ab hominibus. Equidem arbitror, nec tu, ni fallor, inficiaberis, millies centum millia regnatura cum *Chriſto*, quæ dum viverent nunquam exquiſierunt, an in omnibus tantum patiatur voluntas hominis, an ſimul & agat aliquid, & ſi quid agat, quomodo unius operis poſſint eſſe plures cauſæ, & utra cauſa ſit principalis, utra ſecun-

cundaria, Deus, an voluntas hominis: deinde quomodo utraque possit esse principalis & secundaria, si distinguas esse substantiæ, & esse meritorium: nam hæc aliaque multa vis apud omnes excuti, ni fiat, negligi Christianismum & articulos Ecclesiæ. Hæc si à me dicta fuissent, exclamasses impium sophistam; nunc quoniam visa sunt facere ad calumniam, vis erudite pariter ac pie dicta videri. Nec minus olet sophistam alter ille scalaris, qui præcessit: *Nescient enim quid faciant, dum ignorant quid & quantum possint. Ignorantes autem quid faciant, pœnitere si errant non possunt. Impœnitentia autem peccatum irremissibile est.* Istiusmodi gradibus non adscenditur ad veritatem, sed descenditur ad insaniam. An ille nescit quid possit, qui doctus est se nihil posse absque gratia Dei, per illam nihil non posse? Sed finge esse simplicem Christianum, qui nesciat expendere ad lancem quanta sit vis liberi arbitrii; quanta vis agentis gratiæ: num ille peccans adversus præcepta Dei, nescit quid faciat, nec poterit unquam pœnitere? Hæc plus quam sophistica obtrudis nobis simplicibus, dum ostentas Orbi tantam rei divinæ scientiam, quantam haud scio an quisquam Apostolorum sit unquam professus. Certe post Apostolos nemo sibi vindicavit, nihil esse in Libris arcanis, quod ipsi non esset dilucidum. Rursus inculcas mé idem asserere quod tu asseris, qui in formula doceam totum bonum nostrum Deo adscribendum esse, nam ex eo consequi, Dei misericordiam solam omnia agere, & voluntatem nostram nihil agere, sed potius pati, alioqui non totum Deo tribueretur. Non tu desines hisce tam confessæ tamque pudendæ vanitatis asseverationibus miserum lectorem obtundere, cum in Diatriba mea tam explanate tamque dilucide docuerim, hunc sermonem non pugnare secum, si quis summam operis boni tribuat gratiæ divinæ, & tamen asserat hominis voluntatem pro sua portiuncula aliquid agere. Porro cum jam dudum sic ineptias, ut me quoque tui puduerit, tamen adjecto epiphonemate tibi ipsi plausum das; idem & actor & applausor: *Sed sic*, inquis, *loqui cogitur mens sibi ipsi non constans, in rebus pietatis incerta & imperita.* Quid supereſt, nisi ut tibi Dei nomen usurpes, posteaquam tam asseveranter pronuntias de mente altera? Toties inculcas inconstantiam, cum nondum potueris vel unum locum evincere, in quo mihi non constem: & si id feciſſes, nihil aliud probasses, quam hoc usu veniſſe *Erasmo*, quod accidit *Augustino* & *Hieronymo*. Nam nusquam errare, nihil nescire, nullius dicti pœnitere, tibi *Stoico* & *Gnostico* peculiare est. Sed age dic quî tibi constas, qui cum mihi tribuas summam imperitiam veri, tamen impingis peccatum irremissibile? At nemo per imperitiam labens, tenetur isto crimine: nam & *Paulus* blasphemus fuit adversus Euangelium, sed quoniam ignorans fecit, misericordiam consequutus est. Ab hoc igitur crimine me mea liberat imperitia: sed tibi metuendum est qui nihil nescis, ne in hoc crimen incurras, dum fortiter rescindis Ecclesiæ placita, nihilque non asseris. Rursus quî convenit, ut cum nihil sciam, tamen tecum sentiens, in gratiam Principum diversa defendam? Vis me videri pessimum, qui sciens, verum impugnem metu Principum: at eundem vis videri veri ignorantissimum. Sic tu vir constantissime ignem aquæ misces, & impotenti omnia calumniandi libidine, dum nunc huic nunc illi cupiditati obsequeris, pugnantia loqueris. Quoties excusas animum meum, quoties eundem accusas? Nunc laudatur animus bonus & pacis amans: mox contra conscientiam scribo in gratiam tyrannorum, & *Lucianum Epicurum*que gero in pectore. Quam verò quadrant ista cum Spiritu *Christi*, quem tibi reclamante mundo vindicas?

16. His feliciter absolutis, accedis ad alterum exempli gratia propositum, an Deus aliquid præsciat contingenter, aliaque quæ huic adhærent quæstioni. Et hæc *Lutherus* vult discuti à quibuslibet Christianis, & apud promiscuam multitudinem tractari. Et rursus hîc inculcas voces atroces, *irreligiosum*, *curiosum*, & *vanum*. At mea verba in Diatriba sic habent: *Libens persuaserim mediocribus ingeniis, in hujus generis quæstionibus non adeo pertinaciter contendere. Doctis, felicibus, & exercitatis ingeniis, non dissuadeo sobriam ac religiosam inquisitionem, nec ultra tamen quam sat est.* Hæccine tibi videntur usque adeo non ferenda? At quoties *Hilarius* disputaturus de mysteriis sacræ Triadis, deprecatur crimen irreligiositatis, quod res supra vires humanæ mentis audeat humanis verbis attrectare? Nec dissimilia præfatur *Augustinus* in libros ejusdem tituli, & *Athanasius* disputaturus adversus *Arianos*. Jam mihi confer, quas argutias ex Philosophis in hanc quæstionem convehunt, quibus placet *Scoti* subtilitas, & asseverа de iisdem rebus sic esse disputandum apud promiscuam multitudinem, quemadmodum illi disputant. Atqui hîc rursus ex tua Rhetorica, cujus insciniam prætexis, quo magis despicabilem reddas meam Diatribam, hyperbolen & epitafin venaris ex collatione Sophistarum, de quibus cum pessime sentias, id quod tui libri declarant, tamen eos propemodum incipis prædicare in odium mei, adeo ut quæ tua varities est, credam futurum, ut quemadmodum non injusto quidem illo, sed immodice sævo libello in rusticos, utcunque placasti Principum indignationem; ita debacchando in me, recolligas reconcilieſque tibi Theologorum animos, quos interim tamen non alio nomine dignaris quam Sophistarum. Imo jam agnoscere mihi videor tela quædam, quæ ex *Lei*, *Latomi*, *Stunicæ*que libris depromta in me torqueris: *Sophistæ*, inquis, *sane melius hîc dialecticantur, quando rhetoricari nesciunt, qui liberum arbitrium aggressi definiunt omnes quæstiones ejus: An sit, quid sit, quid faciat, quomodo habeat*, &c. Æquum, *Luthere*, postulas, ut in libello, quem adversus animi sententiam suscepi, & in quo vix totos octo dies collocavi, qui quidem sumtus mihi visus est immodicus, quemque in hoc, ut dixi, potissimum scripseram, ut ostenderem me non idem sentire quod tu: quicquid est quæstionum apud Sophistas, de prædestinatione, de voluntate, de præscientia Dei, de bono opere, de meritis humanis, in unam disputationem converrerem. Id si conatus fuissem, quomodo conspuisses sophisticantem *Erasmum*? Sed quid egissem illis Sophistarum argutiis, etiamsi maxime callerem, quas tu pili non facis? Et tamen quod me scribis nihil aliud agere in Diatriba, quam an sit liberum arbitrium, similis verecundiæ est, qua, ut partim ostendi, sed post evidentius ostensurus sum, multa alia non ex re, sed ex causæ tuæ commodo in me jacularis. Relege meam Diatribam, & perfricta fronte aude negare, quod illic definiam liberum arbitrium, quod distinctis gratiarum generibus, digestis variis opinionibus, ostendam cum quibus opinionibus mihi potissimum congredi fuerit propositum: deinde quousque velim hanc tractari materiam, postremo quod illic declarem, in qua animi parte potissimum sit liberum arbitrium, & quid possit ante gratiam, & quid agat cum agente in nobis gratia, & quomodo se habeat erga Deum, & laudem boni operis, aliaque permulta. I nunc & jacta me nihil aliud attulisse ad disputationem, nisi tantum hoc, an sit liberum arbitrium. Imo notari merebar potius, qui transiliens septa propositæ disputationis, excurram usque ad *Adam* nondum lapsum, & ipsum Deum, attingens nonnihil de necessaria illius & voluntate & actione. Quanquam hoc loco aut ego fallor, aut tu tibi parum constas. Sic enim dicis: *Urgebo igitur hoc libello te & Sophistas omnes, donec liberi arbitrii vires & opera mihi definiatis.* At paulo ante dicebas, omnes de libero arbitrio quæstiones à Sophistis fuisse definitas. Quid exigis ab illis, quod fateris ab illis abunde factum? Cur me negas feciſſe, quod ipsa Diatriba clamitat me feciſſe copiosius quam tu præscribis? Et hîc incandescit spiritus tuus, teque polliceris adacturum me ad pœnitentiam editæ Diatribes. Istuc, *Luthere*, præstandum erat, non

toties jactandum: ne fiat quod ajunt Græci, ὁ τὸ νίκης ἐγκώμιον. Nam hac tota priore libri tui parte, quæso, quid aliud quam triumphas, insultas victo, ostentas trophæa, canis pæana, cum nondum ad aciem nostram perveneris. Moxque post hanc egregiam pollicitationem, velut aggressurus rem, doces nos Dei præscientiam Deique voluntatem non minus incommutabilem esse, quam sit ipse Deus, nec illo imprudente aut nolente quicquam omnino rerum accidere: neque enim præscientiam illius falli posse, nec voluntatem impediri, quemadmodum fit in nobis, nec opere perfecto desinere illius voluntatem, quemadmodum homini, posteaquam exstructa est domus, voluntas struendi desiit, cum opus maneat. Sunt ista retrusa mysteria quæ nos doces? Quis ista, qui vel sex paginas legerit in Theologia, nescit, aut quis tam insanus qui neget? Sed interim non distinguis voluntatem signi & voluntatem efficacem, quarum hæc prorsus immutabilis est, altera qnodammodo mutabilis, cum sæpe non fiat quod ille jubet fieri, & fiat quod ille vetuit. Nec distingqis velle Dei, collatum ad res externas, & ad voluntatem Dei naturalem, sive collatum ad actiones internas. Item Dei voluntatem absolutam & conditionalem. Denique non distinguis voluntatem à velle. Deus, qui voluit condere Mundum, an nondum desiit velle condere Mundum? Voluit Filium suum assumere corpus hominis, an nondum desiit velle? Quam vero scite nobis definis quid sit contingens, *quod*, inquis, *nobis contingenter & velut casu imprudentibusque nobis fit.* Hic primum disco rem abstrusam, contingens esse quod contingenter fit, quasi dicas artificiosum opus, quod arte fit. Deinde quid est, *veluti casu?* Est aliquid quod non sit casus, sed veluti casus? Deinde addis, *imprudentibus nobis.* Atqui hæc vox longe aliud declarat *Aristoteli*, qui distinguit *contingens*, *fortunam* & *casum:* Contingens enim opponit necessario, fortunam tribuit rebus animatis. Contingenter igitur facimus, non tantum quod casu & imprudentes facimus, verùm illud quoque quod scientes ac volentes facimus, sed quod in nostro arbitrio erat non facere. Quemadmodum hæc scribo, nec imprudens nec necessario, sed voluntatis arbitrio, quæ potuerit non scribere, si sic visum fuisset. Quid igitur hîc nos doces, nisi quod affectas sophisticam argutiam, sed parum feliciter?

19. Sophistæ in hoc quoque torquentur, an Deus cum præsciat res natura contingentes, hoc est, quæ pendent ab hominis arbitrio, veluti cum sedet, cui in promtu est stare si velit, quærunt an Deus aliquo modo præsciat contingenter, non quod illius præscientia falli possit, sed quod objectum præscientiæ sit contingens. Demiror autem, quare locum, è media Diatriba decerptum, hîc putaris non suo loco tractandum, de necessitate consequentis & consequentiæ, quod tu professus te velle crassius explicare, sic involvis perplexo sermone, ut videare non solum non intellexisse quod ego scripsi, verùm nec tuam ipsius orationem intelligere. Sed quoniam urget temporis brevitas, nec hoc paucis verbis posset absolvi, præstat suo loco diligentius tractandum reservare.

20. Ad reliqua properandum, ut undequaque probes te doctissimum, quemadmodum ante ex *Horatio* & *Quintiliano* docuisti nos, tractandum esse *an sit*, *quid sit*, *quale sit*, &c. ita nunc ex Poetis doces me, res omnes mera necessitate geri, quam illi *fatum* vocant. Id tantam habet vim, ut ipsos etiam immortales Deos, atque adeo summum *Jovem*, involvat inevitabili necessitate. Atque nunc demum Poetæ sapientes viri sunt ipsis etiam Philosophis perspicaciores. Tantum laudis merentur qui tecum sentiunt: Hîc *Virgilius* certissimus auctor veri subinde ingeritur, qui docuerit conatus hominum, fato Parcisque volentibus, frequenter alio cadere quam exspectarant. Atqui nos hîc de eventis non disputamus, sed an nostra voluntas aliquid agat in his quæ sunt salutis æternæ. Credo tibi hoc Caput de industria admixtum fuisse, quo stomachum lectoris jam dudum ad reliqua tam insipida nauseantem, aliqua voluptate recreares. Verùm quid hæc ad rhombum? Institueras probare, pium & sanctum esse, de hujusmodi quæstionibus, quæ non habent exitum, & apud quoslibet, & à quibuslibet, in utramque partem disputari, & jam omisso quod cœperas, asseris omnia merâ necessitate geri. Id si constat, si verissimum est, quorsum attinet torqueri disputationibus? Sin verum & indubitatum est quod decrevit Ecclesia, non tutum est imperitam multitudinem audire rationes, asseverationes, ac dejerationes diversæ partis. Atqui hoc erat quod ego suadebam ut simpliciter sententia catholica contenti, credant, teneantque quod acceperunt, hoc est, quod tu impugnandum suscepisti. Hoc argumentum, quod inter eruditos sobrie tractari poterat, tu cogis propalam in promiscuo mortalium theatro, velut anceps, vocare in disquisitionem. Solent concionatores in *Italia* fere singulis annis renovare quæstionem de resurrectione mortuorum, de qua sobriam in Scholis disputationem nemo damnat: sed ea res tantum attulit fructum ad pietatem, ut Romanus Pontifex vetuerit illa ventilari apud plebem. Sed delibabo reliqua.

Doces nos admodum religiose, Dei voluntatem esse omnipotentem, Dei præscientiam esse certissimam, qua de re qui dubitet, eum prorsus ignorare Deum, nec certo posse fidere promissis illius, qui falli possit ac mentiri. Fateor ista pie dici, neque raro mihi dicta sunt in meis Lucubrationibus. Sed quid hæc ad me, qui moneo ne talia disputentur, hoc est, in dubium vocentur, præsertim apud simpliciores? Quod si tu certum & indubitatum esse credis, Deum necessario scire omnia, nihil autem contingenter, siquidem auscultemus tuis rationibus, oportebit omnino disputare, ne putemus Deum esse inscium aut mendacem. Quemadmodum enim de libero arbitrio disputandum putas, quod impius sit qui nesciat nostram voluntatem tantum pati, gratiam solam agere, eadem ratio suadebit, ut hoc quoque vocetur in disputationem. Et tamen Theologi, qui disputant, an Deus aliquid præsciat contingenter, constanter asseverant quæ tu asseveras, Dei præscientiam falli non posse, Deum non esse mendacem, Dei promissis certissime fidendum, nec putant ob rem, quæ contingenter fit, periclitari certitudinem præscientiæ divinæ, quod eleganter explicavit *Laurentius Valla.* Sed illi paulo rectius definiunt contingens quam tu.

Hîc perinde quasi dixeris aliquid, proximo Capite torques fulmen tuæ maledicentiæ in me, qui doceam ignorantiam Dei, contemnendam fidem, ut promissa Dei deseramus, aliaque multa, quæ vix *Epicurus* præscriberet: nec his contentus, damno, conculco Christianos & Christianismum universum. Quid ni? qui suadeam mediocribus ingeniis, ne de talibus argumentis contentiose disputent, sed teneant id quod tradidit Ecclesia. Et hinc concludis homo dialecticus, meum libellum adeo esse impium, blasphemum ac sacrilegum, ut nusquam habeat similem. An te horum pudeat nescio, certe puderet, si quid haberes frontis. 22.

Sed proximo Capite mitigas atrociissima dicta: *Talia*, inquis, *portenta coguntur effutire, qui malam causam susceperunt agendam, quique invita conscientia, aliena scena serviunt.* Quam tu malam causam appellas, ego cum Ecclesia puto optimam: eam licet animo detrectante susceperim, sinceriissima tamen conscientia egi, sive feliciter id feci sive infeliciter: nec ullorum Principum vel favor vel terror tantum apud me potuit aut poterit unquam, ne tua quidem sævitia, ut in his quæ sunt pietatis sciens oppugnem quod verum est, aut defendam quod sciam esse falsum. Proinde quod tu sæpius inculcas, me præter conscientiam favoribus aut terroribus servire, toties declaras te aut misere falli, aut malitiosissime fingere. Jam quod admones quantum 23.

Digitized by Google

tum sit periculi docere pietatem, mihique precaris Dei misericordiam, adeo non offendor, ut ne videar ingratus, officium referam, te totidem verbis admonens, tibique Dei misericordiam precans. Cæterum quod fateris à me moveri quæstiones aliquot vere sophisticas ac supervacaneas, & tamen illos esse tolerabiliores qui conspurcarunt aurum, me, qui simul aurum abjicio cum stercore. Vide quantum abs te dissentiam. Arbitror enim tolerabilius peccare, qui disputant de frivolis quæstionibus, quam qui disputationibus suis ea revocant in contentionem, de quibus jam olim ex Ecclesiæ decreto diremta est altercatio, damnato eo quod falsum erat, & approbato quod erat verum.

24. Eximis teipsum è numero causaque Sophistarum, sed frustra, cum omnes qui tecum decertant, clamitent sibi rem esse cum Sophista vaferrimo: neque tu sophisticam Theologiam sustulisti, sed mutasti. *Contra me*, inquis, *tibi dicendum erat, nisi maluisses chartas & tempus perdere:* quasi cum uno te illic congrediar. Congredior cum iis qui tecum, sed non eodem modo, tollunt liberum arbitrium. Et si in te proprie scripsissem, an non erat fas quicquam admiscere, quod ad te non pertineret? Sunt illic quædam quæ pertinent ad *Carolstadium*, quædam quæ ad *Melanchthonem*, quædam quæ ad *Scotum*. Et quodam in loco moneo lectorem, ne putet in te dicta quem non novi, sed in alios potius mihi notos. In hoc libro, quem proprie ac nominatim in me scribis, quam multa sunt, quæ nihil ad me pertinent, id quod jam ex parte demonstratum est, ac posthac plenius demonstrabitur. Unde hoc habes, quod in te proprie scripserim Diatribam? Non hoc promittit titulus, & aliud clamat ipsum opus, sed hoc tibi persuaseras, aut fingebas potius, quo justius videreris in me debacchari. Hinc est quod in disputatione semel atque iterum mecum expostulas, quod falso nomine te traducam, quasi locum hunc: *Extende manum tuam*, sic fueris interpretatus, id est, *gratia extendet*, &c. Atqui hæc *Carolstadius* respondit *Eccio*, cujus verba sunt in prima responsione: *Gratia enim agit manum, & extendit.* Rursus in tertia responsione: *Satis enim dixi, quod gratia extendit manum consilii nostri ad bonum.* Rursum in eadem: *Caritas omnia credit, omnia sperat*, &c. sic interpretatur: *Gratia facit nos patientes, credulos, & operatores.* I nunc, & querere te falso traduci. Idem mihi satis procaciter impingit *Franciscus Lambertus*, & impostorem appellat in Commentariis, quos scripsit in *Osee*, quasi talia mendacia confingam in fratres.

22. 24. Scripseram quædam esse vera, quæ tamen aut non essent inculcanda popularibus auribus, aut non quibuslibet verbis essent efferenda. Veluti cum quidam Sophistæ sic nugantur: *Deus est ubique.* Hoc concesso, inferunt, *Ergo est ibi*, & nominant locum, quem ego præ verecundia non ausus sum nominare, & pono antrum scarabei, tu suspicaris de cloaca, quanquam hoc nihil ad rem. Hîc mecum sentis, & fateris esse rectum quod moneo, de rebus divinis religiose sobrieque loquendum: nec satis esse vera dicere, nisi dicas & circumspecte, castisque verbis. Et tamen hîc quoque doceo *Epicurum*, lapsus in sacræ Scripturæ Deique contemtum, & injuriam, blasphemiam, ac sacrilegium. Nam hujusmodi blanditiis scatet undique tua caritas. Sed ad tuum dilemma. *Si de his*, inquis, *quæ continentur in sacris Litteris loqueris, ea omnia quoniam aperta sunt & salutaria, nusquam non debent invulgari, sin de aliis, nihil ad nos.* Non hîc repetam quod Judæi quosdam Libros sacros, in quibus est Genesis, non permittebant legi, nisi si quis trigesimum annum excessisset: sed agetur hoc alias. Nunc ad illud, *nihil ad nos*, audi. Si Medicus dissuadens ægroto, ne vescatur calidis in febri, distinguat genera febrium, indicans quid in unaquaque fugiendum aut sequendum sit, num ægrotus dicet, quid ista ad me? Dic de mea febri. Nonne respondebit Medicus, hæc ad te pertinent, ne putes tibi tutum esse vesci quibuslibet, quovis tempore, quemadmodum tu, *Luthere*, doces, quicquid quæstionum è sacris Litteris nascitur, apud quosvis esse tractandum. Hoc ne fiat, distinguo genera quæstionum. Primum de iis quæ Deus voluit nobis esse ignota, veluti de die supremo, non est pium disputare. Deinde sunt quæ voluit nobis esse notissima, ea jubeo etiam edisci. Nonnulla sunt, quæ fas est aliquousque scrutari, sed non ultra quam sat est. Quod superat intellectum humanum, servetur illi tempori, cum videbimus Deum revelata facie sicuti est, nunc per speculum & in ænigmate. In hac classe pono quæstiones de libero arbitrio, & quæ huic adhærent, item de distinctione Personarum, de discretione nativitatis & processionis. Postremo loco recenseo quædam esse, quæ tametsi vera sunt, tamen non sine periculo pietatis & concordiæ dicantur apud quosvis, sed prudenter dispensanda sunt. Et in his pono multa, quæ tu nunc Lingua Germanica prodis idiotis, veluti de libertate Euangelica, quæ suo loco, sobrieque prædicata, fructu non carent: sic prædicata, quid fructus attulerint, vides. Eadem in classe ponerem tuum dogma de necessitate rerum omnium, etiamsi verissimum esset, nunc cum sit falsum, & impium, longe graviore periculo vulgo jactatur. I nunc & dic hæc nihil ad te pertinere. Sed hac de re alias. Nunc hoc obiter indicasse sufficit. Non igitur hominum culpam in rem confero, nec ex concionatorum vitiis Scripturam damno: sed eos reprehendo, qui Scripturam secus tractant quam oportet, inter quos te quoque numero. Verùm hîc rursus opponis bicorne dilemma: *Si recte disputatur de libero arbitrio cur damnas: sin minus, cur proferi tuam Diatribam?* Respondeo quod antea respondi, ut hisce de rebus disputaremus tu nos coegisti, qui quæstionem hanc à Scholis in compotationes protraxisti: & aliter disputo, quam tu, nec disputo dubitans, sed adversus tuum dogma partem eam defendo, de qua dubitare pium non est, tenere, tuerique, sanctum ac religiosum. Jam cum fatearis referre, quibus verbis Scripturæ veritas tractetur apud populum, ut interim largiar, verum esse quod doces, tu ipse judica, quid fructus adferant ad pietatem, qui sic clamant apud rudem plebeculam: Nullum est liberum arbitrium, voluntas nostra nihil agit, sed Deus operatur in nobis & bona & mala. Novi quosdam qui ex *Thoma* cæterisque, atque adeo ex *Juvenale* depingebant apud promiscuam multitudinem omnia libidinum genera. Hi non reprehenduntur, quod falsa doceant, sed quod vera sine fructu, quoniam intempestive. Hoc certe ad tuos pertinet, neque enim de te proprie scripsi. Ad eosdem pertinet, quod adjicio de tribus Diis, hoc ἀξίωμα, cum *Petrus Aliacensis*, assentientibus Theologis, putet in aliquo sensu verum esse, tamen apud populum magno cum offendiculo diceretur, inter eruditos nihil habet offensæ, quibus cognitum est Dei vocabulum, non semper sonare divinam essentiam, sed accipi nonnunquam pro Persona: ut cum dicimus: Deus gignit Deum, & *Jesum* esse Filium Dei. Nihil enim aliud intelligunt docti, quam esse tres Personas, in quarum unamquanque competat Dei vocabulum. Neque prorsus negat *Aliacensis* posse dici tres omnipotentes, ac tres æternos, & si negaret, consequitur tamen ex his quæ concessit, posse dici tres Deos, licet non simpliciter. Quemadmodum enim juxta Dialecticam non est absurdum dicere, tres sapientes una sapientia, tres bonos eadem bonitate, tres omnipotentes eadem omnipotentia, tres esse sed eadem essentia, tres volentes eadem voluntate, ita non arbitror impium dicere, tres Deos eadem Deitate. Non enim minus ad substantiam Dei pertinet Deum esse, quam sapientem esse. Verùm ut hæc non asserit *Aliacensis*, ita nec ego affero. In hoc tantum adduxi, ut docerem fieri posse, ut quædam sint vera, juxta sensum aliquem, quæ tamen apud imperitos efferri non expediat. Jam qui tenent litteras Hebraicas do-

docent nos in Geneſi: *Deus fecit cœlum & terram*, apud Hebræos eſſe vocem pluralis numeri, putantes hoc modo declarari, in tribus Perſonis eandem naturam & operationem. Hæc extra cauſam injicere volui, quod tu pronuntias ſimpliciter eſſe falſum ἀξίωμα, & prorſus alienum à ſacris Litteris.

29. Nunc ad articulum de confeſſione & ſatisfactione, quam ego duntaxat exempli gratia produxi, nec aſſerens, nec refellens, quæ de hac diſputantur, videlicet cum aliud agam. Et ne uſquam non ſis maledicus in *Eraſmum*, qui tuum dogma civilius tractavit, te nullo modo læſit, impingis, quod metuens tyrannidem Pontificis non auſim damnare confeſſionem. Non adeo metuo Pontificem, ut ſi mihi conſtaret eſſe damnandam confeſſionem non auſim inter eruditos proferre meam ſententiam, & anxiis amicis hoc in aurem inſtillare, denique dare operam, ut citra gravem tumultum, auctoritate Principum tollatur. Nunc ipſe ſervo, nec aliud doceo quam facio, non tantum ob id, quia præcepit Romanus Pontifex, ſed multo magis quod recepit populus Chriſtianus. Ut enim non omnes conſtitutiones approbo, ita procul abſum ab illorum ſententia, qui putant omnes humanas conſtitutiones aut conſuetudines eſſe rejiciendas, ſucceſſuris aliis, fortaſſe durioribus his, de quibus vulgus nunc queritur. Quanquam video & inter ipſos, qui confeſſionem aſſerunt, cordatiores, non audere pronuntiare an ſit inſtituta à *Chriſto*, an ſumta ex divinis Litteris, an ex generali Eccleſiæ conſtitutione profecta. An hoc eſt per ſummas ariſtas ingredi, non pronuntiare de his, de quibus nondum clara voce pronuntiavit Eccleſia? Nec hîc accuſo vel te, vel tuos, ſed meum ipſius animum qualis ſit profiteor. Quare vide, *Luthere*, niſi te prorſus exoculavit odium *Eraſmi*, quam ſine cauſa tibi dicta ſint illa tam virulenta. *Itaque*, inquis, *ſepoſitis interim Deo & conſcientia, quid enim ad* Eraſmum, *quid ille in his rebus velit, & quid huic expediat, in larvam externam ruis, & vulgus accuſas*, &c. Hujuſmodi convitia ſi funderes aliquando in re atroci, jam evicta, poſſet appellari vehementia: nunc cum tu nuſquam non crepes ejuſmodi, nec ullum facias finem, cum nihil ſit dignum ullo convitio, nec probaris quod aſſumis, nemo, *Luthere*, non perſpicit iſtam tam impotentem maledicentiam tuam animi tui morbum eſſe, quem ego malo contemnere, quam imitari.

30. Poſt hæc aggrederis meam ſententiam, ſane perquam feſtiviter ridens, & irridens meam ſimilitudinem, quo ſchemate videri volo abundare copioſius quidem orator, ſed nihil intelligens eorum quæ loquor. His convitiis ſic aſſuevi, ut propemodum etiam delecter, niſi quod verear ne animus iſte tuus tam ferox, mundum maximis involvat malis. Nam *Eraſmi* leviſſima ſit jactura, modo regnet Euangelium. Sententia hæc erat: *Ut ſunt morbi quidam qui minore malo tolerantur quam tolluntur, ita quædam irrepſerunt in populum Chriſtianum, quæ ſatius eſt ferre, quam ut dum conaris ſubmovere, malum exaſperes.* Hîc exemplis tecum non agam, quoniam nec tutum eſt, nec admodum ad cauſam pertinet. Tantum illud ex te ſcire cupio: Finge in Principibus multum fuiſſe tyrannidis erga ruſticos, quod mihi non conſtat, utrum conducibilius erat ruſticis, ferre Dominos iniquiores, an hos experiri tumultus? in quibus tot millia perierunt, & adeo calamitas depulſa non eſt, ut jugum conduplicatum ſit, aſperiuſque redditum. Hæc verba mea non tam accuſant tuos, quam me excuſant, cui frequenter impingitur, quod non acriter ſtringam calamum in vitia Pontificum & Epiſcoporum. Et tamen hæc ad te quoque pertinent, quandoquidem ad te rapis. Sit enim iſta cauſa tanti momenti, quanti vis eſſe, tamen importuna tua maledicentia nulli omnino mortalium parcens, facit ut non ſolum nihil proficias, verum etiam conduplices & exacerbes tyrannidem, quam exſtinctum tendis, & eos provehas, quos cupis oppreſſos. Eſt aliqua ratio tollendi malum, quod inveteratum longe lateque radices egit. Exaggera hîc cauſam tuam quantumlibet, quo melior eſt, hoc tu magis accuſandus, qui tam malum agas Medicum. Neque cuiquam pugna eſt cum verbo Dei, quod toties intonas, ſed cum tuis interpretationibus. Jam & illud vide, num iſtis rationibus Apoſtoli doctrinam Euangelicam invexerint in mundum, quibus tu reſtituis, ſicut ais. Nunc-ubi calumniantur immerentes, num ſcurrilibus dictis debacchantur in quemlibet? Num quem ſuſpendunt naſo, num ſtrophis, calumniis, ac minis agunt Euangelii negotium? Num utuntur tanta linguæ petulantia? Poteram hîc alia multa commemorare, quæ premo, tua prudentia fortaſſe divinat quid ſentiam. Si tu ſcis hos tumultus divinitus ortos, ego neſcio, nec futurus ſum illorum vel auctor vel adjutor, non deſino tamen orare *Chriſtum*, ut undecunque ortos, & quomodocunque progreſſos, omnipotens artifex vertat in gloriam ſuam & Eccleſiæ ſalutem.

33. Vehementer offendit te hæc mea ſententia, *licet verum dicere, ſed non expedit apud quoslibet, nec quovis tempore nec quovis modo.* Et inepte cito *Paulum: Omnia mihi licent ſed non omnia expediunt*, quod *Paulus* illic non agat de prædicanda veritate, quam vult apud quoſvis, quovis tempore, quovis loco, quovis modo prædicari: ſed de vitando ſcandalo infirmorum. Eſto, ut dicis, ſed hæc ſententia latius patet ſuapte natura. Siquidem caritas, quæ *Paulo* ſuadebat ut abſtineret ab alioqui licitis, eadem ſuadebat, ut doctrinam Euangelicam ad utilitatem hominum diſpenſaret. Jam illud mihi vide quanto minus ad rem faciant quæ tu refers: *prædica verbum, inſta, opportune, importune.* Et, *modo verbum Dei annuncietur:* Rurſus, *verbum Dei non eſt alligatum.* Et, *Ite prædicate Euangelium omni creaturæ.* Nam in his verbis *opportune importune* tropus eſt, qui non indicat verbum eſſe prædicandum ubi non oportet, ſed inſtantiam Euangelii prædicandi commendat: quanquam adjicere debueras quod illic additur, *argue, obſecra cum omni lenitate & doctrina*, lenitatem enim in te requirunt etiam tui. Cæterum ſcribens *Philippenſibus*, non laudat eos qui inſincere prædicabant Euangelium, ſed gaudebat illorum inſinceram operam, tamen cedere in Euangelii profectum. Ad hæc *Paulus* alligatus, tamen gaudet verbum Dei non eſſe alligatum, ſed in dies latius ſpargi. Obſecro te, an *Paulus* docuit eadem apud omnes quæ tu doces? An cum admoneo doctrinam eſſe temperandam ad utilitatem auditorum, alligo verbum Dei? Nam hoc impingis, & interim aſſumis, quicquid doces eſſe verbum Dei: ut nihil jam ſuperſit, niſi ut fias *Chriſtus*, denuo prædicans Euangelium. Atqui quemadmodum nobis non conſtat quo ſpiritu ducaris, ita nobis nondum perſuaſum eſt quicquid doces eſſe verbum Dei. Quid alii ſapiant neſcio, ego certe profiteor me eſſe de eorum numero, qui mallent mori decies, quam ſemel impedire curſum verbi divini. Neque nos tamen de eo loquebamur, ſed de quæſtionibus quæ nunc Orbem concutiunt. Et tamen Apoſtoli primum juſſi ſunt prædicare regnum Dei, celantes *Jeſum* eſſe *Chriſtum*. Et *Petrus* initio prædicationis *Jeſum* virum appellat, tacens de divina natura. Nec aliud *Paulus* facit apud *Athenienſes*. Idem habet lac quo fovet imbecilles, habet ſolidum cibum quo vegetat fortes, & habet ſapientiam, quam non apud quoslibet, nec in propatulo, ſed apud perfectos in occulto profert, quem locum tu non recte citas, *ſapientiam in myſterio abſconditam*, cum ſit apud Græcos, *loquitur in occulto ſapientiam quæ eſt recondita.* Quin & ipſi Apoſtoli juſſu Domini excutiunt pulverem pedum in eos qui rejiciunt ſermonem Euangelicum, & in Actis imponunt Gentibus, ut abſtineant ab Idolothytis, ſuffocato, ſanguine & ſcortatione, nec ſtatim docent Legem prorſus abrogandam. Poſtremo ſunt rudimenta Philoſophiæ Chriſtianæ, quæ traduntur catechumenis, donec proficiant

ad

Digitized by Google

ad magis recondita. Hebr. VI. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur*, &c. Ecclesia vero ne hæc quidem solet temere committere postulantibus initiari, nisi fidejussores spopondissent abesse dolum malum, & *mysteria* vocantur, id est, sacramenta. Num ideo vocantur *mysteria*, id est, arcana, quod apud quoslibet essent evulganda? An tu putas Christianos olim arcanum Eucharistiæ, vulgo prodidisse Judæis ac Gentibus irrisuris? Quin ipse Dominus aliter respondet Pharisæis malitiose tentantibus, aliter Sadducæis per imperitiam, stultam proponentibus quæstionem, cujus etiam illa vox est: *Nolite sanctum dare canibus, & ne projiciatis margaritas vestras ante porcos.* Idem præcipit Apostolis, ut ingressi vicum aut oppidum explorent si qui digni sint, mox iis annuntient Euangelium, sin minus excusso pulvere aliò se conferant. Rursus Dominus, qui dixit per Ecclesiasten, *Est tempus loquendi, & est tempus tacendi*, ad *Herodis* percunctationes prorsus obticuit, *Pilato* pauca respondet, in Monte copiose docet discipulos arcana Euangelicæ Philosophiæ. Nec eodem modo *Paulus* agit cum *Athenienſibus*, quo cum *Hebræis*, illis orditur Euangelium à quibusdam apud ipsos notis ac receptis, Hebræos incredulos Legis *Mosaicæ* præsidiis oppugnat. Apud *Festum* & *Agrippam* quanta civilitate temperat sermonem suum, hoc est, quam tui dissimilis est. Idem aliquando mutat vocem suam, inserviens auditorum utilitati. *Carolstadii* sententiam de synaxi recte impugnas: sed fingamus eam esse veram, nonne diceres non in tempore proditam, primum hoc rerum statu, cum plus satis exulcerata sunt omnia, deinde quia non tradidit doctis ventilandam, sed Germanica Lingua vulgo prostituit, magno Christianæ concordiæ detrimento. Ipse in spectris tuis doces, quid sit inculcandum morientibus, reprehendens eos qui gravant illos intempestivis sermonibus: & nunc dicis nihil referre, quid, apud quos, quo tempore, quo modo dicatur. At reclamat tibi Sapiens Hebræus, musicam in luctu, narrationem esse intempestivam. *Paulus*, inquis, *coram toto mundo dixit: Deus quos vult indurat*, &c. At *Paulus* nusquam scribit, quod tu Mundo ingeris, liberum arbitrium nihil esse nisi nomen inane, neque nostros conatus quicquam ad rem facere, sed mera necessitate fieri omnia, Deum in nobis operari & bona & mala. Hæc sunt quæ nolebam evulgari. Hæc satis arguunt ne ipsum quidem Euangelium apud quosvis, quovis tempore, quovis loco, quomodolibet esse prædicandum, sed ex audientium utilitate dispensandum. Quanto minus id fieri convenit in quæstionibus, quæ trahuntur è sacris Libris, quædam etiam ex humana Philosophia, veluti cum disputamus de Eucharistia, quomodo corpus possit esse sine dimensionibus, & quomodo idem corpus sit in diversis locis? Quod si contendis nihil omnino referre, quomodo prædicetur Euangelium: quin ipse simili sævitia debaccharis in Cæsarem, qua in Pontificem & Episcopos. Cæsar enim magis obstat Euangelio tuo quam Pontifex. Hic nimirum cogeris adferre *Paulinum* illud: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, & abs te dicetur apte, quod à me inepte fuerat citatum. Hæc cum sint per se dilucida, nimirum evidens est, quantum tu verborum incassum fuderis, & quam nihil ad rem citaris sacræ Scripturæ testimonia, & quam parum tempestive fumos illos tuos protuleris. Paulus *dicit: Verbum Dei non est alligatum*, & Erasmus *alligabit*? *Et Dominus dicit: Ite in universum Mundum*, Erasmus *dicit: Ite aliquo, aliquo non.* Rursum: *Prædicate Euangelium omni creaturæ:* Erasmus *dicit: Apud aliquos, apud aliquos non.* Denique quasi hæc tam insulsa non fuerint satis, addis novam facetiam, Græcas aliquot voces occinens, *prosopolepsias, topolepsias, tropolepsias, chreolepsias:* his quando tua sunt, miror te non etiam addidisse *œnolepsias.* Hæc enim tam stulta, aut alius addidit tuo libro, aut non eras sobrius cum scriberes. Mirum vero quam in loco nobis hîc adducis: *Deus personas non respicit*, hoc est, *Deus ex omni gente, ex omnium mortalium genere per fidem admittit ad Euangelii gratiam, ergo nihil refert, quid, apud quos aut quomodo disputes.* Nec hîc contentus adjicis epiphonema: *Vides*, inquiens, *iterum, quam temere irruis in verbum Dei, quasi tuas cogitationes & consilia longissime illi præferas.* Si hæc à febricitante dicerentur, quid dici poterat insanius? Ego toto pectore veneror verbum Dei, sed non arbitror quicquid asseveras esse verbum Dei. Et si Dei verbum non tractes meliore fide quam tractas nostra, perspicuum est quantum oporteat tribuere tuo Euangelio. Ego si minus erudite, saltem timide cumque reverentia tracto sacras Litteras, inhærens Orthodoxorum vestigiis, ac metuens ab Ecclesiæ decretis recedere. Tu violentus irrumpis, ac submotis omnibus contendis hoc sentire Scripturam quod vis, quodque tuis dogmatibus commodum est. Breviter sic rem geris, quasi tuam velis esse victoriam, non Euangelii, & quasi sacræ Scripturæ dominus esse postules, non dispensator.

Efflagitas à me ut præscribam oportunitatem docendæ veritatis. Impudenter hoc flagitas ab *Erasmo*, qui nihil omnino scit, nec novit personas, tempora, modos, certe nescit corda hominum, quæ solus omnia novit *Lutherus*. Atque in hoc triumpho camelum saltantem nobis exhibens lascivis inverso *Virgilii* carmine:

Ante suum clauso componet tempore finem
Mundus —— —— ——

Vidisti quicquam istiusmodi inficetiarum in mea Diatriba? Mox facis me præscribentem formulam, *ne Papa indignetur, ne Cæsar irascatur*, &c. Quanquam nec ista, quæ velut absurda fingis, tam sunt, quam videri vis. Quid enim peccat, si veri prædicator sic orationem moderetur, ut quoad fieri potest, non exasperentur potentes, sed alliciantur potius quam provocentur, & si spes nulla est, saltem ne sine fructu irritentur. Et tamen quod exigis jam ex parte præstiti, non ex me, sed ex sacris Litteris. Qui canibus objicit sanctum, qui margaritas porcis, peccat: & dictum est in contemtores, excutite pulverem. Habes personas. Cum nulla spes est fructus, sed nihil aliud quam tumultus excitatur, cedendum est, donec sese offerat melior opportunitas. Habes tempus. Cæterum docendi modus ex his omnibus circumstantiis sumitur, nec omnes certo præscribi possunt, quandoquidem ex re nascuntur ac variantur, sed hoc dispensatoris prudentiæ relinquitur, quid cuique conveniat. *Paulus* mavult consuere corria, quam ali beneficentia *Corinthiorum*, quod tamen suo jure poterat, nec circumducit sororem mulierculam, sed omnia sustinet, ne quod offendiculum det Euangelio. Apostoli ductas uxores relinquunt Euangelii studio, nec ducunt, cum nulli fuerit interdictum: nunc qui jactant pro Euangelio millies esse moriendum, ea faciunt, quæ plurimos alienant ab Euangelio. Si bonus Medicus est, qui quibuslibet quælibet porrigit pharmaca, sit bonus Theologus, qui nulla vel personarum vel temporis habita ratione, quomodocumque provulgat verbum Dei. *Omnis*, inquis, *Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum.* Nihil igitur tua refert, quid, apud quos, quomodo proferas aliquid è sacris Litteris? Eadem docebis catechumenum, quæ jam futurum Episcopum? Iisdem locis ages cum Ethnico Philosopho, quibus cum Judæo? Eadem mysteria proferes apud irrisurum, & discendi cupidum? Nec deliges è sacris Litteris quæ dicas apud sacras virgines, & lenones scortaque publica: nec referre putabis, utrum privatim comiter moneas Principem aut Episcopum, an apud populum seditiose vociferéris in illos: nec aliter objurgabis ingenium putidulum, & ad desperationem proclive, quam erectum, ferox, & contumax? Atque hîc mihi ingeritur mea *Paracleſis*, in qua volo neminem secludi à lectione sacrorum Voluminum. Idem multo dili-

gentius ago in Appendice, quæ præcedit Paraphraſim in Euangelium *Matthei:* verùm præſcribo qualem eſſe velim qui legat Libros ſacros, & rationem indico qua legi debeant. Si permitto omnibus ut legant ſacros Libros, ideone de quibuslibet difficultatibus, apud quoſvis, & quovis modo diſputandum eſt in utramque partem? Et huic Capiti additum eſt virulentum epiphonema: *Quorum*, inquis, *furori tu*, Eraſme, *hoc conſilio tuo pernicioſe inſervis.*

38. Taxans quorundam incivilitatem, monueram ſi quid forte perperam eſſet conſtitutum in Conciliis, ita corrigendum, ut tamen parceretur, quantum fieri poſſet, auctoritati Pontificum & Conciliorum, quam non expedit vulgo contemni. Si idem efficit civilitas quod tumultus, nonne quod tranquillius eſt præferendum eſt? Si tu mavis ſeditioſam maledicentiam, ego plurimum abs te diſſentio: imo tuæ ſententiæ reclamant & litteræ & vita Apoſtolorum. Quorſum igitur attinebat hoc ſcomma, niſi quod nunquam maledicendo ſatiaris? *Hoc ſcilicet Papa voluit à te dici, & audit libentius quam Euangelium, ingratiſſimus ſi te Cardinali pileo cum cenſibus non rurſus honorarit.* Non te pudet, *Luthere*, manifeſtæ vanitatis? Mihi-ne datur ullus cenſus à Pontifice? Imo quod *Adrianus* obtulit recuſavi. Galerum Cardinalitium aut dedit aliquis, aut ambii, qui dignitates multo etiam inferiores manibus pedibuſque recuſavi? Sed quid faceres? Hujuſmodi fabulæ jactantur inter fratres fideles, quibus diffidere nefas eſt. Quam tibi nihil eſt penſi, quid in quem dicas. Sed haud ſcio an tu *rurſum* poſueris pro *viciſſim*, ne videaris infantiam omnino ſimulare. At interim non deſinis impingere, quod contra conſcientiam ea defendam quæ non oportet, in gratiam Pontificum, ac ſpe præmiorum: quo nihil eſt falſius, id quod te quoque ſcire credo, quantumvis diſſimules. Jam quod toties inculcas, fieri non poſſe ut hominum conſtitutiones ſerventur cum Euangelio, prorſus abs te diſſentio, qui video quaſdam hominum conſtitutiones eſſe neceſſarias, quaſdam utiles, tametſi diſplicet immodica turba, in qua nonnullæ ſunt, quæ meo quidem animo rectius tollerentur. Et hîc ſi vellem ingererem, quam tibi non conſtes, cum alibi pronunties, ceremonias infirmis eſſe neceſſarias. Nam certum eſt hominum conſtitutiones fere in ceremoniis verſari. Sed interim hîc aliud agimus, nec eſt animus ab argumento digredi, ne nimium operæ in his rixis ponamus. Tandem & hoc Caput claudis dilemmate: *Si de verbo Dei ſic ſentis, impie ſentis: ſi de aliis, nihil ad nos verboſa diſputatio conſilii tui.* Jam oſtendi referre, ſacras Litteras apud quos doceas, deinde demonſtratum eſt, me non tantum loqui de ſacris Litteris, ſed de quæſtionibus hinc exſiſtentibus, quibus tandem & admiſcet ſeſe humana Philoſophia. An hoc eſt Dei verbum, omnia ex mera neceſſitate fieri, & noſtros conatus nihil ad rem facere? Hoc paradoxon tuum interim fingo verum in aliquo ſenſu. De quo ſi percunctetis alios, dicent eſſe hæreticum. Nec ideo tacéri volui quia durum eſt, ut ais, ſed quod homines ad malum pronos, & imbecilles invitet ad licentius peccandum. Tuum paradoxon elicis è ſacris Litteris, ſed opinionem ſuam Eccleſia quoque ſumſit è ſacris Litteris, ut jam res pendeat, non à verbis Scripturæ, ſed ab interpretatione. Cæterum in hoc peccas, quod nobis perpetuo tuam interpretationem obtrudis pro verbo Dei. Itaque nec impie ſentio de ſacris Litteris, in quarum interpretatione malo ſequi ſententiam tot Orthodoxorum & Eccleſiæ, quam tuam unius & paucorum tibi juratorum, & tamen ad te pertinet mea diſputatio, qui tale dogma inculcas auribus imperitorum, quale ſi citra controverſiam verum eſſet, non abſque periculo evulgaretur apud quoslibet.

39. En iterum ſyllogiſmus cornutus opponitur: *Si hæc paradoxa dicis eſſe hominum inventa, quid æſtuas, contra quem dicis*, &c. *Sin autem Dei verba eſſe credis illa paradoxa, ubi eſt frons tua?* &c. Audi contra, nobis videntur eſſe commenta hæreticorum, divinas Litteras ad ſuum ſenſum detorquentium. Et tamen hîc fingo eſſe humanam opinionem è ſacris Litteris, fortaſſe perperam intellectis, conceptam, quam patiar inter eruditos ſobrie diſputari, apud promiſcuam multitudinem jactari nolim. Auſer igitur iſta, *verbum Dei, verbum Dei.* Non eſt nobis bellum cum verbo Dei, ſed cum tua aſſeveratione: neque enim pugnat ſecum Dei verbum, ſed hominum interpretatio cum interpretatione colliditur. Si judicium Eccleſiæ te movet, quod aſſeveras commentum eſt hominum, quod impugnas, verbum eſt Dei. Si nihil te movet, tamen evidentiſſimis rationibus evincas oportet quod aſſeris, prius quam jubeas nos in tuam ire ſententiam, pugnantem cum tot Eccleſiæ luminibus, atque adeo cum publico Eccleſiæ judicio. Nunc cum antequam congreſſus ſis cum mea Diatriba, ſic exſultes, inſultes, geſtias, quid aliud quam triumphum agis ante victoriam? Iſta Rhetores ſervant jam probatæ rei, ſi libeat ad ſingulas cauſæ partes agere triumphum: aut perorationi, ſi ſint unico triumpho contenti. Sed indecentius eſt quod non tantum exſilis, geſtis, ac ludis, ſed oſtentas trophæa nondum erepta, circumfers hoſtis proſtrati ſimulacrum, quem nondum aggreſſus es. Quam enim ineptis tuo ſchemate ἐιρωνδίων, qui me non pateris ſimilibus, hoc eſt, vulgatiſſimo ſchemate uti: *Scilicet creator tuus à te creatura diſcet, quid utile & inutile ſit prædicari, ac ſtultus ille vel imprudens Deus hactenus neſcierit quid doceri oporteat, donec tu magiſter ejus, modum ei præſcriberes ſapiendi & mandandi, quaſi ipſe ignoraſſet*, &c. Scilicet iſta tam ſtolida, videntur tibi falſe dicta, quaſi jam eviceris tuum de libero arbitrio dogma, ſine controverſia eſſe verbum Dei, & quaſi diſpenſator verbi divini non debeat circumſpicere, quid apud quos, quo tempore, quove modo depromat è duplici penu ſacrarum Litterarum, quod accommodum ſit auditorum ſaluti. Dic te quæſo: Nullum-ne vidiſti unquam concionantem, qui tibi diſplicuerit quod parum tempeſtiva loqueretur? Nonne recte facit, qui in Quadrageſima ea proponit populo quæ faciunt ad pœnitentiam, vitæque correctionem? feriis paſchalibus lætiora depromturus? Opinor, & te dicturum apud populum reputare nonnunquam quid dicendum, quid reticendum, & quibus modis tractandum ſit quod aſſumis. Et hæc qui monet præit creatura creatori, Deoque præſcribit ſapiendi mandandique modum, & Deum vivum, nihil aliud imaginatur eſſe, niſi levem aliquem & imprudentem rabulam in aliquo ſuggeſto declamantem, aliaque tam ſtulta, ut vix credam ex tuo ingenio profecta fuiſſe.

41. Ex hac admonitione mea conſequitur, quod infers: *Plane hic pradis, mi* Eraſme, *quam ex animo ſuperius venerandam divinorum judiciorum majeſtatem ſuaſeris.* Quis, *Luthere*, fuit ille perditus ſycophanta, qui hæc libro tuo admiſcuit? An ille qui monet ſacram doctrinam, ad utilitatem audientium eſſe temperandam, ſicte docet, in ſacris Litteris reverenda myſteria, quæ ſuperant intellectus humani modum? An ille blaſphemus eſt in Deum, (nam hoc ſubjicis in proximo Capite) qui non vult altius penetrari in quæſtionum adyta, quam conducit ad ſalutem & Chriſtiani gregis concordiam? qui verbi divini diſpenſatorem, vult eſſe ſobrium ac circumſpectum, ut ſciat quid cuique conveniat? Nullus igitur non videt, quantum hîc fundas tragicæ facundiæ, hoc magis ridiculus, quo vehementius & impotentius præter cauſam verbis debaccharis. An docet Deum non eſſe timendum, qui docet nulli ſalutem contingere, niſi ex miſericordia Dei? qui fatetur Deum quoſdam attrahere, quoſdam ſuo animo relinquere, conſilio arcano & inſcrutabili? An quiſquis non accedit tuis aſſertionibus & interpretationibus, penſat divinam Scripturam ad ſenſum impiiſſimorum hominum? Et qui vel ob imperitiam, quam tu mihi tribuis affatim, vel ob imbecillitatem animi, non audet ſeſe tuæ fidei committere, jam publico Eccleſiæ ju-

Digitized by Google

judicio damnatæ, mavultque tot insignium virorum sententiam, mavult Ecclesiæ decretum sequi, quam tuum & *Wiclevi* dogma, is impiam indignationem suam declarat adversus Deum? Hujusmodi conclusiones homo Dialecticus colligis ex meis verbis, & cum his mira sedulitate συμμαχεῖς aut si quid umbra inanius? Hæc igitur cum sint alienissima à re, deinde manifesto falsa, debebant omnino taceri ab eo qui præter summam eruditionem, etiam spiritum Dei sibi vindicat, multo minus conveniebat tot verbis inculcari, repeti, infigi. Quæ si vera essent, & ad rem pertinentia, tamen erant, ut dixi, post partam victoriam in triumpho decantanda.

42. Mox ita respondens quæstionibus meis, quasi ego docuerim, homines absque spiritu posse vitam corrigere, aut quasi spiritus per illum non operetur in animis hominum, qui circumspecte dispensat sermonem Euangelicum. Nisi forte sentis solam electionem Dei satis esse, nec opus esse doctoris officio. Quid est igitur, quod apud *Ezechielem* Dominus sic litigat cum malis Pastoribus? Ad secundam sic respondes, quasi doceam à quoquam amari posse Deum, nisi fuerit attractus ab eo. Cur objurgantur apud *Esaiam* muti pastores? quia tacuerunt ubi proferendum erat verbum Dei. Eadem ratione sunt objurgandi, qui vel aliud prædicant quam verbum Dei, vel aliter prædicant quam oportet. Et hîc rursus blasphemum facis *Erasmum*, homo blasphemiis undique scatens, agnosce tuas voces, vere, inquam, tuas, *Luthere*. Sic habent. Cum ego feciſſem impios murmurantes adversus bonitatem ac justitiam Dei, sic loqueris: *Nullus hominum credet, neque poterit, electi vero credent, cæteri non credentes peribunt, indignantes & blasphemantes sicut tu hic facis.* Quam hîc vides meam blasphemiam? an quia recito quid impii dicturi sint? ac ne quis suspicetur hæc sub mea persona dici addo: *Sic enim interpretabuntur plerique: sunt enim ferme mortalium ingenia crassa & carnalia prona ad incredulitatem, proclivia ad scelera, propensa ad blasphemiam, ut non sit opus oleum addere camino.* Hactenus Diatribe. An hæc verba non satis declarant, quorum murmura recitem? An ideo blasphemus sum, quod nolim occasionem dari propensis ad blasphemiam? Talia scilicet effundit spiritus iste, cujus arbitrio regeris. Sed ad reliqua properandum.

42. Bene habet, tandem satiatus opinor convitiis, permittes aliquantisper respirare, vertis enim te jam ad docendum, quod utinam solum egisses. Adducis autem duas causas, quare tuum dogma debuerit apud omnes invulgari, quarum una est, ut homo, sui desperans ac dejectus, non aliunde speret salutem quam à solo Deo, cujus misericordiæ proximus est, qui intelligit se suis viribus ne tantulum quidem posse ad assequendam salutem. Altera est, ut per hoc dogma detur locus fidei, cui non esset locus, nisi Deus cum sit justus, videretur injustus, & cum sit misericors, videretur crudelis, & nisi videretur occidere, cum vivificat. Objicerem nec ista suo loco dici, nisi tuum esset dogma, nihil referre quo loco dicatur. Cum enim hæc tractentur in disputatione nostra, ubi pugnas cum argumentis meis, ibi dixisses tempestivius. Sed tamen quoniam rem seriam aggrederis, non gravabor tum audire, tum respondere. Necessarias autem gravissimasque causas nobis adferas oportet, si persuadere velis, hoc quod jam seculis tenuit populus Christianus cum suis Doctoribus & in hunc usque diem tenet Ecclesia, pernicioſum esse dogma, impium, hæreticum ac blasphemum, tuum vero esse præcipuum articulum Christianæ fidei, sine quo nemo possit esse salvus. Ne dixeris igitur, quod ex abundanti depromseris duas causas, nam prima causa, qua nobis imponis silentium, dicens: *Satis est, quod Deus voluit hæc invulgari, nec est hominis quærere cur ita velit*, nihil adversum nos facit, propterea quod assumit pro confesso, quod est controversum, videlicet tuum dogma esse verbum Dei. Quare ne posthac nos urgeas ista responsione, nisi prius eviceris quod assumis ut certissimum, cum non solum sit anceps, verùm etiam à Scholis & Ecclesiæ primoribus damnatum. Excutiamus igitur Achilleas tuas & invictas rationes. Mihi quidem per se neutra videtur impia. Quis enim non fateatur esse pium, ut homo sibi diffisus, totus pendeat à misericordia Dei? Et pie docet, qui docet facta Dei non esse dijudicanda, sed certo credendum, Deum semper esse justissimum, etiamsi quando sensibus humanis videatur injustus, esse misericordissimum, etiamsi quando videatur crudelis. Hæc, inquam, omnia pie sancteque docentur, sed tamen multum absunt ab eo, ut nobis approbent tantam necessitatem tui dogmatis, quantam videri vis. Ais enim alicubi, citius optandum ut totus mundus pessum eat in chaos, quam ut hoc dogma rejiciatur. Imo fructus utriusque tuæ rationis sequitur ex opinione, quam hactenus ut piam sequitur Ecclesia, ut novo dogmate tam seditioso nihil sit opus, ne commemorem interim vitata pericula, quæ tuum dogma secum trahit, rursusque commoda, quæ secum nostra ducit opinio. Nam quod ad priorem attinet causam, in Diatriba demonstro, eundem dejectionis fructum sequi ex opinione quam defendo, qui sequitur ex tua. Cur enim sibi fidat, qui scit se nihil posse nec incipere nec finire, nisi auxiliante gratia Dei, cui fateor summam omnium quæ recte fiunt acceptum ferri oportere? Neque quicquam interest inter te & me, nisi quod ego facio nostram voluntatem cooperantem gratiæ Dei, tu facis nihil aliud quam patientem. Nam quod addis, *quam diu persuasus fuerit homo se vel tantulum posse pro salute sua, manet in fiducia sui, nec de se penitus desperat, & ideo non humiliatur coram Deo*, &c. *& occulte manet superbus & gratiæ Dei adversarius.* Hæc ut fortiter abs te dicuntur, ita dicuntur absque ulla probatione, & reclamante Scriptura: nec omnino quicquam habent novi præter hyperbolen. Dicis, *qui nihil dubitat à voluntate Dei pendere, is prorsus de se desperat, nihil eligit, sed exspectat operantem Deum. Is proximus est gratiæ, ut salvus fiat.* Eadem nos dicimus, nisi quod non satis intelligimus quid sibi velit illa particula, *nihil eligit:* nisi forte sentis eum diffidere Deo, qui sibi vitæ genus eligit, quod vel aptius judicat, vel tutius. Cæterum quod in immensum exaggeras desperationem sui, & redactionem in nihilum, tuæ sunt hyperbolæ. Alioqui conclusio tui sermonis, non minus quadrat nostro dogmati quam tuo. Ea sic habet: *Hæc est, inquam, una ratio, ut pii promissionem gratiæ humiliati cognoscant, invocent & accipiant.* Quomodo se eriget adversus Deum, qui novit sibi nullam esse salutis spem absque singulari Dei gratia, qui persuasum habet vires hominis universas nihil provehere ad salutem, nisi adsit gratiæ præsidium? præsertim cum non ignoret, hoc totum quod potest naturæ viribus, esse gratuitum Dei donum. An qui cupiat Oceanum transmittere, confidit se hoc posse assequi, nisi contingat navis & venti? Et tamen inter navigandum non erit otiosus; neque enim liberi arbitrii professio huc tendit, ut homo minus tribuat Dei misericordiæ, sed ne desit operanti gratiæ, & habeat quod sibi imputet si pereat. Ego sic exaggero Dei misericordiam, sic extenuo vires hominis, ut in negotio salutis nihil sibi possit arrogare, quandoquidem hoc ipsum quod est aut valet naturæ dotibus, Dei munus est. Tu sic attollis gratiam, ac dejicis hominem, ut alteram aperias foveam, quam occlusimus, paululum quiddam tribuentes libero arbitrio, videlicet quod se accommodet gratiæ, vel avertat à gratia. Altera ratio non impia quidem est, sed adversus me nihil facit. Hoc ipsum doceo, quod tu, ut homo diffisus suis viribus totum se præbeat operanti gratiæ divinæ, credatque Deum justum, etiamsi videatur humano sensui injustus, clementem, etiamsi videatur crudelis. Quanquam ne id quidem perpetuo verum est. Etenim apud *Esaiam* Deus provocat *Israelitas*, ut veniant & arguant ipsum si possint. Et *Ezechielis* XVIII. velut ex æquo disceptat cum populo, coarguens illorum injustitiam, & suam evincens justitiam.

Nec Deus ſemper abſcondit ſuam erga nos miſericordiam, ut ſit locus fidei, ſed multis argumentis approbat nobis ſuam miſericordiam. Nec abſcondit ſuam veritatem, quo majore merito credatur verax, ſed tot Prophetarum oraculis, tot figuris, tot miraculis, denique præſtando per Filium & Apoſtolos quæ promiſerat, declaravit ſe veracem eſſe. Quin ipſe Dominus quanquam ad tempus diſſimulavit naturam divinam, tamen veritatem non abſcondit, ſed omnibus modis illuſtravit, ne quid haberent increduli, quod ſuæ culpæ prætexerent: Itaque quod addis ὑπερβολικῶς, *ſi poſſet ulla ratione comprehendi, quomodo is Deus ſit miſericors & juſtus, qui tantam iram & iniquitatem oſtendit, non eſſet opus fide*, nemo tibi concedet: ſed Dei benignitas ſic alit fidem noſtram, ut ex quibuſdam argumentis, quæ ſenſu ac ratione comprehendimus, credamus & illa quæ comprehendi non poſſunt. Tantum de his hoc loco dixiſſe ſatis eſt.

48. Videbar evaſiſſe, ſed ecce paratum eſt aliud cornutum dilemma: *Si credis*, inquis, *eſſe vera paradoxa, cum ſint maximi momenti, non alia re magis irritabis curioſitatem hominum ad inveſtigandum, quam dum doces non eſſe evulganda: Si vero credis non eſſe vera, doce occultanda, non quod inutilia ſint, ſed quod falſa.* Audi paucis ad hæc: Si credidiſſem tuum paradoxum eſſe verum, non oppoſuiſſem meam Diatribam. Et ſi te tantopere offendit mea civilitas, quod diſputandi gratia, finxerim aliquo ſenſu verum eſſe, contentus vocare paradoxum, utere vocabulis & judiciis aliorum, qui pugnant cum tuis paradoxis. Sunt enim in promtu. Illic reperies non *Scepticas* ambiguitates quas exſecraris, ſed meras aſſertiones *Stoicas* quibus delectaris. Tantum ne mihi fraudi ſit, quod comiter res aſperas verbis mollioribus tractavi, quo minus concitaretur tumultus, rebus plus ſatis exaſperatis, & veritas certius eluceſceret. Et ridicule me jubes tacere priorem, cum per te jam ſit evulgatum problema, cujus ea pars, quam tu propugnas, periculoſe ingeritur auribus populi. Verùm illud urit animum tuum, quod adamatam tuam

45. opinionem auſus ſim attingere, ſecus quam velles. Cujus ſtudio ante tempus incipis nobis probare rerum omnium neceſſitatem, aſſumens veluti tuo jure, quod nondum eviciſti, videlicet nos nihil operari, ſed ſolum Deum operari in nobis & bona & mala, & tamen mox duos facis Deos, qui viciſſim inſideant voluntati noſtræ, agantque quo velint. Et ſic diſtinguis neceſſitatem coactionis & immutabilitatis, quaſi nos iſta confuderimus. Quod ais hominem peccato captivum, non poſſe ſuis viribus voluntatem ſuam ad bonum flectere, niſi affletur gratiæ ſibilo: fatemur & nos, præſertim ſi de flexu efficaci ſentias. Cæterum illud mihi tecum non convenit, quod ais, hominem, in quo operatur gratia, non poſſe ſeſe avertere à gratia, quemadmodum qui in Sole eſt, non poſſet occludere oculos. Alioqui cur arguuntur apud *Paulum*, qui ſemel illuminati, guſtato dono cœleſti, ac participes facti Sancti Spiritus, prolapſi ſunt ad malitiam? Nec ſimilitudo tua probat noſtram voluntatem omnino nihil agere. Nam jumentum regitur quidem à ſeſſore, tamen obtemperans illi, agit aliquid cum illo. Nonnunquam obnititur freno, calcitrat, reſiſtit, interim & excutit ſeſſorem, non quod Deus poſſit excuti, ſed quod offenſus inobedientia noſtra, relinquat nos noſtris cupiditatibus. Porro illud è Pſalmis, *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum*, legerant & illi, quibus non placet iſta rerum omnium neceſſitas, legerant & *Chriſtum* Aſino inſediſſe, verùm nihil aliud arguunt, quam rectricem ac moderatricem gratiam, admonentque ne gratiæ repugnemus. Sed, ut dictum eſt, ante tempus abs te dicta, ſuo loco tractabuntur accuratius.

47. Hæc quidem abs te triumphaliter dicta ſunt, ſed ante tempus, ſed nondum evicto cui niteris. Nunc elatus rebus ſecundis, audes majus quiddam polliceri, quod eſt in victoria pulcherrimum, te me meo jugulaturum gladio, planeque convicturum, me imprudentem negare, quod tanta prudentia conor aſſerere. Quod nì ſtrenue præſtiteris, interpoſito ſacramento vis omnia, quæ in hoc libro adverſum me ſcribis, eſſe revocata, rurſus omnia confirmata quæ mea Diatriba in te vel aſſerit, vel quærit. Age, *Luthere*, accipimus conditionem, tu vide ne recedas à jurejurando. Jam dudum exſpectamus iſtam violentam argumentationem. *Fateris*, inquis, *liberum arbitrium citra gratiam inefficax eſſe ad ſalutem*: Agnoſco. *Ergo ſubmota gratia nihil faciet boni.* Nihil. *Igitur non liberum eſt, ſed captivum*: Fateor. Hîc mihi concedis ut liberi arbitrii vim, quam extenuavi, faciam ſi libet Angelicam, tamen evincis nullam eſſe, ſi per ſe nihil efficiat. Et obiter admiſces, liberum arbitrium ſine gratia, nihilo rectius dici liberum, quam ſi dicas ignem frigidum, aut terram calidam, quod Scholæ vocant oppoſitum in adjecto. Audi nunc contra. Primum tu ſemoves gratiam à libero arbitrio, at ego cum dico liberum arbitrium aliquid agere boni, conjungo cum gratia, cui dum obtemperat, feliciter agitur, & agit, dum reſiſtit, meretur à gratia deſeri, deſertum nihil agit niſi malum, quod hîc tu fateris. Eſt igitur aliquid quod agit aliquid: nec eſt oppoſitum in adjecto. Quemadmodum enim liberos homines diſtinguimus à ſervis, qui pariter bello capti ſunt, non quod jam ſint ſuæ poteſtatis, ſed quod nati ſint ingenui, & ſi poſſint victorum manus effugere, redeant in naturalem libertatem: Sic homo conditus eſt, ut haberet liberum arbitrium: id tyrannus Satanas captivum abduxit, gratia reſtituit & auget. Nec rejicio ſophiſticam diſtinctionem de qualitate hominis naturali, qua aptus eſt rapi à Spiritu, modo illud addas, qua aptus eſt & agere cum agente Spiritu. Ea qualitas, ſi, ut dicis, non eſt in beſtiis, ſed tantum in hominibus & Angelis, agamus gratias Deo qui nos hîc à beſtiis ſegregatos Angelis æquarit. Vides hîc non eſſe oppoſitum in adjecto. Poteram autem tibi objicere titulos ſepulchrorum, *Hic ſitus eſt Annibal*, cum illic non ſit *Annibal*. Hoc ſatis erat ad excuſandum abuſum vocabuli. Nunc vide quomodo me ſtringis: *Nihil efficit ſine gratia, igitur nihil omnino facit cum gratia.* Hiccine laqueus eſt, quo me capis? An Latinis *inefficax* ſonat; quod prorſus nihil agit? An idem declarant *facere* & *efficere*? Pharmacum *efficax* dicimus, non quod aliquo modo movet corpus, ſed quod perficit id cui fuerat deſtinatum: rurſus *inefficax*, non quod nihil egerit in corpore, ſed quod impar fuerit pellendo morbo. Audis vulgo conquerentes, quod cum omnia fecerint, non effecerint tamen quod volebant. Proinde non eſt nova ſignificatio vocis hujus, ſed à Priſcis hucuſque obſervata. *Quid*, inquis, *eſt vis inefficax, niſi prorſus nulla vis?* Ut hîc nos doces Latine loqui, ita in diſputatione ſatis cum ſupercilio negas Latine dici, *nihil agere* qui ſumit operam inanem, quia ſic expediebat tuæ cauſæ. Quid igitur ſibi vult apophthegma *Catonis*, qui dixit ſatius eſſe otioſum eſſe quam nihil agere? quid *Seneca*, cum ſcribit maximam vitæ partem elabi nihil agentibus? Ita-ne nulla vis eſt pueri trahentis magnam navem, quam citra auxilium robuſtioris movere non poſſet? Omnino vis eſt aliqua, ſed inefficax, ſimul agens cum robuſto trahente, cum ſola non poſſit efficere quod vult. Hîc ſcilicet viceris, ſi tibi largiar, liberum arbitrium abſque gratia non poſſe dici liberum arbitrium: ſi largiar liberum arbitrium non poſſe accipi pro naturæ habitu, capaci gratiæ divinæ: denique ſi largiar, inefficax nihil aliud ſonare, quam quod omnino nihil facit. Hæc eſt illa tua violenta victoria. Mihi magis videtur precaria, perinde quaſi quis dicat hoſti: Jugulabo te tuo gladio, modo abjicias clypeum, & ne punctim ferias. Res ipſa loquitur, *Luthere*, quantum abſis ab illa tua pollicitatione. Quid ſupereſt, niſi ut canas omnium palinodiam, deſinaſque meæ Diatribæ contra jusjurandum faceſſere negotium? Si me ſic teneres ut hîc te teneo, quis ferret tuos triumphos? Sed alias vacabit triumphum agere. Nunc currendum ad reliqua.

Quod

Digitized by Google

Quod contendis ſoli Deo tribuendum liberum arbitrium, eo quod ſolus efficiat quæcunque vult, fateor in aliquo ſenſu verum eſſe, & tamen non eo dubitamus Angelis tribuere immortalitatem, quod ſolus Deus dictus ſit immortalis, nec veremur hominem appellare bonum aut ſapientem, quod ſolus Deus dicatur bonus aut ſapiens. Non enim libet hîc tecum argutari, ſi pugnant inter ſeſe liberum arbitrium & neceſſitate duci, cum Dei voluntas nihilo magis ſit mutabilis quam ipſe Deus, nemo magis agit omnia neceſſario quam Deus, qui ſi poteſt aliud eſſe quam eſt, poterit & aliud velle quam vult. Rurſum ſi hujus voluntate metiris omnes hominum actiones, facis omnes æque neceſſarias, quas nunc vis eſſe contingentes. Deinde ſi liberum arbitrium dici non poteſt, quod ex ſuis viribus nihil efficit, ne arbitrium quidem dicetur, quando pro ſuo arbitrio dicitur agere qui libere facit quod vult, neque minus erit oppoſitum in adjecto, cum dicitur liberum arbitrium inefficax, quam cum tu vocas ſervum arbitrium. Ubi ſervitus eſt & captivitas, ibi nec arbitrium eſt. Quid quod ne voluntas quidem proprie dicetur, quæ nihil eligit, nihil expetit, nihil agit. Quanquam per me quidem licebit aliam vocem huic rei tribuere. Nec ad me pertinent quæ hîc congeris de lapidatione, ſi nominemus liberum arbitrium, cum illi tantillum virium tribuamus. Qui bene docet apud populum eſſe liberum arbitrium, ſed inefficax abſque Dei gratia, non meretur lapidari. Sed ſic eſt tuum ingenium, nihil loqueris abſque tragicis hyperbolis, quod genus ſunt & illa, de vehementia ignis tartarei, & de vi Angelica ſive Divina. Nec alia re magis ſtudes videri ſolus doctus quam paradoxis & hyperbolis, cum nihil ſit accommodatius ad ſeditionem.

49. Nec video tamen quid fuerit opus frigidis illis ſimilibus de mendico, qui dicatur locupletiſſimus, quod Rex illum poſſit locupletare, & de homunculo imbecillo, aut ſi mavis lumbrico, qui dicatur Dominus cœli & terræ, ſi Deus illi donare velit, ita tu, ne recedas à tragicis. Nos de habitu naturali loquimur, qui tametſi fuit oppreſſus vi, tamen conditionis vocabulum retinet. Denique ſi te tantopere offendit liberi arbitrii nomen, quod nihil efficiat ex ſeſe, tolle ſimul & arbitrii & voluntatis vocabulum, quandoquidem non eſt arbitrium, ubi nihil potes tuo arbitratu: nec eſt voluntas, quæ per ſe nihil efficit, ut tu argumentaris. Et multo frigidius eſt quod adfers de titulis Principum, qui ſtulte titulos ſibi vindicant earum Regionum, quas alius poſſidet. Hæc collatio ſi quid valet, adverſum te valet. Omnino, *Luthere*, in hoc capite friges totus, etiamſi tibi *μάλα ὑπερβολικῶς ὑπερβολῶς* videris induxiſſe vim ignis tartarei. Hæc comparatio magis quadrabit: Hic habet ingenium feliciſſimum ſi careret febri. Quanquam quod ais de igni, quem non pateris ignem dici ſi non urat, non tam verum eſt quam aſſeris. Niſi forte ignis non erat, quo refocillabantur tres pueri in fornace *Babylonica*, & niſi vana eſt illorum opinio, qui putant primam cauſam in omnibus naturæ rebus principaliter agere, adeo ut miraculum eſſe negent ſi non urat ignis, aut ſi non luceat Sol, niſi
50. quod præter ſolitum accidat. Tandem factus civilior, permittis nobis ut utamur liberi arbitrii vocabulo in rebus inferioribus, quæque non pertinent ad ſalutem, velut in poſſeſſionibus. Atqui in tua aſſertione doces adeo nullum eſſe liberum arbitrium, ut ne feſtucam quidem moveamus è terra, niſi abſoluta neceſſitate, & hîc quoque confirmas arbitrium quod habemus in rebus inferioribus Dei nutu regi. Nimirum eadem temeritate concedis dici liberum, quod pendet ab alieno nutu. Si liberum arbitrium prorſus eſt nomen inane, & ſi neceſſitate abſoluta geruntur omnia, cur hîc immutabilem Dei voluntatem ſubjicis hominum arbitrio? Sed hæc alias. Tandem poſt longas ambages diſputationem tuam redigis in compendium: *Si tua*, inquis, *præfatio de verbis Dei loquitur, tota impia eſt: ſi de verbis hominum, tota fruſtra ſcripta eſt.* Ad hoc ita

A reſponſum eſt, ut oſtenderem vitioſum eſſe tuum dilemma, cum ſint quæ neque prorſus ſint verba hominum, neque verba Dei, ſed interpretationes verbi Dei, de quibus aliquando dubitare fas eſt, aut quæſtiones ex Dei verbis erutæ, in quibus multis modis peccatur: vel quia ſcrutatio progreditur altius quam opus eſt, vel quia natura quæſtionis eſt ejuſmodi, ut plus conducat ad diſcordiam quam ad pietatem: qualis eſt illa, in opere bono, quod eſt libero arbitrio commune, utra cauſa ſit principalis aut ſecundaria, gratia an liberum arbitrium: & pronuntiatur quantum ad eſſe ſubſtantiale, principale eſt liberum arbitrium, quantum ad eſſe meritorium, principalis eſt gratia: vel quia vocatur in
B dubium, quod jam Eccleſiæ conſenſu receptum eſt, vel quia diſputantur ubi non oportet, neque quemadmodum oportet. Nec enim damno diſquiſitiones moderatas hujuſmodi quæſtionum inter eruditos, ſed vulgus arceo ab hujuſmodi conflictationibus. Veluti non expediret apud populum diſputari quæ diſputat *Thomas* de ſimplici ſtupro, an ſit peccatum capitale, diſſerens argumentis ad utramque partem facientibus. Hæc ita habere declarat mea clauſula, qua finio totam hanc diſputationem: *Proinde tales materias fortaſſe tractare licuerit in colloquiis eruditorum, aut etiam in Scholis Theologicis, quanquam ne hic quidem expedire putarim, ni ſobrie fiat. Caterum hoc genus fabulas agere in*
C *theatro promiſcuæ multitudinis mihi videtur non ſolum inutile, verum etiam perniciоſum. Malim igitur hoc eſſe perſuaſum, in hujuſmodi labyrinthis non eſſe terendam etatem aut ingenium, quam* Lutheri *dogma vel refellere, vel aſſerere.* Audis, *Luthere*, theatrum promiſcuæ multitudinis, audis non eſſe terendam ætatem, & dubitas quid ſentiam? Nec interim impingo tibi, quod tu rem ab Eccleſia definitam revocas in contentionem. Et ſi maxime loquutus eſſem de verbo Dei, reſpondi & in hoc peccari, ſi ſecus quam oportet diſpenſetur. Quanquam nobis non cum verbo Dei res eſt, ſed cum tuis interpretationibus & aſſertionibus. Nec hîc habes quicquam quod mihi jure objicias, niſi quod civi-
D lius tecum ago quam res poſtulabat. Hæc cum ſint evidentiora quam ut negari poſſint, nimirum intelligis quantum verborum, quantum dilemmatum, quantum dicteriorum, quantum impietatis & blaſphemiarum incaſſum effuderis. Ego vero tua dogmata non appello fabulas, ſicuti calumniaris, ſed ajo eos, qui tales quæſtiones ancipitibus argumentis tractant apud imperitam multitudinem, eſſe ſimiles hiſtrionibus, qui fabulam ſaltant apud populum promiſcuum, non omnibus accommodam. Nec es tam rudis Latini ſermonis, ut non intellexeris quid ſentiam, ſed ita tibi propoſitum erat, quemadmodum *Midæ* quicquid attigiſſet vertebatur in aurum, quicquid nanciſci poſſes vertere in ca-
E lumniam. Sperabam jam animum iſtum tuum ſaltem exſaturatum convitiis, ſed modus nullus, omnia loquor inepte & ignoranter, quod meminerim Linguæ, quam habet peculiarem ſacra Scriptura ſimul cum tropis. Et tu, qui nihil non apte dicis, ſed ſcienter omnia, ſic interpretaris mea dicta, quaſi coner oſtendere Scripturarum obſcuritatem ex tropis, cum longe aliud agam: videlicet ut quemadmodum divina ſapientia ſermonem ſuum attemperat ad affectus captumque noſtrum, itidem diſpenſator divinæ Scripturæ ſuam linguam accommodet ad utilitatem auditorum. Si clamas hoc eſſe Rhetorum commentum, audi mea verba, ſi habent:
F *Non quod hujuſmodi mutationes cadant in naturam Dei, ſed quod ſic loqui conveniebat infirmitati tarditatique noſtræ. Eadem prudentia decet iſtos opinor, qui diſpenſandi ſermonis divini partes ſuſceperunt. Quadam ob hoc ipſum noxia ſunt, quod apta non ſint.* Hæc verba tam dilucida cum habeat mea Diatriba, vide quam apte, quam ſcite nobis hîc ingeris calumniam de Scripturarum obſcuritate. Quanquam quis hoc tibi conceſſerit, tropos in Litteris divinis nihil habere obſcuritatis, ſi modo adſit Grammatica, cum in Geneſi paſſim torqueant tropi, & in allegoriis Prophetarum tantopere

Digitized by Google

ſudent eruditiſſimi viri? Exagitas & illud quod ſcripſi, *ſatius eſſe, ſi apud imperitam multitudinem cum* Paulo *nihil ſciremus niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum*, rideſque nos ſi credamus *Paulum* apud *Corinthios* nihil aliud docuiſſe niſi has ſyllabas, *Chriſtus eſt crucifixus:* quæ ſi alius, *Luthere*, diceret, merito cavillator vocaretur. Sed quam es hîc inepte ſalſus, tam in altero es impudens aſſertor, contendens *Chriſtum* crucifixum omnia retruſa, omnes quæſtiones, omnia tua dogmata complecti, omnes Chriſtianos eſſe perfectos, quos non oporteat quicquam celari myſteriorum, ſed Judæos eſſe pueros, ab his recondenda myſteria. Si Chriſtianis veluti perfectis nihil eſt celandum, cur *Paulus* ait ſe habere ſapientiam, quam loquitur inter perfectos occulte, cujus non putet *Corinthios* eſſe idoneos auditores, quod adhuc eſſent carnales, cur non omnibus Chriſtianis communicavit ea quæ audivit raptus in tertium cœlum? Cur *Galatas* fovet lacte, differens ſolidum cibum? Atque hîc rurſus oblitus es quod ante docuiſti, verbum Dei eſſe prædicandum omni creaturæ, nunc fateris Judæos non eſſe capaces hujus ſapientiæ, nec prædicandam niſi inter Chriſtianos. In altero tibi repugnas, in altero fortiter aſſeveras quod nemo crediturus eſt, videlicet quod quicunque docet *Jeſum* crucifixum, ſimul doceat, quicquid de libero arbitrio, de præſcientia, de futuris contingentibus, de neceſſitate rerum omnium diſſeritur. Similiter & in tertio reclamabitur tibi, cum ais omnes Chriſtianos eſſe perfectos.

51. Poſt hæc in ipſo diſputationis veſtibulo, mira copia, parique vehementia, tractas quod à vobis cupiebam doceri, quibus argumentis nobis poſſit fieri certa fides, te cum paucis vera docere, cum cæcutierint tot Eccleſiæ Doctores, tot Academiæ, tot Concilia, & tot Pontifices, &c. cum Scriptura ſit utrique parti communis. Hunc nodum utinam poſſis recte diſſolvere! Nam id ſæpenumero tentavi cum tuis, neque quenquam adhuc inveni qui potuerit. Fateor ingenue, torſit hic ſcrupus ſerio animum meum: & ſi cupis, ut dicis, cariſſimum fratrem lucrifacere, nihil prius eſt faciendum, quam ut hanc remoram amoliaris, patiar convitiorum tuorum colaphos & alapas, modo præſtes quod cupio. Longum ſit hic repetere meam orationem ſuper hac re, relegat qui volet locum in Diatriba. Nunc vide quam non abſolvas quod miro calore ſuſcepiſti. Statim calumniaris, quod præfatus me in hac diſputatione non uſurum Orthodoxorum aut Conciliorum præſidiis, ſed tantum auctoritate Scripturæ divinæ, quo vitem fruſtraneum laborem apud eos qui nihil admittunt præter ſacras Litteras: ingenue fateor eſſe verum. Nec utor illis, niſi forte alicubi in enarratione Scripturarum: nam meam expoſitionem protinus rejeciſſes, prius quam audiſſes totam. Præterea quod non judicem eos Scriptores prorſum inutiles ad judicandam cauſam, non inficior. Ut enim primam auctoritatem tribuo Litteris divinis: ita non adſpernor ſi quid tanti viri contulerunt ad intelligentiam ſacrorum Voluminum, etiamſi non neſciam, illos ut homines alicubi labi. Nec video cur iſta putaris dicenda, niſi forte hoc credis impium ac blaſphemum aliquid tribuere Doctoribus, quibus tantum auctoritatis tot jam ſeculis detulit Eccleſia Catholica, quorum teſtimonia ne tu quidem gravaris citare quoties commodum eſt. Cæterum quod eam collationem ad te totam proprie trahis, inique facis, cum ego te nominatim exceperim, ne viderentur in te omnia dici, quæ dicebantur in quoſdam mihi propius notos. Numero, dignitate, & auctoritate, atque etiam tempore, vos inferiores eſſe, res ipſa loquitur. Eruditionem, ingenium, ſpiritum, ſanctimoniam ſic illis tribui, ut vobis non detraxerim: & odioſam morum vitæque comparationem vitavi, ne quem offenderem. Quare nihil ad rem attinebat hîc te meminiſſe vitæ tuæ, cum ego vitam tuam ne verbo quidem unquam attigerim. Nec ſum tam impudens, ut hominis ignoti vitam inſecter, nec tam inci-

A vilis, ut ubi de dogmatibus eſt contentio, vitæ ſordes ac domus latebras in medium adferam, etiamſi qua ſcirem reprehendenda. Sic & alias deprecaris avaritiæ gloriæque ſuſpicionem ὑπολογούμενος, cum nullus accuſet. In iſtis enim patiar te Deo cauſam dicere, cui ſtas aut cadis. Quod ſi nominis ſplendor, ſanctimonia, dignitas, auctoritas eorum, quos tibi oppono, ſic aliquando movit animum tuum, ut itidem eſſes affectus atque ego nunc ſum, planeque deſperares poſſe labefactari tot modis communitam auctoritatem, tanto debes æquior eſſe mihi, qui ut minus ſapio, ita minus audeo. Teque obſecro, ut oſtendas nobis, quibus rationibus iſtum ſcrupum tibi ipſi ex animo excuſſeris, tantamque conceperis fiduciam. Tu quidem appellas judicem Deum, teſtatus ſinceritatem tuæ conſcientiæ: verùm hoc agebam, ut indicares unde nobis conſtare poſſet, eſſe vera quæ tui ſibi arrogant, præſertim cum videamus eos qui pari contentione ſibi vindicant ſpiritum, tantis de rebus tam atrociter inter ſeſe diſſentire. Qui facile credit levis eſt corde: meritoque in nobis deſiderares virilem conſtantiam, ſi temere deficeremus ab univerſa Eccleſia Catholica, niſi res eſſet nobis certiſſimis argumentis comprobata. Alioqui metuere debebas, ne parum firmos haberes diſcipulos, ſi tam facile relictis Doctoribus priſcis, in tuam ſententiam iremus. Nec enim hiſce commoveor convitiis, *Nihil es niſi vox.* &, *Quid autem ſit oſtenſio ſpiritus, quid miracula, quid ſanctimonia, hec tria ſi à te requiram, quantum ex litteris & libris te novi, imperitior & ignorantior videris, quam ut una ſyllaba queas oſtendere:* modo tu ſcientiſſimus omnium doceas nos quod ſcire cupimus. Sed videris mihi, *Luthere*, ſimilis plagoſis quibuſdam litteratoribus, qui cum teneram ætatem erudiendam ſuſceperint, cædendo, jurgando, convitiando bonam temporis partem conſumunt. Per tuam omniſcientiam, ut videtur, non licebit uti receptiſſimis vocabulis, adeo ut nec ficus liceat appellare ficus, nec ligonem ligonem. Et arbitror te tam ſcite definiturum quid ſit ſpiritus, ſanctimonia, miracula, ut declares in Eccleſia nec eſſe ſpiritum, nec ſanctimoniam, nec miracula.

Quomodo Apoſtoli declararint ſpiritum ſuum, non cognovi niſi ex Actis Apoſtolorum, & ex Euangelio, niſi quod in illorum litteris videtur mihi ſpirare fragrantia quædam ſancti Spiritus, quam in multorum ſcriptis non invenio. Ex iiſdem litteris cognovi miracula ab Apoſtolis edita, & lego ſequentibus ſignis à Deo confirmatum illorum ſermonem. Nec aliis veſtigiis deprehendo ſpiritum, ſanctimoniam & miracula, in aliis probatis viris. Spirat quiddam in illorum libris longe infra Apoſtolos, quod ſpiritum & ſanctimoniam illorum declarat. Deinde vitam & miracula didici ex hiſtoriis, quarum auctoritatem apud me confirmat Eccleſiæ conſenſus, qui memoriam illorum tam religioſe colit. Adverſus tot argumenta, non multum habet ponderis proverbium in Scholis jactatum, *Multos in terra pro ſanctis haberi, quorum anima ſunt in inferno.* Hoc dictum cum tu è trivio hauſeris, tamen mihi paulo ante exprobraras, quod multa loquar ex uſu & publicis ſermonibus accepta, quæ mire frigeant, ſi ad judicium conſcientiæ vocentur. Atqui illud agebatur, ut quoniam nobis, quibus non eſt donata diſcretio ſpirituum, non conſtat de veſtra conſcientia, ratio quædam oſtenderetur, quo poſſimus tuto fidere veſtræ doctrinæ, rejecta ea quam tanto conſenſu ſequutus eſt orbis Chriſtianus, à tam multis, tam doctis, tam celebribus viris traditam. Ex hoc nodo multis modis conaris elabi. Primum negas quenquam Veterum edidiſſe miracula in nomine liberi arbitrii, ſed in nomine *Jeſu Chriſti.* Atqui paulo ante nos docueras, hoc nomen *Jeſu Chriſti* complecti etiam hæc dogmata quæ, tu nunc doces. Unde conſequitur, ut quiſquis edidit miraculum in nomine *Jeſu*, credens cum illius gratia ſimul operari liberum arbitrium, in nomine liberi arbitrii miraculum ediderit. Nec ego doceo liberum

Digitized by Google

rum arbitrium non esse spiritus, sed humanum quiddam: quin potius arbitror Apostolos inter perfectos docuisse, esse liberum arbitrium, quod in nobis simul operetur cum gratia Dei, præsertim cum hanc sententiam ex ipsorum scriptis asserant eruditissimi viri. Aperis aliam rimam ad elabendum. Ais illos quantumvis spirituales aliquando ut homines juxta carnem sensisse. Non repugnamus: sed quod objicis est vobis cum illis commune, & redit comparatio, utris potius tribuendus sit spiritus, vobis an illis. Nec exigo à vobis miracula: sed cæteris paribus, argumentor illis potius habendam fidem qui miraculis claruerunt, quam qui nullis miraculis commendantur. Proinde non æquum facis, quod vicissim à nobis exigis miracula. Neque enim nos sumus hujus novi dogmatis auctores, sed eorum auctoritatem sequimur, qui sanctimonia miraculisque celebres sunt. Proinde nihilo verecundius à nobis exigis, ut miraculis asseramus liberum arbitrium, quam si quis exigat à Theologis, ut miraculis approbent Evangelii veritatem. Satis enim est hoc semel miraculis, & Orbis consensu fuisse comprobatum. Cæterum quod ludens ais, ab his qui asserunt exigi probationem, non ab his qui negant, & rursus adfers è Sophistarum aut Jurisperitorum Scholis proverbium, *Negativa nihil probat*: Primum respondeo, legem istam sophisticam in decretis Ecclesiæ nullum habere locum, nisi forte non compelleretur ad probationem, qui negaret *Christum* natum ex *Maria* virgine, aut negaret matrem ejus fuisse perpetuo virginem. Ad hæc tu non solum negas receptum dogma, sed asseris tuum. Perinde quasi quis ingressus fundum alienum, vi dejiciat eum qui à tritavo possedit, sic negans esse illius, ut asserat esse suum: an ab hoc non exigetur probatio? Imo jura favebunt possessori titulo præscriptionis, etiamsi quid defecerit in probatione. Si præscriptio quinquaginta annorum repellit vindicatorem, & constabilit jus possessoris, nos plus quam mille annis tenemus hoc dogma. Repellendus igitur eras, etiamsi tantum negares nostrum dogma: nunc tuum novum sic asseris, ut velis nos à tam vetusta possessione depellere. Et quando video te versari in rhetoricis, opinor te scire, in Anticategoriis quoniam intentio conjecturalis à reo retorquetur in actorem, ab utroque pariter requiri probationem: qualis est illa controversia inter cæcum & novercam, Occidisti patrem. Non ego, sed tu. Hîc fit uterque reus simul & actor, & ab utroque judex exspectat probationem. Itidem vos dicitis, Meum dogma pium est, vestrum autem hæreticum: nos totidem verbis regerimus intentionem. Vides quam inepte tibi arriserit proverbium illud, *Negativa nihil probat*. Denique sic loqueris, quasi nullus Veterum unquam probarit liberum arbitrium, cum ea res tot libris agitetur & hodie, nec ab uno. Variant, esto: sed in hoc consentiunt, quod liberum arbitrium sit aliquid, quod opitulante gratia nonnihil conferat ad salutem. At non admittis humanam probationem, sine miraculis & auctoritate sacrarum Litterarum. De miraculis jam dixi: testimonio Scripturarum & illi confirmant suam opinionem, sed illorum interpretationem rejicis. Verùm eodem jure nos possumus rejicere tuam absque miraculis. Proinde quod revolutus ad convitia jocosque, neque personæ quam geris, neque disputationi tam seriæ congruentes, provocas nostrum *Baal*, ut per liberum arbitrium vel unam ranam creemus, vel unum pediculum occidamus. Primum satis procaciter Deum Ecclesiæ, quem tot millia sanctorum adorant, qui statuerunt ac statuunt liberum arbitrium, *Baal* appellas, & tuæ congregationi verum Deum vindicas. Nec interim tamen quicquam adfers ad solvendam quæstionem.

55. Nihilo magis ad rem faciunt quæ congeris Capite proximo. Flagitas enim ut doceamus, quodnam opus bonum sancti fecerint vi liberi arbitrii, & hîc putas omnes nos futuros ranis & piscibus magis mutos. Cui non erit in promtu vicissim rogare, quod opus bonum in nobis agat gratia? Si nominaris, idem dicet fieri à libero arbitrio. Quod si mavis responsionem magis accommodam rei, nullus erit tam rudis aut infans, quin illico responsurus sit, Non hîc agitur de libero arbitrio miraculis asserendo aut abrogando: nobis enim pro miraculo est Scripturarum auctoritas, cum definitione Ecclesiæ. Quid igitur agitur? Hoc agitur, an constantis animi sit, deficere ab opinione, quam tot viri, sanctimonia miraculisque celebres, tradiderunt, deficere ab Ecclesiæ decreto, & animas nostras tuæ fidei committere, qui nuper cum paucis exortus es, cum nec tuæ congregationis proceres vel tecum vel inter ipsos consentiant: imo cum ne ipse quidem tecum consentias, qui in hac ipsa assertione aliud dicas in principio, aliud in progressu, *παλινῳδῶν* quod prius dixeras. Nam quod obiter arguis liberum arbitrium non esse rem spiritus, sed humanum inventum, ex eo quo initio confessus sum hanc quæstionem & ante *Christum* fuisse jactatam inter Philosophos, vides, opinor, quam frigida sit tua ratiocinatio. Mundum fuisse conditum docet *Plato* cum Poetis: an ideo Christiani non recte asserunt Mundum esse conditum, refellentes eos qui docent Mundum non habuisse initium? *Plato* docet animas supersesse à morte corporis, an ideo nobis non est idem asserendum? Philosophi docuerunt Deum esse mentem, summe potentem, ac summe bonam, quæ nusquam non adsit, cum nullo loco possit comprehendi, an non eadem pie asserunt Christiani? *Aristoteles* in Occonomicis docet inter maritum & uxorem oportere mutuam esse caritatem, ac perpetuam amicitiam, qua arctior inter homines esse non possit: an ideo *Paulus* male præcipit, *viri diligite uxores vestras?* &c. Aliaque sunt innumera, quæ nobis sunt communia cum Ethnicis Philosophis, nec id elevat auctoritatem dogmatum nostrorum, sed confirmat, quod illi per lumen naturæ nonnihil viderunt earum rerum, quas nobis tradit Scriptura divina. Sed non credimus Philosophis, nisi cum Scriptura consentiant. Fateor, & liberum arbitrium ex Scripturis asserimus, perperam, inquies, intellectis. Ergo de interpretatione contentio est. Tu necessitatem rerum omnium paulo ante probabas ex *Virgilio*, & liberum arbitrium, ideo non putas asserendum, quod à Philosophis tractatum sit?

56. Reliqua quanto copiosius prosequeris, quoniam nihil faciunt ad id quod proposueram, tanto plus verborum perdis. Exigis ut tibi præscribamus formam ac vim liberi arbitrii, quid sit, quid possit, quid agat. Atqui jam ante confessus es omnia fuisse prodita Sophistis, quid sit, quid valeat, quid agat, quomodo habeat, &c. Videlicet ita postulabat tua rhetorica, ut ibi in odium mei laudares Sophistas, quos cum nusquam non appelles impios ac blasphemos, ibi negas illos *βλασφημεῖν* quemadmodum ego facio. Si blasphemi sunt, si impii, si hostes Christianissimi, si cæci, cum dogma sit mihi cum illis commune, quomodo liberas illos blasphemia, quam in me criminaris? Nos cum Ecclesia descripsimus vobis liberi arbitrii naturam, vim & actionem, sed ea descriptio, quæ placet Ecclesiæ Catholicæ, tibi tuisque displicet: probamus ex Litteris sacris; sed nostra interpretatio tibi non placet. Tu necessitatem probas ex *Virgilio* & sacris Litteris, sed tua interpretatio non placet Ecclesiæ. Quomodo igitur nobis comprobabis tuum dogma? Stipulaberis à nobis, ne quid requiramus aut recipiamus præter Litteras sacras, sed sic ut tibi concedamus, ut eas tu solus interpreteris, submotis omnibus. Sic victoria penes te fuerit, si patiamur te non dispensatorem, sed dominum fieri divinæ Scripturæ. Porro quod hîc viris sanctis & Orthodoxis à me laudatis insultas, haud præter morem tuum facis.

57. Piget tantæ loquacitati respondere, cum extra causam dicantur omnia. Quando incipies aliquid dicere de tribus capellis? Absolve collationem nostram, & indica utris potius debeamus fidere, tibi, an tam augusto Senatui? Nostram orationem ferre non potes, qui

qui nihil ſim niſi vox, & nos *Archytæ* crepitaculum ſine fine feremus, tot ſupervacaneis, tot convitiis & inſultationibus radens aures noſtras? Rurſus hîc mihi impinguntur mea ſcripta. Admonui ut relictis humanis inventiunculis adeant fontes divinorum Voluminum, & nunc mihi contrarius, aliud facio quam doceo. Quî ſic? Quia ſcribo Diatribas, celebro decreta Pontificum, auctoritatem hominum jacto. In Diatriba non utor vel Pontificum, vel Conciliorum, vel Orthodoxorum auctoritate ad aſſerendum liberum arbitrium: & ſi feciſſem, aliquanto tolerabilius feciſſem, quam quod tu mihi libellum *Melanchthonis* citas, velut ejuſdem auctoritatis cujus ſint Scripturæ Canonicæ. Sed in hoc duntaxat induco collationem iſtam, ut nobis aperias, cur tibi potius credere debeamus quam illis. Proinde vides ipſe quam ſit impudenter vanum quod addis, me nihil intentatum relinquere, quo vos avocem à ſimplicitate pietatis Chriſtianæ. In Diatriba non meum, ſed Eccleſiæ dogma defendo, verum abſque præſidiis Eccleſiæ, & defendo è ſacris Litteris, non ut commentum hominum, ſed ut ſententiam divinæ Scripturæ. Et hujus vanitatis manifeſtiſſimæ adeo te non pudet, ut prioribus ſemper addas impudentiora. Sic enim ex aſſumtis falſis elicis concluſionem falſiſſimam: *Ex quo facile intelligimus*, inquis, *nec ex animo te iſta nobis conſuluiſſe, nec quicquam ſerio te ſcribere, ſed inanibus bullis verborum tuorum confidis te Orbem poſſe ducere quocunque vis. Et tamen nuſquam ducis, cum nihil prorſus dicas niſi meras contradictiones per omnia & ubique.* Hæc vere tua ſunt, *Luthere:* ante conſtitueras excuſare animum meum, nunc de animo meo pronuntias, quod ne illa quidem ex animo ſcripſi, quæ juxta tuam quoque ſententiam recte ſcripſi. Quid autem impudentius quam me velle ducere Orbem meis ſcriptis, qui ſemper ſolus eſſe volui, nec paſſus ſum ullam factiunculam mihi adjungi, id quod tu facis ambitioſiſſime. Nec hujus animi me pœnitet: malo, malo eſſe ovis gregaria, quam dux ſuilli aut hircini pecoris. Jam cum nihil dicam niſi meras contradictiones per omnia ſecula ſeculorum & ubique, tamen tu nondum vel unum locum proferre potuiſti, in quo non mihi conſtem. Hoc crimen non prius objicere debebas *Eraſmo*, quam tu reſpondiſſes iis, qui tuas contradictiones plurimas, è tuis ſcriptis decerptas, tibi libris editis ingerunt. Addis: *Ut rectiſſime dixerit, qui te ipſiſſimum Proteum aut Vertumnum appellavit.* Nonne ſciebam futurum, ut ex maledicis libellis aliquid mutuareris in me jaculandum? Et tamen is, quem tu, ut conjicio, dicis rectiſſime dixiſſe, tuo *Philippo* viſus eſt furere cum illa ſcriberet, quod litteris quoque ſuis teſtatus eſt. Et ſi rectiſſime dixit ille, tu peſſime dicebas, cum me ſummum in Theologia faceres. Sed nihil eſt miri, ſi tibi ex ſummo Theologo nunc factus ſum *Vertumnus*, cum idem qui tum tibi ſcribebar hircus inſignis hærens in vepribus, nunc factus ſim porcus de
58. grege *Epicuri*. Poſt hæc ridicule repetis nobis noſtram affirmativam, & veſtram negativam, de qua jam ante dictum eſt, noſque vocas inſaniſſimos, qui dogma de libero arbitrio poſtulemus à vobis admitti, non ob aliud, niſi quia à multis, magnis, & antiquis ſit aſſertum. Quid fingi potuit impudentius, cum ego profitear me in Diatribæ conflictu ceſſurum, niſi teſtimoniis Scripturarum probaro quod aſſero. Ac rurſus hîc ſatis procaciter inſultas Græcis Orthodoxis, quibus miro lemmate adimis omnem auctoritatem, videlicet, quod ſancti nonnunquam enarrarint ut homines, & oſtendis periculum ne quoniam *Petrus* fuit ſanctus, credamus illum recte monuiſſe Dominum ne pateretur. Sic diſputat, qui nihil non ſcite, nihil non apte dicit. Pulchre ſcilicet *Petrus* adhuc Judæus confertur cum *Petro* jam Spiritu Sancto afflato. Et quomodo videri poſſit hoc recte dixiſſe *Petrum*, *abſit hoc à te Domine*, cum mox reprehenſus ſit à Domino? *Vade retro*, &c.

59. Et velut hæc tam ſcite dicta non ſufficiat propoſuiſſe ſemel, addis proximo Capite: *Qui citant veterum ſanctorum opiniones ſimiles eſſe his, qui ridiculi gratia garriunt non omnia eſſe vera quæ ſunt in Euangelio, adferentes illud ex* Joanne: *Nonne bene dicimus nos, quod Samaritanus es & dæmonium habes?* & rurſus: *reus eſt mortis.* Quo ruis, *Luthere*, aut quid tibi vis cum iſtis tuis vere blaſphemis comparationibus? Qui citat aliquid ex eorum libris, quorum memoria tot ſeculis ſacro-ſancta eſt Eccleſiæ, quorum ſcripta publicitus leguntur in templis, nihilo rectius facit quam qui ſcurrantur, Judæorum impiorum dicta citantes ex Euangelio? Quoties autem tu quoque citas *Auguſtini Gregoriique* teſtimonia? Quî minus hæc tua comparatio quadrat in te quam in nos? An in his, quæ pro te faciunt, loquuti ſunt ex Spiritu, in his, quæ contra te faciunt, ſecundum carnem? Ne poſtula igitur, ut in cauſa liberi arbitrii proſit tibi quod *Auguſtinus* toties abs te ſtat (ut jactas, quanquam hoc mox falſiſſimum eſſe docebimus) ne tuam comparationem in te retorqueamus: aut ſi in totum adimis illis auctoritatem, deſine abuti illorum teſtimoniis, ſi multa pie, ſi multa præclare dixerunt, tametſi lapſi in nonnullis, permitte nobis, ut quæ bene dicta ſunt utamur, quod juris & vobis ſumitis. Sed jubes ex illorum libris eligi meliora, prætermiſſis his, quæ juxta carnem loquuti ſunt. Elegimus meliora, vos item elegiſtis meliora, ſed nos ea dicimus meliora, quæ conſentiunt cum dogmatibus Eccleſiæ, vos quæ faciunt pro veſtris dogmatibus. Quis hîc litem dirimet, utri melius eligant? At hoc inquirebat mea comparatio, ad quam tu nondum quicquam reſpondes, nec videris omnino reſponſurus. Nec tibi videris hactenus ſatis debacchatus in Doctores Eccleſiæ probatiſſimos, niſi divo *Hieronymo* impietatem, ſacrilegium & blaſphemiam impingeres, eo quod ſcripſit, *virginitas cœlum, conjugium replet terram.* Plane impium, ſacrilegum & blaſphemum eſt dictum, te depravante: *Quaſi*, inquis, *Patriarchis, Apoſtolis, & Chriſtianis conjugibus terra, non cœlum debeatur, aut quaſi virginibus Veſtalibus in Gentibus ſine Chriſto cœlum debeatur.* Quam nihil tibi frontis in detorquendo. An *Hieronymus* ibi loquitur de virginitate, quæ cœlebs eſt abſque *Chriſto?* An ſic inſanit ut talibus promittat cœlum? Rurſus an Patriarchas excludit cœlo, quod habuerint uxores? Quid igitur dicit? In hoc præfert ſanctam virginitatem ſancto conjugio, quod conjugium in hoc inſtitutum eſt, ut mortale genus creſceret & propagaretur, juxta illud: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram:* virginitas autem quamvis non augeat in terris hominum numerum, tamen doctrina caſtiſſimaque vita plurimos adtrahit, ac, ut ita dixerim, gignit cœlo. Unde & Dominus beatos pronuntiat, qui ſe caſtrarunt propter regnum Dei. Ex hoc numero fuerunt Apoſtoli, quorum ut aliquot legimus fuiſſe uxores, ita non legimus eos poſt ſuſceptum Euangelii negotium, uxoribus uſos fuiſſe. Eundem in tua diſputatione quam irreverenter tractas, eo quod ſcripſerit quædam Scripturæ teſtimonia apud *Paulum* pugnare quæ ſuis locis non pugnant. Hîc non ſatis eſt illum vocaſſe luſcioſum, ineptum, nugonem, niſi tandem exſecrareris illius os ſacrilegum. Etiamſi quid lapſus eſſet *Hieronymus*, poterat excuſari civiliter, & ſi non eſſet locus excuſationi, conveniebat errorem modeſte corrigi. Hoc, opinor, officium velles tibi præſtari ſi quid accidiſſet ſimile. Nunc ſciebas *Hieronymum* optime ſentire de *Paulo*, nec illud in eo criminari quod abuteretur teſtimoniis Scripturarum, ſed quod nihil eſſet reconditum in Scripturis, quod ille non accommodaret ad Euangelii comprobationem. Qui ſic debaccharis in *Hieronymum*, non pateris alios, quamvis civiliter abs te diſſentientes.

Jam quod dixeram non eſſe credibile, Deum tot ſe- 60.
culis diſſimulaſſe tam pernitioſum Eccleſiæ ſuæ errorem, ut nulli ſanctorum ſuorum revelarit, quod vos Euangelicæ doctrinæ caput eſſe contenditis, hoc modo refellis, ſophiſtam agens, ut dicas in nullo ſanctorum,

Digitized by Google

rum, aut in Ecclesia quicquam erroris fuisse dissimulatum, cum sancti non sint nisi qui aguntur Spiritu Dei, Spiritus autem non errat, cumque *Christus* cum Ecclesia sua maneat usque ad consummationem seculi: sed huc tendit tua ratiocinatio, ut intelligi velis, incognitum esse qui sint sancti, quæ sit Ecclesia, quin insuper illud conaris persuadere, sic Deum moderari res mortalium, ut ibi videatur esse sanctorum Ecclesia, ubi non est, contra ibi sit, ubi non videtur: Item semper habitos pro sanctis, qui fuerûnt impii, pro impiis habitos, qui fuerunt sancti. Sed hæc dum copiose declamas, quid aliud quam confundis ac subvertis prorsus omne judicium Ecclesiæ, & auctoritatem arrogas omnibus hæreticorum conventiculis? Negas consequi, si Deus passus est viros eruditissimos longa serie seculorum errare, statim & Ecclesiam errasse, illam, inquam, Ecclesiam, quam tu dicis occultam esse, nec ostendi posse. Unde igitur tibi constat, quod *Wiclevum* fuerit vir sanctus, & *Ariani* fuerint hæretici? An ideo sanctus est *Wiclevus* quod damnatus sit ab Ecclesia, quam tu Papisticam vocas? Eadem ratione dices & *Arium* fuisse sanctum, quod ab eadem Ecclesia damnatus sit. Hîc si provocabis ad Scripturas, quæro num defuerint *Arianis* Scripturæ. Non defuerunt, inquies, sed eas perperam interpretabantur. Sed unde nobis hoc constat, nisi quod illorum interpretationem rejecit Ecclesia, diversæ partis approbavit? Idem dici poterat de *Pelagio*, qui tibi quoque est impius hæreticus, non perinde, opinor, quod damnatus sit ab Ecclesia Romana, quam quod repugnet tuo dogmati. Verùm donemus fieri posse, ut generale Concilium sit ita corruptum, ut aut nemo sit qui Spiritu Dei agatur, aut si quis est, non audiatur, sed ex malorum opinione fiat Senatusconsultum, tamen probabilius est illic esse Spiritum Dei, quam in privatis conventiculis, in quibus fere deprehenditur spiritus Satanæ. Si non potest ostendi Ecclesia Dei, & tamen oportet esse aliqua certa judicia, tutius opinor publicam auctoritatem sequi, quam hujus aut illius opinionem, qui contemtis omnibus jactet suam conscientiam ac spiritum. Si satis est dicere, habeo Spiritum, credendum est igitur multis diversa nobis ingerentibus, cum vera non possint esse quæ dissonant. Quanquam ego non hoc agebam, an credendum esset, quicquid sancti docuissent, aut indubitatum esset quicquid Ecclesia definisset, sed æquatis cæteris, volebam hoc probabilius videri, quod à talibus viris probatum esset, & publica Ecclesiæ auctoritate confirmatum, quam quod hic aut ille de suo proferret. Nec tu tamen audes dicere, quod hic ab origine Mundi semper fuerit Ecclesiæ status, ut dicerentur populus Dei qui non essent: alii rursus essent, qui neque sancti dicerentur, neque populus Dei, sed sic proponis, quis scit? Si fateris nesciri, quid agit tua assertio, quæ Conciliorum & Orthodoxorum omnium auctoritatem rejicit, ac rescindit omnia fere Ecclesiæ decreta? Si nobis constaret in vestra Ecclesia esse Spiritum Dei, merito hanc rejiceremus cum vestra pugnantem. Nunc cum fatearis incertum esse ubi sint sancti, ubi sit vera Ecclesia, quæ non errat, aut incerti fluctuabimus, aut sequemur ea quæ veris sunt propiora. Quod autem me provocas, ut ex Papæ regno vel unum proferam Episcopum qui suo fungatur officio, aut unum Concilium, in quo sit aliquid decretum quod faciat ad Christianam Religionem, ac non potius ad profanas nugas de palliis, dignitatibus ac censibus: quod ad priorem partem attinet, ut fateor esse paucos Episcopos, qui vere agant Episcopos, ita quosdam proferre liceret, in quibus non desideres pii Præsulis officium, inter quos numero *Jo.* Episcopum *Roffensem*. Sed hunc protinus rejicies, quod in te scribat, & ideo nihil habebit ponderis tua rejectio. Nec est quod hîc clames me in gratiam illius scribere, nihil ab illo census vel accipio vel ambio, & in multis dissidet à meis opinionibus, nec meis studiis ita multum tribuit. Postremo quid illo tuo simili dissimilius: *Ciceronem Deus permisit errare in causa liberi arbitrii, ideo non est dissimile veri, si quis dicat, quod Deus permiserit doctissimos ac sanctissimos Ecclesiæ viros similiter errare.* Quid Deus revelarit Ethnicis Philosophis aut Oratoribus non excutitur in præsentia, sed quid fugerit illos, qui gustaverunt Spiritum Dei, & in divinis Litteris multos annos diligentissime sunt versati. An ideo non assequuti sunt, quia variant sententiis, aut quia disputant suspensa sententia? Sic nec vos consentitis in vestris dogmatibus. Et hîc dicis, *quis scit?* Verùm an ideo Christiani non constantissime credunt resurrectionem corporum, quod Philosophi summi vacillanter de ea disputant? Addis quod Deus sanctos suos abscondit, ceu nobile margaritum non objiciendum porcis, ne impius videat gloriam Dei: & tamen Euangelium dicit, *ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Si arbor bona juxta atque mala ex fructibus cognoscitur, est aliquod de piis & impiis judicium etiam in hoc seculo, licet certissima sint Dei judicia. Et hîc erat locus disputandi de comparatione fructuum, nisi decretum esset eam Camarinam non movere.

Hîc, *Luthere*, suspicor mihi rem esse cum rhetore, cujus modestiam utinam tu in omnibus tuis scriptis fuisses imitatus, longe pauciores abs te alienasses, aut, si tibi credimus, ab Euangelio! Tu nullum convitiandi modum nosti, neque quicquam omnino probare potes in eo qui refragatur tuæ sententiæ: hic tametsi in disputatione satis scurriliter deliciatur in Diatribam: *Quid agis mea Diatriba*, & *domina Diatriba*, tamen te moderatior est, nisi quod studuit observare decorum personæ quam sustinet. Quanquam quæ hîc disputat de sanctis, de Ecclesia, non multum faciunt adversum me, qui non pugnem adversus tuam sententiam ex illorum auctoritate, sed ex divinis Litteris. Cæterum posita rerum æqualitate, ex quibus tu judicari vis, & hominum sententia in æquilibrio nutante, quæro an aliquid momenti debeat habere Veterum & Ecclesiæ auctoritas. Hic erat scopus disputationis meæ, ad quem oportebat argumenta tua dirigere. Fateris esse Ecclesiam quam allego, fateris esse sanctos quos adduco, sed distinguis canonem caritatis quæ fallitur, & fidei quæ non fallitur, quæ distinctio huc tendit, ne quem credamus sanctum, nisi divinitus declaratum. Caritas credit omnes sanctos qui baptizati sunt, fides non item. Ut hæc ita habeant, tamen quoniam caritas, quæ sperat omnia, multis etiam argumentis confirmata credit orthodoxos Patres fuisse sanctos, in ancipiti re tantum habere momenti debet, ut in eos simus procliviores, qui tot seculis publico Orbis præjudicio commendati sunt, quam in eos, qui non alio nomine commendantur, nisi quod baptizati sunt. Itaque si vultis illorum auctoritatem nihil valere ad confirmandam opinionem, nec vestra, nec ullius omnino valere debet. Ad electionem meliorum jam respondi, quemadmodum ad Scripturæ testimonia, cum & electio sit utriusque partis, & interpretatio. Proinde nec illa cantilena ad me pertinet, qua dicis quosdam posthabito judicio confusa vorare omnia, aut perverso judicio meliora respuere. Ut tales aliqui sint, tamen non est tam male suspicax caritas, ut talem opinionem concipiat de proceribus Ecclesiæ, nisi si quod præscribunt, manifestam præ se ferat impietatem. 62.

Sed tandem accedis ad nodum quæstionis. *Si*, inquis, *abscondita est Ecclesia, si latent sancti, quid cui credemus? & ut tu argutissime disputas, quis nos certos faciet unde explorabimus spiritum? Si eruditionem spectes, utrinque sunt Rabini; si vitam, utrinque peccatores; si Scripturam, utrique amplectuntur. Sin Scripturam judicem facimus, hujus multis in locis incerta est interpretatio, & utraque pars Scripturam ad suum trahit sensum. Unde sequitur ut hîc Scepticos agamus, nisi quod tu*, inquis, *omnium optime facis, qui sic te dubitare dicis, ut veritatem quærere te & discere testeris, interim in eam partem inclinans quæ liberum arbitrium asserit, donec veritas elucescat.* Finge mihi nullum esse sensum genii aut phraseos: an mihi, *Luthere*, putas obscurum, quis 63.

hæc ſcripſerit? Non tam diſſimili voce ſunt pſittacus & coturnix. An tu unquam dicere ſuſtineres, *ut tu argutiſſime diſputas*, cui ignoranter & inſcienter dico omnia? An tu ſic loqui poſſes, *niſi quod tu omnium optime facis*, cum hactenus tam petulanter debacchatus ſis in *Eraſmum*, velut in *Scepticum* & *Scepticis* deteriorem, nimirum totum *Lucianicum* & *Epicureum*? Rurſus, poſſes tu dicere, *Neque nihil dicis, neque omnia:* qui ubique jactas me nihil dicere, neque quicquam adferre præter bullas & ampullas verborum? Verùm hæc quomodo ſe habeant, non ita multum refert.

64. Tandem explicaturus nodum, facis quod in Sophiſtis ſoles calumniari, inducis duplicem claritatem Scripturæ divinæ, item duplex judicium probandorum ſpirituum. Alterum eſt, quo quiſque ſingulari dono Dei illuſtratus, certiſſime judicat & diſcernit omnia dogmata: de quo *Paulus* 1. *Corinth.* primo: *Spiritualis omnia judicat, & à nemine judicatur.* Et hanc appellas interiorem claritatem Scripturæ divinæ. *Hoc*, inquis, *forte voluerunt qui tibi reſponderunt, omnia eſſe judicio ſpiritus decernenda.* Imo novi quendam, cui non crediderim hunc adeſſe ſpiritum, quem ſibi vindicabat, cum eum compererim certiſſimis argumentis mendaciſſimum ſimul & glorioſiſſimum, ac maledicentiæ inſatiabilis. Deinde non hoc ſenſit quod tu interpretaris: cum enim illi fuiſſem hactenus aſſenſus, ut hunc aut illum ſuus ſpiritus redderet certum, perrexi quærere, unde hoc mihi conſtaret, qui non haberem donum dijudicandi ſpiritus alienos: ita fieri, ut, quod tu quoque fateris, illius certitudo meam dubitationem non eximeret, ille revocavit diſputationem ad Scripturas: rurſus cum objicerem varias interpretationes, nihil aliud reſpondit quam Spiritus, Spiritus. Quare ſi tu potes hoc, quod aggreſſus es, diſſolvere, rem non mediocrem peregeris. Fateris igitur, hoc judicium nihil prodeſſe aliis, ſed tantum illi qui hoc ſpiritu præditus eſt. Alioqui phanaticis omnibus eſſet habenda fides, majore contentione jactantibus ſe habere ſpiritum, quam illi faciunt qui vere donum hoc ſingulare poſſident. Oſtendis igitur aliam Scripturæ claritatem, videlicet externam. Item externam Spiritus declarationem, qua pro aliorum etiam ſalute certiſſime judicamus de ſpiritualibus, deque dogmatibus omnium. Age, jam inhians exſpecto certitudinem iſtam. Addis hoc judicium maxime pertinere ad duces ac præcones verbi, quos arbitror vel Epiſcopos eſſe vel Theologos: qui ſi inter ſe concordarent in explicandis ſacris Litteris, haberemus quod certum ſequeremur: nunc noſtri præcones aliud docent quam tu, & tui ſic inter ſeſe diſſentiunt, atque adeo tibi fortiter reclamant. Ubi eſt igitur certum judicium, quo etiam in Eccleſia probamus aut improbamus dogmata ex ſacris Litteris, quæ regula eſt certiſſima, lux ſpiritualis Sole clarior? At ſentis, ac fateris ipſe te nihil agere, niſi hoc quod aſſumis, cum ſit controverſum probaris, teque id facturum polliceris. Age, ſequimur, ſi forte præſtes quod

65. promittis, certe cupimus. *Moyſes* dicit Deuteronomii XVII. de judicio deferendo ad Sacerdotes, *ſi qua difficultas inciderit, quam judices inter ſe variantes non poſſint explicare*, &c. *Quomodo*, inquis, *judicabunt de re controverſa ſecundum legem, niſi lex ſit externe clariſſima?* Reſpondeo duobus modis: primum, ſi lex fuerat externe clariſſima quibuslibet ſenſu communi præditis, cur ipſi judices non explicabant nodum, quos probabile eſt non ignoraſſe legem? nec ideo dicuntur variaſſe ſententiis, quod legem non tenuerint, ſed quod cauſa fuerit difficilis. Et ideo rejicitur ad Sacerdotes, tanquam legis peritiores. Altero modo ſic reſpondeo, *Moſen* non illic ſentire de difficultatibus, quæ exoriuntur circa quæſtionem liberi arbitrii aut ſimilibus, ſed de craſſioribus, quarum aliquot illic exprimit exempla, videlicet inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram. Porro quod adducis ad confirmationem argumenti tui, de legibus profanis, per quas lites componi non poſſent, niſi eſſent clariſſimæ, contra te facit: nam ut non inficiamur, per leges plurimas dirimi controverſias, ita manifeſtum eſt in legibus Principum plurimas eſſe tenebras. Alioqui quorſum attinebat tot annis cognitioni legum dare operam, ſi tam dilucidæ ſunt, ut unicuique ſint clariſſimæ qui Linguam teneat, neque careat ſenſu communi? Inanem igitur operam ſumſerunt, qui tot voluminibus conati ſunt legum difficultates explicare. Ineptiunt judices & ſenatus, qui nonnunquam annis aliquot fatigantur in unius cauſæ cognitione. Non recte dixit ille, qui juris nodos & legum ænigmata ſolvat. Nec valet tua collectio, ſi tanta lux eſt in legibus profanis, quanto major eſſe debet in Litteris, quæ pertinent ad æternam ſalutem. Primum major eſt rerum obſcuritas, quæ tractantur ſacris Voluminibus: deinde non impie dictum eſt cum ab aliis Orthodoxis, tum ab *Auguſtino*, cui tu non ſine cauſa multum tribuis, Deum obſcuritatem aliquam data opera reliquiſſe in ſacris Litteris, quo magis excitaret nobis ſcrutandi ſtudium.

Adducis ex Pſalmo XVIII. *Præceptum Domini lucidum* 66.
illuminans oculos. Sed præceptum dicit lucidum, non univerſam Scripturam, quæ etiamſi lucida eſt *Davidi* aut aliis afflatis Prophetico Spiritu, non ſtatim dilucida eſt omnibus qui tenent Grammaticam, & habent ſenſum communem, quod tu toties affirmas. Rurſum adfers ex Pſalmo CXVIII. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Accipio teſtimonium, ſi tales parvulos ſentias, qualis fuit *David*, & ſuper quos requieſcit Spiritus Domini: ſin de quovis qui ſciat Linguam, multo ſecus habet res. Rurſus quod citas ex *Eſaia* Cap. VIII. *Ad Legem magis & teſtimonium*, &c. non dicit Propheta nihil eſſe obſcuritatis in ſacris Voluminibus, ſed minitatur illis tenebras, qui conſulunt *Pythones* ac ventriloquos. Nam eodem in loco additur, *Nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem?* &c. Latebat *Chriſtus* in Lege, & tamen verba Legis non quibuslibet erant perſpicua qui ſciebant Hebraice, ſed à Scribis in Lege exercitatis petebatur conſilium ex Lege, veluti cum *Herodes* conſuluiſſet de puero *Jeſu*, ubi foret naſciturus. Iterum *Zachariæ* Cap. II. jubet populum ex ore Sacerdotis Legem requirere: *Pulcherrimus ſcilicet Angelus*, inquis, *qui nuntiet, quæ tum ipſi ſunt ambigua, tum populo obſcura.* Quin igitur vos *Zachariæ* monitis obtemperantes, legem requiritis ex ore Sacerdotum & Pontificum? Ad hæc quid erat neceſſe diſcere legem à Sacerdote, cum quivis è plebe, qui ſciret Linguam & haberet ſenſum communem, facile poſſet legem clariſſimam intelligere? Ergo qui jubet Legem requiri ex ore Sacerdotis, ſignificat eam non quibuslibet eſſe perſpicuam, ſed oſtendit idoneum Legis interpretem. Iterum ex Pſalmo CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis:* non tractat de perplexis quæſtionibus, ſed de præceptis recte vivendi, quæ prælucent & indicant, quid expetere, quid fugere debeamus. Et ſi maxime torqueas ad totam Legem, non quadrat in quemlibet Grammatices peritum quod quadrat in *David*. Hactenus ex Veteri Teſtamento, ſed qualia trecenta poſſis adducere: pergis ad Novum. Ad Rom. II. *Paulus* dicit Euangelium in ſanctis Scripturis promiſſum. *Qualis autem*, inquis, *teſtificatio ſi obſcura eſt?* Si nihil erat obſcurum in Prophetarum oraculis & figuris Legis, cur umbræ vocantur? Et cur lucem vocamus Euangelicam, niſi quod quæ figurarum involucris tegebantur in Lege, per Euangelium ſunt in apertum prolata? An ibi nihil erat de *Chriſto* prædictum, quod non omnibus eſſet clariſſimum, modo ſcirent Hebraice? Imo nec diſcipuli Domini poſt tot ſermones auditos, poſt tot viſa miracula, poſt tot notas & indicia, quæ de *Chriſto* Prophetæ prædixerant, intelligunt Scripturas, donec *Chriſtus* illis aperiret ſenſum, ut intelligerent Scripturas. Jam *Paulus* ad *Corinthios* de claritate *Moyſi Chriſtique* diſputans, tantum eminentis claritatis tribuit Euangelio, ut dicat, id, quod claruit in hac parte, de Lege loquitur, ne glorificatum quidem

Digitized by Google

dem fuiſſe. Quid quod data opera Deus voluit vaticinia de *Chriſto* non quibuslibet eſſe perſpicua? quemadmodum etiam in terris prædicari noluit ante mortem quod eſſet *Meſſias*, quod ſic expediebat ad peragendum humanæ ſalutis negotium. Cæterum ubi jam Apoſtoli nuntiarent ea eſſe peracta, quæ Prophetæ prædixerant, tum & Lex collata cum factis erat dilucidior, factumque eſt ut & Lex adſtrueret fidem Euangelio, & Euangelium illuſtraret Legis ænigmata. Nimirum hoc ſenſit *Petrus*, qui propheticum ſermonem ſimilem facit lampadi lucenti in caliginoſo loco, nec omnia reliqua facit tenebras, cum *Paulus* etiam Ethnicis Philoſophis tantum tribuat lucis, ut Deum, & hujus ſempiternam divinitatem noſſe potuerint. Omnis veritas lux eſt. Et ab illis plurima vera prodita ſunt, quæ cum Chriſtianorum dogmatibus conſentiunt. *Joannes* erat lucerna ardens, quod prædicaret verbum Dei. Eadem de cauſa *Paulus Theſſalonicenſes* Mundi luminaria vocat, quod verbum vitæ tenerent, at non ideo quicunque illorum ſciebat Grammaticam, intelligebat quicquid eſt difficultatis in ſacris Litteris. *Chriſtus* erat lux Mundi, ſed tamen in eo latebat divina natura: neque ſtatim nos aſſequimur quicquid eſt in *Chriſto*. Iſtiuſmodi teſtimonia ſexcenta poteras vel ex indicibus congerere, in quibus luminis mentio.

Sed his etiam frigidiora quæ ſequuntur: *Quid faciunt Apoſtoli, dum ſuas prædicationes per Scripturas probant, an ut nobis tenebras ſuas majoribus tenebris obſcurent? vel ut notius per ignotius probent?* Quando nobis hîc deſines ingerere Prophetas, Baptiſtas, & Apoſtolos, de quorum ſpiritu nemo dubitat, & quorum eſt ſacroſancta auctoritas? Illi quoniam habebant intus Spiritum magiſtrum, quod erat obſcurum in litteris Prophetarum explicabant. Nos de tuo tuorumque ſpiritu loquebamur, qui profiteris nihil eſſe in ſacris Litteris quod tibi ſit obſcurum, ſi modo Grammaticam teneas: exigebamuſque ut iſtius certitudinis tuæ faceres fidem, quod adhuc fruſtra conaris. *Chriſtus*, inquis, *apud Joannem, jubet Judæos ſcrutari Scripturas, de ipſo loquentes: quæ ſi obſcuræ ſunt, reddit illos ambiguos.* Imo ſi nihil habent obſcuritatis, quid ſibi vult illud verbum, *ſcrutamini?* Non enim dicimur ſcrutari Solem, qui eſt expoſitus omnium oculis, ſed quod abditum eſt ſcrutamur. Et tamen cum addit Dominus, *Illa enim de me loquuntur*, multum lucis addidit, indicans ſcopum prophetiæ. Sic in Actis docti monitique per *Paulum*, Scripturas cum his, quæ gerebantur ac tradebantur, conferebant, multa non intellecturi, niſi lucem hanc addidiſſet Apoſtolus. Nos igitur non fecimus eas obſcuras, ſed ipſe Deus ſic aliquam obſcuritatem illis ineſſe voluit, ut tamen eſſet omnibus ſatis lucis ad ſalutem æternam, ſi quis intendat oculos, nec deſit adjutrix gratia. Nemo negat certiſſimam veritatem in ſacris Libris, ſed ea nonnunquam figurarum & ænigmatum involucris obtecta eſt, ut egeat ſcrutinio & interprete, ſive quod Deus ſic voluerit exercere ſimul & excitare noſtram tarditatem, quemadmodum ait *Auguſtinus*: ſive quod jucundior eſt veritas & acrius afficit animos hominum, cum eruta fuerit, & per tenebras involucrorum nobis eluxerit, quam ſi fuiſſet oculis quorumlibet expoſita: ſive quod theſaurum illum ſapientiæ noluerit quibuslibet proſtitutum. Proinde nihil agis, unum aut alterum locum proferens, qui nihil habeat obſcuritatis. *Deus creavit cœlum & terram.* Hunc locum proponis ut nihil habentem obſcuritatis. Neque enim in verbis eſt quicquam tropi, vel ambiguitatis. Et tamen vides quam hîc quoque ſudarint interpretes, quid hîc dicat cœlum, quid terram, & an ordine crearit ſingula, an ſimul uno nutu omnia. His explicatis reſtat allegoriæ nubilum, ut *Hieronymus* vocat. Dices, ejuſmodi difficultatum cognitio non eſt neceſſaria ad ſalutem: idem ſibi volebat ſpecus Corycius, qui tibi ſtomachum movit, cum altius ſcrutamur divinas Scripturas quam neceſſe eſt, aut quam pro captu noſtri ingenii, tum humanæ mentis oculis occurrere tenebras, in quibus abſtruſa eſt æternæ ſapientiæ majeſtas, adoranda potius quam perveſtiganda, quod idem cum ipſe doceas aliis verbis, diſtinguens lumen gloriæ & gratiæ, me docente impium eſt, quod te docente pium. *Verbum caro factum eſt.* Quid apertius? Verùm nobis, quibus explicatum eſt myſterium, legat eadem verba *Demoſthenes* ſi reviviſcat, non intelliget. Ac nos quidem Filium Dei ſuſcepiſſe naturam humanam ſcimus & profitemur omnes. Et tamen multa tractantur circa hæc verba, quomodo ſolus Filius ſuſceperit hominis naturam, & quomodo divina natura per animam humanam in eandem hypoſtaſim adglutinarit ſibi corpus mortale, & quomodo ex guttula puriſſimi ſanguinis Spiritus Sanctus finxerit illud ſanctum corpuſculum, araneoli, ut ajunt, magnitudine, & an anima *Chriſti* ſtatim ut creata infuſaque eſt corpori, fuerit donata beatifica viſione, & an Deus potuerit illi plus impartire gratiæ quam impartiit. Hæc aliaque innumera exſiſtunt circa hæc verba, *Verbum caro factum eſt.* Idem dicis de articulis fidei, quos cum nemo non intelligat, hauſimus ex ſacris Litteris, utique clariſſimis, alioqui quî poſſumus eos certo vel credere vel docere? Addis, *quid faciunt qui adhuc hodie ſacras Litteras prædicant, eas interpretantes ac declarantes? Quæ ſi obſcuræ ſunt, quis nos certos facit, ipſam eorum declarationem eſſe certam? Alia nova declaratio? Quis & illam declarabit? Ita fiet progreſſus in infinitum.* Hæc tu, *Luthere*, ſatis declamatorie, verùm ſi quod doces, ad ſacram Scripturam non opus eſt, niſi Grammatica, quid neceſſe eſt audire Prædicatorem declarantem, & interpretantem? Satis erat populo, qui ſacros Libros non habet, Prophetam aut Euangelium prælegere, nec aliud quicquam explicare, quam ſi quid forte difficultatis lateat in vocibus. Quod ſi urgeas, quid faciant præcones Euangelii: Dicam: Frequenter ex iiſdem verbis, ut tu vis videri, clariſſimis eliciunt diverſas ſententias, quaſi ex eodem ſilice hic ignem excuteret, ille aquam. Nec eſt quod hîc reclames, hoc à Papiſtis & Sophiſtis carnalibus fieri, faciunt hoc tuæ communionis præcones, qui non minus conſtanter ſibi ſpiritum vindicant quam tu. Si ſacra Scriptura eſt undiquaque clariſſima, unde hæ tenebræ inter vos, unde tanta de ſenſu Scripturæ digladiatio? Tu probas è Litteris arcanis in Euchariſtia eſſe corpus Domini naturaliter: *Zwinglius*, *Oecolampadius* & *Capito*, ex iiſdem Litteris docent eſſe tantum in ſigno. Hoc erat caput hujus diſputationis, ut nos faceres certos, te unum veriſſima clariſſimaque docere, in quibus hactenus hallucinati ſunt orthodoxi Patres, hallucinati ſunt Eccleſiæ proceres, quorum judicium ſi non pateris uſquequaque certum haberi, certe patieris talium virorum judicio tantum eſſe ponderis apud nos infirmos, ſimplices & imperitos, quantum eſt tuo aut *Wiclevi*. Quod ſi tibi jus ſumis, Eccleſiæ decreta quoties commodum eſt reſcindendi, permittes & illi viciſſim ut par pari referens tua reſcindat ac damnet. Et ſi putas æquum ut cum tot Orthodoxis cedat Eccleſiæ ſenatus totus tibi novo Prophetæ ſurgenti, cedere debes & aliis qui poſt te ſurgunt. Hæc argumentando tantum dicta ſunto. Sed perſequar orationis tuæ curſum. *Si Scriptura*, inquis, *obſcura vel ambigua eſt, quid illam opus fuit nobis divinitus tradi? An non ſatis ſumus obſcuri & ambigui, niſi de cœlo nobis angeatur obſcuritas, & ambiguitas, & tenebræ?* Hæc ita dicuntur, quaſi dicam: omnem Scripturam eſſe obſcuram aut ambiguam, cum illic fatear eſſe theſaurum æternæ certiſſimæque veritatis, ſed qui alicubi retruſus ſit, nec pateat quibuslibet. Nec ideo Sol obſcurus eſt, ſi nubibus opertus non appareat, aut ſi luſcioſus in clara luce caliget. Quanquam hæc omnia tibi dicuntur extra controverſiam, agebam de quæſtionibus perplexis, quæ naſcuntur è ſacris Litteris, aliter atque aliter interpretatis. Hic erat proferenda certiſſima tua lux, quæ coargueret totius Eccleſiæ cæcitatem. Nam quod cavillaris lucem hanc ſemper occultatam fuiſſe in Eccleſia, quæ latet nec habetur pro Eccleſia, ut hoc tibi

donemus, quod probare non potes, probabilius est sanctissimos pariter ac doctissimos viros ad illam occultam Ecclesiam pertinuisse, quam te cum paucis tuis. Nondum igitur præstas, quod promiseras, sed pergis: *Omnis*, inquis, *Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum & increpandum & arguendum.* Atque hîc mire rhetoricaris, aut alius potius tuo nomine, tu enim non potes decem verba dissérere sine convitiis: *Imo inutilis est*, Paule, *prorsus, sed ex Patribus longa seculorum serie receptis, & Sede Romana talia petenda sunt, quæ tu Scriptura tribuis, quare tua sententia revocanda est ubi ad* Titum *scribis, Episcopum oportere potentem esse doctrina sana, exhortari, & arguere contradicentes*, &c. *Quomodo, inquis, erit potens, cum tu Scripturas ei relinquas obscuras? hoc est, arma stupea, & pro gladio tenues stipulas?* Non dubito quin hæc tibi videantur admodum scite dicta, cum nec explicent nodum à me propositum, & alioqui falsa sint. Omitte hîc *Titos* ac *Timotheos*, quorum alter erat à puero versatus in sacris Litteris, uterque *Paulum* habuit præceptorem, ad hæc Spiritum, de quo nullus ambigit. An hodie nullus Episcopus poterit uti Scriptura divinitus inspirata ad docendum aut interpretandum, si quibusdam in locis hæret? An Medicus nihil habet quod consulat ægroto, si quis locus sit in Medicorum libris de quo dubitet? An non erit potens in sana doctrina, nisi qui vere sibi possit arrogare, nullum esse locum in arcanis Litteris, in quo hæreat? Hoc haud scio, an Apostoli fuerint ausi profiteri. Unde post annos mille trecentos Ecclesiæ Doctores obturarunt os hæreticis, totics aliis super alios coorientibus adversus Scripturæ veritatem? An pugnarunt stupeis armis, & pro gladio verbi, quem tu vibras, habebant leves stipulas? Et tamen illi, qui tantum valuerunt præsidio divinæ Scripturæ, fatentur in Libris divinis esse quædam obscura, quædam humanum captum excedentia. Et unde tam diu Ecclesia suspendit sententiam de processione Spiritus ab utroque, si tanta lux est divinæ Scripturæ, ut ad intelligendum satis sit Grammatices peritia? Quid autem monstri sit, si quomodocunque incidente in Scripturis ambiguitate, nos imperiti malimus consulere Sedem *Romanam* quam *Wittenbergensem*, eamque dissentientem? Quis autem credit Ecclesiæ Romanæ si sine Scriptura pronuntiet? Nec illa Scripturas interpretatur nisi ex eruditorum concilio, tu pro tuo arbitratu interpretaris ex tuo spiritu, nobis incognito, ne dicam cognito. Nec est quod *Christus* cogatur ad palinodiam suæ vocis: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.* Quid tu mihi Apostolos objicis, cum de tuo agatur spiritu? Quod *Christus* Apostolis pollicitus est, præstitit. Tibi non est pollicitus neque quibuslibet, & si tibi quoque præstitit, doce certis argumentis, tibi uni datum esse quod illis tam innumeris negatum est. Hoc agebatur, & hic nodus erat explicandus, & interim prolixis declamationibus eximis tempus, nec præstas quod polliceris. Non ego te confero cum *Christo* aut cum Apostolis, sed hominem incogniti spiritus confero cum tot Orthodoxis, cum Ecclesiæ primatibus, de quorum spiritu, ut demus nobis non constare, tamen juxta tuam regulam, tot retro seculis, bonam de illis opinionem habuit caritas, licet fides nihil approbet, nisi quod divinitus fuerit commendatum. Et tamen exigis à nobis ut illorum auctoritatem rejiciamus, tua dogmata velut articulos fidei teneamus. Saltem concede nobis jus æquale, in illorum & tua dogmata, ut de utrisque liceat suspendere sententiam. Hæc non ex animi mei sententia, sed tui coarguendi causa dicta sunto. Tandem ab Apostolis & *Christo* tua decurrit oratio. *Cur*, inquis, *tu præscribis formam Christianismi, si tibi Scripturæ sunt obscuræ?* Pro me respondebo: In Diatriba non præscribo formam Christianismi, tantum ostendo, quousque procedere debeat simplicium inquisitio. Nec plus tribui volo meæ formæ, quam suis scriptis tribui volunt Orthodoxi cæteri, quibus multa debemus, quæ ad pietatem attinent. Hoc si tu quoque fateris, cum illi fateantur obscuritatem in non paucis Scripturæ locis, aut recanta quod toties confessus es, illos multa recte disseruisse, aut concede nobis aliqua pro virili docere, qui tamen non negamus esse nobis nonnihil obscuritatis in sacris Libris. Quod si his fidem omnem abrogas, cur tuis scriptis fidem haberi postulas, qui fateris te alicubi hærere, qui nonnunquam variam adfers interpretationem, haud facturus, si nihil esset obscuritatis aut ambiguitatis. Idem accidit tuis, alicubi dubitans & hæsitans loquitur *Pomeranus* & *Oecolampadius*, denique ipse *Philippus*, cui nihil non tribuis. In hos atque adeo in teipsum recidunt hæc omnia, quæ tanta vehementia copiaque in eos detonuisti, qui putant in Scripturis aliquid obscurum esse. Postremo fateris ipse, in arcanis Litteris obscuritatem incidere ex imperitia vocum, & addes, opinor, ex depravatione codicum, ex tropis, ex locis inter se pugnantibus. Hoc dato, redeunt huc omnia illa incommoda, quæ commemorasti de obscuritate. Non enim refert unde sit obscuritas, modo sit ulla. Hanc certe negare non potes. Quod si detrahis omnem fidem iis qui hærent alicubi, hæres tu, hærent tui, quibus vis nos certam habere fidem; nec hærent solum, verum etiam sic inter sese dissident, ut tua quoque fortiter rejiciant, damnentque, nec alio præsidio quam sacræ Scripturæ. Hîc profer omnem eloquentiæ tuæ dissimulatæ copiam ac δείνωσιν, dicturus in teipsum ac tuos, quicquid in nos dixeris. Quod addis enthymema, *Si Scripturam negas dilucidam, fateris multo minus dilucidos esse sanctos quos adduco:* aliqua probabili specie diceres in me, si ex his impugnassem tuum dogma, nunc è sacris Litteris tecum congredior. Nec in aliud profero dotes ac numerum illorum, nisi ut te adigam ad proferendum argumentum evidens, quo sciamus tibi tuto posse credi, & ab illis pie discedi. Id cum receperis, tamen post tot colaphos, alapas, & sputa, nihil nos doces quod ad rem pertinet.

Fateris me non de tota Scriptura sentire, sed de locis, ex quibus oriuntur hujusmodi quæstiones. Id si fateris, quorsum pertinuit, tot verbis ita loqui, quasi totam obscuram dixerim. Verùm illud, ut inquis, ad me pertinet, quod ego fateor aliquid esse obscurum, tu nullam Scripturæ partem vis obscuram esse. Audio, *volo*, verbum imperiale, at ego malebam vocem doctoris. Quod tu affirmas, ego opto, quod tu dicis te scire, ego discere cupio, nec mihi satis est hoc asseverari abs te, certitudinem efflagito quam tu profiteris. Doce nos externam Scripturæ claritatem, quandoquidem hanc adimis ipsi Ecclesiæ, Ecclesiæque luminibus, summoque cum Orbis tumultu tibi vindicas. Nec verum est quod assumis, Ecclesiam ex obscuris Scripturæ locis pronuntiasse de libero arbitrio, licet hujus quæstionis abyssum fatear esse imperveſtigabilem; eoque non altius penetrandum quam sat est: sed mihi persuasum habeo Veteres & Ecclesiam ex ipsis per se quidem claris Scripturæ locis asseruisse quod asseruerunt. Nec tamen statim hac in re auctoritas Ecclesiæ interposuit suam sententiam, sed intentis aliquandiu oculis in Scripturæ lucem, tandem perspecta manifesta veritate pronuntiavit. Fit enim frequenter, ut qui à tenebris prodeunt, nihil videant in media luce Solis, nisi aliquandiu intenderint oculos, & per tenebras quædam non statim videmus, sed intendentibus oculis paulatim incipiunt nobis esse perspicua, quæ prius erant ambigua: quod idem accidit in rebus quæ procul absunt à nobis. Sed ita civilitatis causa finxi, interpretationem utriusque partis esse ambiguam, ut rebus æquatis, ostenderes aliquid quod nos in medio vacillantes in tuam partem inclinaret. Simili modestia vocavi Diatribam non assertionem, & concludo me sequi probabilem opinionem, non quod ambigerem de receptа sententia, sed quod tua periculose proferretur apud multitudinem, vel quia sic populus discit diffidere decretis Ecclesiæ, fierique possit, ut tandem incipiat

67.

Digitized by Google

piat dubitare de certissimis articulis fidei, vel quia tutum non est de receptis articulis apud idiotas in utramque partem disputare, vel quia quæstio recessus habet profundos, à quibus arcendi sunt imperiti, cum his satis sit tenere dogma quod tradidit Ecclesia. Nec in hoc tecum sentio, quod æquas omnes articulos fidei: sunt enim quidam tam evidentes, ut de his nefas sit disputare: Quod genus sunt, *Christum* esse natum ex virgine, passum sub *Pontio Pilato:* quidam tales, ut post diutinam disquisitionem, tandem fuerint publica auctoritate comprobati, de quibusdam ne nunc quidem satis convenit. De perpetua virginitate *Mariæ* dubitatum est à nonnullis, donec illis occluderetur os ex Scripturis, rectius enarratis. Dubitatum est à Veteribus, an Romanus Pontifex esset universalis Ecclesiæ Pastor, & licuit donec accederet Ecclesiæ decretum: & adhuc controversum est inter Scholasticos, an Romani Pontificis auctoritas sit gravior auctoritate Synodi generalis. Proinde si tuum dogma vis æque credi, atque credimus Symbolum Apostolorum, profer testimonia Scripturarum æque dilucida, doce tuum dogma, statim ab Apostolorum temporibus una cum Euangelio ad nos decurrisse. Igitur ut illa certissime credo, ita mihi dubium non erat dogma de libero arbitrio posteaquam de eo pronuntiavit Ecclesia Catholica. *Cur igitur disputas*, inquis, *tanquam rectiora sequuturus si quis doceat, cur Diatribam appellare maluisti quam confutationem, quin hortaris omnes, ut meo rejecto dogmate, constanter teneant quod tradidit Ecclesia?* Non deerant mihi vocabula, quibus & meam disputationem, & tuum dogma vocarem, quæ tibi jam nova non sunt, sed tentare libuit, an hac civilitate vel sanari posses, vel ad mitius respondendum invitari. Denique videbam res hominum plus satis exulceratas, nolui mei calami sævitia oleum, ut ajunt, camino addere. Denique ne disputassem quidem, nisi tu fabulam hanc sic evulgasses, ut in textrinis ac sutrinis nunc passim disputetur, nullum esse liberum arbitrium, sed omnia mera necessitate geri: & quasi parum hactenus profeceris, narrant hanc tuam disputationem à *Jona* verti in Linguam Germanicam, quo textores & agricolas in me concites, quos concitatos placare non possim, linguæ ignarus.

67.

69. Per omnia circumactus, tandem huc evadis, ut communem sensum facias arbitrium de certantibus de claritate Scripturæ. *Resistunt enim*, ut ais, *& qui clarissimis Scripturæ testimoniis convicti sunt, sed communis sensus indicat eos nihil habere quod merito contradicant.* Sic confutati *Sadducæi*, obmutuerunt quidem, at non discesserunt ab errore. Ineptum fuerit referre quid *Sadducæi* potuerint respondere, nimirum animas defunctorum non recte dici homines, deinde nihil absurdi si Deus dicatur *Abraham*, *Isaac* & *Jacob*, à quibus cultus fuerat dum viverent: quemadmodum patres superstites filiis, nomen patrum retinent juxta communem loquendi usum. At illic agebatur de resurrectione corporum, quæ non evincitur ex hisce verbis. Dices, cur igitur obmutuerunt? quia virtus divina erat in verbis Domini, quæ credentium animos attrahebat, impiorum conscientias percellebat. Verùm hæc extra rem. Ergo si tu quoque vis nobis os obturare, ut hiscere non audeamus, profer similia è Scripturis testimonia, ostende nobis Spiritum in te loquentem, cui si tentemus repugnare, sensus omnium communis damnet nos, te probet. Atqui plurimi & hodie tibi reclamant qui videntur habere sensum communem, & orthodoxis illis Patribus, totique populo Christiano, quis neget fuisse sensum communem? Tibi tuisque probabilius est deesse sensum communem, tibi qui tanta maledicendi impotentia debaccharis in eos, qui vel communicandi gratia dogmatibus tuis contradicunt: tuis qui addicti factioni immodico tui studio probant quicquid docueris, αὐτὸς ἔφα. Si provoces ad Spiritum, rursus exigo signum evidens. Reliqua, quæ adducis, transilio, quando nihil faciunt adversum me.

Nec de *Joanne Husso* meum est judicare, habuit suos judices apud homines, utinam invenerit mitius judicium apud Deum! Illud tantum dicam, me minus male sensisse de homine, priusquam degustassem librum quem conscripsit in Pontificem Romanum. Quî convenit tam operosa maledicentia cum Spiritu Christi? Nec hîc ad rem facit, qualis fuerit Papa qui damnavit *Hussum*, mihi ignotus est, & habent Papæ suum judicem, cui stant aut cadunt. Illi mei judices sunt, non ego illorum. Porro, quod ais quosdam fingere simplicitatem, quo excusatius resistant cognitæ veritati, dicentes: *Homo sum, errare possum, doceri cupio, moxque subjiciunt, non est mihi satis factum, Vim facit Scriptura*, &c. sive hoc in me dictum est, sive in alios, ego me certe ex illorum numero eximo qui scientes ac volentes repugnant cognitæ veritati, præsertim in articulis fidei. Tu quomodo quod facis excuses videto. Sed nihil adhuc audio quod nodum dissecet, quo nobis evidenter tuum probes spiritum. Verùm ita mecum pugnare videris, quemadmodum canis ille, ab *Albaniæ* Rege dono missus *Alexandro*, pugnavit cum Elephanto. Is enim arte circumsiliens & allatrans hac atque hac delassavit belluam, crebro rotatu adigens in vertiginem, atque ita dejecit. Plurimos ingenio doctrinaque præstantes, dignitate, quosdam etiam miraculis ac martyrio claros fuisse, qui tuum dogma rejiciunt, non negas, fateris & sanctos fuisse, vel donas potius & nos accipimus, jam causam facimus cætera æqualem: restat in hoc statu, ut evidentissimum proferas argumentum, cur à vobis talibus potius stare debeamus, quam ab illis talibus, ne repetamus totam collationem. Excusas illos quod forte resipuerint ante mortem, alioqui damnandi. Id verisimile non est, qui tot voluminibus constanter eadem senserint, sub mortem mutasse sententiam. At *Bernardus* moriturus dixit: *Perdidi tempus, quia perdite vixi.* An hoc erat canere Palinodiam? Quis sanctorum hæc non dixit? Hæc vox est modestiæ, non Palinodiæ. Sacræ Scripturæ tam expositam claritatem nondum probare potuisti, & de hoc mox aliquid attingemus, & si probasses, probabilius est te cæcutire quam illos. Si spiritum alleges, in illos pronius est caritatis judicium, ut largiamur non esse certum: Si electionem potiorum, consentaneum est illos cum Ecclesia quæ potiora sunt elegisse: Si sensum communem, propensior est in illos opinio sensus communis. Si respondeas non esse mirum viros spirituales aliquando juxta carnem sensisse, totidem verbis responsum tuum in te retorqueri poterit. Si respondeas Mundum esse regnum Satanæ, eoque non mirum tot tantosque viros tam longa seculorum serie excæcatos, non vidisse lucem Scripturæ, totum hoc multo probabilius in te retorquebitur. Nam & tu carnem circumfers, & in communi Mundo versaris, in quo regnat Satanas.

70. Nec expediunt te ex angustiis quæ multa subnectis de excæcatis in gloriam liberi arbitrii, de his qui audientes non audiunt, & intelligentes non intelligunt, quæ magis in te quadrant, quam in Ecclesiæ lumina. Neque convenit huic loco, quod tu tecum comparas *Christum*, discipulos tuos Apostolis, Doctores ac principes Ecclesiæ Judæis: quodque tuam doctrinam vocas lucem, Patrum & Ecclesiæ decretum tenebras. Si nos urgere vis collationibus, alias tibi quæras oportet, istas non recipimus. Multo stultius adducis hîc *Arianos* & Philosophos. *Arianos* judicavit Ecclesia, & ejus sententiam approbas. At eadem damnavit tua dogmata, & tamen hîc non gravo te auctoritate Ecclesiæ. Nihil nobis cum Judæis, qui *Christum* agnoscimus Servatorem. Erraverunt & eruditissimi Philosophi: quasi ego scripserim eruditos, magno ingenio præditos, non posse cæcutire. Ex una particula nectis enthymema, collige acervum conjecturalem, & hinc ostende tibi potius fidendum quam illis. Quam vero sophisticum illud: Negas esse verum, quod dixi Scripturam aliquoties non percipi ob imbecillitatem humani ingenii:

Nihil, inquis, *aptius capiendis verbis Dei imbecillitate ingenii, propter imbecilles enim & ad imbecilles* Chriſtus *& venit & mittit verbum Dei.* Si imbecilles vocas, ut ego ſentio, rudes & infirmos, quales erant *Galatæ*, aut quales multos videmus, nec humanis aptos diſciplinis: quin à talibus potius petimus ſcientiam Scripturarum, quam ab eruditis Theologis, aut quam abs te, qui tantam ſcientiam tibi vindicas? Sin appellas imbecilles modeſtos ac morigeros Spiritui Sancto, tecum ſentio, ſed hanc imbecillitatem mirum quam in tuis ſcriptis deſiderem. Perinde quaſi rem omnem geſſeris dextro Martè, properas ad metam diſputationis, ſed antequam id patiar, pauca dicam de Scripturarum obſcuritate, quanquam ſuper hac re ſatis ante dictum arbitror. Etenim niſi doces, eas eſſe Sole clariores, modo detur Grammatices peritia, fateris te non poſſe nodum explicare de probatione tui ſpiritus. Hìc ſi tibi decantem, quantopere Veteres omnes querantur paſſim de Scripturæ difficultatibus, quantum deſudent in explicanda Geneſi, quantam caliginem *Hieronymus* viderit in initiis & poſtremis *Ezechielis*, quoties hæreat *Auguſtinus*: reſpondebis non eſſe mirum, ſi in Sole impingant luſcioſi: & ſi tibi protulero illud è Pſalmo, *Abyſſus abyſſum invocat*, quod *Auguſtinus* ac *Hieronymus* interpretantur de caligine myſticæ Scripturæ. Item illud: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, quod exponunt ſimiliter. Rurſus illud ex *Ezechiele* de torrente, cujus aquæ ſic intumuerant, ut tranſvadari non poſſet. Item ex Pſalmo XVII. *Et caligo ſub pedibus ejus*, adducitur & hìc ſenſus de profunditate Scripturarum. Iterum in verſiculo, *poſuit tenebras latibulum ſuum*, *Hieronymus* interpretatur *Chriſti* nativitatem nobis eſſe obſcuram, quam tu vis eſſe clariſſimam. Item illud, *tenebroſa aqua in nubibus aeris*, interpretantur de obſcuritate Scripturarum. Aliaque ſimilia teſtimonia ſi proferam, adferes mihi novam interpretationem, rejecta Veterum expoſitione, ac Scripturam ad tuæ cauſæ commodum detorquebis. Verùm illud velim expedias: Si Linguæ peritia ſenſuſque communis ſufficit ad Scripturæ perſpicuam intelligentiam, quid *Pauli* tempore fuit opus Prophetis apud eos qui Linguis loquebantur? *Paulus* diverſa facit dona, linguarum & prophetiæ, ac prophetiæ donum longe facit eminentius dono Linguarum. Hoc evidenter arguit, eſſe quiddam in Scripturis reconditum, quod non ſit cuivis dilucidum, qui Linguas teneat. Rurſus ſi verum eſt quod tu dicis, ſi qui Dei Spiritum habet, nihil ſentit obſcuritatis in ſacris Voluminibus, cur qui prior prophetabat jubetur tacere, ubi ſurrexerat alius Propheta, cui fuerat revelatum? Plures habebant donum prophetiæ, & tamen quod huic erat dilucidum, aliis fuit obſcurum, propterea quod non omnibus omnia largiatur Spiritus, ſed dividat ſingulis pro ſua voluntate. Proinde mira eſt tua felicitas, qui profiteris nihil eſſe in ſacris Litteris, quod tibi non ſit clariſſimum. Et poſt auditas prophetias, *Paulus* vult judicari quæ dicta ſunt: *Prophetæ*, inquit, *duo aut tres dicant, cæteri taceant.* Deinde inter dona Spiritus refert & diſcretionem ſpirituum. Hæc arguunt Scripturam non tam eſſe quibuslibet obviam & expoſitam, quam tu vis videri. Rurſus ait, *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Audis ænigma, & tu mihi prædicas clariſſimam claritatem. Fide videmus, & fidei lux eſt in divinis Litteris. Et inibi: *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Ac mox: *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicuti cognitus ſum.* Prophetiam *Paulus* appellat Scripturæ myſticæ interpretationem: eam cur fatetur imperfectam, ſi nihil non eſt clariſſimum? Et ſi *Paulus* agnoſcit hìc imperfectum quiddam, ubi ſunt qui nunc jactant omniſcientiam? Velim ut ſaltem hunc locum nobis reddant dilucidum, *Sicut cognitus ſum.* An quiſquam eſt qui ſic cognoſcit aut cognoſcet Deum, ſicut cognitus eſt à Deo? Puto hoc ipſi Deo proprium eſſe, ut ſeipſum cognoſcat perfecte. Legebat Eunuchus *Eſaiam*, haud dubie peritus Linguæ, & tamen ſenſum latentem non intelligebat. Jam Epiſtolas, opinor, *Pauli* numeras inter Scripturas ſacras. Atqui de his ſic pronuntiat *Petrus: Cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſcientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu*, &c. Reſpondebis, erant difficilia rudibus. At tu nihil requiris niſi peritiam Grammatices. Si dixeris illis defuiſſe Spiritum, quæſtio redit in orbem. Siquidem hoc pollicitus es, te probaturum nobis tuum ſpiritum. Sed hinc quoque facile elaberis, ſi modo probaris quod aſſumis: dices nos obſtinata malitia oppugnare cognitam veritatem, quemadmodum faciebant Phariſæi. Quis autem comprehendat eum, cui tot ſunt parati cuniculi per quos effugiat? Age, veniam ad eos, quibus tu tribuis ſpiritum, quem, ut ſcribis, hauſerunt ex tuis libris: unde tanta in horum ſcriptis diſſenſio? Si idem Spiritus agit omnes, cum tractent eandem Scripturam, non poteſt eſſe tam perſpicua claritas, ut ſufficiat Linguæ peritia, & ſenſus communis. Sed dices *Zwinglium* & *Oecolampadium* amiſiſſe ſpiritum, poſteaquam in te cœperunt ſcribere: *Philippus Melanchthon* nonne in ſuis commentariolis aliquando cunctanter loquitur, & ſuſpendit ſententiam? Atqui hoc negas eſſe fas in ſacris Litteris, in quibus perſpicua veritas eſt aſſerenda fortiter. *Oecolampadius* nondum abs te diſſentiens, non negat obſcuritatem eſſe in *Eſaia*, ſed ſat habet ſi adimat deſperationem pio ſeduloque lectori: & in præfatione adeo non profitetur ſe nihil non explicuiſſe, ut fateatur ſe fruſtra conaturum fuiſſe, ni commentariis Hebræorum fuiſſet adjutus. Interim aliquanto reverentius loquens de *Hieronymo* quam tu, qui talem virum blaſphemum & ſacrilegum facis in hoc tuo libro, numeris omnibus abſoluto. An *Pomeranus* ſic abs te laudatus in enarrandis Pſalmis non alicubi Scepticus eſt, & ſuſpenſo gradu per ariſtas, ut ais, incedit?

1. Cor. XIV.

1. Petr. III.

Verùm de aliis fortaſſis invenies quod tergiverſeris, urgebo te tuis ipſius dictis, *cui injuria eſt ac blaſphemia in Scripturam ſacram, ſi quis illi tribuat aliquid obſcuritatis.* Hoc paradoxum vide quomodo conveniat cum tua præfatione in Pſalmos. Sic ibi loqueris: *Pſalterium profiteor*, &c. *verùm ita profiteor, ut nolim ab ullo id de me præſumi, quod nullus adhuc præſtare potuit ſanctiſſimorum & doctiſſimorum, id eſt, Pſalterium in omnibus ſuo legitimo ſenſu intelligere & docere. Sat eſt aliquot, & eoſdem ex parte intellexiſſe. Multa ſibi reſervat Spiritus, quo nos ſemper diſcipulos habeat, multa ſolum oſtendit ut alliciat, multa tradit ut afficiat, & ut beatus* Auguſtinus *præclare dixit*, nullus unquam ita loquutus eſt, ut ab omnibus in omnibus intelligeretur, multo magis ipſe Spiritus Sanctus ſolus omnium ſuorum verborum intelligentiam habet. *Quocirca ingenue me confiteri oportet, me ignorare legitimam habeam nec ne intelligentiam Pſalmorum*, &c. Rurſus aliquanto inferius: *Quid ergo reliquum niſi ut mutuum juvemus, labentibus, tanquam vel ipſi lapſi vel lapſuri, ignoſcamus?* Rurſus inibi: *Scio eſſe impudentiſſimæ temeritatis eum qui audeat profiteri unum librum Scripturæ à ſe in omnibus partibus intellectum. Quin quis audeat præſumere unum Pſalmum rotunde ab illo intellectum?* Hactenus tua verba retulimus. Immane quantum diſſonat hæc oratio, *Luthere*, à paradoxo, quo tanta aſſeveratione doces in hoc libello, de mira claritate Scripturæ, quæ niſi concedatur, omnia vertentur in caliginem, neque quicquam erit in rebus humanis certi. Quis credat eſſe eundem hominem, qui hæc ſcribit enarraturus Pſalmos, & qui nunc provocat univerſos, ut vel unum locum proferant qui tibi ſit obſcurus? Quorſum vero nunc attinet è tuis commentariis decerpere locos, ubi profiteris te deſtitutum ab interpretibus inter ipſos variantibus, animi tui ſomnium ſequi. Rurſus ubi fateris te prorſus non intelligere, quomodo verſus cum præcedente cohæreat, ac tuam opinionem

Digitized by Google

nem deliratione vocas. Hoc in Pſalmo XVII. ibi dicis, Eccleſiæ doctrinam eſſe ſupra captum humanum: & hîc ſufficit Grammatices peritia. In Pſalmo XIX. hunc in modum loqueris: *Expoſuimus hunc Pſalmum pro exemplo fidei de Rege quocunque, nec dum certum, an legitimum ſenſum attigerim:* mox interpretationis tuæ judicium rejicis in lectorem. Iterum in XX. fateris te incertum, de ſolo-ne *Chriſto*, an de quovis Rege debeat intelligi: & mihi objicis Scepticam Theologiam, qui non auſim de perplexis difficultatibus Scholaſticarum quæſtionum pronuntiare? Ubi tum erat ille *Stoicus* aſſertor: ubi ille Omniſcius? Mihi dicis, *Non ſic ſuſpenſe loquitur, niſi* Lucianus *&* Epicurus: & tu in Opere maxime ſacro eodem modo loquens, ignoſcis tibi. In calce hujus libri tui dicis, *Penes nullum volo eſſe judicium, ſed omnibus ſuadeo ut præſtent obſequium:* & in Pſalmo judicium defers lectori. Quomodo in his tibi conſtas, qui me Proteum facis? An tum temporis nondum habebas Spiritum? Non dices, opinor. Utinam autem in ea modeſtia perſeveraſſes! Ibi veteres Orthodoxos, ſanctiſſimos & eruditiſſimos Patres appellas: hîc me rides, qui tribuam illis ſanctimoniam, ipſe cæcutientiam, ignorantiam, imo blaſphemiam & ſacrilegium impingens: nec aliter excuſas eos potuiſſe ſervari, quam ſi vel ſecus ſenſerunt atque ſcripſerunt, vel erroris pœnituit ante mortem. Porro cum internam claritatem ſic requiras ab omnibus Chriſtianis, ut ſine hac non facias illis ullam ſpem ſalutis, quid aliud cenſebimus, niſi illos omnes periſſe, qui tam neceſſarium articulum fidei non dicam ignorarint, ſed impugnarint, profligantes neceſſitatem, ac liberum arbitrium profitentes. Ego toties vocor blaſphemus, qui dubitem ac diſputem de tuo dogmate, & obſcurum putas quid de illis eadem ſententia pronunties? Et hîc rurſus novum paradoxon: *Qui Spiritum habet, ei nihil obſcurum: qui non habet, ne jota quidem unum intelligit.* Nil medium eſt. Quiſquis igitur profitetur ſeſe dubitare alicubi in Scripturis, aut Spiritum habet, & mentitur eſſe obſcuritatem cum nulla ſit, aut non habet, & ne jota quidem unum intelligit. *Tertullianus* inſignis Eccleſiæ Doctor, poſtea in *Montani* dogma prolapſus, diſceſſit ab Eccleſiæ communione. An is amiſſo Spiritu, ne jota quidem intelligebat? Sed interpretaris *non intelligit*, id eſt, non ſentit, non afficitur. At nos agebamus de certitudine doctrinæ, non de ignoto hominis affectu, de quo fateris neminem certo pronuntiare poſſe, præter unum Deum. Etenim cum juxta *Paulum* ſint Spiritus impoſtores, & Angelus Satanæ ſeſe transfiguret in Angelum lucis, falli poteſt & is, qui ſe credit agi bono Spiritu. Quod ſi totam intelligentiam divinæ Scripturæ tribuis divino Spiritui, cur excipis ſolam imperitiam Grammatices? An in re tanti momenti Spiritus patietur Grammaticam obſtare ſaluti hominum? Qui non gravatur impartiri tantas divitias æternæ ſapientiæ, num gravabitur impartiri Grammaticam & ſenſum communem? Blaſphemus eſt in Deum qui vel tantillum tribuit libero arbitrio, & tu pius es, qui tantum tribuis Grammaticæ, ut ſola tenebras inducat clariſſimæ luci Scripturarum? Qui queruntur eſſe tenebras in Scripturis, haudquaquam negant eſſe clariſſimas ipſi Spiritui, qui Scripturarum eſt auctor: ſed has tenebras imputant imbecillitati naturæ humanæ: quod cum apertiſſime profitearis in præfatione tua, quam modo citavi, hîc fortiſſime negas, affirmans nihil eſſe capacius divinæ Scripturæ, quam imbecillitatem humanam. Cæterum ut urgeamus hoc quod agebatur, doce quibus argumentis nobis conſtare poſſit, te Spiritum habere magiſtrum, nec falli in enarranda Scriptura, cum in hac hallucinati ſint omnes Eccleſiæ Doctores. Fateris ineſſe nonnihil obſcuritatis ex imperitia Linguarum. Hic igitur cum plures inter ſe diſſentiunt, quorum unuſquiſque ſibi vindicat Linguarum peritiam, quomodo mihi conſtabit quis cæcutiat in Lingua, quis non? Nam hinc (ut ais) pendet interpretationis certitudo.

A Nec omnino negas aliquid obſcuritatis oriri ex tropis: quos tametſi doces non temere admittendos in enarrationibus, tamen velis nolis frequenter occurrunt, in Prophetis, in parabolis, in ænigmatibus. Nec mihi placent affectati tropi, præſertim qui ſubvertunt ſenſum hiſtoricum: verùm ſi tropologias excludas à ſacris Libris, perit bona pars & jucunditatis & utilitatis arcanæ Scripturæ. Ad hæc ſi fateris ex Grammatices imperitia naſci caliginem, fateberis ſimul & ex tranſlatione, & ex depravatis Exemplaribus oriri tenebras. Queritur hoc & *Oecolampadius* in *Eſaia*. Ergo cum alius dicet eſſe tropum, alius negabit, aut ſi fatetur uterque tropum eſſe, ſed in interpretatione tropi diſſident, unde mihi conſtabit, quis illorum attingat ſcopum? Ex collatione locorum? Habet utraque pars quæ conferat: Adhuc hæreo dubius. Similiter cum audio plures inter ſeſe diſſidentes, quorum quiſque contendit ſuum Exemplar vacare mendis, quæ res mihi adimet ambiguitatem? Jam quis audebit affirmare: aut ſi quis affirmet, quis crediturus eſt ex locis inter ſe pugnantibus non frequenter oriri magnam caliginem? Quid ſimplicius Euangelica hiſtoria? Et tamen à quot qualibuſque viris hîc ſudatum eſt, ut quæ diſſident redigantur in concordiam? Adniſus eſt ſummis viribus *Auguſtinus*, nec effecit quod voluit: ſaltem hoc officium nobis præſta, quo minus tibi diffidamus. C Multis obſtat ingenii tarditas, quo minus aſſequantur quod docent ſacræ Litteræ, multis oſcitantia, multis animus addictus humanis affectibus. Nam contentioſi torquent Scripturam ad ſua dogmata, cum contra fieri oportuerit. Denique Spiritus non omnibus patefacit omnia. Totidem igitur modis ambigemus de interprete: & quicquid malorum exaggeraſti adverſus eos qui putant in Scripturis eſſe nonnihil obſcuritatis, quicquid convitiorum in hos congeſſiſti, regeretur in te, qui non potes effugere quin fatearis, aliquo pacto caliginem eſſe in divinis Libris. Sed tibi nulla eſt caligo. Ponamus eſſe verum quod dicis: ſed quomodo nobis iſthuc facies perſpicuum? Nam hoc probandum ſuſceperas, confeſſus te nihil agere adverſus meam quæ- D ſtionem, niſi dilucide probaſſes. Cæterum cum omnibus tentatis id non poſſis, veluti Proteus vinculis tenacibus adſtrictus, redis in nativam formam, & nobis invidiam moves, quod Scripturam faciamus obſcuram: perinde quaſi negemus in illa quicquam eſſe lucis. In multis locis tenebras eſſe dixi, ſed quas Spiritus aperiri velit, quantum nobis ſatis eſt ad ſalutem. Nam quædam abſtruſa ſervat futuro ſeculo. Si tu colligis hinc nihil certo probari per Scripturam, dic mihi, quomodo tot ſeculis orthodoxi Patres erudierunt populum Chriſtianum, quomodo propulerunt hæreſes ab Eccleſia, an per Scripturas ambiguas & non E intellectas? Tandem Satanam in crimen vocas, cujus opera fit, ut tam paucis ſit dilucida Scriptura: qui ſi dormiret, uno ſermone Dei ſemel audito, totus Mundus converteretur.

Hîc cum prorſus hæreas in vado, tamen veluti re 71.
bene geſta, minitaris te meis me laqueis irretiturum: & occurris ſyllogiſmo utrinque cornuto, ſic obtorto, ut nullum ſit effugium. *Ex verbis*, inquis, *tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Dicis Scripturam hîc non eſſe dilucidam. Quod ſi verum non eſt, cur tu in Diatriba ſuſpendis ſententiam: ſi verum eſt, quid agunt Orthodoxi, quorum ingenium, eruditionem, ſanctimoniam, miracula, martyria, dignitatem, vetuſtatem, multitudinem jactas, qui ex ambigua Scriptura aſſeruerunt liberum arbitrium?* Quo me vertam, adeo conſtrictus hinc atque hinc obviis cornibus? Scilicet alterum tui ſyllogiſmi cornu præcidam, deinde cum altero mihi res erit. Mea Diatriba non dicit Scripturas in hac materia eſſe obſcuras. Sic habent illius verba: *Verùm hîc de Scripturis non eſt controverſia, de ſenſu Scripturæ pugna eſt: In cujus interpretatione*, & cætera. Audis-ne? pugnam eſſe dico, non obſcuritatem. An ideo Scripturæ, quibus convictus eſt *Arius*, fuerunt ob-

Digitized by Google

obſcuræ, quod eas oppugnarit? Et ſi conceſſiſſem in ea quæſtione Scripturam fuiſſe obſcuram, quod non facio, ſic conceſſiſſem quemadmodum in Scholis argumentandi cauſa multa donantur adverſariis. Eam conceſſionem ſi velis arripere, neceſſe eſt ut fatearis utriuſque partis interpretationes eſſe ancipites. Dices, ergo ſi dilucidæ ſunt in hac parte, quibus uſi ſunt Veteres ad aſſerendum liberum arbitrium, cur tibi placuit *Diatribæ* titulus, cur profiteris inquiſitorem non aſſertorem, cur in fine dicis, *Contuli, penes alios eſto judicium?* Reſpondeo, cur qui in Scholis diſputant, altero probante quod habet Scriptura, altero per Scripturas alias ac rationes impugnante, ſenioribus, aut præſidenti, ut vocant, deferunt judicium? Poteſt enim fieri, ut liberum arbitrium recte ſit aſſertum à Veteribus è ſacris & clariſſimis Scripturis, cum ego adverſus tuorum argumentorum aciem parum dextre defendam. Et jam ante reddidi conſilii mei rationem, ut experirer an tu poſſes abſque convitiis diſputare, & ne rebus exulceratis oleum, quod ajunt, addérem camino. Et hanc meam civilitatem toties mihi impingis in os, quam probare magis & imitari debueras. Si te delectat aſſertio, quid opus erat aſſertore me in eo, de quo & olim pronuntiavit Eccleſia, & nuper ſuam ſententiam confirmavit?

Habebant igitur, inquis, *dilucidam Scripturam:* fateor, quantum ſatis erat ad diſcutiendam ambiguitatem de libero arbitrio. Quid tum poſtea? *Cur tu igitur*, inquis, *facis Scripturam hac in parte obſcuram?* Non hoc fecit mea Diatriba, ſed tu comminiſceris, ut modo declaravi. Si contendis nihil prorſus obſcuritatis eſſe in ſacris Litteris, ne mecum agas, ſed cum univerſis Orthodoxis, quorum nullus eſt qui idem non prædicet. Cæterum quoties Diatriba meminit obſcuritatis in hac materia, aut veſtro nomine loquitur, aut concedit argumentandi gratia, quod poterat non donare. Quod genus eſt illud: *Hic ſi neges hac in parte dilucidam eſſe Scripturam, in qua tot ſummi viri caligarint*, &c. An putas hoc ſub mea perſona dici, *In qua tot ſummi viri caligarint?* Iſta veſtra vox eſt, quam arripio contra vos, qui veſtram interpretationem vultis haberi pro oraculo. Simile eſt illud, *Si tam dilucida eſt, cur tot ſeculis viri tam excellentes hic cæcutierunt, idque in re tanti momenti?* Hæc verba non damnant Veteres cæcutientiæ: ſed urgent vos, ut aut fateamini illos vidiſſe verum, aut ne poſtuletis veſtram interpretationem haberi nobis pro cœleſti oraculo. Rurſus cum ajo, *Si nullos, cum & hodie tot obſcuritates torqueant doctos, nulla erit interpretatio certa.* Hæc argumentatio quid aliud agit, quam ut patiaris & tuam interpretationem eodem jure rejici, quo tu rejicis omnium?

Proinde vide quam atrociter, ſed extra cauſam illa tibi dicta ſint. *Denique quæ levitas & temeritas animi, ſanguinem fundere pro re incerta & obſcura? Hoc enim non martyrum Chriſti, ſed dæmonum eſt.* Vides hoc cornu præciſum? Ubi vero erat tua mens, cum ſcriberes, *Hoc non eſt martyrum, ſed dæmonum?* An dæmones habent ſanguinem quem fundant? Deinde quis dixit ſanctiſſimos viros pro libero arbitrio fudiſſe ſanguinem? Dices, Pro Scriptura ſacra fuderunt, quam tu facis obſcuram. Rurſus ita loqueris quaſi dixerim totam obſcuram eſſe, aut quaſi ſi mihi ac tibi ſit obſcura, fuerit ſimul illis obſcura, qui definierunt de libero arbitrio. *Cyprianus* fudit ſanguinem ſuum: demus fudiſſe pro Scriptura. Nihil igitur uſquam fuit obſcurum *Cypriano* in tota Scriptura? Finge *Auguſtinum* occiſum, cum à *Donatiſtis* eſſent illi ſtructæ inſidiæ, relatus fuiſſet inter martyres, an abſurdum putas, ſi quid illi fuiſſet obſcurum? Et huic tam frivolo fundamento nituntur ea quæ dicis in fine Capitis: *Hoc eſt aliud nihil quam illos facere imperitiſſimos cognoſcendo, & ſtultiſſimos aſſerendo.*

Diſcuſſus eſt ille κεφάλιον, ſed me miſerum occurrit alius. *Si illos*, inquis, *recte ſenſiſſe credis, cur non imitaris? Si non credis, cur jactas tanta bucca, tanta copia?* &c. Credo illos recte ſenſiſſe, qui aſſeruerunt liberum arbitrium, quemadmodum aſſerit Eccleſia. *Cur igitur*, inquis, *tu non aſſeris, ſed diſputas?* An quiſquis diſputat anceps eſt? Non diſputo ut dubius, ſed ut te noſtræ aſſertionis invaſorem confutaturus. Nihilo magis ad rem faciunt quæ infulcis: *Jam & tu pone ob oculos, & tecum expende, utrum plus tribuendum eſſe judices tot eruditorum, tot orthodoxorum, tot ſanctorum, tot martyrum, tot veterum ac recentium Theologorum, tot Academiarum, tot Conciliorum, tot Epiſcoporum & ſummorum Pontificum præjudiciis, qui Scripturas dilucidas eſſe ſenſerunt, & id tum ſcriptis tum ſanguine confirmarunt, an tuo unius privato judicio, qui negas Scripturas eſſe dilucidas, qui forte nec unquam lachrymam vel ſuſpirium pro doctrina Chriſti emiſiſti.* Omitto quod tuo more judicas, quid lachrymarum aut ſuſpiriorum ego fundam. Quid hic agis, *Luthere*? Veteribus fuiſſe Scripturam dilucidam, unde aſſeruerunt liberum arbitrium? Qua tandem igitur fronte blaſphemiam vocas, quod illi definierunt ex dilucida Scriptura? Et toties mihi recinitur hoc mendacium, quod hic Scripturas faciam obſcuras. Ajo interpretationes variare, & hoc in contentionem vocabam, utri potius eſſet aſſentiendum, Veterum-ne probatæ tot ſeculis, an tuæ nuper exortæ? Imo hoc illic ago pro viribus, ut perſuadeam, Eccleſiæ Doctores non erraſſe in aſſerendo libero arbitrio, ac te potius cæcutire. Ita loquor: *Hic ſi negas hac in parte eſſe dilucidam Scripturam, in qua tot ſummi viri caligarint, circulus ad caput redierit.* Vides hæc ſub aliena perſona dici, *In qua tot ſummi viri caligarint.* Hæc veſtra vox eſt, non mea: & ſi verum eſt quod dicitis, aut fuit illis obſcura Scriptura, aut impie reſtiterunt Spiritui Sancto. Neque quicquam periculi ſit, ſi quis dicat & in hoc argumento fuiſſe illis Scripturam alicubi obſcuram, at nihilo minus rectam ac certam eſſe aſſertionem. Siquidem in Conciliis quod aliis obſcurum eſt, aliis aperit Spiritus, ſic ut ex collatione ſingulorum nihil reſideat obſcurum, dum ſuam quiſque apocalypſim adfert. Quod ſi trahis nos ad univerſam Scripturam, fateor illic quædam obſcura mihi meique ſimilibus. Objicies illico tantas turmas ſummorum virorum, quorum judicio plus tribuendum eſt, quam meo unius privato. Quid ego audio? Meum unius privatum judicium eſt, quod nemo laudatiſſimorum virorum, quos per ironiam recenſes, faſſus non eſt? Quis enim illorum in enarrandis arcanis Voluminibus non queritur de obſcuritate Scripturæ? Non quod illam accuſent, ut tu calumniaris, ſed deplorent humani ingenii tarditatem, non quod deſperent, ſed ut gratiam illius implorent, qui ſolus quibus vult, & quando vult, & quantum vult, claudit, aperitque. Idem cum ipſe toties fatearis in commentariis tuis, cur appellas meum unius privatum judicium, & illis me facis adverſarium qui mecum faciunt? Tu facis illis Scripturam obſcuram, qui fortiter illorum interpretationes rejicis. Id ni feciſſes, non eſſet pugna. Feſtiviter vero, quod comparationem, qua te cum tot Veteribus componebam, devolvis in me. Ego non poſtulo, ut rejectis omnium illorum ſententiis in re tanti momenti, mihi uni fides habeatur, id quod tu non in hoc tantum dogmate flagitas atque etiam exigis veluti tuo jure, minitans omnes delendos ut lutum platearum qui tibi reſiſtunt prædicanti verbum Dei. Par eſt igitur ut certis argumentis oſtendas, cur tua unius ſententia debeat nobis eſſe potior tot ac talium virorum judicio, ne toties repetam omnes circumſtantias. *Si certam habebas opinionem*, inquis, *quid ſibi vult Diatriba & collationis vocabulum? Cur ſuſpenſa ſententia diſputas in utramque, quid pro, quid contra?* Si hoc arguit ancipitem animum, vocentur in jus omnes Scholaſtici. *Thomas* quærit an Euchariſtia ſit ſacramentum Eccleſiæ, & adfert in utramque partem argumenta: num ideo dubius eſt de re quam diſputat? Fecit idem *Hieronymus* ad-

Digitized by Google

adversus *Luciferianos*, *Augustinus* adversus *Manichæos*, an statim dubium erat illis de quo disputabant? Quomodo tandem refellere poteram argumenta tua, nisi recensuissem? An non vides ejusmodi collationes frequenter & apud Veteres fuisse? si forte res sine tumultu componi posset. Tituli civilitas opposita est isti ingenio tam irritabili, opposita est quibusdam plus satis ad seditionem propensis. Deinde quoties Philosophi pro sua quisque Secta inter se digladiabantur, (nam has Diatribas appellabant) erant omnes suspensa sententia, an potius suam quisque sententiam volebat esse invictam? Vides ut nihil odiosius in me criminaris, quam quod disputator quam criminator esse malui: & hîc conor, ut ais, te obruere diluvio quodam orationis, sed res in diversum exiit, ego involvor undis, tua arca in sublimi fertur secura: imo tua scapha hîc hæret in Syrtibus, nec explicas quod promiseras, cum nullum non moveris lapidem. Et tamen perinde quasi dextro Marte rem gesseris, adornas triumphum.

72. *Cornuto*, inquis, *syllogismo te teneo. Aut falsum est quod dicis, illos fuisse præditos admirabili peritia Scripturarum, tum vita & martyrio, aut falsum est, quod dicis, Scripturas non esse dilucidas.* Io pæan, Io triumphe! An sit falsum, in Scripturis esse aliquid caliginis, jam discussum est. Illud sine controversia falsum est, quod ais me prædicare, Veteres ex obscuris Scripturis asseruisse liberum arbitrium: sed fingo mihi velut imperito non esse perspicuum utri rectius interpretati sint Scripturas, illi tot ac tales, an tu cum paucis, & per hanc fictionem exigo abs te certas probationes, cur ab illis deficientes, debeamus in tuam sententiam ire pedibus. Crebro, ni fallor, vidisti in Scholis disputandi gratia concedi adversario quæ vera non sunt. An si quis in disputatione fingeret se esse *Tarquinium*, te *Apollinem*, num urgeres hominem serio concessis? Addis impudentem hyperbolen, me toto libello Diatribæ nihil aliud agere, quam ut persuadeam Scripturam non esse dilucidam. Quid autem attinet in refellenda manifesta vanitate operam sumere? Nec his contentus addis aliud commentum impudentius. Negas me serio tribuisse sanctissimis viris peritiam Scripturarum, tantum ut rudi vulgo fucum facerem, *Luthero* autem negotium facesserem, ut causam ejus inanibus verbis gravarem odio & contemtu. Si hoc spectassem quod fingis, non ita moderatus fuissem stylum, non tanta circumspectione cavissem, ne quid unguium aut dentis esset in Diatriba, non sic advigilassem ut causam per se odiosam agerem non odiose. Si in gratiam Principum edidissem Diatribam, non poteram illis magis gratificari quam si totis eloquentiæ viribus in te fuissem debacchatus. Nunc adeo non odiose scripsi, ut me nonnullis suspectum reddiderit mea modestia, & tamen mihi non erat obscurum, quam amanter de me jam pridem & senseris & scripseris. Sed mihi certum est, in his, quæ sunt fidei, nihil tribuere privatis affectibus. An tui contemtum interpretaris, quod te cum tot Ecclesiæ luminibus, cum Conciliis generalibus, cum omnibus Academiis confero? Quid igitur dices de illis, qui te libris editis cum longe aliis comparant? Et in illos mutus, de mea civilitate quereris. Ego Latine scribens, vulgo rudi fucum facio, tu qui hanc tuam disputationem curas vertendam in Linguam Germanicam, ut apud agricolas, nautas & cerdones traducas *Erasmum*, apud quos mutus est, credis homines doctos latere quid agas? Ad seditionem spectas, quam vides hactenus ex tuis Germanice scriptis libellis toties exortam esse. Sic nimirum fecerunt Apostoli. Ego tecum disputavi judice senatu doctorum hominum, tu causam ad imperitam plebeculam transfers, & apud fabros, coriarios & agricolas me criminaris, qui tibi favent, me non noverunt: te criminantem intelligunt, me respondentem non intelligunt. Quam speciosam petis victoriam! Jam quod subjicis, non satis intelligo. Sic enim scribis: *Ego vero, neutrum verum, sed utrumque falsum dico. Primum Scripturas esse lucidissimas, deinde illos, quatenus liberum arbitrium asserunt, esse imperitissimos sacrarum Litterarum, tum illud neque vita neque morte, solum verò stylo, sed peregrinante animo asseruisse.* Hactenus contendisti Scripturas esse lucidissimas, & id nunc dicis esse falsum. Deinde semper asseruisti Veteres ex Scripturis perperam intellectis probasse liberum arbitrium, & nunc hoc quoque dicis esse falsum. His duobus annectis & tertium, videlicet falsum, quod hactenus voluisti videri verissimum. Sed faceslat verborum calumnia, quid scripseris in propatulo est, quid sentias satis conjecto. Quanquam hîc tu nullum faceres calumniandi finem, si quid effutissem ejusmodi. Pulchre vero hîc excusas veteres Orthodoxos, qui secus senserint, vixerint ac mortui sint, quam scripserunt de libero arbitrio. Ais solum stylum illorum effudisse blasphemiam, sed animo peregrinante. Sic excusantur qui per phrenesim peccant. Nec aliter excusas Ecclesiam, quæ illorum sententiam comprobavit, nec aliter Academias, nisi quod dum asserunt liberum arbitrium, mens domi non sit, sed peregrinatur apud *Sogdianos*. Ita-ne qui libris hoc professis asserunt liberum arbitrium, qui toties insulciunt in suis commentariis quod docuerunt, qui pugnant adversus eos qui dissentiunt, verisimile est solo stylo lapsos, alienata mente? Divus *Augustinus* si sine mente asseruit liberum arbitrium, cur in libris Retractationum saltem non resipiscit? Et illic asserit, quod asseruit, & hujus sententiæ tanto gravior est auctoritas, quod seipsum reprehendit in quibusdam, in quibus plus tribuerat libero arbitrio quam oportuit. Valde confirmat quod relinquit, qui sui judex carpit quod redundabat. An ideo mors vitaque discrepat à stylo, quod suis meritis diffisi totam salutem adscribebant Dei misericordiæ? Idem nos facimus qui asserimus liberum arbitrium. Quam commoda rima tibi hîc reperta est, qua possis elabi, quoties auctoritate Veterum urgeberis!

Non hoc senserunt, sed aberrante stylo, & animo peregrinante talia prodiderunt. Nec vides interim istud tuum commentum in te posse torqueri, non solum à nobis, verum etiam à tuis. Proinde quando tu, *Luthere*, dum elabi non potes è laqueo quæstionis, multum fumum oculis nostris offudisti, non tam *Proteum* agens quam *Cacum*: ego tibi rursus negotii summam atque epilogum ponam ob oculos. In Diatriba nego me velle pugnare tecum, auctoritate veterum Orthodoxorum, aut præjudicio Ecclesiæ, quæ jampridem tuum dogma damnavit, non quod existimem horum sententiam nihil habere ponderis, sed quod his armis nihil agerem apud te: verùm si contingeret, ut Scripturarum testimoniis pares videremur, & æqualitas suspenderet sententiam utroque nutantem, rogavi utrum æquum videretur, ut hoc rerum statu, certe tantillum haberet momenti Veterum auctoritas una cum Ecclesiæ decreto, ut procliviores simus in illorum sententiam quam in tuam. Nec hunc in modum eo loquor, quod vere nostra fluctuet sententia, sed ita fingo, quo tibi quoque probetur æquitas nostra, ne queri possis iniquis legibus tibi victoriam extortam. Pone igitur in medio liberum arbitrium, annis jam mille trecentis & amplius bona fide possessum ab Ecclesia Catholica. Pone te ex una parte Scripturarum præsidiis oppugnantem, me iisdem præsidiis defendentem. Adde spectatores mei similes, quibus omnia nostra videantur paria, cum tu simul & certator, & certaminis arbiter atque agonothetes esse postules, quis vel tibi vel mihi addicet brabeum, & cujus arbitrio liberum arbitrium servabitur aut jugulabitur? Quoties in judiciis variant utrinque pares sententiæ, perpendi solent circumstantiæ, nec jam numerantur sententiæ, sed expenduntur. Aliquid favoris tribuitur reo, defertur nonnihil ætati, dignitati & auctoritati partis alterius. Itidem ego proponebam, an nutante sententia deberent aliquid habere momenti, utriusque partis circumstantiæ. Statuimus te ad dextram, cum *Manichæo*, *Joanne Husso* & *Wiclevo*, quos omnes percussit Ecclesiæ fulmen. Dei judicia no-

bis ſunt incognita, adde, ſi voles, *Laurentium Vallam*, quanquam ille nec ex profeſſo tuetur tuam ſententiam, ſed victus difficultate cedit: & quantum *Laurentio* tribuas neſcio, primum homini rhetorico, deinde quæſtionem præſcientiæ, non ex divinis Litteris, ſed humanis rationibus, ac profanis exemplis tractanti: nam quod ais *Auguſtinum* totum pro te ſtare, ſatis mirari non poſſum, cum ille in libris Retractationum excuſet quædam in tribus illis libris, quos orſus *Romæ*, *Carthagine* abſolvit jam Presbyter, quod in his plus ſatis videatur tribuere libero arbitrio, nec juſtam habere rationem gratiæ, perſeverans tamen in ſententia, quod eſſet aliquid liberum arbitrium. Quid plura? Si *Auguſtinus* tecum ſenſit, cur jam ſenex librum oppoſuit iis qui diverſo rapiebantur errore, quibuſdam in totum negantibus liberum arbitrium, quod audirent tantum tribui gratiæ, aliis minus juſto gratiæ tribuentibus, cum audirent aſſeri liberum arbitrium. Sic habet in primo Capite. Caput ſecundum ſic orditur: *Revelavit autem nobis per Scripturas ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium.* Audis aſſeri liberum arbitrium, non ex ſomniis Philoſophorum, ſed ex auctoritate ſacrarum Scripturarum, & alicubi παλινῳδεῖ, quod *Origenem*, ni fallor, ſequutus ſcripſit, *noſtrum eſſe velle bona, cæterum perficere non poſſe ſine præſidio gratiæ*, non tamen abnegat liberum arbitrium. Jam quod alicubi dixit, *Deum operari in nobis & bona & mala*, quale ſit ſuo loco declarabimus. Nunc aliud agitur. Quare patiemur tibi adſtare *Laurentium*, *Joannem Hus*, & *Wiclevum*, ſed primum vehementer ob hanc ſententiam periclitatum, duos Eccleſiæ judicio damnatos, alterum etiam exuſtum in *Conſtantienſi* Concilio. Hic mihi ne protinus reclama: Satanæ fuiſſe ſententiam, non Eccleſiæ, nunc tantum hiſtoriam referimus. Aſſiſtant & amici tui, quorum tamen ſuffragio minus erit ponderis, vel quod in tua dogmata jurarunt, vel quod nec inter ipſos, nec tecum conſtanter idem ſapiunt. Et ſcis rejici teſtem domeſticum, nec ignoras teſtium fidem non alia re magis elevari, quam teſtimoniorum inconſtantia: Hic eſt tuus chorus. Ex adverſa parte ſtant illa præclara domus Dei lumina, in quibus tot excellentes ingenio viri, ſic exercitati in divina Philoſophia, tum Græci quibus prima ſemper fuit auctoritas in tractandis ſacris Litteris, tum Latini Græcorum æmuli, & in his tot vitæ ſanctimonia commendati, nonnulli etiam martyrio ſanguinis clari, quorum memoria toti populo Chriſtiano ſemper fuit in hunc uſque diem ſacroſancta: tot Epiſcopi, tot ſummi Pontifices, quorum ſententia tam longa ſeculorum ſerie recepta comprobataque fuit, tandem & publico Eccleſiæ decreto confirmata. Adde his conſentiens omnium Academiarum judicium, adde renovatam Theologorum & Eccleſiæ cenſuram. Denique adde tam longam temporis præſcriptionem. Nonne ſignis evidentiſſimis opus eſt, quo nobis perſuadeas, ut tecum profiteamur, tam venerandum Patrum chorum, una cum Eccleſiæ proceribus penitus cæcutiſſe in ſacris Litteris, ſpiritu Satanæ fuiſſe actos, aut, ut clementiſſime dicatur, mente alienata tuliſſe ſententiam, hæreticam, impiam, blaſphemam, adverſus clariſſimam Scripturam, & in ſummam humani generis perniciem: utque deſciſcentes à patribus noſtris, quorum doctrina, legibus & auctoritate hactenus aliti, rectique ſumus, ſpreta matre, cujus lacte nutriti ſumus, deſerta tanta populi Chriſtiani ſodalitate, cui tot annis aſſuevimus, ſummo rerum vitæ & animarum diſcrimine concedamus in tuum fœdus, in quo præter homines eoſque paucos, & inter ſe diſſidentes, acreſque aſſertiones nihil videmus. Dignitate, auctoritate, vetuſtate, ingenio, doctrinaque videris illis ultro cedere. Miracula vocas in dubium, ſed hæc tamen publica conſtanſque populi Chriſtiani opinio jam olim commendat, cum ne ſuſpicio quidem, aut rumor ſimilis ſit de vobis. Nam quod cavillaris neminem illorum per liberum arbitrium edidiſſe miracula, ad id jam reſpondi. Rurſus in dubium vocas ſanctimoniam vitæ, pro illis tamen ſtat opinio. Nec mihi libet hanc partem urgere. Movet nos illorum auctoritas, movet quam in te tuiſque videmus aſſeverandi conſtantia, (ſic enim finxeram) ſed ab Eccleſia noſtra recedere non audemus, noſtramque ſalutem tuæ fidei committere. Quod ſignum oſtendis ut tibi potius credamus quam illis? Jam ut donemus tibi eſſe Spiritum quem fortiter arrogas, tibi uni Scripturas omnes eſſe luciditſimas, hoc ut verum ſit, tibi verum eſt: nobis, ut ipſe fateris, nihil prodeſt: promittebas itaque claritatem externam Scripturæ divinæ, quæ perſuaderet omnibus tuam interpretationem eſſe veriſſimam, & aliorum omnium, quamlibet multorum, magnorum, quamvis ſanctorum aut eruditorum, eſſe falſam, cæcam & peſtiferam, quam quiſquis ſequatur recta properat ad inferos. Nemo ſanus credidit *Donatiſtis*, magna aſſeveratione ſuadentibus, apud reliquas Eccleſias omnes periſſe baptiſmi gratiam, nec uſquam manſiſſe incorruptam, niſi in ipſorum Eccleſia. Et tu vis nos ſtatim credere, tot ſeculis per Satanam fuiſſe velatum Euangelium, quod nunc per te patefit, nec apud ullos eſſe ſinceram Scripturarum interpretationem, præterquam *Wittenbergæ*. In re tam incredibili, tamque periculoſa, non ſat fuerit, aſſertionibus & vulgaribus argumentis agere: evidentia, certa, demum Achillea proferas oportet. An hîc teſtimoniis Scripturarum utrinque productis advocabis ſenſum communem, qui controverſiam dirimat? Et Spiritum & ſenſum communem, & divinæ Scripturæ perſpicuitatem utraque pars ſibi vindicat. Nunc quod tu tam prolixe de obſcuritate luceque Scripturarum diſſeruiſti, minimum ad rem pertinet. Fac Scripturas lucidiſſimas, quid faciemus nos imperiti, qui videmus utramque partem ſibi pari contentione aſſerere Spiritum qui patefacit myſteria, & ſummam Scripturæ perſpicuitatem? Fac alicubi obſcuras, quid faciemus, cum utrique alteris objiciatis cæcitatem?

Utcunque hæc habent, nos certe pendemus in ancipiti, nec interim liberas vel fidem tuam, exhibito promiſſo, vel nos, ademta nobis ambiguitate. Fortaſſe redibis ad illas conjecturas, quas ante nobis proferre cœpiſti: *Scio meam conſcientiam eſſe ſinceram, ſcio me Spiritu Dei agi, pecuniam nec habeo nec affecto, gloriam nihil moror, quid autem ſperem voluptatis in tantis laboribus ac periculis?* Hæc, *Luthere*, ſic recipimus abs te dicta, ut optemus eſſe vera, ſed tamen nobis non perſuadent, nec profers illam externæ claritatis πληροφορίαν, ſed cogere potius tentas quam allicere. Fieri poteſt ut talis ſis qualem te prædicas, id tamen citius crederemus, ſi in tuis ſcriptis minus eſſet arrogantiæ, minus amarulentiæ, minus ſtropharum & vafritiei, quantum ſi viderem in litteris Apoſtolorum, dubitarem illis habere fidem. Nam ſimilia puto & *Manichæos* & *Donatiſtas* dixiſſe, Non affecto pecuniam, non gloriam, non cætera hujus Mundi commoda. Sunt Spiritus *plani* juxta *Paulum*, & Spiritus Satanæ transfigurat ſeſe in Angelum lucis, nec tutum eſt cuivis ſpiritui credere. Quod ad famam attinet, non poſſis optare majorem, eaque tibi brevi temporis ſpatio quæſita eſt, late regnas in animis hominum, tot factionibus armatus es, habes theatrum miris applauſibus perſtrepens, ſummatibus magis formidabilis es quam amabilis: habes tuum ſatellitium, habes emiſſarios & veredarios, habes qui tecum ſcribant, habes qui ſcripta tua vertant Germanice. Quid ſupereſt niſi diadema? Hic rerum ſucceſſus poſſet vel incorruptum animum corrumpere. Quantum habeas pecuniæ non laboro, opinor tamen in cæteris quoque rebus paulo commodius habere, quam habiturus eras, ſi non moviſſes hanc Camarinam. Certe multos novi, quibus Euangelium iſtud & cenſum, & uxorem, aliaque multa commoda peperit, cum antea frigerent. Nunc ſi præmium audire vis adulationis meæ, ſic enim interpretaris: Dimidium fortunulæ meæ perdidi, ne contra te retiarium agerem, multamque ſuſpicionem & invidiam lucrifeci, cæterum teruntio non ſum factus ditior, & animum eſſe

esse mihi harum rerum contemtorem vel illud argult, quod fortunam amplam, cum dignitate conjunctam, jam non semel recusavi. Sed non permitto mihi ut de tuo judicem animo: habet ille suum Judicem, qui solus novit occulta cordium. Hoc exigimus, ut nos de tua doctrina certos facias, id quod te facturum receperas. Id si non potes, patere nos oviculas & simplices sequi vocem Ecclesiæ. Dices, satisfactum esse iis qui spiritum hauserunt è scriptis tuis. Utinam posses impositis manibus dare spiritum bonum! nam de spiritu, qui hauritur è tuis libris, vehementer dubitamus. Non hîc referam experimenta mea: tantùm hoc dicam quod est in propatulo, calami tui violentiam & supercilium imitantur permulti. Visus est olim mihi *Jonas* mansueti sanique ingenii: librum, quem scripsit in *Joannem Fabrum*, attente cœperam legere, cupiens discere, quibus argumentis rem evinceret. Tantum illic obstrepebat convitiorum, ut tædio coactus sim librum deponere: nullus enim modus aut finis. Idem mihi usu venit in tua *Missa abrogata*, aliisque nonnullis Opusculis. Hîc videlicet distinguis fidem & caritatem: fidem ais sævire, caritatem omnia perpeti. At sævitiam videmus, caritatem illam omnia perpetientem non sentimus. Nec perpendis interim quantopere lædas causam tuam ista calami licentia, quem nunc in hunc, nunc in illum stringis, levium hominum instinctu. Et nisi me plane fallunt omnes conjecturæ, ad hanc postremam debacchationem te propulere quidam è tuis, non alia re offensi, quam quod ab opinione *Carolstadii* de Eucharistia dissensi, rogatus sententiam. Hunc dolorem suum per te voluerunt ulcisci, cum hac in parte starem abs te. Si Diatribam liberis rationibus ac fortibus argumentis obruisses, nec me vel tantulum offendisses, fortasse & in tuam sententiam pertraxisses, à qua non ita multum abhorret animus, si tantum Scholarum esset, non etiam Ecclesiæ dogma, & apud alios minus odii, plus fidei tibi parasses. Ego te ad disputandi, non convitiandi certamen provocaram. Et vides quantam voluminis tui partem convitiis occuparis. Verùm facessant hæc.

Prolixæ disputationis, qua meæ Diatribes præfationem oppugnas, hanc clausulam facis: *Quare hanc disputatiunculam sic concludo: Per Scripturam ut obscuram hactenus nihil certi definitum est, nec definiri potest, de libero arbitrio, te ipso teste: per vitam vero omnium hominum ab initio mundi nihil ostensum est pro libero arbitrio, ut superius est dictum. Docere igitur aliquid quod intra Scripturas non est ullo verbo præscriptum, ullo facto monstratum, hoc non pertinet ad dogmata Christianorum, sed ad narrationes veras* Luciani, *nisi quod* Lucianus *joco & prudenter de rebus ludicris ludens neque fallit neque ledit: Isti vero nostri in re seria, & quæ ad æternam salutem pertinet, insaniunt in perditionem innumerabilium animarum. Sic & ego absolverim totam hanc quæstionem de libero arbitrio, etiam testimonio adversariorum mecum faciente, & illis ipsis pugnante, quod fortior probatio nulla sit, quam ipsius, qui reus est, propria confessio, & testimonium contra seipsum.* Habemus bellam conclusionem bene navatæ disputationis. De obscuritate jam satis dictum est. Finxi obscuritatem illic esse, ubi variant interpretationes. Eam fictionem si probas, simul fatere & tuas scripturas, quibus jugulas liberum arbitrium, esse ambiguas & obscuras. Quod si abnuis, nostro jure reposcimus quod concesseramus. Nec ego per vitam Orthodoxorum probo liberum arbitrium, sed in pari testimoniorum numero pondereque volo nonnihil habere momenti probatam testium vitam: veluti si in judicio par sit utriusque partis argumentatio, varientque testes, citius creditur viro qui fortiter pugnavit pro patria, qui sancte gessit magistratum, quam ei, cujus probitas nullo populi testimonio commendatur, sed improbitas potius famosa est. Dices quid illius fortiter gesta, quid magistratus faciunt ad causam in qua testem agit? Hoc faciunt, ne quis facile suspicari possit eum in hac causa vel mentiri vel falli, qui in aliis multis integri prudentisque viri specimen evidens dederit. Jam si præscriptum est in Scripturis dogma de libero arbitrio, cur rejicis testimonia Patrum ex sacris Libris depromta? Si non est, cur asseris sine Scriptura? Sin utraque pars alterius interpretationem rejicit, ut non sit obscuritas in sacris Litteris, certe nobis indoctis est ambiguitas, nisi quod Ecclesiæ decretum non sinit nos fluctuare. Et ideo disputans fingo vacillationem, quia præfatus fueram, me non usurum præsidiis Ecclesiasticæ censuræ. Si nihil extra Scripturas recipis quod non sit divinitus monstratum, cur recipis perpetuam *Mariæ* virginitatem? Hoc in Scripturis non exprimitur, nec ullo miraculo divinitus monstratum est. Si perpetuum Ecclesiæ consensum imputas pro miraculo, eundem imputabimus tibi pro libero arbitrio. Nec satis erat tibi dixisse, nihil esse recipiendum quod non sit expressum in sacris Litteris, aut signo monstratum divinitus, nisi addidisses hyperbolen, de veris *Luciani* narrationibus. Itane quicquid à Veteribus proditum est de vita martyrioque Sanctorum, quicquid habet Ecclesiastica historia, ad hæc Veterum exhortationes & instituta, Præsulum constitutiones, nihilo plus habent ponderis, quam *Luciani* veræ narrationes? Legitur in templis martyrium S. *Andreæ*, S. *Laurentii*, & aliorum, in quibus celebres Ecclesiæ Doctores exercuerunt suam eloquentiam. Et hæc omnia nihil aliud sunt, quam *Luciani* ridiculæ fabulæ? Hic jocus, *Luthere*, poterat tibi alias tempestivius dici. Ubi nunc igitur ille confitens reus? Imo reclamat ille clare, docetque hæc omnia, quæ assumis, esse falsissima. Unde consequitur & tuam conclusionem nihilo veriorem esse, quam sunt ea, quæ assumis ut confessa. Quorsum autem attinebat & illud admiscere convitium: *Isti in re seria, & quæ ad æternam salutem pertinet, insaniunt, in perditionem innumerabilium animarum.* An non sentis istam blasphemiam recidere, non in me tantum aut hujus temporis Theologos & Pontifices, sed in probatissimos quosque Ecclesiæ Doctores, ab ipsis pene Apostolorum temporibus in hunc usque diem, in universum populum Christianum, quem probabile est eam tenuisse sententiam, quam à suis Doctoribus acceperat? Et addis, *In perniciem innumerabilium animarum.* Atqui paulo ante cum Diatriba tibi impingeret, quod acerbitate & paradoxis multos alienares, respondebas nihil esse periculi, solos impios qui pereunt offendi, electos in tuto esse. Siccine in tuto sunt, qui tuum dogma sequuntur, & pereunt qui consentiunt tot Orthodoxis, & Ecclesiæ definitioni? Et ubi nunc est illa religio, qua querebaris quod te ponerem pessimo loco, in quo cogereris aut cedere, aut adversus tantos viros aliquid dicere? In eo loco te ipsum posueras, antequam ego collocarem. Quoties enim illis impegisti imperitiam Scripturarum, cæcitatem, sacrilegium, blasphemiam? hîc addis insaniam, quemadmodum paulo ante, mentem alienatam. Et de me quereris, quasi non soleas tua sponte in illos dicere, quicquid libuit. Si vera prædicares, quis tamen pius ferre posset impiam calami tui licentiam? Nunc cum falsa prædicas, multo minus ferenda est. Hic est tuus, *Luthere*, triumphus ante victoriam. Nunc accingeris ad pugnam, & in manibus est victoria, si leges, quas victores victis solent præscribere, nos ante congressum accipere velimus. Primum miro stomacho soles rejicere, quicquid è Scholis Theologorum adferretur, nunc omnia trahis ad sophisticam rationem, non ob aliud, nisi ut mihi parum in illis exercitato tenebras offunderes, hoc est, quod dici solet, Canterium in fossam protraheres. Atqui nihil soles admittere, nisi quod habent divinæ Litteræ, & his solis tecum congrediebar: tu mutatus in diversum, pertrahis nos in medias Sophistarum spinas, quæ si tibi tam deessent quam sunt invisæ, frequenter hæreres perplexus. Et sic rejicis illorum præsidia, quoties commodum est, ut nobis aliam sophisticam non minus sophisticam objicias, novasque comminiscaris elabendi rimas. Quantum enim hîc est di-

distinctionum, quæ faciunt necubi possis comprehendi? Distinguitur Lex ab Euangelio, sed sic ut utrumque sit in utroque, interna Scripturæ claritas ab externa, Deus à Scriptura, Deus prædicatus à non prædicato, spiritus Euangelicus à spiritu erroris, opinio negativa, quæ nihil probat, ab affirmativa, cujus est probatio. Ostenditur duplex ostensio spiritus: duplex canon, caritatis & fidei: duplex necessitas, operis & temporis, rursum coactionis & immutabilitatis: duplex omnipotentia Dei, naturæ & operationis: duplex respectus ad superiora & inferiora: discernuntur indicativa verba ab imperativis & subjunctivis, stylus à vita morteque secernitur, à precatione disputatio: denique distinguitur Ecclesia, quæ videtur esse cum non sit, ab Ecclesia, quæ non videtur esse cum sit: distinguuntur sancti, qui cum videantur non sunt, à sanctis qui habentur pro impiis, cum vere sancti sint. Non hæc recenseo quod omnes tuas distinctiones improbem, sed quod tibi sumas in sacris Litteris explicandis quod aliis non permittis, & aliorum distinctiones soleas exsibilare, cum tuas haberi velis pro oraculis. Nobis occludis omnem exitum, & tibi vis patere tot cuniculos. Nunc vide quas leges præscribas nondum victor, Deponite quicquid armaturæ suppeditant orthodoxi Veteres, Theologorum Scholæ, auctoritas Conciliorum & Pontificum, consensus tot seculorum, ac totius populi Christiani. Nihil recipimus nisi Scripturas, sed sic ut penes nos solos sit certa auctoritas interpretandi. Quod nos interpretamur, hoc sensit Spiritus Sanctus, quod adferunt alii quamvis magni, quamvis multi, à spiritu Satanæ, & alienata mente profectum est. Quod Orthodoxi docuerunt, quod auctoritas Ecclesiæ tradidit, quod populus Christianus amplexus est, quod Scholæ defendunt, exitiabile venenum est Satanæ: quod ego doceo, spiritus est vitæ. Credite in Scripturis nihil prorsus esse obscuritatis vel quod egeat judice, aut, ut omnes cæcutiant, ego non cæcutio. Nam conscius mihi sum, me habere Spiritum Christi, quo possum de omnibus judicare, nemo de me. Nolo judicium, sed requiro obsequium. Neque quenquam vel tantillum moveat multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, miracula, sanctitas, Ecclesiæ sanctorum, omnes perierunt si sensérunt ut scripserunt, nisi qui forte resipuerunt ante supremum vitæ diem. Qui meis probationibus diffidunt, aut carent sensu communi, aut blasphemiam committunt in Spiritum Sanctum, & subvertunt Christianismum. Hujusmodi leges si recipimus, nimirum tua est victoria. Rursum postulas, ne quid fidamus veteribus Orthodoxis, quod nonnunquam inter se varient, cum inter vos paucos tanta sit controversia, de Prophetis, de imaginibus, de disciplinis, de baptismo, de Eucharistia, & vis ut nihilo secius credamus vestris dogmatibus, præsertim cum quotidie exspectemus nova. Et blasphemi vocamur, quod adhuc hæreamus Ecclesiæ veteri, nec audeamus tuis castris adjungi, & occinitur nobis illud ex Euangelio: *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, spargit.* Nihil hîc affingo, certa notaque loquor. Nunc operæ pretium est videre, quam non simpliciter tractas Diatribam, nihil non depravans, nihil non calumnians, nihil non damnans, plus fidei tibi conciliaturus, si quædam probares, videreris enim cætera judicio damnare, non morbo. Quis enim est tam malus scriptor, ut non aliquid admisceat probandum?

73. Exagitatur etiam cumprimis nostra definitio, quam ita propono disputaturus: *Liberum arbitrium est vis humana voluntatis, qua se possit homo applicare ad ea quæ perducunt ad æternam salutem, aut ab iisdem avertere.* Hanc descriptiunculam, cum non in aliud proposuissem, quam ut ostenso scopo, non latius vagaretur disputatio, quam oporteret, congeritur hîc quicquid in Sophistarum Scholis garriri solet à pueris. Objicitur quod non explicuerim partes definitionis, nimirum naufragium non unum veritus, cum tamen id soleat ab aliis fieri. Solet, sed qui de re, parum nota, aut controversa, disputationem instituunt, mihi de re jam à tam multis tractata brevis conflictatiuncula erat suscepta, nec mihi sumsi personam è cathedra docentis classem discipulorum, aut scribentis commentarios in opus perplexi Scriptoris, ut singulæ definitionis partes mihi fuerint vel defendendæ vel explicandæ. Sciebam liberum arbitrium à diversis varie definitum, tu compendio definis, *nomen sine re.* Perlongum erat aliorum definitionibus vel rejiciendis aut asserendis vel explicandis immorari. Decreveram in hac arena non diu morari, & alioqui supervacaneum erat vocem notam & à multis definitam describere. Cur igitur definis? Non tam definio vocis rationem, quam contraho ad id quod in præsentia susceperam agendum. Mentior, nisi hoc indicant mea verba: *Porro liberum arbitrium hoc loco sentimus*, &c. Quid significat *hoc loco?* Nihil aliud, quam hactenus hîc de libero arbitrio disputabimus, ne quis exspectet quicquid de libero arbitrio potest aut solet disputari. Jam quorsum attinebat hîc explicare singulas definitionis partes, quod solent hi qui pueris *Aristotelem* prælegunt in Scholis; cum ipsa disputatio progrediens id faciat? Solent Scriptores summam rei, de qua loqui destinarunt, veluti scopum ostendere. Idem facio in Diatriba. Et ingeritur altera calumnia sophistica. *Quod definitur, latius patet quam ipsa definitio. Est enim liberum arbitrium Dei, quod unum vere potest dici liberum. Est aliquod liberum arbitrium in Angelis, & tu adstringis ad hominis voluntatem.* Jam respondi me ideo hæc præfatum, ut ab hac conflictatiuncula excluderem disputationem de arbitrio Dei, Dæmonum aut Angelorum, præsertim cum assertio tua non impugnet nisi hominis arbitrium. Sed gravius flagitium est, quod vox, quam definio, pugnat cum ipsa definitione, hoc est, *quid nominis*, cum eo quod est *quid rei.* Agnosco Scholæ puerilis vocabula. *Quisquis enim*, inquis, *audit liberum arbitrium, accipit proprie dici quod potest & facit erga Deum, quæcunque libuerit, nulla lege, nullo imperio cohibitum. Etenim si servus, qui degit sub imperio domini, liber dici non potest, multo minus hominis voluntas, quæ subjecta est imperio Dei.* Proinde magis tibi placet ut *vertibile* dicatur, quam *liberum.* Primum quod hujus vocis honorem contendis soli Deo proprie congruere, quale sit jam ante discussimus: neque nos homini tribuimus arbitrium simpliciter liberum, quod ex disputatione satis liquet. Cur igitur abuteris voce? Ego hujus vocis repertor non sum, quare magis decet ut super hac re expostules cum omnibus veteribus, ac recentioribus, atque adeo cum ipso etiam *Augustino*, qui cum minimum tribuat libero arbitrio, tamen in titulis voluminum, totaque disputatione abutitur recepto vocabulo. Cæterum quod ais hanc vocem omnium auribus nihil aliud significare, quam liberam potestatem faciendi erga Deum quicquid libuerit, &c. res longe secus habet inter Christianos. Recte monet *Augustinus*, nos ad certam regulam sobriis & propriis verbis debere loqui, sed ipse tamen qui hoc monet, quoties inculcat in libris suis nomen liberi arbitrii, nec ipse temperas à recepto vocabulo, quam sobrius in novandis Ecclesiæ vel dogmatibus vel verbis, norunt qui tua legunt, & mihi nunc occinis *Augustini* monita, quod ab omnibus recepta voce sum abusus. Deinde exigis hîc dialecticam & philosophiam Ethnicam, quam soles pestem rei Christianæ vocare. Sed utrumque donas & abusum vocis, & definitionem ad hominem restrictam. Quid autem donas, si concedis jus publicum? Aut quid mihi largiris, si demonstro lectori, quatenus sim hîc loquuturus de libero arbitrio? Nihil enim aliud agit illa mea descriptio, nisi quod lectorem præmonet, non audies hîc de libero arbitrio Dei, Angelorum aut Dæmonum, aut si quod est brutorum animantium, sed de eo quod tribuitur humanæ voluntati, nec discutiemus quid possit in rebus levioribus, quæ non conducunt ad æternam felicitatem, sed duntaxat quid

Digitized by Google

quid agat in his quæ pertinent ad æternam salutem. Si non est fas de re quapiam disputare, nisi partes illius omnes, & his adhærentia persequaris, peccatum est à pluribus Scriptoribus. Si commode facit, qui ostendit quid lector exspectare debeat, quid non, quid est tandem quod mihi condonas? Sed rursus alia calumnia definitionis. *Petrus Lombardus* & Sophistæ faciunt geminam liberi arbitrii vim, discernendi, quæ propria est intellectus, & eligendi seu rejiciendi, quæ propria est voluntatis. At mea definitio tantum attingit vim eligendi aut rejiciendi. Itaque dimidiatum modo arbitrium propono. Respondeo paucis. In hac quæstione libertatis, primas tenet voluntas, qua, ut inquit *Augustinus*, peccatur & recte vivitur. Ab hac quanquam non est sejuncta ratio, neque enim voluntas proprie dicitur, quæ sensum aut affectum sequitur potius quam rationis judicium, tamen id ponere maluimus, quod in hac disquisitione præcipuum, & solum libertatis est capax, præsertim cum eo proposito, simul & illud intelligatur, quod natura præcedit, veluti si quis loquatur de expetendo honesto, simul complectitur & illa quæ secernunt honestum ab inhonesto. Et in progressu disputationis attingo quod satis est de judicio rationis.

74. Nunc perinde quasi sedeamus in Scholis *Chrysippi*, ad vivum exigitur nostra descriptiuncula. Objicitur obscuritas, & singulæ particulæ rigido examine discutiuntur. Definitio non una de causa solet adhiberi, interdum quo natura rei, qua de agitur, possit cognosci, nonnunquam res notissima tantum attingitur, tanquam titulo, veluti si quis disputet hodie de Anatomia, nihil habet opus apud eruditos Medicos definire quid sit Anatomia. Satis est titulus. Nonnunquam additur definitio vel notatio potius, ut admoneatur auditor, quid debeat exspectare, quid non: veluti si disserturus de animalibus, ne lector exspectet quicquid de naturis, de partibus, de generationibus, de morbis, de medicinis dici solet, sic admoneat: Hæc disputatio tractabit de animantibus terrestribus ac maritimis, sed his dumtaxat quæ veneno noxia sunt. Nec alio consilio adhibita est nobis illa notatiuncula, in re jactata jam, & omnibus eruditis notissima. Sed age, qualis qualis est, non deprecor severam excussionem, nec tam reformido tuam censuram, quamvis iniquam, quam arbitraris. De abusu nominis jam responsum est, nec feram hoc mihi sæpius objici. Aperta sunt hæc, ut ais, *vis humanæ voluntatis*. Item, *qua se potest homo*. Item, *ad æternam salutem*. Rursus obscura sunt ista, *Applicare* & *avertere*. Item, *ad æternam salutem*, item *perducunt*. Vim voluntatis humanæ interpretaris potentiam vel facultatem, vel habilitatem, vel aptitudinem, volendi, nolendi, eligendi, contemnendi, approbandi, refutandi, & si quæ sunt aliæ voluntatis actiones. *Applicare* & *avertere*, non vides quid sit, nisi ipsum velle aut nolle, probare aut reprobare, quæ sunt actiones à potestate voluntatis elicitæ. Et fingis vim illam esse medium quiddam inter voluntatem & voluntatis actionem definitam. Et hîc citatur, si Deo placet, regula Juris, ne nesciremus tibi Jureconsultum fuisse à consiliis cum hæc scriberes. Scio in Pandoram istam Deos omnes contulisse quod habuit quisque præcipuum. At quid tandem præscribit regula Juris? *Sermonem obscurum adversus eum interpretandum esse, qui sic loquutus sit.* Sed quid præscribit regula caritatis, quam tibi vindicas? Omnia in meliorem partem esse interpretanda, & qui firmior ac doctior est, eum servire infirmitati alienæ. Nunc vide quam absis à caritatis regula, qui superes etiam Juris regulam: illa non vult prodesse sermonis obscuritatem ei, qui fortasse prudens dataque opera sic loquutus est, ut falleret: tu dilucide dicta obscuras, quo locum facias calumniæ, sicuti mox aperiemus. Sed ad rem, hactenus tolerabilis est tua interpretatio. *Quæ ad salutem perducunt*, interpretaris verba & opera Dei, quæ offeruntur voluntati humanæ ut eisdem sese applicet vel avertat. Verba Dei dividis in Legem & Euangelium, Lege exiguntur opera, Euangelio fides. Negas enim te videre alia, quæ vel ad gratiam Dei vel ad salutem æternam perducunt, nisi verbum & opus Dei, quod gratia vel spiritus sit ipsa vita, ad quam verbo & opere divino perducimur.

Sed hæc, inquis, *vita vel salus aterna, res est incomprehensibilis humano intellectui*, perperam igitur tribuo voluntati humanæ vim applicandi sese, cum nullum hominis cor possit nosse quid hæc sunt, nisi Spiritus ea revelarit. Et *Pauli* testimoniis, addis argumentum ab experimentis, de Philosophis, *Portio Festo*, & *Plinio*, qui deriserunt resurrectionem Euangelio promissam. Adjicis nec hodie deesse, qui hunc articulum fidei, ceu fabulam rideant, licet voce styloque jactitent se credere. Hactenus impia non sunt quæ dicis, sed quæ non lædunt meam definitionem. Porro quod optas ne ego sim eodem fermento adspersus, libenter accipio tuam precationem, idemque tibi vicissim precor, nisi quod istud tuum votum suggillatio est meæ fidei. Ari mea fides sit sufficiens ad salutem viderit Dominus. Certe ficta non est, nec aliud in corde sentio quam scribo, & quotidianis precibus interpello *Christi* misericordiam ut mihi fidem adaugeat. Miror autem, cur te huic voto admisceas, cum profitearis te certum esse quod habeas Spiritum omnia largientem, quod utinam sit verissimum, & mea suspicio sit vanissima! Videris autem hic arte palæstrica temetipsum submittere, quo me dejicias, idque pro tua solita simplicitate. Audivimus callidam interpretationem meæ definitionis, ex regula Juris nimirum in me detortam, audiamus nunc terribiles ἀπροφοὰς eadem arte colligentis. 75.

„Docet *Erasmus* liberum arbitrium esse vim volun- 76.
„tatis, quæ potest à seipsa velle & nolle verbum &
„opus Dei, quibus ducitur ad ea, quæ excedunt &
„sensum & captum ejus: si vero potest velle & nolle,
„potest & amare & odisse, potest & aliquantulum fa-
„cere Legem & credere Euangelio: quia impossibile
„est si aliquid velis aut nolis, ut non aliquid operis ea
„volantate possis, etiamsi aliquo prohibente perficere
„non possis. Jam inter opera Dei quæ ad salutem per-
„ducunt, mors, crux & omnia mala mundi numeren-
„tur, poterit humana voluntas, & mortem & sui per-
„ditionem velle. Quin omnia velle potest, dum ver-
„bum & opus Dei velle potest. Quid enim supereſt,
„nisi Deus ipse? Quid tandem? Nihil hîc tribuo gra-
„tiæ, sed libero arbitrio plane divinitatem quandam
„attribuo. Accurrite omnes augures, aruspices, No-
vum portentum audite. *Erasmus* ex nihilo Deum fa-
cit. Pandite nunc *Helicona* Deæ, hîc patet *Luthero* campus expromendi tragicam facundiam. *Erasmus* longe superat impios Sophistas, qui utcunque sentiunt, parcius certe loquuntur de libero arbitrio. *Pelagianus* est, imo longe superat *Pelagium*, quod is divinitatem quidem tribuit libero arbitrio, sed toti. *Erasmus* idem tribuit dimidiato. O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni! Est ne amplius? Est, excedit ipsos etiam Philosophos Ethnicos. Quid ita? Quia cum nondum inter Philosophos conveniat, an aliquid moveat seipsum, mihi liberum arbitrium non solum movet seipsum idque suapte vi, sed applicat etiam ad ea quæ sunt æterna, id est incomprehensibilia sibi. Horrenda narras. Sed etiam ne amplius? Est, *Erasmus*, qui hactenus impietate superavit omnes, tandem & seipsum superat. Quî sic? Quia cum antea fassus sit liberum arbitrium inefficax esse, sine gratia, hîc definit, humanam voluntatem eam habere vim, qua possit ex sese applicare se ad ea quæ sunt æternæ salutis. Hîc interim dissimulo, quod pro *potest* mutaris, *efficax est*, & pro *inefficax* posuisti *prorsus inefficax*, ut verba magis servirent calumniæ, & scomma negligo de joco nominata gratia, quam hîc serio loquens prætermisi. Venimus ad summum. Quid supereſt, nisi cantio triumphalis?

Jam addit Epiphonema. *Vides-ne*, *mi* Erasme, *hac definitione teipsum prodi*, *imprudenter credo*, *quod harum rerum nihil omnino intelligis*, *vel prorsus incogitans & contemnens de illis scribis*, *ignarus quid loquaris*, *vel*

Digitized by Google

quid affirmes. Nunc audi contrà, *Luthere*, donec oſtendam, quantum te hîc prodas præſtigiorum artificem, & quos fumos, quam horrendas ſed inanes ac vanas rerum imagines nobis ob oculos offuderis. De abuſu vocabuli jam ſæpe dictum eſt, & iſtam cantilenam toties fruſtra recinis, de dimidiato libero arbitrio modò propulimus calumniam. Quid enim aliud eſt quam calumnia, in mea definitione deſiderare quod mox in definitione Theologorum damnas? Sic habet tuus ſermo: *Deficiunt & in hoc Sophiſtæ, quod libero arbitrio vim diſcernendi bonum à malo tribuunt.* Minus igitur pecco quam illi. Atqui hinc colligis me peccare gravius. Tantum vales Dialectica. Tu profeſſus te craſſius velle loqui, prudens etiam dilucidis invexiſti caliginem. Accipe igitur craſſiora. Ego vocibus è media loquentium conſuetudine ſumtis, appello ſalutem æternam, qua fruemur jam immortales apud Deum. Num quid hîc eſt caliginis? nam hîc interim in ſpe ſumus & arrham tenemus, promiſſum exſpectamus. Porro quæ ad hanc felicitatem ducunt, appello omnia per quæ ſuſcitatur animus noſter, ad qualemcumque appetentiam illius felicitatis, ſive ea ſit efficax, ſive inefficax. *Avertere* quid ſit intelligis, cum quis oblatam gratiam negligit, magis diligens tenebras quam lucem. Quod igitur huic opponitur, vocavi *applicare*, hoc eſt, præbere ſe gratiæ. *Sed excludis*, inquis, *gratiam Dei.* Imo hæc ipſa verba *applicandi*, & *avertendi*, ſignificant eam non excludi. Nemo ſe applicat, niſi admonitus aliquo ſenſu rei expetendæ. Nemo ſe avertit, niſi ab eo quod offertur. Cum ſyllabas meæ definitionis excuteres, debebas & horum verborum emphaſim excutere: ſimul & illud annotare, quod non dixi *poteſt*, ſed *poſſit*, veluti deſiderans aliquid præter naturæ vires. Dices, cur non expreſſiſti *gratiæ* vocabulum in tua definitione, cum ante profeſſus ſis liberum arbitrium inefficax eſſe ſine gratia? Quin tu potius homo plenus Chriſtianæ caritatis, quæ nihil agit perperam, interpretaris in definitione ſubaudiendum, quod in Diatriba toties inculco; cur tibi non ſufficit gratiam duobus illis verbis ſignificatam eſſe? Quod ſi urges, cur hîc non expreſſe nominarim gratiam, dicam, nondum diſtinxeram gratiæ vocabulum in gratiam naturalem, in gratiam præparantem vel imperfectam, & in gratiam efficacem, & abolentem peccatum. Nec ſatis etiamnum convenit inter Theologos, an ſine ſpeciali gratia poſſit homo per facta moraliter bona exambire Dei gratiam efficacem, nec-ne. Utrique ſententiæ locum reliquit mea definitio, quod neutram omnino refellam, licet in eam propenſior, quæ plus tribuit gratiæ. Sed excludo Spiritum Sanctum, ut ais, cum omni virtute ſua, tanquam ſuperfluum & non neceſſarium. Unde id conjectas, ὦ βέλτιστε? Ex una videlicet ſyllaba, *ſe*. O potentem ſyllabam! Imo illa ſyllaba nihil aliud efficit, niſi ut intelligas, naturæ vires non eſſe prorſus otioſas, cum monemur à gratia. Et ſi recipimus illorum opinionem, qui docent abſque ſpeciali gratia, per naturæ vires, quæ tamen ipſæ ſunt dona gratuita Dei, quoſvis poſſe eouſque niti, ut Dei miſericordia non ſit illis defutura, qui quod in ipſis eſt præſtiterint, hîc verum eſſet quod voluntas abſque gratia ſeſe applicat ad ea, quæ perducunt ad ſalutem æternam. Ut enim nemo repente fit turpiſſimus, ita paulatim & gradibus quibuſdam adducimur ad perfectum Dei donum: veluti quibus in denſiſſimis tenebris verſantibus, primum rareſcit caligo, deinde dubia quædam lux procul oſtenditur, donec perſpicue videant: nam hæc comparatio placuit *Auguſtino.* Proinde inter ea quæ perducunt ad æternam ſalutem etiam illa numero, quæ procul admonent, quaſique pulſant animum ad deſiderium æternæ ſalutis. *At non deſiderat*, inquis, *niſi qui novit, & qui novit jam habet.* Imo qui deſiderat, nec habet, quod optat, nec omnino caret. Admonet autem nos variis modis Deus, interdum per lucem naturæ, per quam intelligimus virtutem propter ſeſe expetendam, & turpitudinem propter ſeipſam fugiendam, nonnunquam rebus adverſis. Interdum lectione, aut admonitione amicorum, interim & leni ſibilo Spiritus. *Auguſtinus* antequam hauſiſſet Spiritum *Chriſti*, ſtudioſe legebat Epiſtolas *Pauli*, & aliquouſque profecit, propior factus luci gratiæ. Magis autem accenſus eſt oratione *Potitiani*: ut demus hîc non defuiſſe Dei gratiam, certe erat imperfecta, nondum liberans à peccato, ſed properans ad uberius donum. Verùm ab ea gratia ſi ſe avertiſſet, ipſe ſibi fuiſſet cauſa exitii. Nunc præbuit ſe vocanti gratiæ, & aſſequutus eſt ſalutem. Igitur inter ea, quæ ducunt ad ſalutem, non ſolum pono verbum & opera Dei, & gratiam, verum etiam naturalem appetitum honeſti, qui ut in nobis obrutus ſit, non tamen exſtinctus eſt; pono ſtudium legendi, & audiendi, quæ provocant ad mundi contemtum; pono precationes, eleemoſynas, jejunia: ſed hæc omnia dices eſſe opera damnanda, & iram Dei provocantia, tantum abeſt ut gratiam invitent. Verùm hoc, quod aſſumis ut ἀξίωμα, controverſum eſt inter nos. De *Cornelio*, ſuo dicetur loco. Nec enim mirum eſt te ſic judicare de operibus factis abſque gratia, cum neges eſſe ullum hominis opus bonum, quod Deus operatur in nobis per gratiam juſtificatis. Tantum valet apud te corrupta maſſa, ut nec Deus in ea poſſit opus bonum operari, ne dicam perfectum. Vides igitur totam illam tragœdiam, quam ex definitione concitaſti, nihil aliud eſſe, quam magnum gravemque verborum inanium fumum, ac præſtigiatorum inania ludibria, ſi quis fixius intueatur.

Tranſis ad calumniandum meas diſtinctiones. In recenſendis aliorum opinionibus de libero arbitrio, *Pelagium* facio pene Euangelicum, Philoſophis nonnullis tribuo fidem quandam & caritatem. De *Pelagio* nihil refero niſi quod de illo fatetur *Auguſtinus*, nec Euangelicum facio, ſed illum numero inter eos, quos Eccleſia damnavit hæreſeos. Nec fingo quadruplicem gratiam, & ſi docendi gratia fingerem, nihil erat periculi, ſed eam diſtinctionem ex Orthodoxorum libris hauſi, qui fatentur eſſe gratiæ quicquid ſumus aut poſſumus, tum ponunt gratiam prævenientem ac velut invitantem, ſed hanc imperfectam. Eſt gratia cooperans, ſic enim appellat *Auguſtinus*, quæ voluntatem noſtram per primam gratiam exſtimulatam reddit efficacem. Eſt gratia quæ perficit ſalutis negotium: ſic enim diſtinguit *Bernardus.* Et tamen fateor has tres eandem eſſe gratiam, licet ex effectu diverſis nominibus appellentur. Hæc diſtinctio cum nihil habeat impium, tamen tibi merito diſplicet, quod nihil faciat ad tuum dogma confirmandum. De Philoſophis teſtificor hoc quod ſcribit *Paulus* ad Rom. non auſurus tantum illis tribuere, niſi tantum haberem auctorem. Lumini naturæ tribuis tu quoque nonnihil in fine operis. Nam quod ex Pſalmo citaram: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus*, &c. ſcis non eſſe meum commentum, & ut ingenue fateor, apte exponi de luce fidei, ita nego quod aſſeris, non poſſe accipi de luce naturæ: *Signatum eſt lumen*, cum Deus conderet hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Id per peccatum obſcuratum eſt, non exſtinctum. Non igitur detorqueo Pſalmum ad rationem excæcatam, ſed accommodo ad obſcuratam. Si lux naturæ prorſus erat exſtincta in nobis, quo modo Philoſophi ſine gratia Dei Deum cognoverunt? Quomodo tam multa prodiderunt de honeſto, deque rectè vivendo? de immortalitate animarum, de initio & fine Mundi, de diverſis piorum & impiorum præmiis: de non referenda injuria, de honeſto propter ipſum expetendo, de turpitudine propter ipſam fugienda, de educandis liberis, de diligendis uxoribus, de ſancte gerendo magiſtratu, de caritate in patriam? & in illarum vita multa leguntur facta præceptis illorum conſentanea. Quod igitur flagitium admiſſum eſt, ſi dixi quædam ab illis prodita, quæ conſentiunt cum præceptis Euangelicis? Similiter Ethnicorum leges nonne puniunt furta, homicidia, adulteria, falſa teſtimonia, quemadmodum & *Moſi* Lex. Ex his colligo rationis lumen in illis non fuiſſe prorſus exſtinctum, & addo, non

80.

Digitized by Google

non improbabile videri, in illis & voluntatem fuisse aliquo modo propensam ad honesta, sed inefficacem ad salutem æternam, nisi per fidem accederet grátia. De fide & caritate, quam ais me Philosophis tribuere in mea Diatriba, nihil assevero, quanquam & hoc disputatur à nonnullis, quæ fides suffecerit idiotis Judæis, & num qua sit fides, qua Ethnicus servari possit. Distinctionem de triplici lege naturæ, operum, & fidei, fictam fabulam appellas. Primum de lege naturæ nulla est dubitatio, quod differo de lege operum & lege fidei, ex *Augustino* sumseram, qui in libro, quem inscripsit *de littera & spiritu*, juxta *Pauli* sententiam, distinguit legem operum sive factorum à lege fidei. Legem factorum vult esse Legem *Mosi*, tabulis inscriptam, præcipientem absque gratia. Legem fidei vult esse Novum Testamentum, quod quanquam eadem præcipit quæ lex operum, tamen addita gratia fidei facit præcepta mollia. Et inter multa sic dicit: *Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo imperat.* Ac paulo post: *Lege operum dicit Deus, Fac quod jubeo: Lege fidei dicitur Deo, Da quod jubes.* Rursus aliquanto post: *Cum in tabulis scribuntur opera caritatis, lex est operum, & littera occidens pravaricatorem: cum autem caritas diffunditur in corda credentium, lex est fidei, & spiritus vivificans dilectorem.* Hæc ille. Non equidem damno sententiam eorum, qui Legem volunt esse præceptorum, Euangelium promissionis & consolationis, ita ut utrumque sit in utroque, hoc est, Euangelium sit etiam in Lege *Mosaica*, & Lex sit in Euangelio: sed *Augustinus*, quanquam non ita multum abest ab hac sententia, tamen non videtur prorsus idem sentire. Nam eodem in opere distinguit Vetus Testamentum à Novo, genere promissorum, quod illic promittantur temporalia, in Euangelio æterna. Verba *Augustini* sic habent: *Sicut ergo lex factorum scripta in tabulis lapideis, merceſque ejus terra illa promissionis, quam carnalis domus* Israel, *cum ex* Ægypto *liberata esset, accepit, pertinet ad Testamentum Vetus: Ita lex fidei scripta in cordibus, merceſque ejus species contemplationis, quam spiritualis domus* Israel *ab hoc mundo liberata percipiet, pertinet ad Testamentum Novum.* His consentanea dicit enarrans ex Euangelio *Joannis* hæc verba: *Sed unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hæc cum imitarer, tamen accedo propius ad eam sententiam quam vos probatis, quam ad eam quam *Augustinus*. Inter alia sic loquens: *Moses dicit*, Ne committas adulterium, si commiseris lapidaberis. *Sed quid dicit lex fidei, quæ jubet diligere inimicos, quæ jubet tollere crucem quotidie, quæ jubet contemnere vitam?* Nolite timere pusillus grex, vestrum est enim regnum cœlorum: &, Confidite, quia ego vici mundum: &, Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, &c. Vides ut ostensurus quid sit lex fidei proferam verba fiduciæ & consolationis. Nec hoc erat hîc propositum excutere, quibus modis discerneretur Lex vetus ab Euangelio, sed in hoc obiter adhibita est hîc distinctio, quo facilius lectori commonstrarem, naturæ lucem obscuratam illustrari per fidei donum, & voluntatem corruptam corrigi per caritatem. Arbitror lectori perspicuum esse factum, quam adhuc nihil sit commissum in Diatriba, quod reprehensionem mereatur, nisi quod tu male narrando nihil non depravas: quo minus habemus tibi fidei sacras Litteras enarranti, quod in his depravandis comperiamus quam sis malæ fidei.

Nunc vide quantam de nihilo suscites tragœdiam. Hæc sunt tua verba: *Quæ si quis Christianum omnia conferat, cogetur suspicari te ludere & ridere Christianorum dogmata & Religionem. Nam tantam ignorantiam ei tribuere qui sic nostra omnia perlustravit, tanta diligentia & memoria conservavit, mihi plane est difficillimum.* Hactenus tua. Cur crimen tam atrox impingitur? quia *Pelagium* feci pene Euangelicum, id est, hæreticum. Quid enim aliud est, pene Euangelicum esse? Ethnici non dicuntur pene Euangelici, qui procul absunt ab Euangelio. Sed *Arius* fuit pene Euangelicus, qui sua dogmata per Euangelium confirmabat. Deinde fateor in Philosophis rationem fuisse obscuratam, non exstinctam. Nam de multis bene judicarunt per lumen naturæ: voluntatem item non penitus corruptam, cum in his appareant naturales quidam nisus ad honesta, pro quibus tu supponis fidem & caritatem. Distinxi triplicem legem, naturæ, operum & fidei. Legem naturæ nemo negat, reliquarum duarum discretionem hausi ex *Augustino*. Dixi in Philosophorum opinionibus ac præceptis esse quædam consentanea dogmatibus ac præceptis Euangelicis. Psalmi quarti versiculum, *Signatum est lumen*, &c. sic applico ad lumen naturæ, ut non negem recte interpretari de fide, per quam naturæ lux adjuvatur. Post hæc tam horrenda crimina sequuntur illa quæ modo recitavi, *Quæ si quis Christianus*, &c. Sed ubi commonstras nobis istum Christianismum? In vestra Ecclesia variant sententiæ, in nostra nulli sunt, si tibi credimus: denique doces nec Sanctos, nec Christianos, nec Ecclesiam ostendi posse. Porro cum caritas Christiana nesciat suspicari malum, quis erit iste Christianus absque caritate tam male suspicax, ut ex bene dictis cogatur suspicari, me ludere & ridere Christianorum dogmata, & Religionem? Citius arbitror hoc suspicaturos Christianos, si deserto Ecclesiæ consortio, tua dogmata propugnarem. Quam vero malitiosum hîc prodis calumniandi studium: hactenus nihil scivi, sed incogitans, imprudens, ignarus loquor omnia. Hîc quo novæ calumniæ facias locum, non potes mihi tribuere tantum ignorantiæ, sed mavis scientiam ademtam reddere, quo crimen gravius hæreat in me irrisæ Religionis & Christianorum dogmatum. Quæ sunt autem ista vestra, quæ tanta diligentia perlustravi, memoriaque teneo? Tuane dogmata? Vix ullum tuorum librorum potui perlegere, tanta est ibi loquacitas, & insatiata convitiandi libido. Et doctissimus sit oportet qui tua intelligat, quæ sine tuo spiritu intelligi non possunt. Et haud scio an Christianorum dogmata putes non alia esse quam tua. Ego de fidei catholicæ decretis putabam te loqui, illa certe non irrideo, nec unquam mihi fuit ille animus, gratia Deo, licet vitam excusare nec possim nec velim. Sic tu me nunc alium fingis, utcunque tibi videor idoneus ad calumniam. Quot convitiis initio debacchatus es in *Scepticum* animum? Quoties criminatus es, quod in Diatriba nihil asseram? At idem paulo post omnium optime facio, qui nihil asseram, sed studio quærendi veri tantum disputem, discendi cupidus. Ita tibi constas in calumniis, ut ex eadem re geminum crimen elicias. Et perinde quasi parum sycophanticum sit impegisse crimen impii blasphemique animi, reprimis te ipsum, *sed interim* (inquiens) *abstinebo, indicasse contentus, donec occasio dignior sese obtulerit.* Ac mox audio, *Mi Erasme:* & amanter admoneor, ne sim de illorum numero qui dicunt, *Quis videt nos?* Hæc cantio tibi potius canenda est, qui cum talibus strophis ludas, arbitraris te fallere, nec deprehendi spiritum tuum. *Ne sic*, inquis, *tentes nos.* Si ego te tento, qui citra convitium tecum disputo, cur non irritaris in illos, qui magnis voluminibus te lacessunt ac lacerant, non disputantes ut ego, sed propriis cognominibus te tuaque dogmata appellantes? Quod si illos negligis, eo quod sint extra Ecclesiam tuam, quando *Paulus* non dignatur de his qui foris sunt judicare, ego semper à tua Ecclesia fui alienus, non minus quam illi. Quin sævis in illos, qui libris editis palam debacchantur in tua dogmata, cum hactenus professi sint tuam Ecclesiam? *Paulus* nullos tradidit Satanæ, nisi qui defecerant ab Euangelio. Hoc mihi non potes objicere. Semper eadem tum scripsi, tum dixi, tum sensi. Toties objicis Ecclesiæ Romanæ tyrannidem, quæ si qua est, longo temporis progressu irrepsit, sensim alentibus eam opibus, potentiaque mundana. Verùm isti animo, quem spirant tua scripta, si accederent opes, auctoritas,

tas, potentiaque Romanorum Pontificum, satis appareret quid nobis sit exspectandum. Mitteres huc, ni fallor, satellitium tuum atque armatas copias, aliquanto inclementius tractaturus abs te dissentientes ferro, quam nunc tractas calamo. Et ubi est interim ille mirabilis Euangelista, qui solo gladio Spiritus, quod est verbum Dei, profitebatur se vindicaturum Euangelium adversus portas inferi? Ad calumnias, ad convitia, ad minas descendis totus, & tamen vis videri simplex, purus, nec affectibus humanis duci, sed Spiritu Dei. Recte doces, Deum oportere justum credi, etiamsi nec lux naturæ, nec lux gratiæ comprehendat eum esse justum, at non recte postulas idem jus tibi.

81. Porro autem multo gravius etiam peccatum est in distinguendis opinionibus, quandoquidem ex una fatio tres. Quod quidem vel insaniæ vel temulentiæ vitium est, ex uno videre plura. Imo plures opiniones recenseo, quarum prima est *Pelagii*, quam ut damnatam relinquo.

Secundo loco recito sententiam eorum, qui sic minimum tribuunt libero arbitrio, ut tamen non prorsus tollant. Dicunt enim ipsum nihil efficaciter posse, nisi adsit gratia, vel exstimulans sive operans, vel cooperans, vel consummans: & tamen in his omnibus fatentur vel applicationem sive conversionem humanæ voluntatis, vel cooperationem, nimirum ponentes aliquam humanæ voluntatis vim, quæ nonnihil agit cum agente gratia. Hæc est opinio vel *Augustini*, vel *Thomæ*, sequentis *Augustini* sententiam, quatenus minimum tribuit libero arbitrio. Et hanc voco probabilem, eo quod relinquat homini studium & conatum. Atque hîc multam verborum turbam offundis, quomodo non imputetur quod est imputandum, & quomodo dicatur aliquid posse quod ex se nihil possit, cum ego in disputatione hujusmodi difficultatem palpabiliter, ut ajunt, expediam.

Tertiam, quam recenseo, facio *Carolstadii*, qui non tollit omnino liberum arbitrium, sit interim fas hoc abuti vocabulo, quod si quis malit appellare *Beta* aut *Delta*, mea nihil refert, sed negat in bono opere quicquam agere, sed ait simpliciter pati, adeo ut gratia non operetur per voluntatem nostram, sed in voluntate tantum patiente.

Quartam facio tuam, qui progressu tuæ assertionis negas quicquam in rerum natura esse liberum arbitrium, nec in bonis nec in malis quicquam agere voluntatem nostram, sed absoluta necessitate fieri omnia. Hanc appello omnium durissimam, profiteorque mihi cum *Carolstadii* tuaque opinione potissimum esse conflictandum.

Nec prætereo *Scoti* opinionem, quæ putat per opera moraliter bona, per influxum naturæ communem, hominem posse Dei gratiam efficacem promereri de congruo: quod Dei benignitas non patiatur quemquam interire, qui modo præstiterit quod in ipso est: non quod suis viribus assequatur salutem, sed quod aliquo pacto fiat capax divinæ gratiæ. Hanc opinionem quoniam Ecclesia, quod quidem sciam, nondum rejecit, ego nec defendo nec explodo. Ergo sepositis opinionibus *Pelagii* & *Scoti*, doceo reliquas tres tantum verbis dissidere. Prima, nimirum *Augustini*, fatetur arbitrium sive voluntatem suis viribus posse ad male agendum: nec facit hic solum Deum agentem, voluntatem tantum agi, quod tu doces: & hactenus cum *Augustino* sentit *Carolstadius*, abs te dissentiens. Etenim cum *Augustinus* appellat gratiam cooperantem, utique sensit operari nostram voluntatem aliquid. Deinde dum ponunt gratiam exstimulantem, sed imperfectam, non excludunt conversionem & aversionem, cum tu prorsus excludas utrumque, inducta rerum omnium absoluta necessitate. Nec enim pugno cum tuo axiomate quod asseris, sed cum tua palinodia, qua corrigis quod initio dixeras, liberum arbitrium nihil valere nisi ad peccandum, & probas *Wiclevi* dogma. Et qui primæ sunt sententiæ, faciunt arbitrium vitiatum, vulneratum aut claudicans, non exstinctum. Manet igitur aliquod judicium, sed imperfectum, manet vis, sed inefficax. Vides igitur non esse eandem sententiam aliis verbis tractatam, ut tu fingis. Sed primam opinionem, quam ajo probabilem, confers cum mea definitione, interim excluſa opinione eorum, qui per opera moraliter bona, sine speciali gratia, putant Dei bonitatem provocari ad conferendam gratiam. Atqui sic temperavi definitionem, ut huic quoque sententiæ, quoniam damnata nondum est, pateret locus. Sed finge rejectam *Scoti* opinionem, sit prima *Augustini*, qui facit exstimulantem gratiam, non excludit applicationem & aversionem. *Pharao* pulsatus cœperat resipiscere, & ni se avertisset ab exstimulante gratia, non venisset in profundum malorum. Demus & hoc juxta *Bernardum*, totum initium deberi gratiæ: Certe cum nostra voluntas operatur cum operante gratia, applicat sese ad gratiam, naturæ vires ad gratiam operantem accommodans, veluti cum oriente Sole aperimus oculos: rursum avertit sese, veluti cum exorto Sole claudimus oculos. Ostende igitur, *Luthere*, oscitantiam vel hebetudinem judicii mei. Sic agis: Dicis primum opinionem probabilem, quæ fatetur liberum arbitrium, peccato vitiatum, non posse velle bonum sine gratia. Et definitio tribuit illi vim applicandi sese ad bonum, vel avertendi à bono sine gratia. *Definitio*, inquis, *affirmat, quod exemplum ejus negat*, &c. quæ tu satis loquaciter ac procaciter. Audi contra, subtilitatem tuæ calumniæ. Definio liberum arbitrium in genere, vel ut erat conditum, vel ut est in liberatis per gratiam, vel ut est claudicans in his, qui nondum liberati sunt à servitute peccati: quid hoc ad primam opinionem, quæ pars tantum est eorum quæ complectitur definitio. Nec definitio excludit gratiam specialem, nisi recipimus opinionem *Pelagianæ* proximam, quæ si tibi non probatur, mihi tamen licebat hujus uti præsidiis in argumentando. Nec video periculum, etiamsi quis eam tueatur. Deinde non animadvertis quod facio duplex velle, sive duplicem nisum ad honesta, efficacem & inefficacem. Inefficax est etiam in obnoxiis peccato, per influxum communem juxta quosdam, juxta alios non sine gratia, sed imperfecta, quæ nondum quidem abolet peccatum, sed tamen præparat ad efficacem gratiam. Nec me movet quod tu nihil pateris esse medium, sed aut Deum facis sessorem aut Satanam: impudenter enim adducis ad me refellendum, quod erat evincendum. Meministi quod diximus de lumine, & Euangelicus ille cæcus primum nihil videt, deinde videt homines velut arbores ambulantes, mox clare cernit omnia.

Verùm hæc alias, nihil enim hîc assero. Jam vi- 82.
des ex his quæ diximus, soluta, quæ proximo Capite repetis & inculcas, non absque petulantia convitiorum. Accipis unam partem definiti, hoc est, liberum arbitrium peccato vitiatum, & cum hoc confers unam opinionem. Applicare se ad bona bonum est, igitur liberum arbitrium potest ex se bonum. Fateor si loquaris de bono morali, fateor rursus si loquaris de bono pietatis, modo conjungas gratiam præparantem sive exstimulantem: veluti cum ex lectione sacra, aut ex audito Ecclesiasta, sentimus animi motum ad amorem pietatis & odium turpitudinis. Hanc non excludo nec in definitione, nec in recensendis opinionibus. Tantum excludo *Pelagii* sententiam, *Carolstadii*, & tuam. Ubi sunt igitur duo libera arbitria inter se pugnantia? An secum pugnat genus, quod in se complectitur diversas species, & negabis Asinum esse animal, quod ex ratione differentiæ ac proprii pugnet cum homine? Aut ex una crumena faceres duas, quod in eadem sit aurum & argentum? Non hîc igitur captus est Proteus, sed ipse Proteum agis studio calumniandi, te ipsum vertens in omnia cum libet, me quoque subinde alium atque alium faciens, utcunque tibi videor accommodus calumniæ tuæ spiculis. Fateor secundum unam opinionem, hominis voluntatem peccato

Digitized by Google

to corruptam, quatenus corrupta est, non posse se flectere ad bonam frugem sine speciali gratia, sive illa sit efficax, sive exstimulans. Fateor in his, qui per baptismum & fidem liberati sunt, voluntatem hominis ex se esse proniorem ad malum quam ad bonum. Et fateor secundum unam opinionem voluntatem humanam ex naturæ viribus se posse convertere ad studia, conatus, & opera, quæ si quis contendat esse mala & iram provocantia, negabimus: si quis neget esse bona, quod absque gratia facta, concedemus, si modo fateatur moraliter bona, provocantia Dei gratiam efficacem. Non igitur mecum pugno, si juxta diversas sententias diversa dico. Nondum enim hîc pronuntio quid sentiam, sed rudi lectori futuræ disputationis materiam congero. Proinde triumphus, quem hîc agis, reservandus erat tibi circa finem disputationis, ubi pronuntio quæ sententia ex omnibus mihi potissimum arrideat. Hîc tantum accingor ad pugnam. Quando vero in te vociferatus sum, quod fatereris liberum arbitrium obnoxium peccato, non posse se flectere ad meliora, sine auxilio gratiæ? Quin illud potius damnavi, quod doces nullum esse hominis arbitrium, nec in bonum nec in malum, neque prorsus quicquam operari vel bonæ rei vel malæ, neque cum gratia neque sine gratia, quod nusquam legis apud *Augustinum*. Denique cum hîc tantum verborum incassum fuderis, planeque, quod ajunt, aerem verberes, tamen tuo more quasi re strenue gesta triumphum adornas. Et vereris ne nemo tibi sit habiturus fidem referenti tantas absurditates, tam multa inter se pugnantia, *Legatur*, inquis, *hoc loco Diatriba, & mirabitur*. Legatur, inquam, hoc loco Diatriba, & protinus mirabitur qui legerit, in Euangelii præcone tam malitiosum calumniandi studium. Tædet cætera referre quæ illic glorioſe detonas.

83. Similis intemperantiæ sunt, quæ congeris proximo Capite, quî consistit ut agat aliquid liberum arbitrium, & tamen summa totius imputetur gratiæ? Istud cum in fine disputationis multis verbis explicem, quid opus erat hîc tempus inanibus verbis terere? Imputari non debet, quia quicquid potest homo naturæ viribus, gratuitum Dei donum est. Nec hîc opus est commento Dialecticorum de voluntatis humanæ velle absoluto, nullo boni malive habito respectu, quod hîc damnas, probaturus si pro te faceret. Quid enim absurdi, si quis docendi gratia proponat absolutum, quod in re absolutum non est? Quomodo igitur Philosophi disputant de prima materia, deque puris elementis, & Mathematici de formis abstractis à materia? Nec tam improbabile est quam tu videri vis, si quis tribuat voluntati nostræ velle purum, sic ut objectum non consideret sub specie boni aut mali, sed entis tantum, aut alicujus quod per se medium sit, etiamsi non desint qui negent quicquam esse medium. Quam ubique molesta tua loquacitas, ut arbitrer nullum *Bolanum* esse cerebri tam felicis, ut tuum æs vere *Dodonæum* ferre possit, cum extra rem dicas omnia, nec tamen ullum facias dicendi finem.

82.

85. Excussisti primam opinionem, quæ est *Thomæ* vel *Augustini*, cum tu nunc secundam facias *Augustini*, quæ est *Carolstadii*, qui negat hominis voluntatem in bono opere quicquam agere, in malo fatetur. Atque hinc conjicere licet quam dextre rem tractes, qui confundas etiam sententiarum distinctiones: ego inter eas, quas non rejicio, *Pelagianæ* sententiæ oppono sententiam *Augustini*, ut longissime discrepantem, comparo sententiam *Scoti* ut proxime accedentem. Relege Diatribam & sic comperies. *Augustini* sententiæ subjicio *Carolstadii*, quam appello duriorem, eam tu nunc velut multiloquio temulentus, facis *Augustini*. Tertio loco pono tuam & *Wiclevi*, quam appello durissimam, cum postremis duabus dico potissimum mihi pugnam fore, hoc est, cum *Carolstadii* ac tua. Restitui te in viam. Nunc superest ut nobis demonstres, duas posteriores opiniones easdem esse cum prima. *Augustinus* dum ponit gratiam cooperantem, fatetur & liberum arbitrium aliquid agere in bono opere, *Carolstadius* affirmat nihil aliud quam pati. Tu doces nec in bono nec in malo quicquam agere, nec ante gratiam nec post gratiam, sed prorsus ac simpliciter esse vocabulum inane: hæc sententia cum prima pugnat, & plus dicit quam secunda. Et hîc prorsus ἀπ' ὄνυ, quod ajunt, delapsus, vel ἀπὸ νῦ potius, nec intelligens quid loquaris, dejerationibus agis: *Testor*, inquis, *Deum, nihil aliud volui dicere, nec aliud intelligi, per verba duarum postremarum opinionum, quam id quod dicitur in prima opinione, nec* Augustinum *aliud voluisse arbitror, nec aliter ex ipsius verbis intelligo, quam quod prima dicit opinio, ita ut tres opiniones à Diatriba recitatæ, apud me non sint nisi una illa mea sententia*. Si quid à me tam sine mente dictum fuisset, quam ista dicuntur tibi, quibus convitiis me urgeres? Quando faceres insultandi finem? Nec tamen desinis tergiversari, & redis ad veterem causationem nominis, quam sæpius jam excluſimus, nec uno respondimus modo. Videris ipse sensisse errorem tuum, nec tamen libuit dispungere quod scripseras. Proinde ab hoc Capite non discedis, ut soles, triumphabundus, sed veluti gallus demissis alis temet subducis: *Si hic*, inquis, *erro, revocet qui potest, si sunt hæc obscura & ambigua, illustret & stabiliat qui potest*. Hîc reprehensorem admittis & illustratorem, cum in fine repellas omne judicium.

Attamen proximo Capite resumis animos: *Sed facessant*, inquis, *monstra verborum. Quis enim ferat istum abusum loquendi?* Totidem verbis tibi tuas voces recinit Echo: *Sed facessant monstra verborum. Quis enim ferat istum abusum loquendi?* De abusu receptæ vocis litiga cum *Hilario*, cum *Ambrosio*, cum *Augustino*, cum *Hieronymo*. Hîc proposueras te dicturum tres opiniones nihil inter se discrepare, & hoc omisso cavillaris de nomine liberi arbitrii. Nec adhuc desinis affirmare quod est manifeste falsum. Ita-ne est eadem sententia, liberum arbitrium cooperari gratiæ, & tantum pati in opere bono, in malo tantum agere, & nec in bono, nec in malo quicquam agere, sed Deum solum operari quicquid agitur seu boni seu mali? Tu sic colligis: *Post peccatum voluntas hominis non est libera nisi ad malum absque gratia: igitur amissa libertate succedit servitus. Negari non potest. Ubi servitus est, ibi est mera necessitas, & ubi necessitas, ibi nihil agit liberum arbitrium, si nihil agit, patitur tantum. Tua Grammatica non potest amissam sanitatem vocare sanitatem*. Verùm ut simul & meam definitionem tuear, & ista tua tam perplexa discutiam, proponam rei summam nudis aphorismis: Voluntas in homine, quemadmodum & in Angelis, sicut erat condita, libera erat ad bonum & ad malum, sic ut adhærere potuerit oblatæ gratiæ, sine speciali præsidio novæ gratiæ, ac semet avertere potuerit à gratia. Post lapsum primorum parentum, naturæ libertas vitiata est, non exstincta. Resedit autem in illis aliqua scintilla rationis, discernens honestum ab inhonesto, item aliquis nisus voluntatis, refugiens à turpitudine, & quodammodo gestiens ad honesta. Verùm hic nisus & ratio inefficax est sine speciali gratia, juxta quosdam: juxta alios tantum valet, ut per opera moraliter bona possit de congruo promereri gratiam, vel præparantem, vel etiam justificantem: quam sententiam non arbitror ab Ecclesia damnatam, licet nec illam superiorem improbaverit: sed hîc permittit unumquenque abundare in suo sensu. Liberati per gratiam, sunt in eodem statu quo fuit homo primum conditus liber, videlicet ut se possit applicare ad oblatam gratiam, & possit avertere se ab eadem, nisi quod ex peccato *Adæ*, aut ipsius etiam, resideat in eo caligo quædam rationis, & proclivitas quædam ad peccandum, quæ tamen non adimat libertatem, sed exerceat pietatem. Hæc applicatio aut aversio locum habet ad utramque gratiam exstimulantem quam diximus, & justificantem. Applicat autem sese voluntas, cum se præbet gratiæ, simulque naturæ viribus nititur ad eadem ad

1. 2. 3. 4. 5.

Digitized by Google

quæ vocat gratia; avertit seſe, quoties neglecto Spiritus sibilo, vertit seſe ad cupiditates carnis. Itidem gratiæ justificanti applicat seſe, cum illi in seſe potenter operanti, pro naturæ viriculis cooperatur, & avertit seſe, cum neglecto Dei dono reflectit seſe ad carnem. Ad has omnes opiniones, quarum nulla damnata est ab Ecclesia, ni fallor, & ad omnem hominis statum quadrat mea definitio, quam ideo feci generalem, ut omnia complecteretur quæ sunt probabilia. Nihil igitur agis, cum hanc aut illam opinionem urges cum definitione alio detorta. Pone hominem in statu quo fuit conditus, quadrat definitio. Hîc tu urges libero arbitrio post lapsum vitiato. Pone eum in statu in quo est adolescens, qui puer per baptismum accepit habitum fidei, & purgatus est à peccato protoplasti, necdum admisit aliquod crimen per quod amittitur gratia, cum tamen jam per ætatem habeat mali bonique discretionem, quadrabit mea definitio, poterit enim seſe applicare ad gratiam, & avertere à gratia. Applicabit autem, si naturæ viribus eodem contendat, quo ducit gratia, avertet, si spreta Dei gratia deflectat ad carnem. Denique pone hominem in eo statu in quo fuit *Adam* post violatum Dei præceptum, hîc fortasse videbitur non quadrare mea definitio, quod semel addictus peccato, nihil aliud possit quam servire peccato. Ubi igitur vis applicandi & avertendi? Juxta quorundam, inquam, opinionem resident aliqua libertas, qua ex naturæ viribus absque speciali gratia per opera moraliter bona possit exambire gratiam justificantem. Hîc oppones tua paradoxa, sed ista tibi probanda sunt priusquam nos per illa coarguas. Juxta aliorum opinionem, quæ est *Augustini*, potest applicare seſe ad gratiam exstimulantem ac revocantem, ac rursus eam spernere. Vides hic aliquid libertatis. Rursus potest se præbere gratiæ justificanti, potest ab ea seſe avertere. Et fortasse non absurdum fuerit ponere medium quendam statum inter justitiam & injustitiam, veluti cum homo naturæ viribus contendit ad promerendam gratiam, vel excitatus gratia stimulante, quam imperfectam dicimus, applicans naturæ vires ad eam gratiam, contendit ad innocentiam. Is nec omnino videtur injustus, qui tædio suæ iniquitatis contendit ad justitiam: nec omnino justus, qui nondum assequutus sit innocentiam. Et in hujusmodi statu medio divus *Augustinus* videtur ponere *Cornelium*, in quo fuit utrumque, sed imperfecte: veluti qui properat ad asylum, nec omnino tutus est, nec prorsus hæret in periculo, sed quo longius recedit à periculo, hoc saluti propior est. Hîc occines subitum raptum spiritus, quem ego non nego, sed loquor interim non quid aliquando faciat aut facere possit Deus, sed quid generaliter faciat in nobis. Quanquam hac de re suo dicetur loco. Cum his confer tres illas sententias, quas tu conflas in unam, invenies solam primam esse veram. Etenim *Augustinus* cum facit gratiam operantem & cooperantem, satis fatetur esse liberum homini applicare se ad gratiam exstimulantem, si naturæ vires ad eam accommodet: eum conatum imperfectum adjuvat & absolvit gratia cooperans, quæ cooperans non recte diceretur, si nihil omnino operaretur nostra voluntas, quod negat *Carolstadius*. Multo minus verum est quod tu asseris, hominis voluntatem nec in bonum nec in malum quicquam posse, sed meræ puræque necessitatis esse omnia. Nam hanc opinionem voco tuam, quam in *Wiclevo* damnatam probas. Quid igitur restat nisi nominis controversia? Liberum arbitrium proprie congruit Deo. Esto, sed sic abutimur aliis multis nominibus, sapientis, boni, potentis, immortalis. Verùm cum est per peccatum amissa libertas, jam inane nomen est, quemadmodum in ægroto amissa sanitas, non est sanitas. Fateor hîc aliquem abusum vocabuli, sed quem mihi non debes imputare, nec tamen absurde manet in peccatore ratio nominis: quemadmodum in bello captis ingenuis manet libertatis appellatio, propter nativam conditionem, & spem recipiendæ pristinæ libertatis. Denique propter reliquias pristinæ libertatis quæ resident in homine, etiam post admissum peccatum: quæ non ideo nihil sunt, quod per se non sufficiant ad recuperandam libertatem, satis est quod aliquid agant suis viribus, & peragant etiam auxilio gratiæ. Tu perditam sanitatem, mortem facis. Manet in ægroto nonnulla naturæ vis, utcunque pugnans cum morbo, sæpe vincens absque medici præsidio. Sic rationem à peccato facis omnino cæcam, ego lippientem aut luscioſam facio. Neque enim prorsus cæcus est, qui ob pituitam cæcutit, neque prorsus mortuus est, qui cum morbo luctatur. Jam si placet accerse commodum illum congerronem Sophistam, eique propone collationem de lapide, qui nativa vi fertur deorsum, sursum vero non nisi violento impulsu, & roga an lapidi tribuat liberum arbitrium, fortasse non tenebit risum & respondebit: Lapidem esse qui talia percunctetur; lapis enim sicut omnia gravia, quæ ratione carent, non habet nisi unicum impetum naturalem: at liberum arbitrium ut conditum est, erat utroque vertibile. Dices de corrupto loquimur, feremus si modo in disputando memineris tale fuisse conditum, & hinc nominis rationem manere, licet re partim amissa. Post peccatum autem originis, sed magis etiam personale, ut libertas non est in totum amissa, ita non est absoluta servitus. Cæcutientia inducta est, non cæcitas, claudicatio inducta est, non exitium, & vulnus inflictum est, non mors, & languor accessit, non interitus. Manet enim aliqua rationis scintilla, manet aliqua propensio voluntatis ad honesta, licet inefficax. Nec ideo nihil est, quia per se non sufficit ad recuperandam pristinam libertatem: sed ut vulneratum ac languidum non valet quidem quod poterat, veruntamen virium qualescunque reliquias accommodat erigenti gratiæ: nisi forte dicis puero nihil esse virium, quod solus nequeat movere plaustrum, quod facit connitens robustiori. Quare serva lapideis hominibus istam de lapide comparationem, neque proferas huc tam ridiculas collectiones: *Nullus est omnis, & nihil est omnia.* Quid autem si *Scoticus* sit ille Sophista? Nonne statim obturabit tibi os? Nisi forte commodum vocas, qui commode respondeat ad tuas percunctationes. Postremo quod ad vocem attinet, *Thomas* fortasse concederet post peccatum non dici proprie liberum arbitrium, sed idem simpliciter nihil esse, aut nihil agere cum agente gratia, negabit.

Hæc sunt quæ in vestibulo disputationis lectori proposueram, quo paratior esset ad reliqua percipienda. Nam rudioribus illa scribere me sum professus, & tu nondum, opinor, lecta tota Diatriba, sic cum hac parte congrederis, quasi jam pronuntiarim. Eadem iniquitate discutis testimonia Scripturarum à me tractata, quasi in singulis definierim. Imo testificor me proponere hinc atque hinc diversa testimonia divinæ Scripturæ, quæ videntur inter se pugnare, & illæ sequelæ, quas tu sic exagitas, non sunt definientis, sed argumentantis, non docentis, sed pugnantis, ut ex collisione testimoniorum & interpretationum eluceſcat veritas. Et interim utor jure pugnantium, iniquum petens nonnunquam, ut æquum feram. Etenim qui pugnat, frequenter hoc agit, non ut pronuntiet quid ipse sentiat, sed ut illaqueet ac prosternat adversarium. Proinde non raro falsis assumtionibus utitur, sed ab adversario concessis, & ex his colligit plusquam habet veritas, quo magis adversarius intelligat se esse victum, jamque contra pugnare desinens, cupiat doceri. Tum qui docet, longe aliis modis agit, quam dum pugnabat. Sed jam dudum ipsa temporis angustia cogit me disputationem hanc abrumpere. Quod superest, accuratius & per otium tractabitur. Et vide, te quæso, quantum temporis, quantum chartarum & operæ nobis jam periit, in refellendis tuis cavillis, convitiis & calumniis. Poteras tua cum laude, nemine læso, fortiter tueri dogma tuum, idque merebatur meæ Diatribæ modestia, quæ quo magis friget ac stertit, sic enim interpretaris meam civilitatem, tanto minus merebatur tam impotentem calami tui sævitiam.

Nunc

Nunc dum nihil non torques ac rapis ad calumniam & convitia, perdis bona ex parte & tuum & meum & lectoris otium: & adeo non concilias tibi fidem, ut dum hîc declaras animi tui morbum, etiam illa fide careant apud plurimos, quæ recte vel doces, vel mones, vel inculcas, qualia fateor esse permulta in scriptis tuis. Nam quæ res invitabat te ut hoc quoque calumniareris, de quo nunquam mihi venit in mentem? Ais à me morderi ridèrique canonem Hebræorum. Hoc est unum calumniæ caput. Alterum est, quod cum ambiguo scommate voco Canticum Canticorum, *Canticum amatorium*. Tertium, quod Proverbia *Salomonis* & Canticum confero cum duobus libris *Esdræ*, *Judith*, Historia *Susannæ* & *Beli* draconis. Hîc, ubi ne somnium quidem fuit ullius mali, tu fingis tria magna crimina. Referam ex Diatriba locum, quo magis agnoscas, quam hîc præter omnem causam criminaris. Sic habet: *Non puto quenquam excepturum hîc adversus auctoritatem hujus operis*, (de libro loquor, qui inscribitur *Ecclesiasticus*) *quod, ut indicat* Hieronymus, *olim apud Hebræos non habitum sit in canone, cum Ecclesia* Christi *magno consensu receperit in suum canonem. Neque causam video cur Judæi librum hunc à suo canone judicarint excludendum, cum Parabolas* Salomonis, *& Canticum amatorium receperint. Etenim quod duos posteriores libros* Esdræ, *historiam apud* Danielem *de* Susanna *ac* Belo *dracone*, Judith, Ester, *aliaque nonnulla non receperunt in canonem, sed inter hagiographa numerarint, quid illos moverit, facile divinat qui libros eos attentius legerit. Cæterum in hoc opere tale nihil obstrepit lectori.* Hactenus Diatribes verba recensui. An mordeo rideoque canonem Hebræorum, quod negem mihi liquere quamobrem *Ecclesiasticum* excluserint à canone? Erat cur illud opus haberi cuperem in primis dignum canone, & tamen nihil aliud dico, quam me non perspicere causam, quare Hebræi non receperint, cum Ecclesia receperit, certe inter hagiographa. Tu fortiter pronuntias librum *Ester*, cum apud Hebræos sit in canone, digniorem cæteris omnibus qui excluderetur à canone. Uter igitur ridet ac mordet canonem, ego qui nego me videre causam, cur *Ecclesiasticum* non receperint in suum canonem, an tu qui judicas librum *Ester* minime dignum canone, simul damnans & Hebræorum & Ecclesiæ canonem, cum Hebræorum canone consentientem? Tantum ad primum crimen. Alterum nihilo verecundius. Appello Canticum *Salomonis*, *Canticum amatorium*. Finge nullam hîc esse causam, cur sic appellarim, nisi quia libuit, aut ut Latinius dicerem, quid erat ambigui scommatis, an non est *Canticum amatorium?* An amor semper in malum sonat? Nunc vide causam cur ita maluerim dicere. Cum enim duæ particulæ ad dictionem *Salomonis* referrentur, videlicet *Proverbia* & *Canticum*, si dixissem *Canticum Canticorum*, dure sibi cohæsissent duo genitivi, *Salomonis* & *Canticorum*, videreque sentire *Salomonem* alia multa scripsisse Cantica. Si simpliciter dixissem *Canticum*, poterat aliquis suspicari me de Cantico quopiam loqui qualia sunt in Psalmis, idcirco ex operis argumento addo cognomen *amatorium*. Ego de hoc Cantico nunquam pejus sensi quam de Proverbiis, de quibus optime sentio. Quæ fuit igitur occasio calumniandi? Et, ni fallor, hoc telum mutuatus es ex libris *Lei*, qui tibi nunc, opinor, incipiunt placere. Jam tertium crimen tuum habet manifestam vanitatem. Non enim confero *Proverbia* & *Canticum* cum duobus libris *Esdræ*, *Susannæ*, *Belique* draconis historia, sed cum *Ecclesiastico*, qui simile tractat argumentum cum Proverbiis, atque in his, quos rejecerunt, ajo diligenti lectori aliquid obstrepere, cur recepti non sint. In Ecclesiastico non videtur simile quicquam obstrepere. Quod si in Ecclesiastico nihil obstrepit, multo minus in Proverbiis aut Cantico.

In his tam frivolis refellendis non eram sumturus hoc operæ, nisi ut te ab ista immodica nihil non carpendi libidine revocarem: quæ si me tantum læderet, jactura sane tenuis esset, aut si tibi uni noceret, tolerabilior esset: nunc non solum obstat causæ quam agis, agis autem, ut affirmas, negotium Euangelii revocandi, quod hactenus in Orbe fuit sepultum, verum etiam exitium omnium bonarum rerum secum adfert ista calami tui seditiosa petulantia. Concitatus est populus adversus Episcopos & Principes, Magistratus ægre cohibent plebeculam novarum rerum avidam, atrocibus odiis inter se diffident civitates, quæ prius erant conjunctissimæ, vix inter homines nunc invenias cui tuto fidas, libertas omnis ademta. Nam Principum, Præsulum, Theologorum, ac Monachorum tyrannidem, sic enim vocare soles, non sustulisti, sed irritasti. Quicquid fit aut dicitur, rapitur in suspicionem, & de quibus prius licebat in utramlibet partem disputare, nunc ne hiscere quidem fas est. Servitus, quam parabas excutere, conduplicata est, jugum adgravatum est, catenæ non excussæ, sed adstrictæ. Olim nemo facessebat negotium, si quis domi suæ pro valetudine comedisset quæ conveniebant: nunc etiamsi multas habeas edendi causas, nec desit Pontificis diploma, tamen *Lutheranus* dicitur qui vescitur. Olim Romanus Pontifex facile relaxabat legem iis qui per imbecillem ætatem & nondum usu rerum ac judicio prudentem, facti fuissent Monachi aut Monachæ, nunc ad relaxandum difficillimus est. Frigent ubique disciplinæ liberales, una cum Linguis ac bonis litteris, quas tu gravas intolerabili invidia. Rejiciuntur egregia Veterum monumenta, & pro his mundus impletur rixosis ac famosis libellis, ex quibus morbi virus serpit ad lectorem. Novi aliquot viros bonos ac doctos, qui initio non inviti legebant tuas lucubrationes cognoscendi judicandique studio: tandem coacti sunt rejicere, quod faterentur sese infici tot sannis, scommatis, dicteriis, convitiis, calumniis parum Christianis, quibus doctrinam tuam contaminas, non aliter quam solent ii, qui capos aut phasianos infarciunt alliis. Et primum ista titillationem quandam habent ac pruritum, verùm ubi sensim irrepserint in animos, inficiunt sinceritatem ac mansuetudinem pectoris. Et cum videas quantum malorum in Orbem invexerit ista tua ferocia, cum toties admonitus sis etiam ab iis qui tibi bene volunt, tamen usque proficis in deterius, & & eos frustra trahens in periculum, qui se tuæ fidei crediderunt, & illos abalienans, quos poteras ad te pellicere, (jam enim rursum fingo tuam doctrinam esse catholicam) denique obsistens, quo minus hic mundi tumultus utcunque natus, aliquando nobis pariat aliquid bonæ tranquillitatis. Innumeros abstraxisti à suis Præsulibus, qui nunc oberrant velut oves dissipatæ non habentes pastorem, præsertim cum videant tuam Ecclesiam tantis dissidiis concuti, & intestinis bellis tumultuari. Et inter hæc adhuc vacat tibi tantos libros, tam operose maledicos, scribere in hominem, cujus animum prorsus ignoras, si modo talem esse judicas, qualem facis. Si liberis & apertis convitiis debacchatus fuisses, simplicitas laudari poterat, aut res poterat tuo genio condonari: nunc arte malitiosa rem geris. Si duobus aut tribus convitiis contentus fuisses, videri poterant excidisse, nunc liber totus undique scatet maledictis. Hinc incipis, per hæc pergis, in hæc desinis. Si temet explesses uno convitiorum genere, subinde stipitem, asinum, aut fungum me appellans, nihil aliud respondissem, quam illud è comœdia, *Homo sum, humani nihil à me alienum puto*. Hæc non poterant saturare tuum odium, nisi me faceres *Lacianum* & *Epicurum*, adeo non credentem Scripturis divinis, ut ne Deum quidem ullum esse arbitrer, hostem Christianissimi, denique blasphemum in Deum & Christianam Religionem. Hujusmodi leporibus respersus est tuus liber, oppositus meæ Diatribæ, in qua nullum erat convitium. Istam tam perversam opinionem si quis susurro levis ac mendax, qualibus abundat tua sodalitas, ad te detulit, vide quam conveniat tanta levitas personæ quam tibi sumsisti. Si ex tuo ipsius animo concepisti, quis credet eum esse bonum virum, qui de homine

Digitized by Google

incognito tam atrocia ſuſpicetur? Sin iſta lædendi mei A
ſtudio comminiſceris, nulli poteſt obſcurum eſſe quid
de te ſentiendum ſit. Quoniam autem meæ Lucubra-
tiones palam reclamant tuis calumniis, ubique ſacra-
rum Litterarum majeſtatem & *Chriſti* gloriam prædi-
cantes, negas illa mihi ex animo ſcripta. Expedita
ſolutio, ſi quicquid calumniari non potes, joco ſcri-
ptum eſt, ſi quicquid patet calumniæ, ſerio ſcriptum
eſt. Et hujuſmodi diſtinctiones tibi valebunt ad cri-
minandum, qui ſophiſticas diſtinctiones exſibilas, re-
pertas ad docendum. Quæſo quod eſt iſtud ingenium,
aut quæ natura, ſi quidem natura eſt? Aut quod ſpi-
rituum genus, ſi ſpiritus eſt? Aut quæ tandem Euan-
gelii docendi tam non Euangelica ratio? An renaſcens
Euangelium ſuſtulit omnes leges politicas, ut jam li-
ceat quælibet in quemvis & dicere & ſcribere? An
hæc eſt tota libertas quam nobis reſtituis? Si quis mi-
hi detrahat ingenium, judicium, eruditionem, mode-
rate feram: ſi quis impingat imperitiam Scripturarum,
aut incogitantiam, humanum crimen agnoſcam: ve-
rùm ſi quis mihi impingat neglectum Dei, aut con-
temtum Scripturarum, is aut id facit ex delatoris cu-
juſpiam oratione perſuaſus, & leviſſimus eſt, aut in-
tolerabilis eſt ſycophanta, ſi ex ſeſe confingit. Hîc
quid tibi loquatur tua conſcientia tute videris. Ego C
judice Deo, cujus iram non deprecabor, ſi quid hîc
ſciens fefellero, volo hoc omnibus Chriſtianis, hære-
ticis, & ſemi-Chriſtianis eſſe teſtatum, me Scripturis
divinis non minus habere fidei, quam ſi *Chriſtum* ipſum
ſua voce mihi loquentem audirem, minuſque dubitare
de his quæ ibi lego, quam de his quæ auribus audio,
oculis video, manibus contrecto. Et quemadmodum
certiſſime credo per Euangelium exhibita, quæ Legis
figuris, & Prophetarum vaticiniis per Spiritum San-
ctum fuerant prædicta: ita pari certitudine credo, ſe-
cundi adventus promiſſionem, ac diverſa malorum bo-
norumque præmia. Et hac fiducia fretus, labores,
injurias, morbos, ſenectutis moleſtias, aliaque hujus

vitæ incommoda patienter fero, ſperans per *Chriſti*
miſericordiam, malorum omnium finem, & cum ipſo
vitam æternam. Tantum autem abeſt, ut ſciens op-
pugnem Euangelium, ut malim decies occidi, quam
contra animi ſententiam oppugnare unum jota verita-
tis Euangelicæ. Nec hic animus mihi nuper natus eſt,
nunquam alius fuit à puero: & hodie firmior eſt, gra-
tia Deo, quam unquam fuit. In ſalutis negotio non
aliunde flagito præſidium quam à miſericordia Domi-
ni, neque ſecundum Deum ulla in re plus habeo vel
ſpei vel ſolatii, quam in ſacris Litteris. Et quemad-
modum in Lucubrationibus meis non nego potuiſſe fie- B
ri, ut alicubi Scripturæ germanum ſenſum non atti-
gerim, ita ſanctiſſime dejerare poſſim, me ſcientem
nec in gratiam hominis, nec ob metum hominis uſ-
quam docuiſſe ſecus quam ſentirem, ſaltem opinione
probabili. Qui mecum domeſticam habuerunt conſue-
tudinem, ſi non ſanctimoniæ, quam deſidero potius
quam habeo, certe hujus animi poſſunt eſſe teſtes,
qui nunquam effutivit verbum vel joco vel ſerio, quod
ſaperet *Lucianum*, *Epicurum*, aut *Porphyrium*. In-
eptum erat hæc teſtificari ſcripto, niſi *Lutherus* Euan-
gelii vindex accurato libro talibus facetiis voluiſſet in
Eraſmum amicum ludere. Nunc ſi quis malet habere
fidem illius impudentiſſimæ criminationi, qui me non
novit, quam meæ teſtificationi, ſuo periculo faciet,
me liberabit hæc animi mei declaratio. Precor autem
ut in animis omnium regnet Euangelium *Chriſti*, ce-
datque huic omnis intellectus ac poteſtas humana, tan-
tum abeſt ut ipſe belligerari velim cum cœleſti doctri-
na. Simul & tibi precor, *Luthere*, ut Dominus innovet
in te ſpiritum bonum, quo quantum hactenus potuiſti
ad turbandam Orbis Chriſtiani concordiam, tantundem
valeas ad tranquillandam Eccleſiam Dei: ut idem ſen-
tientes, uno ore prædicemus illum, cujus doctrinam
nunc diſpari ore aſſerimus. Hîc igitur prioris ac tu-
multuarii voluminis finis eſto. Alterum brevi dabitur,
ſed accuratius, ſi modo *Chriſtus* adeſſe dignabitur.

FINIS.

DESIDERIVS ERASMVS
PIO LECTORI S. D.

EQVIDEM *decreveram poſt priorem illam* Hyperaſpiſtæ *quamvis tumultuariam velitationem con-
quieſcere, non perinde tadio moleſti laboris, quanquam ingenue fateor ingenium meum ab iſtis rixo-
ſis contentionibus non minus abhorrere, quam ab ipſis inferorum portis, atque ob id quod non perſpi-
ciam, quid hinc boni fructus poſſit oriri. Quid enim refert cum illo confligere qui Doctores Eccle-
ſiæ, ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus, quamvis eruditione ſanctimoniave probatos, qui Conci-
liorum quamlibet veterum placita, qui populi Chriſtiani conſenſum pro nihilo ducit, qui prater ir-
refutabilis Scripturæ teſtimonia nihil admittit, ſed hujus interpretationem pro ſuo arbitratu tem-
perandam, uni ſibi vindicat, caterorum ſententiis umbrarum inſtar volitantibus, qui quoties commodum eſt, gignit
nobis nova rerum vocabula, novas definitiones, novas diſtinctiones, nova paradoxa, ſic totam diſputationem undique
convitiis fermentans, ſic inſatiabili loquacitate confundens omnia, ut tadio reſpondere parantem enecet. Et tamen ſibi
mire videtur pugnare, ſubinde triumphos inſtaurans, glorioſaſque cantiones, Io paan, & Io triumphe, nobis ad ſingu-
las pene ſententias occinens. Accedunt ad hæc quorundam nimium moroſa ne dicam maligna judicia, nimiumque te-
naces ſuſpiciones. In Diatriba quoniam ſtudio temperatum eſt à convitiis, quo rei veritas liquidius elucesceret, ſub-
motis affectuum nebulis, interpretati ſunt quidam me cum* Luthero *colludere. Rurſus alii predicant, me non expe-
diſſe vires omnes ingenii, idque colligunt ex eo, quod cum, ut ajunt, in quibuſdam locis illum vehementer urgeam
premamque, tamen alicubi videar ſuffrigidus ac ſubtimidus, & ſtudio contrahens ungues, parcenſque adverſario.
Quæ ſuſpicio cum ſit iniquiſſima, tamen multo eſt abſurdior iſtorum ſuſpicio, qui dictitant, etiam nunc poſt tam hoſti-
lem* Lutheri *in me debacchationem, poſt* Hyperaſpiſtæ *velitationem, ſatis opinor liberam, etiamſi minus contumelio-
ſam, qua parte lubens ſuperari me patior, nos inter nos colludere. Deum immortalem! quid iſti vocant pugnam, ſi
tam cruentus congreſſus nihil aliud eſt quam colluſio? Erant & alia cauſæ non leves, qua mihi perſuaſerant, ſatius
eſſe tractare materias cum magis frugiferas, tum huic atati congruentiores. Verùm quoniam amici ſuo jure promiſſi
fidem efflagitant, rurſus qui vel* Luthero *favent, vel mihi invident, jactitant me deſerta cauſa, victoriam adverſa-
rio cedere, præſertim cum ipſe* Lutherus, *perinde quaſi nihil omnino reſponſum ſit, libello Germanice ſcripto ſatis glo-
rioſe celebres ſuos triumphos, minimo nos provocans, imo potius omnibus oppedens glorioſiſſima illa ſua voce* Trotz, *ad
conflictum redeo: apud* Lutherum *quidem, ſat ſcio, nihil aliud profecturus, quam ut inſolentius etiam plaudat ſuo do-
gmati, nonnihil etiam addens abſurditatis, ſed partim ut liberem fidem meam, quam lectori veluti chirographo pu-
blicitus obſtrinxi, partim ut animos vacillantes fulciam, ſanabiliter ægrotantibus medear. Quod utinam vel per nos,
vel alium quemlibet facere dignetur is, cujus cauſam nos agere credimus! Nec pluribus te prafando morabor, optime
lector, quo rem cognoſcas integrior. Vale.*

DE-

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI HYPERASPISTES DIATRIBAE ADVERSVS SERVVM ARBITRIVM MARTINI LVTHERI.

LIBER SECVNDVS.

VTCVNQVE tandem è rixarum ſpinetis & convitiorum lappis tribuliſque ſumus eluctati. Sic enim ubique viſum eſt *Luthero* maximam voluminis partem, jurgiis, ſcommatibus & calumniis perdere, in hoc quod ſupereſt curſus erit aliquando expeditior. Non quod ille poſſit uſquam ſui diſſimilis eſſe, ſed argumentationis denſitas, & ſacrarum Scripturarum crebra teſtimonia non præbebant hîc perinde liberum campum maledicentiæ. Quanquam & in his tantum eſt gloriarum, inſultationum, dicteriorum, ut minima portio data ſit cauſæ. Præſtat igitur ut his neglectis ſermonem vertamus ad lectorem, ſatis jam cum illo rixati homine, hac quidem parte prorſus invicto. Quanquam & illic obiter inter rixandum argumentationis futuræ ſemina jecimus, indicatis rationibus, per quas & noſtra confirmari, & illius lemmata dilui poſſint. Cæterum quoniam *Lutherus* intolerabili loquacitate, miriſque depravationibus, veluti fumis involvit omnia, non ab re fuerit denuo lectori per epilogum ſummam eorum, quæ dicta ſunt, quatenus ad
1. rem pertinent ob oculos ponere. Primum oſtendi falſiſſimum eſſe, imo res ipſa loquitur eſſe manifeſtariæ vanitatis, quod *Lutherus* toties impingit meam Diatribam nihil aliud docere, quam eſſe aliquod liberum arbitrium, cum illic tot verbis explicetur quid ſit liberum arbitrium, quale fuerit conditum, quale ſit vitiatum, quomodo ſanetur, quid poſſit nondum reſtitutum vel in bonum vel in malum, quid valeat auxiliante gratia, & quid agat aſſentiens operanti gratiæ, quid cooperans cooperanti: & tamen cum ille ſimpliciter neget ullum eſſe liberum arbitrium, ſi nil aliud docuiſſem quam aliquod eſſe, viceram. In cæteris enim quæſtionibus quid agat, & quantum valeat, variant Orthodoxorum ſententiæ, concordes interim in hoc, eſſe
2. aliquod. Deinde de contentione vocis excepi, neque enim meum inventum eſt ut dicatur liberum arbitrium, ſed nomen à priſcis Eccleſiæ Doctoribus perpetua ſerie ſucceſſionis ad nos uſque derivatum eſt. Si quis malit appellare voluntatem utroque volubilem & ad malum & ad bonum, mea nihil refert. *Auguſtinus* tamen & *Bernardus* interdum appellare videntur liberum arbitrium ipſum voluntatis aſſenſum naturalem, quæ cogi non poteſt, niſi cogat ſeipſam. Siquidem hanc libertatem tribuunt etiam *Pharaoni* & Spiritibus impiis, in quibus utique voluntas non eſt libera ad bonum & malum, ſed tantum ad aſſentiendum, quod eſt naturæ humanæ, quo differt homo à brutis & inanimis, in quibus appetitus eſt non voluntas. Voluntas enim ibi nulla eſt, ubi nulla eſt ratio. Porro ubicunque voluntas eſt, ibi libertatem eſſe ajunt. Nam divus *Bernardus* ex his duabus vocibus, arbitrium refert ad rationem, liberum ad voluntatem. Ratio judicat ac monet, voluntas eligit aut certe aſſentitur. *Auguſtinus Hypognoſticon* Libro III. ſi tamen hoc opus, licet eruditum, illi tribuendum eſt, ſcribit peccato *Adæ* liberum arbitrium perdidiſſe bonum poſſibilitatis, nomen & rationem manere. Ac plane fateor nomen eſſe ſuperbum, ſi ad naturam hominis vitiatam expendatur, tametſi Græcis etiam ſuperbius eſt τὸ αὐτεξούσιον, quaſi ex ſe poſſit quicquid velit. Verùm ineptum ſit de voce digladiari, quoties de re convenit. Hoc nomine ſunt uſi, qui quam minimum tribuunt humanæ voluntati, gratiæ vero totum. Velut *Ambroſius* in Libris *De vocatione Gentium*, nihil moror, ſi quis hoc opus alii malit tribuere, quiſquis fuit, non cedit *Ambroſio*. Item *Hieronymus*, *Auguſtinus* & *Bernardus*. Mihi videtur liberum arbitrium dici voluntas ad eligendum libera, non plene quemadmodum erat condita, ſed juxta reliquias conditionis, & nativam habilitatem per gratiam Dei reparabilem: quemadmodum homo dicitur robuſto corpore, qui natura tale corpus habeat, & ad priſtinas vires reſtitui poſſit, licet interim morbus nativum robur attenuet.

Conſtat inter Orthodoxos in homine primum condito, quemadmodum & in Angelis liberam fuiſſe voluntatem, vel perſeverandi in bono, vel deflectendi ad malum, nec imputari poſſe peccatum ubi non eſt ullo pacto liberum arbitrium. Excipio infantes & fatuos, quorum peculiaris eſt ratio. 3.

Porro liberum arbitrium hominis, per peccatum *Adæ*, magis autem ſi accedant peccata, quæ quibuſdam dicuntur perſonalia, obſcuratum fuit non exſtinctum, vulneratum non occiſum, claudicatione læſum non amputatum, ſemivivum relictum non mortuum. 4.

Docuimus non abſurde liberum dici, quod ſuapte natura liberum eſt, licet aliquo caſu libertas ſit amiſſa: veluti qui nati ingenui venerunt in poteſtatem hoſtium, unde ſi detur aufugere, redeunt in priſtinam conditionem, ex communi ſermonis conſuetudine liberos appellamus magis ad nativitatem reſpicientes quam ad præſentem ſortem. 5.

Et alioqui quod imperfectum eſt, non protinus amittit totius vocabuli rationem, veluti non ſtatim dicitur ægrotus, qui ſolito factus eſt imbecillior. 6.

Poſtremo naturalis habilitas ſervat cognominis honorem, quod genus, ſi quis dicat corpus hominis utroque vertibile, nimirum ad ſanitatem & ægrotationem, cum tamen abſque medico non poſſit tueri aut recuperare bonam valetudinem. Fingamus enim hoc eſſe docendi gratia. 7.

Demonſtravimus & impiis manere lucem aliquam rationis, per quam Philoſophi ſine gratia conſecuti ſunt cognitionem divinæ naturæ, juxta *Paulum*. Eadem opera demonſtratum in eiſdem manere aliquam honeſti appetentiam. Hæc ſunt ſemina ſeu reliquiæ nativæ libertatis. 8.

Oſtendimus triplicem eſſe gratiam, unam naturæ, nam juxta *Paulum* in Deo vivimus, movemur, & ſumus: Alteram invitantem ad meliora, quam *Auguſtinus* vocat operantem, nonnunquam pulſantem, interim præparantem, alias prævenientem. Hæc nondum confert perfectam innocentiam, ſed huc tamen præparat: Tertiam juſtificantem, quam *Auguſtinus* appellat cooperantem, *Bernardus* addit perficientem, exiſti- 9.

Digitized by Google

ſtimans nec in initio nec in fine quicquam agere voluntatem hominis, tantum in progreſſu cooperari gratiæ.

10. Declaravimus nihil eſſe abſurdi, ſi ejuſdem operis plures ſint cauſæ ſimul operantes, aut ſi voluntas acta dicatur agere, quemadmodum docet *Auguſtinus*, cum aliis locis, tum Libro *de correptione & gratia*, Capite ſecundo.

11. Voluntas autem libera dici poteſt tribus modis, vel quia perficit quicquid vult, quod ſoli Deo proprium eſt: vel quia vult quidem, ſed inefficaci propenſione, ni ſuccurrat gratia: vel quia quod vult, etiamſi malum ſit, facit nullo prohibente. Hoc poſtremo modo & in malis libera eſt, niſi revocetur ab omnipotente gratia. Secundo modo eſt quadamtenus & in impiis ex influxu naturæ, & in malis ex gratia pulſante, niſi mavis & illam priorem appellare pulſantem gratiam.

12. Hanc gratiam quidam probabiliter exiſtimant nulli deeſſe, nec unquam ullo ſeculo defuiſſe, nec defuturam ſane quod ad ſalutem ſatis ſit, de adultis loquor, niſi ſi quis defuerit oblatæ gratiæ.

13. Deeſt autem homo gratiæ duobus modis: vel ſi pulſantem ſpernat, vel ſi quod gratiæ Dei debetur, ſuis meritis arroget, vel ſi poſt guſtatum Dei donum redeat ad vomitum. Contra non deeſt, cum naturæ vires animique ſtudium ad gratiam operantem accommodat.

14. Oſtendimus noſtram definitionem, ſeu deſcriptionem verius, neque diminutam eſſe claudamve, neque redundantem, nec impiam, qualem eam *Lutherus* ſuis depravationibus reddere conatus eſt.

15. Docuimus illum in diſtinctione ſententiarum, quas propoſueram, hallucinatum eſſe. Unde factum eſt, ut multa illius argumenta volitent inania, cum ignoret ſcopum. Nam *Pelagianum* dogma, quod aſſerit hominum meritis deberi gratiam, ut olim damnatum relinquimus. Huic proximam opinionem, quam incertum quo auctore natam, nunc amplectuntur Scholæ, quæ docet per opera moraliter bona, ex naturæ viribus hominem eo poſſe proficere, ut Dei bonitas non neget ſuam gratiam, præſtanti quod in ipſo eſt, quemadmodum non tuemur admodum, ita nec impugnamus: huic tamen præferimus opinionem *Auguſtini*, qui cum initium, progreſſum & finem tribuat gratiæ, nihilo ſecius tamen ponit in homine liberum arbitrium, licet inefficax abſque gratia, ex quo tamen judicetur impius: nec patitur ut ex bonis homo quicquam arroget ſibi, non quod voluntas hominis nihil agat in bonis, ſed quod ſumma bonorum illi ſit imputanda, ex quo proficiſcitur omne bonum, etiam ipſæ naturæ vires. Et hanc opinionem voco probabilem, argumentatione tentaturus, ſi qua melior poſſit inveniri. Nam in libris *Auguſtini* de prædeſtinatione ſanctorum, de gratia & libero arbitrio, item de gratia & correptione, quædam admiſcentur huic quæſtioni nondum ſatis explicata.

16. His ita digeſtis, indico cum quibus opinionibus mihi potiſſimum futura ſit dimicatio, nimirum cum duabus, quarum altera eſt *Carolſtadii* diſputantis cum *Eccio*. Ea docet voluntatem hominis in opere bono nihil agere, ſed tantum agi ab operante gratia ſic, ut nec hunc ſermonem recipiat, gratia bonum opus agit per hominis voluntatem, ſed ita dici vult, agit in hominis voluntate: nec tamen is ſimpliciter negat eſſe liberum arbitrium. Altera eſt *Lutheri*, non quam ponit in initio aſſertionis, ſed quam in calore diſputationis aſſerit, nullum prorſus eſſe liberum arbitrium, ſed omnia tum bona tum mala, maxima pariter ac minima, fieri abſoluta neceſſitate. Quoniam ex his tribus poſtremis opinionibus, *Lutherus* fecit unam, & argumenta noſtræ diſputationis, quæ nondum definiunt, ſed inquirunt, nunc ad hanc opinionem ſpectant, nunc ad illam, multa verba fundit incaſſum, ſicuti mox oſtendemus. Hæc repetitio non debet eſſe moleſta lectori, quod non parum lucis præbitura ſit in labyrinthis argumentationum. Nunc ad rem.

Primus locus, quem citaram pro libero arbitrio, eſt Eccleſiaſtici xv. *Deus ab initio conſtituit hominem* & cætera, in quo ſi perſpicuum fecero qualem *Lutherus* præſtiterit artificem, velim ut lector ex hoc conjecturam faciat de cæteris. Cum in argumentando nonnunquam abutamur jure pugnantis, quemadmodum eſt dictum, iniquum petentes ut æquum feramus, *Lutherus* ſic urget ad ſingula, quaſi ſtatim pronuntiemus. Deinde non deſinit omnia referre ad illam probabilem opinionem, quaſi ſolam illam habeam pro ſcopo. Id ſi fuiſſet, non dixiſſem probabilem, ſed certam & indubitatam. Ad hæc nullum diſcrimen facit inter hominem initio conditum & hominem prolapſum, quod tamen facit illa mea ſtultiſſima Diatribe. Porro cum antea diſtinxerim, velle utcunque & velle efficaciter, hîc ita colligit, quaſi ſemper ſenſerim voluntatem efficacem, quod ille vocat libere velle. Quoties ajo poſſe, ille interpretatur poſſe totum, & poſſe ſuis viribus abſque gratiæ præſidio. At qui legerit meam Diatribam, longe aliud comperiet. Poſtremo non meminit quicquid hîc dicit convitiorum in meam Diatribam, recidere in ſanctos Eccleſiæ Doctores, præſertim in *Auguſtinum*, cui *Lutherus* quoque plurimum ſolet tribuere. Is enim Libro *de gratia & libero arbitrio*, in quo totis viribus pugnat pro gratia adverſus *Pelagianos*, tamen hunc locum ceu præcipuum adducit adverſus eos, qui negant liberum arbitrium, ac citato teſtimonio talem adnectit clauſulam: *Ecce*, inquit, *apertiſſime videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium*. *Auguſtinus* pronuntiat, ego diſputo. *Auguſtinus* agit illic de homine lapſo, ego diſtinxeram hominem conditum à lapſo. Cæterum quod *Lutherus* dicit ſibi jus eſſe excipiendi adverſus hujus voluminis, quod *Eccleſiaſtici* titulo fertur, auctoritatem, eo quod apud Hebræos non fuerit olim in canone, aut non conſtat ipſe ſibi, aut parum defert auctoritati Eccleſiæ Catholicæ. Nam ante dixerat librum *Eſther*, cum ſit apud Hebræos in canone, cum primis eſſe dignum qui ſubmoveretur à canone: & hîc tantum tribuit illorum canoni, ut ſibi liberum eſſe prædicet rejicere, quod in publicos & ſacratiſſimos uſus recepit Eccleſia Catholica, frequenter ex hoc libro ſacrum auſpicans pro Pſalmo, hinc ſumens quod Epiſtolæ loco recitetur. Quin ipſe divus *Auguſtinus* ex hoc libro mutuatur tela, quibus confodiat hæreticos, cumque viciſſim ab illis urgetur teſtimoniis hinc depromtis, non confugit ad rejectionem, ſed ad ſanam interpretationem. Proinde convitium, quod hîc jactatur in me, jaculetur in *Auguſtinum*: ſic enim ludit homo ſalſus. Aliud ſtatuit opinio per Eccleſiaſticum confirmanda, & ad aliud allegatur Eccleſiaſticus confirmandum, tanquam ſi quis probaturus, *Chriſtum* eſſe *Meſſiam*, adducat locum, qui probet *Pilatum* fuiſſe Præſidem *Judææ*. Nam *Auguſtinus* in eo, quem citavi, Libro ſtatuit idem quod ego, niſi quod ille vult hæreticum videri qui diverſum ſentiat: ego inter cæteras opiniones hanc voco probabilem: & tamen *Auguſtinus* hunc locum velut omnium evidentiſſimum in prima ſtatuit acie, propugnaturum adverſus eos, qui negant eſſe liberum arbitrium hominis: ne taxem interim, quod ſic loquitur *Lutherus*, *Chriſtum* eſſe *Meſſiam*, quaſi dicas Diabolum eſſe calumniatorem: nihil enim inter has voces intereſt, niſi quod altera Græca eſt, altera Hebraica. Deinde quod adjungit, *dis dia paſon* conveniat, ſimilis eſt ineptiæ. Quanquam hæc prætercurrere præſtat. Neque enim proprie faciunt ad inſtitutum, ſed tamen arguunt hominis ſupinitatem, qui ſibimet arrogat quiddam ſupra modum humanum. Nunc operæ pretium eſt audire quomodo locum totum excutiat: prorſus excutit non quo modo ſolent ſcrutatores, ſed ut ſolent equi ferocientes excutere ſeſſorem, è ſella in cœnum. *Hæc* (inquit) *verba*, Deus conſtituit hominem ab initio, & reliquit eum in manu conſilii ſui, per-

Cap. Eccleſiaſtici 87.

Digitized by Google

pertinent ad hominem primum conditum, nec faciunt pro libero arbitrio, cum nulla fiat mentio de praeceptis, propter quae exigitur liberum arbitrium. Ita *Lutherus*. Quid hac collectione impudentius? Prior erat creatio, mox successit praeceptum. Quid igitur mirum, si hoc priore loco commemoratur, quod re ipsa prius erat? Condidit hominem cum voluntate simul & ad bonum & ad malum libera, mox lege proposita docuit quid esset expetendum, quid fugiendum, & ad electionem boni provocavit promisso praemio, à malo deterruit minis supplicii. Quid si Deus homine condito, nullam praescripsisset legem, an ideo cariturus erat libero arbitrio? Angelis nullam legem legimus esse praescriptam, & tamen per liberum arbitrium quidam desciverunt, quidam perstiterunt. Hîc cum nihil omnino sit, vel obscuri vel absurdi, tamen *Lutherus* perinde quasi compulsus inexplicabili necessitate, gignit nobis novam interpretationem, hactenus à nemine somniatam, sed adeo duram ac detortam, ut ipse sensus communis statim rejiciat. Quin hic totus *Lutheri* sermo sic jacet ac friget, ut haec scribens nec sibi videatur placuisse. Notata est olim *M. Callidii* in sermone atroci frigida actio, & audivit à *Cicerone: Nisi fingeres, non sic ageres.* Et, *Ista si vera essent, sic abs te dicerentur?* Idem statim succurit hîc lectori: nisi fingeres, *Luthere*, non sic disputares. Proinde non alienum fuerit ipsa *Lutheri* verba subscribere, quod Liber ejus fortassis à multis legi non poterit, ob Principum interdicta. Sic habet locus: *Primo dicit*, (Deus constituit hominem ab initio) *hîc de creatione hominis loquitur, nec adhuc quicquam vel de libero arbitrio, vel de praeceptis dixit. Sequitur* (& reliquit eum in manu consilii sui) *Quid hîc? An liberum arbitrium adstruitur? At ne hîc quidem fit mentio de praeceptis, pro quibus liberum arbitrium exigitur, nec quicquam de hac re legitur in creatione hominis. Si igitur aliquid per* manum consilii *intelligitur, id potius intelligitur, quod Geneseos primo & secundo, homo constitutus est dominus rerum, ut in illis libere dominaretur, ut dicit Moses*, Faciamus hominem, qui praesit piscibus maris. *Nec aliud ex istis verbis evinci potest. Ibi enim homo potuit in rebus suo arbitrio agere, ut sibi subjectis. Denique hoc vocat hominis consilium velut aliud à Dei consilio. Post hac vero ubi sic constitutum & relictum hominem* in manu consilii sui *dixerat, prosequitur.* Adjecit mandata & praecepta. *Ad quid adjecit? Nempe ad arbitrium & consilium hominis, & ultra illam constitutionem dominii humani super res alias. Quibus praeceptis ademit dominium una parte creaturarum, puta arboris scientiae boni & mali, ac potius non liberum voluit. Adjectis autem praeceptis, tum venit ad arbitrium hominis, erga Deum & ea quae sunt Dei*, Si volueris mandata conservare, conservabunt te. Hactenus *Lutheri* verba retulimus, quorum frigus nonne statim arguit illum haec non ex animo loqui, nisi quod illi propositum erat suo more rejicere quicquid habet Diatriba. *Hic de creatione hominis loquitur, nec adhuc fit mentio praeceptorum, pro quibus liberum arbitrium exigitur.* Tradit dominium rerum in terra degentium. *Si aliquid intelligitur per manum consilii*, Etiam dubitat, an his verbis significetur aliquid. *Et adjecit*, inquit, *nimirum ad consilium & liberum arbitrium.* Quidni? Sed ut materiam liberi arbitrii. Mox adfert similitudinem de constitutionibus Papae, qua re ille nobis ademerit liberum arbitrium. *Tandem haec*, inquit, *si clara satis sunt*, cum prius affirmarit ex illis verbis nullum alium sensum elici posse: si non sunt, manet tamen in suo sensu negativo, donec nos diversum probaverimus, quem appellat difficilem & coactum. Hoc *Lutheri* commento, quod ferrum est durius, quae glacies frigidiori Et tamen perfricta fronte audet dicere, ex his verbis, *reliquit eum in manu consilii sui*, nihil aliud evinci posse, quam rerum terrenarum dominium homini traditum. Nihil hîc egero, si proferam Veterum quamlibet probatorum interpretationem, utetur enim suo jure rejiciendi. At quid si ex ipso loco docuero non consistere *Lutheri* commentum? Agit enim illic *Sirach* adversus eos, qui peccata sua rejiciebant in conditorem Deum, qui tales finxisset homines. Praecedunt enim haec, *Non dixeris, per Deum abest*, sive *absum*, sive *recessi*: nam Graece est ἀπέστω, *quia enim odit, ne feceris: non dicas, ille me implanavit*, id est, *seduxit*: nam Graece est ἐπλάνησεν. *Non enim necessarii sunt ei homines impii. Omne exsecramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum.* Et sequitur continenter: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui.* Pulchre vero cohaerent cum his quae contorquet *Lutherus*, Nolite Deum facere auctorem malorum: nam ille odit omne malum, sed condito primum homini dedit dominium in res inferiores hujus mundi, ut de his statueret quae vellet. An potius hoc ratiocinatur Ecclesiasticus, hominem si quid peccat, sibi debere imputare, non Deo, qui hominem condiderit cum libera voluntate: ne vero praetexeret ignorantiam divinae voluntatis, lumini naturae adjecit mandata, nec hoc contentus, ad benefaciendum invitavit summo praemio, nimirum vitae, deterruit extremo supplicio, videlicet mortis. Nam quod *Augustinus*, hunc locum citans, aliquoties addit, *creavit hominem rectum*, unde sumserit nescio, quanquam non aberravit à sensu. Non hîc excutiam quod *Lutherus* homini tribuit liberum arbitrium in administrandis rebus inferioribus, cum alibi docuerit nos, omnia simpliciter absoluta necessitate geri, & causam adfert infallibilem Dei praescientiam, & omnipotentem Dei voluntatem: atqui haec etiam Angelis adimunt liberum arbitrium, & adigunt ad rerum omnium necessitatem. Si Dei infallibilis praescientia, & immutabilis voluntas in causa est, ut non sit homini liberum arbitrium, cum haec scientia ac voluntas complectatur universa quae sunt in rerum natura, tum maxima, tum minima, ne in infimis quidem rebus erit homini liberum arbitrium, fortasse ne ipsi quidem Deo, si *Luthero* ratiocinanti credimus. Deinde perinde loquitur, quasi non possit homo peccare usu rerum inferiorum. Ad hoc imaginatur nullum futurum fuisse locum libero arbitrio, nisi lex interveniisset adstringens dominii jus, quasi non fuerit *Adam* conditus cum lege naturali. Nam hoc Dei praeceptum, *de ligno, quod est in medio paradisi non comedes*, ad ceremonialium naturam pertinet. Neque enim peccatum erat vesci de quocunque ligno, nisi Deus vetuisset. Praeterea sic temperat *Lutherus* suam disputationem, quasi praecepta Dei tollant ab homine liberum arbitrium etiam ante lapsum *Adae*, quod longe secus habet. Ut donemus nos per liberum arbitrium nondum liberatos, sic enim loquitur *Augustinus*, non posse vitare malum, & sequi bonum, tamen nullus unquam negavit *Adam* potuisse per liberum arbitrium in rectitudine sua persistere, si voluisset. Verùm fallitur, aut fallit potius ambiguitate vocum: nam ut interdum licere dicitur quod possumus, interdum quod jure possumus, ita nonnunquam liberum aut integrum dicitur, quod est in potestate nostra facere aut non facere, nonnunquam liberum esse negatur, quod citra injuriam fieri non potest: ut tyranno liberum est occidere civem innocentem, quod tamen per jura non est illi liberum. Et qui fidem suam obstrinxit amico, potest illum fallere, quod tamen illi non integrum esse dicitur. Hoc igitur liberum arbitrium, de quo nos hîc agimus, quod in hominis voluntate situm est, non excluditur praecepto. Neque enim praeceptum efficit, ut non queamus velle facere, quod vetitum est, sed ut non possimus absque crimine velle. Siquidem *Adam* accepto praecepto non solum voluit diversum, sed fecit etiam. Itaque quod hîc invehit *Lutherus* de libertate dominii, prorsus alienum est ab hoc argumento. Nam dominii libertas jus est: id adstrictum, nihil detrahit libero arbitrio, quod per solam transgressionem est imminutum, seu vitiatum potius. Accedit ad haec, cum *Lutherus* toties submoveat liberum arbitrium, propter gratiam auxiliantem homini, sic enim docet nos colligere, *adest gratia*

Digitized by Google

tia auxilians, igitur nullum eſt liberum arbitrium: Eſt liberum arbitrium, igitur nihil eſt gratia. Hîc tamen in res inferiores non ſolum liberum arbitrium tribuit homini, verum etiam regnum & liberum dominium, ac nihilo ſecius fatetur in his quoque Deum cooperari homini: & ante plus confeſſus eſt, hîc quoque omnia geri nutu Dei. Ea res ſi non obſtat libero arbitrio in rebus inferioribus, cur obſtat in ſuperioribus? Ad hæc quî convenit regni liberique dominii vocabulum cum eo quod alias docuit, hominem ne feſtucam quidem poſſe de terra tollere per liberum arbitrium. Divino tamen unde hæc palinodia. Non poterat Pontificum conſtitutiones tollere, niſi nobis induxiſſet hæc duo regna: alterum erga res inferiores, in quibus Euangelium nobis reliquit liberum uſum, quam libertatem adimere conantur Eccleſiæ conſtitutiones: alterum Dei, quo fertur & ducitur homo, non ſuo, ſed Dei arbitrio. Sic & ante diſtinxit conſilium Dei & conſilium hominis. Et hic eſt, qui toties irridet Sophiſtarum diſtinctiones. Sed utrum *Lutherus* interpretatur hunc locum proprie de homine recens condito, an in genere de omnibus: ſi de primo, qua fronte adimit illi liberum arbitrium? Si de lapſis omnibus, quod regnum illis relinquit, qui per peccatum exciderunt ab omni libero arbitrio juxta ipſius ſententiam? Equidem arbitror *Eccleſiaſticum* potiſſimum de lapſis agere, qui culpam ſuam rejiciunt in Deum: Ille contrà culpam rejicit in liberum arbitrium, quod ſi nullum eſt in rerum natura, auctore *Luthero*, actum agit *Sirach*. Eſt igitur & in lapſis aliquo pacto liberum arbitrium, per quod ſecundum *Auguſtinum* judicantur. Oſtendimus igitur non ex auctoritate veterum Orthodoxorum, quam *Lutherus* non recipit, niſi cum ipſi commodum eſt, ſed ex ipſa loci conſequentia, frivolum eſſe commentum quod adfert: quanquam ille ſenſum, quem adducit, vocat ſaniſſimum, ac perſiſtit in ſuo negativo, donec nos confirmaverimus noſtrum difficilem & coactum. Ubique provocat ad Scripturas. At quî ſuperes eum Scripturis, qui nullius interpretationem recipit, præterquam ſuam unius? Quis autem dedit illi jus hoc mirabile, rejiciendi quicquid vel Orthodoxi, vel Eccleſiæ proceres, vel Concilia ſtatuerint, & aſſeverandi quicquid ipſi commodum eſt pro tempore? Aut deponat iſtud jus tyrannicum, aut nobis permittat viciſſim illius interpretationes rejicere. Quam autem confirmationem exigit validiorem, quam ex ipſa loci conſequentia, quod à nobis modo factum eſt? Jam vide quam impudens ſit & illud, hunc ſenſum, qui hactenus nulli Chriſtiano diſplicuit, præcipuis Eccleſiæ Doctoribus, & in his *Auguſtino* placuit, ait pugnare cum univerſa Scriptura, & hunc unum locum detorqueri ad aſſerendum liberum arbitrium, cum ſint innumera teſtimonia, quæ non ego, ſed divus *Auguſtinus*, *Ambroſius*, *Bernardus*, *Irenæus*, *Origenes*, *Hieronymus* & *Hilarius* proferunt ad ſtabiliendum liberum arbitrium. Hic igitur eſt primus *Lutheri* triumphus adverſus Diatribam.

Verùm ſi cui videntur hæc parum dilucida, habet aliam rimam qua elabatur. Hîc ſuccurrit illi frigida diſtinctio Sophiſtarum de verbis indicativis & ſubjunctivis, deque categoricis enuntiationibus & hypotheticis. *Conditionale proloquium*, inquit, *nihil aſſerit.* Addit exemplum axiomate dignum, *Si Diabolus eſt Deus, merito adoratur: ſi Aſinus volat, Aſinus habet alas: ſi liberum arbitrium eſt, gratia nihil eſt.* Hujuſmodi blaſphemis ineptiis ludit in re ſeria, *Si Diabolus eſt Deus*, quæ ſacrilega verba ne joco quidem pronuntianda fuerant homini pio. Ineptum fuerit hîc proferre tropos, in quibus aſſerit aliquid oratio conditionalis: aſſerit enim vel cum tropus eſt jurantis, vel cum eſt per ἀδυνάτον ſive ἄτοπον, aut etiam per rem confeſſam colligentis aliquid, aut juxta communem intellectum aliquid indicantis. *Diſpeream ſi quicquam habeo rerum tuarum.* Hîc, *ſi*, non ſolum affirmat, ſed & dejerat. Et, *Si Principes non tenentur legibus divinis, impune faciunt quod libet. Sed abſurdum eſt dicere, Principes non teneri legibus Dei, non igitur peccant impune.* Hujus generis ſunt illa *Lutheri* de Deo & Aſino, quibus pulchrè congruit quod annectit: *Si liberum arbitrium eſt, gratia non eſt.* Magis quadrabat, *Si* Lutherus *eſt Spiritus Sanctus, impium eſt, illi non credere.* Num bella collectio fuerit, *Si mihi liberum eſt claudere aut aperire oculos, Sol non eſt?* Nihilo magis congruunt illa quæ profert, ſi quis dicat cæco, *Si volueris videre, invenies theſaurum:* Aut ad ſurdum, *Si volueris audire, narrabo tibi bonam hiſtoriam.* Sic potius loquendum erat aurito, *Si vis auſcultare, docebo te rem utilem: ſi non vis, ne poſthac conferas culpam in me.* Item, *Si vis intendere oculos, videbis quod optas: ſin minus, tibi imputa quod non videris.* Hæc congruunt libero arbitrio primum condito, & eidem per gratiam liberato. Nec enim Dei gratia excludit liberum arbitrium, ſed adjuvat: veluti cum clarum lumen feriens oculos excutit ſomnolentiam, ut diſcuſſis humoribus clare diſpiciat. Quid autem de nondum liberatis? Si Scholaſticos audimus, poſſunt & illi per reliquias liberi arbitrii proficere ad donum gratiæ. Si non audimus, poſſent excitari per Dei præcepta, minas & promiſſa, perque ſimiles modos, ut intelligentes & voluntatem ſuam averſam, & vires impares, implorent Dei gratiam. De his loquor, qui nondum pervenerunt in profundum malorum, conſuetudine peccandi quodam modo verſa in naturam. Hæc eſt *Auguſtini* ſententia. Verùm ut ad rem, his duobus modis extra controverſiam eſt conditionalem aliquid ponere, contra Sophiſtarum leges. Item cum ex re manifeſtiore quam ut negari poſſit, ratiocinamur, ut, *Si Deus eſt animus, animi puritate potiſſimum colendus eſt.* Poſtremo juxta communem ſenſum ex parte conditionali, colligimus aliquid, Ut ſi fidejuſſor dixerit venditori, *idoneo emtori fundum addixeris, ſi voluerit.* Hîc intelligimus illi rem ſuppetere, emtoremque ſolvendo eſſe, ſi voluerit. Atque hîc *Lutherus* in re ſophiſtica bis Sophiſtam agit. Quod enim à Dialecticis dicitur, *Conditionalis nihil ponere*, non ad cujuſvis rei ſignificationem pertinet, ſed ad illius quæ explicatur. Aliud autem explicatur, & aliud colligitur, juxta communem intellectum: Veluti cum dicitur: *ſi volueris, potes evadere in virum eruditiſſimum*, non affirmatur illum velle, ſed ingenium adeſſe felix colligitur. Itaque qui pollicendo dicit, *Si hoc negotium bona fide peregeris, habebo te inter amicos intimos*, non affirmat eum bona fide geſturum, quod mandatur, ſed indicat ſe credere, hoc ab illo ſi velit præſtari poſſe. Si quotidianus hominum ſermo talibus tropis plenus eſt, quorſum attinebat, ut *Lutherus* nobis ex puerorum Scholis adferret ſophiſma, quo totam Scripturam in alium ſenſum detorqueat? Mire vero ridet, quod hîc confugerim ad communem uſum humani ſermonis, ac ſibi videtur campum magnificum nactus, in quem exſpatietur declamaturus in humanam ſapientiam: *Ergo*, inquit, *divinas res & verba metitur ex uſu & rebus hominum, quo quid perverſius?* Verùm interim ubi ille ſenſus communis, quem antea judicem fecerat interpretationum humanarum? Si Deus nobis dignatus eſt loqui verbis humanis, juxta conſuetudinem vulgati ſermonis, quæ perverſitas eſt ex uſu ſermonis humani veſtigare ſententiam? Hoc certe tolerabilius, quam quod facit *Lutherus*, qui frigidis næniis Sophiſtarum excutit ſenſum divinæ ſapientiæ, *Si Diabolus eſt Deus, ſi Aſinus volat, Conditionalis nihil ponit*, Et, *ad impoſſibile ſequitur quidlibet*, Et, *imperativus ac ſubjunctivus modus nec verum dicit, nec falſum.* Aſſentior, non affirmat hoc eſſe aut fore quod imperat, ſed ſenſus communis colligit eſſe in illius poteſtate facere quod imperatur, ſi modo ſanus eſt qui imperat. Ne hîc occlamet, ergo poteſt ex ſe liberum arbitrium implere præceptum? Reſpondebit *Ariſtoteles*, hoc nos poſſe quod per amicos poſſumus. Dicent Jureconſulti, hoc nos facere, quod aliorum auxilio facimus. Si faci-

Digitized by Google

facimus, igitur poſſumus. Adeo Scriptura divina non abhorret à more loquendi, ſenſuque communi, ut Deum etiam in quem nihil cadit humanorum affectuum, tamen velut hominum more cum hominibus loquentem inducat. Quanto igitur congruentius eſt eam ad hos tropos examinare, quam ad pueriles Sophiſtarum leges. Quod ſi nos urges Dialecticorum præſcriptis, quid tibi proderit Dialectica, quoties in Litteris ſacris duæ negationes nihilo plus efficiunt quam una? Ubi negatio, poſtpoſita ſigno univerſali, facit particularem orationem, ut, *omnes non dormiemus.* Rurſus cum negatio, præpoſita ſigno univerſali, non facit particularem, ut, *non videbit me omnis caro.* Item cum à propoſitione univerſali affirmativa, excipitur propoſitio particularis negativa, ut, *omnes peccaverunt, cum nec* Chriſtus, *nec illius mater peccaverit.* Et cum Deus dicitur omnia condidiſſe, cum ipſe à nullo ſit conditus. Item cum per hyperbolen dicitur, quod exactum ad Dialectices rigorem falſum ſit, veluti cum ea dicuntur non eſſe quæ ſunt contemta. Rurſum cum modeſtiæ cauſa dejicitur aliquid ultra citrave verum: Ut, cum *Paulus* dicitur *Apoſtolorum minimus:* cum per ſynecdochen notatur totum à parte, effectus à cauſa, aut contra, cum per metaphoram aliud dicitur, aliud intelligitur. An non his tropis plenæ ſunt ſacræ Litteræ? Et unde petuntur hi tropi, niſi ab humana loquendi conſuetudine? quorum adminiculo multo frequentius eruitur ſenſus Scripturarum, quam legibus Dialecticorum, ne dicam Sophiſtarum. Nam vera Dialectica agnoſcit ejus linguæ, qua diſputat, idiomata: quæ ſi neſciat, non eſt Dialectica, ſed *mataeolectica.* Quid? An non Servator ipſe quemadmodum aſſumſit hominis naturam, ita lingua communi nobis loquutus eſt? Num meum hoc inventum eſt? Nonne idem docuit *Lutherus*, Scripturam accipiendam, ut juxta vulgarem loquendi morem, & communem ſenſum ſonat? Unde nunc repente alius irridet, quod & docuit & fecit hoc ipſo opere, cujus æſtimatione non recuſat, ſuum dogma vel ſtare, vel cadere. Et hinc elicit hyperbolicam collectionem, quod nihil de Deo niſi humanum cogitet *Eraſmus.* Habemus doctores ſubtiles, habemus ſanctos, habemus irrefragabiles, habemus ſeraphicos, quid ſupereſt, niſi ut hunc vocemus doctorem hyperbolicum? qui certe non minus habet maledicentiæ, quam Hyperbolus ille *Athenienſis: Qui dicit*, inquit, *ſi hoc feceris, dabo præmium, non ſemper intelligit illum poſſe facere ad quod invitatur. Sic parentes jubent infantem venire ad ſe, ut cum id non poſſit, cogatur implorare manum invitantis.* Aſt ubi dormit interim ipſius dogma, quo docet omnia Dei præcepta ſimpliciter eſſe impoſſibilia, non tantum malis, verum etiam iis qui per fidem juſtificati ſunt, & per gratiam adjuvantur? Jam donemus aliquando parentes ſic ludendo puerum ad ſe vocare, cum ſciant eum ingredi non poſſe, ſed cui non videatur delirus & ineptus, qui totos dies infanti occlamitet, ſurge, propera illo, recurre huc, tolle hoc, adfer illud, blandiens ut faciat, minitans ni faciat, objurgans ac cædens, quod non fecerit? At divina Scriptura nihil aliud fere crepat in tot voluminibus. Nec ulla mater eſt tam inepta, ut infantem invitet ad volandum. Ad fandum & ingrediendum ineſt naturalis habilitas, quemadmodum ingenio hominis corrupto inſunt ſemina quædam pietatis. Neque nihil proficit hæc parentum invitatio, puer fari juſſus, aperit os, edit voces incertas, aut balbas. Accurrere juſſus movet tibias, jactat brachia, totoque vultu ſignificat ſe conari, quod jubetur. Nec hæc fiunt à parentibus, ut puer intelligat ſe non poſſe, ſed ut inſitam ad hæc habilitatem paulatim exerceat, fruſtra conanti ſuccurrit mater. Ad eundem modum nobiſcum agit hinc Scriptura, hinc gratia. Itidem de Medico reſponderi poteſt, qualis ut ſit aliquis, qui nonnunquam ea præſcribat, non quæ morbum levent, ſed quæ morbum oſtendant, quis ferat illum Medicum, qui totos dies aſſideat ægroto, præſcribens nunc hoc, nunc illud, obſecrans, territans, invitans, exhortans, idque prædicet ſe non ob aliud facere, niſi ut ægrotus intelligat ſe graviſſimo teneri morbo, unde citra Medici beneficium liberari non queat? Jam ut ſit aliquis Princeps, qui legem unam alteramve præſcribat civibus, non quod putet ab illis ſervandas, ſed ut eos habeat ſibi magis obnoxios, quid illo prodigioſius, qui leges innumeras quotidie ferat, magnis præmiis invitans ad earum obſervationem, atrocibus ſuppliciis deterrens à violando, nec aliud agat, quam ut populus intelligat ſe non poſſe ſervare vel minimam omnium legum quæ feruntur? Et hoc ſtultiſſimo commento adeo ſibi plaudit *Lutherus*, ut perneget Deum alia via commodius potuiſſe dejicere hominum inſolentiam. Qui hæc cum tanta ſcribit aſſeveratione, nonne dicas eum Deo ab intimis fuiſſe conſiliis? Deus πολυμήχανος eſt, nec uno modo oppugnat noſtram arrogantiam. Non raro vexatio dat intellectum auditui, nec ulla graviore machina proſtravit inſolentiam hominis, quam quod ipſe Dei Filius homo factus extrema perpeſſus eſt pro nobis. Hæc eſt arx *Lutheri* munitiſſima, qua ſe tuetur. Sed quis unquam hoc ſomniavit, quod hic aſſeverat? *Paulus* dicit, *per Legem cognitio peccati.* At mox oſtendemus in Scripturis ſacris multas alias Legis utilitates explicari, ac ne legis quidem nomen mereri, quæ præſcribat, quod fieri nullo modo poſſit, aut quæ non ſpectet ad aliquam vitæ actionem. Oſtendimus otioſam eſſe cognitionem abſque gratia, & hoc ipſum eſſe gratiæ, quod peccator implorat opem gratiæ. Alioqui peccati cognitionem magis ſequitur vel deſperatio, vel contumacia, quam imploratio cœleſtis auxilii. Poſtremo quis eſt Medicus tam inhumanus, ut ea præſcribens, quæ tantum admoneant ægrotum morbi ſui, talis ſit & amicis & inimicis, omnibus inſultare gaudens. Nam hujuſmodi *Lutherus* facit Deum erga cunctos mortales, qui fuerunt, qui ſunt, quique futuri ſunt, dum profitetur nullum eſſe præceptum tam facile, quin ſanctis etiam impoſſibile ſit ſervatu; imo quod durius eſt, aſſeverat peccatum eſſe, quicquid in juſtificatis per gratiam, operatur ipſa gratia. Et hæc ſomnia, quæ velut araneus è ſuo gignit cerebro, nobis occinit pro oraculis, poſtulans ut præ his veterum omnium Orthodoxorum & totius Eccleſiæ Catholicæ ſententiam pro nugamento ducamus. Verùm hæc alias.

Objicit quod ex particulari fecerim univerſalem, quaſi negem uſquam uſurpari proloquium conditionale, niſi ſentiatur conditionem poſſe præſtari. Imo communi uſu loquendi ſic accipi dico conditionis voces, præſertim in legibus: *Si bona fide geſſeris præturam, eveham te ad Conſulatum, Sin minus, deportaberis in Inſulas.* Quin potius *Lutherus* facit ex indefinita univerſaliſſimam, qui vult omnia Dei præcepta non hoc animo proponi omnibus ut ſerventur, ſed ut intelligamus ſervari non poſſe, cum utrumque Teſtamentum ſcateat præceptis, exhortationibus, dehortationibus, minis terribilibus, ac promiſſis optabilibus. Sed Legem interpretatur univerſam cum omnibus ſuis appendicibus, nec ullum facit diſcrimen inter Legis partes varias, inter præcepta Legis facillima ac difficillima, inter Legem adjuncta gratia, & vacantem gratia, inter hominem perverſum ac ſatanicum, & hominem piæ voluntatis. Neque clamet hæc me calumniari, niſi non agnoſcit dogma ſuum, hominem juſtum in opere quantumvis bono peccare. Si qua exceptio eſt adverſus uſum communem, tamen probabilior eſt cauſa tuentis ſeſe generali conſuetudine, quam exceptione. Generalis uſus per ſe noti exceptio eget multa probatione. Donemus Deum aliqua præcipere quæ ſuperent humanas vires, quod genus eſt tollere crucem, & quale fortaſſe fuit quod præcepit *Abrahæ*, ut occideret filium ſuum primogenitum, an protinus convenit omnia præcepta, minas ac promiſſa ſic interpretari, ut vel inſultantis ſint, vel oſtendentis nobis imbecillitatem noſtram? Sunt quædam præcepta facillima, & ſunt

Digitized by Google

quæ mali quoque ſervant metu pœnæ, nec furantes, nec occidentes, nec blaſphemiam in Deum jacientes, nec maledicentes patri aut matri. Nam quod *Paulus* docet, per Legem dari cognitionem peccati, alias excutietur. Quin arbitror conſultius, ut hîc obiter eum ab hac arce deturbemus. Quandoquidem hoc eſt unum præcipuum telum, quo pugnat adverſus eos qui tribuunt aliquid vel libero arbitrio, vel meritis hominum. Hoc igitur ſemel illi excutiamus è manibus, ne toties eadem audiamus impune. Primùm igitur aſſumemus id quod conſtat, *Paulum* Apoſtolum illic agere cum Gentibus ac Judæis, ſed cum Judæis præcipue, ut declaret omnibus opus eſſe gratia, quæ per Euangelium citra diſcrimen offerebatur omnibus: cum nec Gentes per naturæ legem, ac philoſophiam cognoviſſent Deum, & ſi cognoverunt, res conditas prætulerunt conditori: nec Judæos conſtaret fuiſſe juſtificatos per opera Legis, quin potius Legem ipſis occaſionem dediſſe gravius peccandi. Quædam enim peccata ſunt, quæ lex naturæ non indicat omnibus, qualis fortaſſis eſt concupiſcentia rei alienæ, quæ neminem lædit. Verùm dum hæc quoque *Moſi* Lex prodit eſſe peccata, magis oneratur conſcientia Judæi. Hujus generis ſunt & omnes fere ceremoniæ. Neque enim naturæ lex ſentire poterat eſſe peccatum veſci carne ſuilla, ne erat quidem ex ſeſe peccatum, niſi Lex vetuiſſet. Judæi vero præpoſtere ſervantes Legem, circumciſionem, delectum ciborum, ſabbatiſmos, contactum mortuiniorum, neomenias, cæteraque hujus generis ſuperſtitioſe ſervabant, negligentes ea quæ Legis erant caput, amorem Dei ac proximi. Potiſſimum vero *Paulus* ferit ex Gentibus Philoſophos, ex Judæis Phariſæos Scribaſque. In his enim plurimum erat faſtus, & hi potiſſimum reſiſtebant Euangelio. Nam ſapientes illi contemnebant crucis ſtultitiam, & crux, quæ vocabat ad pœnitentiam, offendebat Phariſæos falſa juſtitiæ perſuaſione turgidos. Sic tamen percellit utroſque, ut utriſque delinitis ſpem bonam faciat. Gentibus detrahit criſtam primo Capite, ita inquiens, *Ut ſint inexcuſabiles*, Judæos dejicit proximo Capite, *Si autem tu Judæus cognominaris*, &c. Rurſus hîc Gentes ſublevat: *Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt*, &c. Judæos ſublevat III. Cap. *Quid ergo amplius Judæo eſt*, &c. Ad coarguendas Gentes non utitur teſtimonio Scripturarum, quod illarum impietas eſſet in propatulo, videlicet idololatria, & libidinum nefariarum turpitudo, quæ traducta eſt & ipſorum libris. Ad Judæos, qui ſibi juſti videbantur, coarguendos utitur Legis teſtimonio: *Quia non eſt juſtus quiſquam. Non eſt intelligens aut requirens Deum.* Quæ ne Judæi torquerent velut in Gentes dicta, ſubjicit *Paulus: Scimus autem quoniam quæcunque Lex loquitur, his qui in Lege ſunt loquitur.* Mox velut indignantibus Judæis, Nihil igitur nobis profuit Lex, Profuit, inquit, non ad juſtitiam, ſed ad hoc ut peccatum veſtrum eſſet evidentius, ut diſſimulare non poſſitis. Nam Græcis eſt non γνῶσις, quod *cognitionem* ſonat, ſed ἐπίγνωσις, quod magis ſonat *agnitionem*. Nam qui cognoſcit, diſſimulat ac negligit; qui agnoſcit, fatetur. Lex enim velut appellans conſcientiam peccatoris, non ſinit illam diſſimulare vitium ſuum. Non eſt igitur quod Judæus de Lege glorietur, cum per eam magis traducatur ipſius iniquitas. Jam conſtat ea, quæ I. Cap. Gentibus exprobravit, non quadrare in ſingulos Ethnicos. Nec enim apud illos nullus erat à nefandis libidinibus immunis, aliiſque factis atrocibus, quæ multa commemorans, I *Corinth.* VI. ſubjicit: *& hæc fuiſtis quidam*, ſive *aliqui*. Non dicit *omnes*. Nec in omnes Judæos quadrant illa: *Non eſt requirens in Deum, venenum aſpidum ſub labiis eorum, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, cum in Scripturis ſacris legantur complures honorati cognomine juſtorum ac Deum timentium. Quin & inter hos, qui cognominis hujus honorem, nec apud Deum nec apud homines promerebantur, erant quamplurimi, qui non omnino vacabant timore Dei, nec ſtinabant ad effundendum ſanguinem, nec venenum aſpidum portabant ſub labiis. Hæc igitur in genere dicta ſunt, præſertim in Judæos, quod plerique tales eſſent, id quod declararunt in condemnatione *Chriſti*, ad impium facinus concordes, Pontifices, Seniores, Scribæ, Phariſæi & populus. Deinde diſquirunt Interpretes de qua Lege loquatur hîc *Paulus*, quando vocem hanc varie uſurpat in hac ipſa Epiſtola. Satis tamen conſtat hoc in loco fieri mentionem Legis *Moſaïcæ*. Sed quærendum eſt de qua parte Legis loquatur. Mihi videtur loqui de craſſiore parte, quæ præſcribit ceremonialia, quæque vetat manifeſta facinora, quæ puniunt etiam leges humanæ. Meminit enim circumciſionis, quo nomine complectitur omnia ceremonialia. Et in peccatis hæc refert: *Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis.* Num hæc faciebant omnes Judæi? Nec hodie faciunt omnes. Ex his igitur juxta litteram obſervatis vindicabant ſibi juſtitiam adeo, ut aut recuſarent Euangelii gratiam veluti non neceſſariam, aut negarent eam abſque Legis præſidio ſufficere. Rurſus in ſequentibus videtur intelligere opera Legis, circumciſionem, reliquaſque ceremonias: *Arbitramur enim*, inquit, *juſtificari hominem per fidem ſine operibus Legis.* Alioqui ſi ponas opus Legis eſſe vitare homicidium, ſacrilegium, adulterium, & perjurium, item diligere Deum ſuper omnia, & proximum ſicut teipſum: ſine his neminem juſtificat fides, imo ſine his mortua eſt fides, ne dicam mortifera, ſi qua tamen omnino eſt. Huic conſonant quæ tractat Capite IV. de *Abraham*, qui nondum circumciſus per fidem meruit juſtitiæ laudem. Neque enim Euangelium fert illum, qui non abſtinet à furtis & adulteriis. Ponendum & illud, hîc non agi de tota vita Chriſtianorum, ſed de his qui ex Paganiſmo aut Judaiſmo veniebant ad baptiſmum. De quibus in commune dicitur, *omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*: non quod omnes ea facinora commiſerant quæ ſupra commemoravit, ſed quod nullus haberet plenam illam & Euangelicam juſtitiam, quæ nos juſtos reddit apud Deum. Diſtinguit enim Euangelium juſtitiam Phariſæorum ab Euangelica, quemadmodum hîc Apoſtolus diſtinguit juſtitiam hominum à juſtitia Dei. *Nunc autem ſine Lege juſtitia manifeſtata eſt*, ſed addit, *juſtitia Dei.* Ac mox, *juſtitia autem Dei, per fidem Jeſu Chriſti.* Extra controverſiam eſt, ne Judæos quidem juſtitiam hanc conſecutos niſi per donum fidei in Chriſtum. Et ideo Paulus ait, juſtitiam Dei nunc manifeſtatam, ſignificans olim fuiſſe tum in Gentibus, tum in Judæis, ſed velut occultam, nunc per Euangelium copioſius ac palam effundi in omnes Orbis nationes. Conſiderandum & illud, adverſus quos hæc adferat *Paulus*. Nimirum adverſus feroces ſibi littera Legis placentes Judæos. His adimens gloriam inanem, dicit Legem nihil aliud attuliſſe quam agnitionem peccati, hoc eſt, teſtimonium damnationis. Hæc enim una præcipua clavis eſt obſervare quid agat, cum quibus agat, qua occaſione loquatur, quid ſpectet Scriptura. Qua quidem in re *Paulus* habet etiam peculiare quiddam, in omnia ſe vertere ſolitus, ut efficiat quod inſtituit, non malitioſa callidaque vafritie, ſed humanæ ſalutis aviditſima caritate. Elevat, exaggerat, vulnerat, mitigat, alia ſubticet, alia differt: caritatis hoc artificium eſt, non verſutiæ. Proinde ſi quis in hujus Epiſtolis ſuperſtitioſe velit urgere voces ac ſyllabas, in multas incurret abſurditates. Ita quod hic in elatos ac ſupercilioſos intendit Judæos, dicens, Legem talibus non conferre juſtitiam apud Deum: id *Lutherus* ſic torquet quaſi Lex univerſa omnibus præceptis, etiam his quæ fidem, pietatem & caritatem præcipiunt, cum exhortationibus, minis, exſecrationibus, objurgationibus, blanditiis, promiſſis, expoſtulationibus additis, quibus undique plena eſt univerſa Scriptura, nihil aliud efficiat quam ut homo intelligat, ſe nihil eorum implere poſſe quæ præcipiuntur, etiamſi adſit gratia. Judæis Legis obſervationem abſque gratia non ſuffeciſſe ad veram juſtitiam, fatemur & nos.

Digitized by Google

nos. Verùm hinc non conſequitur, Legem nihil aliud in omnibus potuiſſe, quam ut oſtenderet peccatum inevitabile: nam ideo Lex oſtendit peccatum ut vitetur, & volenti vitare, præſto eſt gratia, nunc quidem copioſior, ſed & Judæis & Gentibus aderat. Neque enim hoc *Chryſoſtomus* ſacrique Doctores imputant naturæ Legis, quod tantum coarguit peccatum, ſed hominum pravæ voluntati, qui nolunt parere Legi. Alioqui ſi *Paulus* ſenſiſſet quod interpretatur *Lutherus*, Legis præcepta à nemine poſſe obſervari, nec in hoc eſſe data, nequaquam dixiſſet, *His quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam.* Ac rurſus: *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco.* Et iterum: *Circumciſio quidem prodeſt, ſi Legem obſerves*, videlicet oſtendens Legem ad nihil utilem, niſi ad gravandam conſcientiam, ſed quibus? Non obſervantibus eam, etiamſi juxta carnem ſervare ex parte viderentur. Quis autem unquam Veterum attulit commentum quod adfert *Lutherus*? *Ex tenore*, inquit, *contextus elucet hic ſenſus.* Imo tenorem jam oſtendi longe aliud agere, nimirum accuſari malitiam & pronitatem ad malum, pariter & in Judæis & in Gentibus, & ideo Deum conſiderantem quod nec Lex erat efficax ab abplendam hominum malitiam, ſuſtuliſſe Legis onus, & ampliaſſe gratiam, omnibus denuntiando ſalutem per fidem in *Jeſum Chriſtum*, quem Pater in hoc miſerat, ut gratis omnibus ſua peccata condonaret. Quod autem negat hanc juſtitiam conferri ex operibus Legis, non huc pertinet, opera bona non requiri à baptizatis, ſed indicat ad baptiſmi gratiam admittendos ex æquo vel Gentes à Lege immunes, vel Judæos Legis tranſgreſſores, modo fidant Euangelii promiſſis. Non enim imputantur vitæ prioris commiſſa ad Euangelii gratiam confugientibus. Proinde ut verum eſt, per Legem agnoſci peccatum, ita non conſequitur quod addit *Lutherus*, nihil aliud efficere Legem, nec in aliud omnino latam fuiſſe. Nec vero mirum ſi Lex dicitur parere peccati cognitionem, cum in hoc ſoleant etiam humanæ leges ferri, ut videant quid ſit fugiendum, quid expetendum. Nec enim ſimpliciter hoc agit Lex, ut intelligatur quid fas, quid nefas, quid rectum & pravum, ſed ad actiones hominum prodita eſt Lex, veluti medicina prodit morbos, non in hoc tantum, ut homines intelligant ſe ægrotos, ſed ut ope Medicorum ſanentur. Quod ſi univerſa Lex nihil aliud parit quam agnitionem peccati, hoc eſt, gravamen conſcientiæ, quid ſibi volunt tam multa Legis in Scripturis encomia? *Lex Domini immaculata, convertens animas, ſapientiam præſtans parvulis; In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones ſuos.* Ac rurſum, *Et eloquium tuum vivificavit me. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Si prælucet, utique prælucet actionibus. Iterum, *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.* Contra *Lutherus* clamat, omnia Dei mandata nihil aliud eſſe, quam irriſionem aut inſultationem imbecillitatis & ferocitatis humanæ. Atqui in primo Pſalmo longe aliud promittit meditanti in Lege, quam damnationem conſcientiæ. *Et erit*, inquit, *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*, &c. Ubi memorantur pedes & ambulatio, ibi deſignatur actio juxta Legem. Sed talibus, cum qualibus illic agit *Paulus*, Lex nihil aliud erat quam redargutio malæ conſcientiæ. *At ſapienti*, ut inquit *Salomon*, *Lex fons eſt vitæ, ut declinet à ruina mortis.* Rurſum idem Capite ſexto: *Quia mandatum lucerna eſt, & Lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ, ut cuſtodiant te à muliere mala*, &c. *Lutherus* contra facit illam fontem deſperationis. At *Paulus* cum *Galatis* tertio, idem tractans argumentum quod hîc, oſtendit uſum Legis: *Lex*, inquit, *pædagogus noſter fuit in Chriſto*, ſeu potius *ad Chriſtum, ut ex fide juſtificemur. Priuſquam autem veniret fides, ſub Lege cuſtodiebamur; concluſi in eam fidem quæ revelanda erat.* An pædagogus nullum alium uſum adfert puero, quam ut intelligat ſe peccare, an potius, dum nondum ex ſe perſpicit, quid ſit expetendum, aut amore recti ducitur, vel pudore, vel metu à turpibus arceatur, ne corruptus undique jam nec Philoſophis docilem ſeſe, nec paternis monitis audientem præbeat? Legis igitur divinæ ſcopus unicus erat, ut vitarentur turpia, expeterentur honeſta, ſed humanarum mentium varietas in cauſa fuit, ut Lex in aliis aliud atque aliud efficeret. Bonis ac ſapientibus erat fons vitæ, infirmis erat cuſtodia, quaſique cancelli, ne dilaberentur in extremam impietatem, terrore ſublato: ſimpliciter ignorantibus erat lucerna prælucens ad iter actionum: ferocibus autem ac malitioſe tumidis, carnifex erat, ingerens commiſſorum turpitudinem, & vel ab invitis extorquens confeſſionem. Quod evenit in legibus humanis, idem uſu venit in divinis, ſcopus idem eſt, exitus varius. Qui ſcopum Legis tollit, tollit Legis & naturam & vocabulum. Annotatum eſt & illud ab Orthodoxis, non dictum eſſe, *Ex Lege cognitio peccati*, ſed *per Legem:* alioqui viſus fuiſſet accuſare Legis naturam, quod ex ſe pareret vindictam redarguto tantum peccato: ſed dixit, *per Legem*, ſignificans occaſione factum, ut Lex, quæ data erat ad recte agendum, prævaricantibus auxerit damnationem, & quæ parata erat ad conſequendam juſtitiam, prodiderit injuſtitiam. Sed *Paulus* excuſat Legem, pronuntians illam eſſe bonam ac ſanctam, nimirum quod iram operatur, id rejiciens in eos, qui eam negligunt obſervare. Sic intelligendum & illud, *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum.* Nec enim ideo Lex data eſt, ut abundaret delictum, ſed hoc hominum vitio conſequutum eſt, ut quod in remedium erat datum, auxerit morbum. Similiter ad *Galatas* tertio, declarans quis fuerit uſus Legis, ita ſcribit: *Quid igitur Lex? propter tranſgreſſionem poſita eſt, donec venerit ſemen, cui promiſſum erat.* Quid eſt, *propter tranſgreſſionem?* an ideo, ut Lex violata proderet hominum malitiam? An potius ut boni redderentur meliores, infirmi tutiores: mali levius peccarent, malitioſi coarguerentur, & ſi non minus peccarent, certe minus læderent, atque ita totus ille populus, cui *Chriſtus* erat promiſſus, intra Legis cancellos cuſtodiretur, ne *Chriſtus* adveniens nullos inveniret ſanabiles. Etſi nullus erat illorum, qui totam Legem ſervaret; tamen erant innumeri qui juxta communem æſtimationem aliqua ex parte ſervarent. In his autem ut non erat perfecta juſtitia, ita gradus aliquis erat ad juſtitiam Euangelicam. At ſine gratia nemo ſervat Legem ut dignum eſt. Fateor. Sed ea gratia parata eſt, quod in ipſis eſt præſtantibus. Jam & illud peculiare *Luthero*, ex indefinitis, aut ſingularibus proloquiis reddere univerſalia. *Per Legem agnitio peccati, Igitur*, inquit, *tota Lex cum omnibus præceptis, minis, præmiis, ſuppliciis, maledictionibus & benedictionibus, in omnibus hominibus, omni tempore nihil aliud efficit, quam ut agnito peccato gravet conſcientiam, cum nullum ſit præceptum quod homo poſſit ſervare.* Atqui complures ſunt qui non furantur, qui non pejerant, qui non occidunt. Sed habet aliud ſophiſma: *Fons bonorum operum omnium eſt amor Dei. Sed præceptum Dei jubentis ut ametur ex toto corde, tota anima, totis viribus, à nemine poteſt impleri. Hoc poſito non ſervat Legem, etiam qui in cæteris eam ſervat.* Iſtum nodum eleganter diſſolverunt olim Orthodoxi. Quomodo? Nimirum hyperbolen præcepti exigere ſummum amorem Dei, comparatione rerum cæterarum, ut is diligat Deum ex toto corde, anima & viribus, qui illum anteponit omnibus rebus conditis, etiam vitæ & morti, ſi caſus inciderit, ut aut ſit offendendus Deus, aut mors oppetenda. Quod ſupereſt hyperboles exigit, ut homo in amando Deo ſtudeat proficere, quantum fert imbecillitas humanæ naturæ. Sic & in Euangelio perfectus dicitur diſcipulus, ſi fuerit ſicut magiſter ejus: non quod quiſquam par ſit *Chriſto*, ſed quod in eodem virtutis genere verſetur. Ibidem jubentur eſſe perfecti, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt, non

Digitized by Google

quod ullus hominum, aut etiam Angelorum, accedit ad perfectionem Dei, sed quod in aliquo genere refert Patrem, videlicet in benefaciendo, tum amicis, tum inimicis. Neque enim mentitus est Propheta, qui dicit: *In toto corde exquisivi te, ne repellas me à mandatis tuis.* At mentitur, si verum dicit *Lutherus*. 3. Regum VIII. sic orat Salomon, *Domine Deus, qui custodis pactum & misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.* Si nulli tales sunt, pro quibus orat *Solomon?* Nec opinor mentitum *Ezechiam*, cum ait, *Obsecro Domine, memento quaeso quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto.* Et quomodo in sacris Voluminibus laudantur quidam, quod cætera pii, in hoc & illo deliquerint, si nullum præceptum servari potest? Denique si nos urgeat Sophistarum more verbis, vicissim & ipsum urgebimus. Quærimus igitur qua Dialectica consequitur, *per Legem cognitio peccati, ergo nihil aliud*, veluti si dicas, *lactuca solvit alvum, ergo nihil adfert nutrimenti.* Rursus qua ratione consequitur, huic Medicus nihil profuit, nisi quod agnito morbo gravius discruciatur, ergo nulli in aliud prodesse potest quisquam Medicus. Quod illi non in aliud profuit Medicus, non ars in culpa fuit, sed ægroti vitium non præbentis se Medico. Quis autem unquam tyrannus aut tam otiosus fuit, aut tam morosus, ut leges daret suis, quæ nihil aliud efficerent quam ut cives intelligerent nihil earum servari posse? *Solon* nullam legem tulit de parricidio, rogatus quamobrem, respondit se non fuisse suspicatum mores civium eo malitiæ progressuros; videlicet indicans, leges non pertinere ad ea quæ fieri non solent, sed multo minus ad ea quæ fieri non possunt. Nulla enim lex erat, ne quis noctu sumtis alis evolet è civitate. In duodecim Tabulis lex erat, ut ejus corpus, qui multis creditoribus esset obnoxius, nec foret solvendo, in partes dissecaretur, & quisque pro crediti portione partem tolleret. Hanc legem non in aliud latam interpretantur, nisi ut atrocitate pœnæ confirmaretur fides crediti ac mutui, sine qua collabatur oportet Respublica. Neque enim hujus legis ullum exstat exemplum. Verùm hæc una lex ab Ethnicis erat terroris, non exempli gratia lata: *Lutherus* omnes Dei leges, cum præmiis, suppliciis, & quicquid ad legem servandam, vel allicere, vel pertrahere potest, vult esse vel illudentis Dei, vel insultantis: veluti cum pater jocans jubet ad se venire puerum, quem scit ingredi non posse: vel cum Rex hosti feroci insultans præscribit, quod scit ab illo præstari non posse. Nonne præclarum dedit commentum, ad quod exigamus universam propemodum Scripturam sacram? Cur igitur appellatur Lex, si nihil conducit ad actiones vitæ, si impossibilis est, & per hoc iniqua? Jureconsulti negant habendam pro lege, quæ nec sit possibilis, nec rationi consentanea, nec æqua, nec utilis Reipublicæ. Addunt, & receptam assensu, & moribus approbatam esse oportere. Atqui si talis erat Lex Dei, qualem eam facit *Lutherus*, populo Israelitico fucus factus est. Primum cum *Moses* ferret Legem, stipulans assensum populi, quod religiosius etiam fit Deut. XXIX. Etenim si dixisset, trado vobis Legem, quam nec servabitis, nec servare potestis, tantum prodet vobis animi vestri malitiam: populus haud dubie talem Legem recusasset: aut si recepisset, minus sibi displicuisset violata Lege, quæ non in hoc esset data ut servaretur, sed tantum ut agnosceretur peccatum. Ergo ut assequeretur Deus quod volebat, fallendus erat populus absconsa decipula. Et ideo *Moses* homo callidus tantum temporis consumit in persuadenda Lege, in exhortando, pollicendo, deterrendo, ne sentirent rem arte geri. Alioqui si Lex in hoc tantum datur, ut prodat peccatum, satis erat nuda præcepta proponere, nunc bona, imo maxima voluminis pars occupatur in persuadendo. Quod si usque adeo necessaria res est agnitio peccati, nec alia ratione parari poterat, quam ut homo deceptus impingeret in Legem, cur *Lutherus* nunc prodidit hoc mysterium, & sublato fuco fecit, ne homo velit intendere nervos ad servandam Legem, quam scit nullo modo servari posse? Saltem loqueretur quemadmodum locuti sunt *Moses*, Prophetæ, *Christus* & Apostoli, cumque his Ecclesiæ Doctores. Nam horum talis est oratio, quasi nostræ voluntati sit imputandum, si Legem non servaverimus. Sed esto, pariat Lex agnitionem peccati. Ad quid confert agnitio peccati? Ad salutem? Non. Sed vel ad desperationem, vel ad contumaciam, ni accedat gratia. At quanto Deo dignius est, eam gratiam conferri in observationem Legis, priusquam homo tam miserabiliter impingat, tum suo tum aliorum malo? Dicet sic visum voluntati adorandæ non scrutandæ. Ergo solus *Lutherus* fuit illi voluntati à consiliis? Cur igitur prodit arcanum, quod ipse Filius non prodidit, quod hactenus vel nescivit, vel reticuit Ecclesia *Christi* sponsa, quæ sponsi sui Spiritum habet, ubicunque ille latitat. Jam si nos roget, quid opus erat libero arbitrio, quod ad malum valeat per se, ad bonum inefficax sine gratia? Respondebimus, sic visum adorandæ voluntati, & hoc responsum est longe probabilius, quam quod adfert *Lutherus*. Quid autem erit tam insolubile quod non solvet, si permittamus illi, quoties commodum est, ad voluntatem adorandam, & Deum non prædicatum confugere? Rursum ubi rogarit, quid opus erat Deo crucifixo, si Lex justificabat? Respondebitur, cum in Lege circumcisio sustulerit peccatum originale, cum gratia auxilians viribus hominis, justificarit, quid opus erat Euangelio? Si dicat, ut augeret dilataretque gratiam: hoc poterat absque morte Filii. Sic visum, inquiet, voluntati adorandæ. Sed eidem sic visum, ut homo per liberum arbitrium præberet aut subduceret se gratiæ. Ita quoties nos destituet ratio, aut quoties nostras rationes non recipiet, confugiemus ad voluntatem adorandam. Ut autem persuadeat nobis, quod est omnium absurdissimum, totam pene Scripturam illudere nobis quoties præcipit, exhortatur, minitatur, aut expostulat, unde petit argumenta? Non ab Ecclesiæ decretis, quæ contemnit, non ab orthodoxis Scriptoribus, quos conspuit, sed à Grammaticis & Sophistis. Verba subjunctiva, optativa, & imperativa nihil ponunt. Quia pater jocans dicit infanti, Accurre huc, cum ingredi non possit. Et dives irridens pauperem, dicit, Da mihi talentum, cum sciat illi obolum non esse. Et ut ipsius exemplis utar, *sic*, inquit, *loquuntur Dialectici, Si Diabolus est Deus, merito adoratur.* Sic ait Scriptura, *Si servaveris mandata, conservabunt te.* Et quemadmodum irrisor alienæ calamitatis dicit cæco, *Si volueris videre, rem tibi gratissimam indicabo.* Hoc potissimum telo triumphat noster invictus *Achilles*, adversus cujus potentiam nec portæ inferorum quicquam valent. Sed ubi interim gravitas Scripturarum divinarum? ubi sensus communis? ubi consuetudo legum humanarum? ubi Legis vocabulum, si tantum aperit peccatum, & exasperat concupiscentiam? An non hæ sunt adamantinæ rationes, quibus nobis rem & absurdam & inauditam persuadeat? *Hæc*, inquit, *carni videntur absurda, sed spiritui nequaquam.* Et interim omnes qui dissentiunt carnem facit, sibi spiritum vindicans. Id præstare debebat potius quam prædicare. Nunc aliud nobis loquitur ipsius gloriosa prædicatio, aliud scripta, sannis, ronchis, morsibus, strophis, gloriis & convitiis referta.

Verùm ut finiamus quod cœptum est. Quid est quod hîc *Paulus* ait? *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.* Et ad *Galatas* III. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato?* Respondeo, si peccatum interpretemur crimen, hoc est, capitalem culpam, *Paulum* illic loqui non de singulis hominibus, sed de singulis hominum generibus. Nulla enim erat natio non inquinata gravissimis peccatis. Quod si qua fuisset non egens gloria Dei, fuisset Judæorum natio, quæ Legis à Deo traditæ prærogativa gloriabatur. Verùm postea quam hæc quoque erat inquinatissima, restabat, ut quod ait,

Omne

Omne os obstruatur, totusque mundus subjectus fiat Deo,
Rom. III. Et tamen inter Judæos *Christus* reperit alienos ab his criminibus quæ commemoravit. Sed tanta paucitas non excludit generale proloquium, juxta Scripturæ linguam, atque etiam juxta vulgarem loquendi consuetudinem. Gentium impietas erat in aperto. Verùm simul atque *Paulus* per Scripturas docuisset, Judæorum quoque gentem esse corruptissimam, subjecit quod modo recitavi, *ut omne os obstruatur, & omnis mundus subditus fiat Deo*, ac mox universas orbis nationes complectens, *omnes*, inquit, *peccaverunt, & egent gloria Dei.* Atque in his ipsis, qui justi habebantur, quoniam non vacabant culpis levioribus, non erant justi coram Deo, quemadmodum ait, *Quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram Deo.* Deus enim perfectiorem quandam requirebat justitiam, quam hominum infirmitas per Legis præcepta non valebat assequi. Proinde detractum est aliquid Legis oneri, & accessio facta est gratiæ per mortem *Christi*: & gratia, quæ prius velut latebat in paucis Judæis, uberius effusa est in universum terrarum orbem. Ita factum est, ut per Legem non tantum sit agnitio peccati, & ex agnitione vindicta, ex vindicta exitium, sed ex addita gratia, gratuita peccatorum remissio, & Legis facilior observatio. Quod enim facit homo in homine formando, idem fecit Deus in formandis seculis. Ab imperfectis orsus paulatim venit ad perfectiora, à carnalibus, ut loquitur *Paulus*, ad spiritualia. Cæterum elementa, quæ traduntur rudibus, non huc tantum spectant, ut qui discit, agnoscat se nihil scire; sed ut paulatim pertingat ad perfectam scientiam. Et interim dum in elementis versatur, collaudatur, aut certe toleratur à præceptore pro ratione temporis, donec profecerit ad exactiora. Ita Deus quam diu voluit Judæos esse sub pædagogo Lege, boni consuluit illam qualemcunque justitiam, quam Legis observatio potuit. Ast post Evangelii proditam lucem, post effusam largissime gratiam exegit perfectiorem quandam justitiam, quam Lex illa non præstitit, sed tamen huic præparavit, non hoc tantum quod prodiret peccatum, verum etiam quod à multis sceleribus coërcuit, quod ad aliquem justitiæ gradum provexit, perinde quasi pædagogus suo functus officio, Philosopho majora docturo traderet adolescentem. Plus igitur exigitur ab iis qui facilius præstare possunt ardua, id verum est, quod quidem attinet ad nos, in quos incidit adventus gratiæ. Cæterum quod ad tempora pertinet, quæ præcesserunt Euangelii prædicationem, quam multiplex fuerit Legis usus, jam docuimus. Cur igitur *Paulus* Scripturæ testimonium, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, & cætera, quæ diversis ex locis contexuit, torquet citra exceptionem in omnes Judæos? Scio quosdam hic allegare consuetudinem divinæ Scripturæ, quæ cum mundum, populum, aut si quod est aliud congregationis nomen, dividit in duas partes, in utriusque servat generalitatis enuntiationem. Velut cum *Joannes* ait, *Et mundus eum non cognovit*, hoc dicere videtur, quod totus mundus ignoraverit *Christum*. Quod autem illic non usurpat *mundi* vocabulum pro mundanis affectibus, quemadmodum alibi, *Vos de mundo non estis*, declarant quæ præcedunt continenter, *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est*. Simile est quod Cap. III. dicit *Joannes* Baptista, *Et testimonium ejus nemo accipit.* Atqui jam *Jesus* habebat discipulos, qui receperant ipsius testimonium. Item *Esaiæ* LXVI. *Et veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.* Simile huic est quod habetur *Johelis* II. *Et erit post hoc, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Rursum Psalmo CXLIV. *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos.* Tale est & illud *Pauli* Philippens. II. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* Et Psalmo XIII. quem locum hic citavit Apostolus, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Generalitatis speciem habent & illæ pronuntiationes indefinitæ; velut illa Pauli, *Prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Videtur enim de universis loqui, cum de plerisque sentiat. Exemplorum hujusmodi cum immensa vis sit in sacris Voluminibus, aut ejus partis universitatem accipimus, de qua sentit Scriptura, aut per hyperbolen de omnibus dictum accipimus, quod in plerosque cadit. Quæ ratio mihi sane magis probatur hoc loco. Quod ipsum tamen bifarium interpretari licet, ut vel ad partes universi, vel ad singula quæque, quæ complectitur vox generalis, respiciamus. Veluti civitas constat ex duobus hominum generibus, Ecclesiastico & profano: Ecclesiasticus complectitur Episcopos, Presbyteros, Diaconos, &c. Profanus Principem, Præfectos, Senatum, Magistratus, ac plebem. Regnum item constat Provinciis & Civitatibus. Cum igitur totam civitatem corruptam dicimus, non utique sentimus singulos homines esse corruptos, sed vel nullum ordinem esse sincerum, vel maximam hominum partem corruptam. Sic & totam domum corruisse dicimus, cujus pleræque partes sic corruerunt, ut sit inutilis. Sic intelligendum arbitror, *Ite in Orbem universum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Nullus Apostolorum peragravit Orbem universum, quod tamen jussi sunt facere. Hæc hyperbole tempestiva fuit hoc loco, quo summa vehementia deprimenda erat fiducia Legis, & attollenda vis gratiæ. Ita mundus omnis subjectus est Deo, dum agnoscit peccatum suum, dum nulla est mundi pars pura à peccatis, dumque plerique mortales Legem Dei transgressi sunt. Sic & omnes Judæi dicuntur declinasse, quod apud illos & Sacerdotium, & Presbyterium, & Pharisæi cum Scribis, & populus maxima ex parte desciviſſent à vera justitia. Siquidem & probabile est, & à doctis viris propositum, eo tempore venisse *Christum*, quo tum apud Judæos tum Gentes ad summum malitiæ gradum processit humanum genus. Ea res satis inclaruit in Judæis tanto consensu, tamque pertinaci vesania *Christum* insectantibus usque ad crucem. Cur autem hunc tropum malim, quam eum qui nonnullis magis arridet, ut omnis universitatis vocem, ad unius partis consummationem referamus, hoc est, ad omnes malos, duabus potissimum causis commoveor. Primum frigidior sermo videtur, si quis dicat, inter impios nullum esse qui requirat Deum. Quis enim nescit impios impios esse, & pios pios? Deinde sensus hic non perinde conducit ad hoc, quod hic agit Apostolus. Nam illud agit, ut omnes prioribus diffisos, pertrahat ad Euangelii gratiam. Quod si distinxisset pios & impios, quisque sibi blanditurus erat, velut inter pios numerando. Verùm ad detrahendam universis inutilem fiduciam, generali proloquio complexus est omnes, ne numerosissimæ impiorum turbæ suffragaretur rarissima bonorum paucitas: quanquam nec hi sic erant boni, ut omni vacarent malo, & qui vere boni sunt, etiam levem culpam pro magna sibi patiuntur imputari. Cum his igitur non erat Apostolo lucta. Cum agmine malorum certamen erat. Jam justitia, quæ Gentibus ac Judæis sufficiebat ad salutem, ante proditum Euangelium, ea non sufficiebat postquam ejus clarissima tuba per universum Orbem personuerat, plus enim jam exigebatur ab his quibus plus erat datum. Itaque factum est, ut qui prius erant pro sua portione justi, jam fierent injusti, nisi confugerent ad Euangelium. Nec mihi quidem necesse videtur, ut ad hunc locum explicandum originale peccatum accersamus. Quadrat enarratio, etiamsi de malis hominum moribus & affectibus interpretemur, qui parentes primos delinquendo referunt, quod ante *Christum* adeo faciebat maxima pars mortalium, ut non solùm per omnes mundi nationes impune regnaret malitia, verum etiam apud Judæos rarum esset invenire justum. Nec defuerunt Orthodoxi, qui locum hunc cum his quæ disserit Capite V. interpretati sunt de commissis hominum, non de peccato quod vocant originis,

nis. Et quadrat enarratio juxta regulas, quas indicavimus. Ad hæc, quod habetur ad *Ephesios* II. *Et eramus natura filii iræ, sicut & cæteri*, non videtur ad peccatum originis pertinere. Siquidem *Paulus* illic damnat conversationem suam in Judaismo, conferens illum cum vita Gentium. Atqui tum *Paulus* per circumcisionem liberatus erat ab illo peccato. Et quæ præcedunt indicant eum de personali peccato sentire, *Facientes*, inquit, *voluntates carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ.* Quo loco Divus *Hieronymus* admonet *natura* vocem φύσει Græcis ancipitem esse. Potest enim *natura malus* dici, cujus natura talis est, aut qui sic natus est, aut qui ad malitiam natura compositus. Primo modo nec Diabolus natura malus est, nec quisquam hominum, sed natura canis est adulator, iracundus leo, noxia vipera. Juxta secundum modum, homo natura malus dici potest, quia nascitur cum natura corrupta. Juxta tertium dixit *Juvenalis* de Græcis, *Natio comœda est.* Simile fuerit, si nos dicamus Germanos natura bellatores esse. Hoc pacto possunt omnes homines natura dici mali, quod ad malitiam natura proni sint. Jam est & quartus modus, quo quod penitus adest homini, natura inesse dicimus: ita modis omnibus miseros natura miseros & ad miseriam natos dicimus. Ac *Hieronymus* admonet quosdam hoc loco pro *natura* transtulisse, *prorsus* vel *omnino*, nec eam interpretationem improbat. Qui fugerunt *natura* vocabulum, metuisse videntur ne juxta *Manichæos* aliquis suspicaretur esse naturas duas, alteram malorum causam, alteram bonorum. Juxta duos postremos modos accipiendum arbitror illud Pauli, *Eramus filii iræ*, vel ob corporis infirmitatem quo circumdati sumus, vel ob vitam undiquaque vitiis corruptam; unde non poteramus explicari sine Dei præsidio. Hæc ita differimus, ut nec aliorum judicio magnopere repugnemus, nec tollamus peccatum originis, quod ex aliis Scripturæ locis satis evidenter asseri potest, sed ut hoc telum extorqueamus liberi arbitrii jugulatoribus, qui tantum tribuunt huic peccato, ut minimum discriminis faciant inter hominem & Satanam. Hæc paulo verbosius à me differta sunt, optime lector, ne toties impune *Lutheri* κοκκυσμὸν audiamus, occinentem nobis, *per Legem cognitio peccati.* Quod Apostolus scripsit, agnoscimus, quod *Lutherus* hinc colligit, rejicimus. Jam fingat Legem ad nihil aliud conducere, quam ut prodat peccatum, quem habet usum? Ut homo territus imploret opem Dei. Si non est in spiritu quomodo orabit, orando provocaturus iram Dei, juxta *Lutheri* dogma? Si est, quare non implet Legem auxilio Spiritu? Sed hæc alias fortassis incident. Tantum obiter indicasse sat esse puto.

Nunc ad institutum redeo. Adjiciam illud, *Paulus* illic omni machinarum genere pugnat adversus Judæos arrogantissimum ac pertinax hominum genus, qui Legis studio moliebantur Euangelii gratiam subvertere. Multa aliter dicturus, si in hoc seculum incidisset, audissetque meras necessitates, lusus & insultationes, non quod sibi non constet *Paulus*, sed quod rebus præsentibus accommodanda sit oratio, quodque magni referat, quibus modis causam agas. Jam in collectionibus nostris *Lutherus* præstat artificem, quem solet: *Quoties*, inquit, *Deus dicit, fac, audi, serva, si audieris, si volueris, si feceris, ergo nos possumus libere, aut Deus nos irridet.* Quæso ubi sic argumentatur Diatribe? *Ergo possumus libere, Si volueris, ergo potes velle libere.* Nam *libere*, nisi fallor, *Lutherus* sentit absque gratia. Imo sic argumentatur: *Non ista toties nobis occineret, si nulla esset in homine libertas, & si nullum esset liberum arbitrium.* Verba Diatribes sunt hæc: *Quanquam hic locus, quem adduximus ex* Ecclesiastico, *peculiariter quadrare videtur in primos illos progenitores, tamen aliqua ratione, ad universam* Adæ *posteritatem pertinet. Non pertineret autem, si nulla esset in nobis liberi arbitrii vis. Quanquam enim arbitrii libertas per peccatum vulnus accepit, non tamen exstincta est*, &c.

A Eat nunc *Lutherus*, & recitet nobis illud, *ergo potes libere.* Interest enim aliquid inter *libere posse*, & simpliciter *non posse.* Imperator edicit suis, ut omnes ad præscriptum diem adsint cum equis, & gravi armatura. Ad id si non suppetat peculium, petant à me. Erunt qui non possint ex sua pecunia, sed nemo non poterit accedente Cæsaris donativo, quod nulli negatur. Quanquam nulli tam præsto est Cæsaris auxilium, quam homini pro suis viribus agenti, præsidium Dei. His fundamentis auspicato, ut ipsi videtur, jactis, impingit mihi probabilem illam opinionem, quasi vel nunc pronuntiem, ac non pugnem potius adversus opinionem *Lutheri*, vel eam solam, quam dixi probabilem,
B tuendam susceperim. Sed age, respondeamus etiam iniquæ calumniæ: primum in recensendis meis cogor hîc, ut alias sæpe, *Lutheri* fidem desiderare. Opinionem probabilem sic proponit Diatribe: *Ergo qui longissime fugiunt à* Pelagio, *plurimum tribuunt gratiæ, libero arbitrio pene nihil, nec tamen in totum tollunt. Negant hominem posse velle bonum sine gratia peculiari, negant posse incipere, negant posse progredi, negant posse perficere, sine principali perpetuoque gratia divinæ præsidio. Horum sententia satis videtur probabilis, quod relinquat homini studium & conatum, & tamen non relinquat quod suis adscribat viribus.* Hactenus sic habent mea verba in Diatriba. *Opinio dicit, hominem ex sese non posse velle*
C *bonum, videlicet efficaci voluntate sine gratia, nec progredi, nec perficere, sine principali præsidio gratiæ.* Cum gratiam appellat *principale præsidium*, nimirum indicat & liberum arbitrium posse nonnihil suis præsidiis, licet inefficax sit si desit gratia, inefficax dico, non quod nihil faciat, sed quod absque præsidio nihil efficiat, quando mihi cum calumnioso res est. Hanc sententiam non dico solam esse tuendam rejectis aliis, sed probabilem appello, nec taceo causam cur videatur probabilis. Cur autem? Quod relinquat homini studium & conatum, utique per liberum arbitrium, nec tamen relinquat quod suis adscribat viribus. Quî sic? Quia liberi arbitrii vires non sufficiunt ad salutem parandam
D absque præsidio gratiæ, & hoc ipsum, quod potest liberum arbitrium, est ex dono Dei. Quod si *Lutherus* contendat, per hanc opinionem tolli liberum arbitrium, agat cum *Augustino*, *Ambrosio*, *Bernardo*, qui cum hanc sententiam summa vi defendant, tamen iisdem in libris constanter asserunt liberum arbitrium. Quæ si ob id mihi dicitur probabilis, quod adimat nobis fiduciam nostri non sublato tamen in totum libero arbitrio, desinet videri probabilis, si *Lutherus* persuaserit ob hoc prorsus tolli liberum arbitrium. Nunc vide quomodo *Lutherus* pugnantia facit, quæ non pugnant. Quod ego dixi, *nos non posse velle efficaciter absque gratia præsidio*, ille interpretatur simpliciter *non*
E *posse velle*, & ne desit hyperbole, mutat *bonum* in *quicquam boni.* Rursum *posse*, vertit in *libere posse.* Hæc sane pugnant, nihil omnino posse, & simpliciter ac libere posse. Verùm ista pugna verborum ac sententiarum non est in mea Diatriba, sed in depravatione *Lutheri.* Difficillimum est cum eo disputare, qui quoniam initio erravit in opinionum distinctione, toto sermone confundit argumentum: præterea tanta est loquacitas, tanta verborum, sannarum & convitiorum congeries, ut ista quamvis expeditam materiam queant obscurare. Si quærat à me an homo possit ex se velle bonum, juxta quorundam opinionem, quam nec tueor, nec impugno, respondeo non solum posse velle,
F verum etiam efficere, sic ut initio nulla adsit peculiaris gratia, sine cujus tamen accessione non perficitur quod cœptum est: juxta probabilem opinionem, respondeo velle quidem posse, sed inutili voluntate, quemadmodum & *Balaam* Numerorum XXIII. dicit: *Moriatur anima mea morte justorum, & sint novissima mea horum similia.* Tale votum per occasionem frequenter incidit etiam impiis hominibus, sed frustra. Cæterum voluntas efficax, non est absque gratiæ peculiaris præsidio. Dicet hîc *Carolstadius*, Deum velle

in

Digitized by Google

in nobis, nos nihil agere : imo noſtra voluntas, ſimul & agit, & agitur: agit naturæ viribus, agitur ab auxiliante gratia. Ergo eſt aliquid pure noſtrum in opere bono? Reſpondeo. Si noſtrum dicis, pro quo nemini debemus gratiam, nihil eſt noſtrum in benefactis. Quid ita? Quia quicquid ſunt aut poſſunt naturæ vires, ex Dei dono profectum eſt. Ergo nec optare bona, nec utcunque velle poſſemus abſque gratia? Jam diſtinxit ebria Diatriba gratiam generalem, piis cum impiis communem, à gratia juſtificante, ſive ad juſtitiam invitante.

Verùm hæc toties cum recinam, tamen *Lutheri* ſurdo canitur fabula, ut ipſe videatur ſomno profundiore ſtertere, quam fingit Diatribam. Jam ut magnopere videatur Dialecticus, profert inauditum ſophiſma: *Ex his verbis, ſi volueris, quoniam conditionalis eſt ſermo, colligo hominem aliquo pacto poſſe velle & nolle. Nam Jureconſulti docent conditionem adjectam, quæ præſtari non poſſit, irritare contractum, veluti ſi quis dicat*, Dabo tibi hunc equum, ſi ipſe dixerit ſe velle tuum eſſe: *Ergo*, inquit, *ex eodem fonte manat dulce & amarum*? An ſobrius erat *Lutherus* cum hæc chartis ſuis illiniret? Ubicunque apponitur conditio, ibi aut res eſt anceps, aut dubia loquentis ſententia, aut utrumque. *Ducam te ſi virgo es.* Res certa eſt, ſed dubius eſt qui loquitur. *Addico tibi fundum, ſi pecuniam ante proximas calendas numeraris*, hic & res & loquentis animus anceps eſt. Sed ineptus eſſet ſi qui ſciret illum aut nolle, aut non poſſe præſtare conditionem, contractum perageret, teſtes ac ſtipulationem adhiberet, tabulas obſignaret, arrham acciperet, daretve. Sed Dei loquentis animus anceps eſſe non poteſt. Non igitur præcipit, quæ ſimpliciter fieri non poſſunt. At præſcit futurum, ut quidam nolint: ſed Lex in commune fertur omnibus, ut qui Legi paruerint, laudem ferant, qui parere noluerint, videantur digni ſupplicio. Quid autem ſi ex eodem verbo ſequatur velle & nolle? Qui dicit, *ſi vis, diſcede*, nonne facit illi liberum ſi velit manere? Cum eadem animi pars expetat honeſta, & refugiat contra, an prodigium eſt ex eodem fonte proficiſci velle & nolle? Nonne eadem ratio probat, & improbat? Nonne eadem animi vis odit & amat? Jam quod huic annectit nugamento tale eſt, ut prorſus non intelligam. Nec enim congruit huic loco, & videtur omnino ſine mente dictum. *Aut*, inquit, Diatribam appellans, *& tu magis rides hic hominem, qua dicis eum poſſe ſervare, quæ non poteſt velle nec optare.* Omitto quod hîc ne non ſit hyperbolus, ſicut antea addidit *libere*, nunc addit *optare*. Si me urges eadem opinione, ſicut homo poteſt velle, ita poteſt ſervare præcepta. Non poteſt efficaciter abſque gratia, quemadmodum nec præſtare juſſa: ſed ita gratia temperat actionem ſuam, ut locum relinquat & naturæ viribus. Hac chorda ſine fine oberrat *Lutherus*, *non poteſt abſque gratia, ergo ſimpliciter non poteſt.* Similiter & quod in fine dico, pronuntians opinionem quæ mihi vero proxima videtur, ad id torquet, quicquid tota argumentatione, quæ nunc ad hanc, nunc ad illam ſpectat, ſparſum eſt. Et hic locus homini glorioſiſſimo viſus eſt etiam ovatione dignus: *Sic*, inquit, *ſequelis & verbis ſapientiæ ſuæ capitur ratio, ut neſciat quid aut de quo loquatur. Niſi quod digniſſimum eſt liberum arbitrium talibus argumentis ſeſe mutuo devorantibus & conficientibus defendi, quomodo* Madianitæ *mutuis cædibus ſeſe perdiderunt*, &c. Miror ſi hic homo poterit unquam ſeneſcere, qui ſibi nuſquam non ſuaviſſime plaudit, etiam ubi ſtultiſſime rem geſſit. Non talibus aranearum telis capitur ratio, ſed irretiuntur muſcæ ſtultarum cogitationum: nec hîc ullæ ſunt rationes, quæ ſe mutua cæde conficiunt, ſed in ipſius argumentis eſt ingens armatorum exercitus, è ſerpente natus, qui ſe mutua cæde perimunt. Quid enim habet hîc *Lutherus* niſi voces duas, ſed nudas, cum ego nonnihil addiderim: *In fine*, inquit, *dicis hominem, nec velle bonum abſque gratia, & hic dicis poſſe ſervare præcepta ſine gratia*, ſic enim interpretatur omniſcius *Lutherus*. His nec illa frigidiora ſunt quibus in Scholis ludunt pueri: *Idus arrodit caſeum, mus eſt ſyllaba, ergo ſyllaba arrodit caſeum.* Nec interim perpendit, quod in tractandis Scripturis, quibus illum oppugno, ſi coner etiam illud extorquere, quod in fine remitto, jus hoc eſt pugnantium. Sed in promtu eſt aliud terribile telum: *Eccleſiaſticus non dicit ſi habueris ſtudium, vel conatum ſervandi, qui non adſcribitur viribus tuis, ſed ſic dicit, ſi volueris ſervare mandata, ſervabunt te.* Eſto. *Ergo nos*, inquit, *inferemus, igitur poteſt ſervare mandata.* Fateor. *Totam igitur plenitudinem poteſtatis ſervandorum mandatorum ei tribuimus.* Cur ita? Alioqui rideret *Eccleſiaſticus* hominis miſeriam, ſi ſervare juberet quæ ſciret illum non poſſe ſervare: nec ſatis eſſet adeſſe conatum & ſtudium, ut effugiat ſuſpicionem irriſionis, niſi ſervandi vim illi ineſſe ſignificaret. Reſpondeo, Vim aliquam ineſſe ſignificat omnibus, plenam vim *Lutherus* hyperbolus hyperbolicõs addidit de ſuo, more ſuo. Eſt aliquid in nobis, ſine quo non aſſequimur ſalutem. Hoc exigit conditio præcepti, reliquum Deus de ſuo promiſit. Si Cæſar edicat, qui transfugerint ad me, tuebor ab hoſtibus, non poterant tranſire, niſi Cæſar feciſſet poteſtatem, nec transfugæ forent tuti ab hoſtibus, niſi Cæſaris præſidio, interim & ipſi militantes. Quid imputabunt ſibi qui transfugerint, aut cui imputabunt exitium ſuum, qui non transfugerint præbita facultate? An hîc Cæſar dicetur illos irridere? Ubi voluntas humana pro ſuis viribus agit, cum operante gratia, ibi nec conatus eſt inanis, imo neceſſarius, nec ineſt illis plena facultas retinendæ ſalutis. Hoc genus argumentis velut præſtigiis undique ſcatet *Lutherus*, quæ terrent conſpecta eminus, propius inſpecta, mera ſunt deliramenta. Sed hujuſmodi multa præterire conor, ne liber nullum habeat finem, ſi ad loquaciſſimas illius nænias, quibus ille ſcatet uſque ad nauſeam vomitumque, ſtudeam reſpondere. Nihil autem agit *Lutherus*, diſtinguens conatum & ſtudium ſervandi à ſervando, cum utrumque ſit alteri conjunctum: qui alterum negat, utrumque negat: qui alterum recipit, recipit utrumque. Quiſque ſervat, non ſic ſervare intelligitur, quemadmodum ſecuris ſecat, volente & agente fabro, ſed ſuam actionem actioni Numinis accommodat. Et tamen hoc, quod ex *Eccleſiaſtici* verbis colligunt *Pelagiani*, probabilius conſequitur, quam quod colligit *Lutherus*, liberum arbitrium eſſe nomen inane ſine re, nequo quicquam agere vel in bonum, vel in malum, ſed omnia ſimpliciter in nobis agere Deum, abſoluta neceſſitate, ſive ſpectes generalem actum primæ cauſæ, ſive gratiæ peculiaris energiam. Hanc impiam, ſtultam & inſanam opinionem ſi telum, quod præbet *Eccleſiaſticus*, excuſſiſſet è *Lutheri* manibus, non ſine cauſa citaſſem hunc locum, idque pugnanti ſatis eſſet: reliqua debebant alias tranfigi.

Quod ſi locum Eccleſiaſtici *Pelagiani* detorquent huc, ut excluſa gratia totum tribuant libero arbitrio, mea nihilo magis refert, quam quod *Lutherus* per hunc locum depravatum, in totum ſubmovet hominis liberum arbitrium in his quæ faciunt ad ſalutem. Ego cum *Auguſtino* gratiam jungo cum libero arbitrio, ſic tamen ut gratiæ totum adſcribatur, ſi ſucceſſerit. Sin minus, per non accommodatum ad gratiam liberum arbitrium homo juſte damnetur. Hoc enim eſt quod hîc agit *Eccleſiaſticus*, ut excludat impium murmur hominum, qui ſuum malum rejiciunt in Deum, quaſi ſic finxerit hominem, ut non poſſit non peccare. Quod ſi per hunc locum prorſus tollitur liberum hominis arbitrium, aerem verberat *Eccleſiaſticus*, & in ſtultitiæ crimen, quod apud Rhetores turpiſſimum eſt, incurrit, ea loquens, quæ non ſolum nihil faciunt ad id quod agit, verum etiam officiunt cauſæ: *Nihil refert*, inquit, *utrum in totum tollas liberum arbitrium, an viriculas tribuas ineffcaces. Manet enim irriſio præcipientis, minitantis, & pollicentis.* Imo plurimum refert.

Qui

Qui per liberum arbitrium pro viribus naturæ non præbent se gratiæ, aut gratiam acceptam negligunt, sibi debent imputare, non Deo, quod pereunt. Ex illis igitur quantumlibet imbecillibus arbitrii viribus declaratur justum Dei judicium. Quemadmodum scribit *Augustinus* in Epistola ad *Valentinianum*: *Si non est*, inquit, *Dei gratia, quomodo salvat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat Deus mundum?* Nimirum hoc illic agit *Ecclesiasticus*, ut demonstret homini non esse causam, cur in Deum conferat sua mala. Quemadmodum autem negandum non arbitror, quod Deus quædam præcipit interdum, non addita gratia, aut etiam subtracta gratia, quo commonstret homini, quam nihil possit absque gratiæ præsidio: ita juxta *Ambrosianam* opinionem generaliter nemini negat gratiam præstanti quod in ipso est, nec subtrahit eam cuiquam, nisi qui gratiæ defuerit. Præcipere autem malis, nec addere gratiam, indurare est. Neminem autem indurat, nisi merita præcesserint, ut peccatum, quod accrescit ex rebellione, ita sit peccatum, ut & pœna sit peccatis prioribus debita. Itidem probabile est, Dei gratiam iis maxime paratam esse, qui juxta naturæ legem pro suo modulo bene vixerunt: etsi Deus nihil non potest, tamen neminem adhuc legimus ab eo conversum, qui destinata malitia peccarit: nam in *Paulo* judicii fuit error, non affectus, eoque dicit, *Ignorans feci, & ideo misericordiam consecutus sum.* At *Alexandrum*, *Hermogenem* & *Phygellum* non legimus resipuisse. Et *Matthæi* x. jubet Apostolos ingressos Euangelii prædicandi gratia civitatem, exquirere quis sit in ea dignus: non me fallit hoc *Augustinum* referre ad electionem Dei, sed quomodo Apostoli discent hoc ex aliis civibus, an electi sint, nec-ne? Equidem arbitror hoc ad vitam sine malitiam actam referendum, tametsi non sine peccato. Ad hæc credibile est, illum apud *Corinthios*, qui patris uxorem sibi adjunxerat, vel errore peccasse, quod crediderit licere, vel carnis infirmitate superatum. Arbitror enim illam mulierem fuisse novercam ei qui duxerat eam patre defuncto. Hanc autem regulam ostendit *Augustinus*, ut quoties legimus, *Indurabo illius cor*, aut *seduxi Prophetam illum*, *tradidit illos Deus in reprobum sensum*, intelligamus mala merita præcessisse. Jam ut rejiciamus opinionem recentiorum, tamen prima deflexio ab innocentia per baptismum gratis collata, fluxit à libero arbitrio, per quod homo se potest à gratia avertere. Imo dicet *Lutherus*, à subtracta gratia. Verum, sed ut subtraheret sese gratia, liberum arbitrium alio se flectens causam dedit. Nec enim *Adam*, opinor, ideo lapsus est, quia subtraxit se gratia, sed quia per liberum arbitrium alio se vertit quam debuit. Porro an *Adam* potuerit absque nova gratia, perpetuo carere malo, an potuerit proficere, an vitam adipisci æternam, excutere super his Scholasticorum opiniones, non est hujus loci, præsertim cum hæ non confirmentur evidentibus Scripturarum testimoniis.

Jam quod scripsit *Paulus*, *per Legem cognitio peccati*, dubium non est, quin accipiatur de Lege præcipiente, cui non adest gratia. Agit enim illic adversus impios Judæos, qui contemta gratia, fidebant operibus Legis, quam tamen non observabant. Probabilis autem opinio nusquam separat præceptum à gratia, sed ita, ut nihilo minus suas partes agat liberum arbitrium. Bonis igitur prælucet Lex, quasi viæ monstratrix: errantes simpliciter, addita gratia, revocat in viam: malitiosos & obstinatos magis indurat, ut intelligant aut si ipsi excæcati nolint, saltem alii perspiciant illos suapte culpa, justoque Dei judicio perire. Hæc multum absunt ab opinione *Lutheri*, qui diceret nec *Joannem* Baptistam, nec Virginem sacratissimam *Jesu* matrem, quantumvis gratia locupletatos, ullum Dei præceptum servare posse. Si *Pelagius* ex hoc loco stabilit errorem suum, nihil facit novum, faciunt idem pestilentiores hoc hæretici, nec ea res officit Orthodoxorum sententiæ. Et licet diversæ multorum opiniones certatim singulæ pro se rapiant hunc locum, omnes tamen in hoc consentiunt, quod statuunt liberum arbitrium aliquo modo: simulque subvertunt *Lutheri* sententiam, qui nusquam recipit ullo pacto liberum arbitrium, nisi quod nunc commentus est factitium quoddam in rebus inferioribus, in quibus regnat homo: quod tamen rursus destruit, cum ait hîc etiam omnia nutu Dei geri. Ad hæc si variantes Interpretum sententiæ tradunt hæreticis Scripturæ locum, ut veluti vacuum occupent, accidit hoc in plerisque locis, ut aliqua in parte dissentiant. Quod si quæcunque varietas interpretationis abrogat auctoritatem Scripturæ, semper erit hæreticis in manu varietatem inducere, secus interpretando, quam quisquam aliorum fuerit interpretatus, quemadmodum hîc facit *Lutherus*. Sed multo etiam iniquius est, ex Interpretum variantibus sententiis sic rejicere Scripturæ testimonium, ut qui rejicit, sibi velit Scripturam habere pondus, cum & ipse variet à cæteris, nisi certa, perspicua, ac vehementer communita rationibus afferat. Postremo qui variant, variant in aliqua parte, *Lutherus* in totum dissidet: & ibi multi consentiunt Orthodoxi, hîc nulli præter paucos, ab Ecclesia communique sensu rejectos. Quo vero videatur argutior, annotat & illud, ex his *Ecclesiastici* verbis consequi, etiam fidem esse in hominis potestate, cum ea sit rarum & singulare donum Dei. Si singulare vocat eximium, nobiscum facit. Quod autem *Paulus* scribit non omnium esse fidem, arguit hominum malitiam, avertentem sese ab Euangelio, velut à luce oblata gratis omnibus. Itaque quemadmodum hoc donum nulli negat divina benignitas, nisi qui repulerit: ita nulli subtrahit, nisi culpa possidentis offensus aut ob peculiarem causam ad tempus, ut lapsus hominis vertatur illi non ad exitium, sed ad virtutis incrementum. Quanquam quorsum hæc adfert *Lutherus?* Non enim loquitur illic *Sirach* de dono fidei justificantis, sed de obedientia, quam vel natura conditus conditori, vel ex pacto redemtus debet redemtori. Est autem mutua fides promittentis ac profitentis. Sic itaque loquitur Deus: Si tu præstiteris fidem in servandis mandatis, ego præstabo fidem in promissis, ut autem præstes, partim tui est arbitrii. Et ad hunc modum nugatur iste, qui solus in loco apte concinneque citat Scripturas divinas, jugulatque Diatribam suo gladio. Porro quod addit in hominibus plena potestate regnare Satanam, si de impiis loquitur, & si non recipimus opinionem Scholasticam, nemo dicit talem posse converti sine præsidio gratiæ: si de justificatis per fidem, aut mentitur *Lutherus*, aut mentitur *Paulus* Rom. v. *Ubi autem superabundavit delictum, superabundavit & gratia*, ut *sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam.* Nisi forte perfricabit faciem, dicens in eodem homine regnare Satanam & Spiritum *Christi*, quanquam hoc ipsum *plena potestate*, *Lutherica* est hyperbole. Aliud est esse peccatum in sanctis, aliud regnare. Jam enim *Christi* morte justificatis scribit Rom. vi. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis ejus.* Per obedientiam enim admittitur regnum peccati, quo recepto, desinit regnare gratia. Tantum autem abest, ut in justis regnet Satanas, ut in impiis etiam divina bonitas temperet illius tyrannidem. Proinde satis impudenter hîc colligit *Lutherus*, locum *Ecclesiastici* ne tantulum quidem facere pro libero arbitrio, quin potius non alio loco magis destrui liberum arbitrium. Agnoscis hominis hyperbolen, quam tamen admiror non ultra provectam. Quicquid autem convitiorum hîc congessit in rationem sive humanam sapientiam, in miseram ac ridiculam Diatribam, eadem opera congessit in Ecclesiæ Doctores, *Ambrosium*, *Bernardum*, speciatim in *Augustinum*, qui cum alias frequenter, tum libro ad *Valentinum de gratia & libero arbitrio* Cap. II. ac deinceps aliquot, ex hujusmodi locis asserit esse liberum arbitrium. De mandatis enim sic loquitur, *Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium?* Citat ex Psalmo, *In lege Domini voluntas ejus*, colligens

gens per voluntatem hominem in Lege Dei consistere.
94. Citat ex Paulo, *Noli vinci à malo.* Rursus ex Psalmo, *Nolite fieri sicut equus & mulus.* Ex Proverbiis, *Noli repellere consilia matris tuæ.* Et, *Noli esse sapiens apud temetipsum.* Et, *Noli deficere à disciplina Domini.* Et, *Noli abstinere benefacere egenti.* Et, *Noli fabricare in amicum tuum mala.* Rursus ex Psalmis, *Noluit intelligere ut benefaceret.* His commemoratis, sic colligit, *Talia innumerabilia in veteribus libris divinorum eloquiorum, quid ostendunt nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ.* Similibus locis compluribus ex Novo Testamento recitatis, ita concludit, *Nempe cum dicitur,* noli hoc, *&* noli illud, *& ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum, divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium:* mox colligit quod proposuerat Ecclesiasticus, *Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cum peccat, neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate.* Et hæc qui scribit, non excludit gratiam à bona voluntate, cum interim asserat liberum arbitrium. Quanquam in his testimoniis, quæ hactenus adducit, ut ostendat Dei præceptis nominatim appellari voluntatem hominis, non est perpetuo verbum *noli*, sed hoc Interpres addidit de suo. Verùm alia permulta refert *Augustinus* ex arcanis Voluminibus, eodem modo ratiocinans quomodo ratiocinatur ebria Diatriba. Quod si *Lutherus* negabit hîc se recipere *Augustini* auctoritatem, deponat igitur ejusdem auctoritatis præsidium, in eo quod pro ipso facit. Jactat enim sententiam *Augustini* suam esse sententiam. Impudenter autem dimidium sententiæ pro se rapit, dimidium rejicit, quanquam falsissimum est *Augustinum* hoc asserere, quod asserit *Lutherus*, quemadmodum in priore Libro declaravimus. Tametsi non in hoc mihi dicuntur hæc, ut *Lutherum* opprimam auctoritate Doctorum Ecclesiasticorum, quod etiamsi jure possim, tamen frustra cum illo coner: sed ut ostendam illius petulantiam, qua lascivit in Diatribam, non magis ad meam pertinere contumeliam, quam ad aliorum quidem omnium, sed præcipue *Augustini*, cujus unius auctoritati solet deferre: nec hæc argumenta non esse tam absurda, quin valeant in pugna, qualia sunt, quæ Scholastici vocant ante oppositum. Neque tamen nos movet, quod *Lutherus* in triumphis suis, subinde nobis recinit sua dogmata. Non enim curamus quid asseveret, sed quid probet.

95. Quoties autem ille subsannans repetit *nostra Diatriba*, nonne eodem jure, quoties illum cito, dicere possum, *noster scurra*, aut *noster Thraso*, sed absit, ut imiter quod damno. Hoc Caput ita claudit noster nomothetes, *atque eum locum & similes, Si volueris, si audieris, si feceris, non ostendere, nisi quid facere debeant homines.* Quis unquam dictus est hoc debere facere, quod non potest, nisi ipsius culpa factum est, ut non possit? Tametsi ne lapsis quidem negatur reditus ad vitam. Potest igitur peccator resipiscere? Quid ni? præsidio gratiæ, si adjungat quod in ipso est. Excutit locum, quem adduxeram ex Gen. IV. *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit?* &c. An hic locus tam evidens non erat idoneus qui proponeretur in argumentando, præsertim cum *Chrysostomus*, *Hieronymus*, aliique Scriptores hinc colligant humanæ voluntatis libertatem. Inepte vero vociferatur *Lutherus*, hîc rursus omnia tribui libero arbitrio, nihil relinqui spiritui aut gratiæ. Cœperat *Cain* excidere à gratia in qua erat, & idcirco Deus admonitione pulsat animum illius. Hæc erat gratia, quam *Augustinus* vocat operantem. Eam si *Cain* non sprevisset, non defuisset uberior gratia, qua potuisset impiis animi motibus resistere. Quod excidere cœperat, utique per liberum arbitrium factum est, quod si accommodasset ad oblatam gratiam, non perveniisset ad parricidium. Unde autem sprevit oblatam gratiam, nisi per liberum arbitrium? Nec pudet *Lutherum* toties in hoc libro nobis occinere, quod absque gratia tribuam libero arbitrio potestatem efficaciter volendi agendive bona, cum toties inculcem, in benefactis me non separare gratiam à libero arbitrio. Rursus quoties appello liberum arbitrium, illo interpretatur simpliciter liberum, cum non semel aperiam quid sentiam, veluti paulo inferius, Si non est homini ullo pacto libera voluntas ad bonum, aut si, ut quidam ajunt, nec ad bonum nec ad malum, quid sibi volunt hæc verba, *Si volueritis, si nolueritis?* Si nullum omnino est liberum arbitrium hominis nec ad bonum, nec ad malum, quod docet *Lutherus*, quorsum pertinet illa terribilis exaggeratio *Ada*, subducta gratia suo relicti arbitrio? An aliquis relinqui potest rei quæ non est? Quid autem erat necesse hîc verba fundere, dum serio docet nos in hoc sermone, *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, verbum futuri temporis usurpatum pro imperativo, ne promissionem esse putaremus, non præceptum, & ne Deus videretur mentitus, quia non evenerit quod futurum prædixerat. Quis hoc vocabat in dubium? Quanquam interim videtur oblitus, quod ante rejecerit, in Litteris sacris usum communem loquendi, & ad Dialecticæ proprietatem nos revocarit. Atque hoc frigidum commentum tanti facit, ut in jus vocet Interpretem, qui verbum futuri temporis non verterit in modum imperativum, quasi hic tropus non passim sit obvius in sacris Litteris, *non occides, non mœchaberis, diliges proximum*, &c. O doctorem severum! Occinit nobis subinde suum dogma, ex verbis imperativis non colligi facultatem volendi aut nolendi. Atqui nos contra *Lutheri* dogmata pugnamus, & argumenta flagitamus, non asseverationes. Regum est præscribere leges, non disputatorum. Quid attinet hîc objicere Scripturæ testimonia, aut Ecclesiæ proceres? Hos fortiter negligit. E Scripturis si decem millia testimoniorum produxeris, habet bipennem, qua dissecat nodos universos. Hæc ostendunt quid homo facere debeat, non quid possit.

Similibus machinis aggreditur tertium locum, *Po-* 96.
sui ante faciem tuam viam vitæ & mortis, elige quod bonum est, &c. Si *Luthero* concedimus, omnia præcepta Veteris & Novi Testamenti, omnes exhortationes, omnes minas, omnia promissa præceptis addita, nihil aliud efficere, quam ut homo agnoscat se nihil posse nec in bonum, nec in malum, habet ut dicebam quo discutiat hujus generis omnia testimonia. Atqui hoc quod ille veluti confessum assumit, vertitur in controversia, quin potius reprobatur & exploditur ab omnibus, præsertim si hoc illi permittamus, ut quoties aliquid tribuo libero arbitrio, patiamur excludi gratiam. Quid agas cum tali disputatore? Quoties id facit *Lutherus*, facit autem perpetuo, toties intellige lector hominis insignem impudentiam, qui dissimulet, quod potissimum ago in hac disputatione, ut actum gratiæ conjungam cum actu liberi arbitrii. Fatetur hominem stare in bivio. Sed negat ullam viam patere, vel ad dextram, vel ad sinistram. Vox autem permittentis, ut utram malit viam ingrediatur, nihil aliud efficit, nisi ut homo intelligat neutram viam patere, nec ad bonum, nisi adsit auxilium Spiritus, nec ad malum, nisi permittat Deus. In priore, nonne *Lutherus* imprudens mecum sentit? Ego dico, *possumus ingredi dextram viam auxiliante gratia*, Lutherus idem fatetur, aliis verbis dicens, *si adsit Spiritus.* In altero quemadmodum non inficias eo, fieri posse ut Deus huic aut illi ob nobis incognitas causas non permittat ingredi sinistram viam, generale tamen est, homines suapte voluntate ruere in peccatum. Et tamen viam ad bonum appellat impossibilem, cum fateatur per accessionem gratiæ patere. Rursus inique facit, qui singula loca excutiat ad unicam opinionem, cum hæc loca sic proferantur in media disputatione, ut ad alias quoque non rejectas opiniones possint accommodari, & quocunque modo ad harum quamlibet applicentur, certe hoc efficiant, ut illud absurdissimum

Digitized by Google

Lutheri dogma explodatur, hominis voluntatem nec ad bonum nec ad malum vel tantillum posse. Alioquin quibus placet opinio Scholastica, respondeřent in hominis esse potestate utram vellet eligere viam. Ergo prorsus excluditur gratia? Nequaquam, sed præstantibus quod in ipsis situm est, nunquam deest, neque defuit, neque defutura est divina gratia. Nec desinit nobis veterem occinere cantilenam, coccycem imitans, Verba Legis non ostendunt quid possit voluntas, sed hoc agunt, ut humanam cæcitatem illuminent. An statim agnoscit peccatum, qui novit Legem? Multi criminati sunt Legem ut iniquam, Deoque indignam. Nec defuerunt qui *Mosen* dicerent fucis ac præstigiis imposuisse crassæ multitudini, quemadmodum *Minos* imposuit *Cretensibus*. An statim illuminatus est, qui cognoscit peccatum suum? Multos ea res conjecit in desperationem, multos efferavit ad immanitatem. Aut igitur non nascitur ex Lege, aut inutilis est cognitio peccati, nisi adsit gratia; quæ si desit, quid ad rem facit cognitio? Sed esto, sit homo sanabilior agnito peccato, an peccatum non possit cognosci, nisi tot præceptis ageretur, ut homo intelligat nihil præcipi, quod ab ipso præstari queat? Si dicit, posse auxilio gratiæ, nobiscum facit, sed ubi est interim illud paradoxon, nec hominis illustrati per fidem & caritatem ullum esse opus bonum? An servare præceptum, opus malum est? An qui servat, nihil agit? nam id docuit *Carolstadius*. Et ubi est illud apud istos πολυθρύλλητον, hominem nec in bonis nec in malis quicquam agere, sed Deum omnia agere in nobis? Ab hoc scopo non oportebat *Lutherum* discedere. Itaque illa tria verba, quæ sine fine nobis recinit, *per Legem cognitio peccati*, satis opinor demonstratum est in superioribus, quam impudenter torqueat ad sui dogmatis defensionem. Nec ad id solum valent præcepta Legis, & alia ratione potest homo cognoscere peccatum suum, quam si præcipiantur impossibilia. Quomodo *Paulus* cognovit peccatum suum? Admonitus est erroris. Citius homo cognoscat suum peccatum, si Lex præscribat æqua, rationi consentanea & possibilia; Citius homo credat se vacare peccato, si Deus omnia præcipiat impossibilia; Citius hac ratione fiat, ut homo pejus de Deo, melius de seipso sentiat.

97. Et tamen hoc nugacissimo nugamento sic fidit *Lutherus*, ut minitetur sese nobis ad universa Scripturarum testimonia, cantionem eandem cantaturum. At quoties id faciet, toties vicissim à nobis audiet impudens Scripturarum contortor. Rursus ingeritur illud egregium dogma de differentia præceptorum & promissionum, & à Grammaticis petitur discrimen imperativi modi, & indicativi. Imperandi verba non docent hominem posse, sed indicativa, id cum pueris sit notissimum, miratur nos Theologos bis pueros sic ineptire. In quem dicit hoc convitium? In me? Nunquam hoc docui. Quis autem Theologorum tam vecors est, ut ignoret, quod iste tanto docet supercilio? Imperandi modum præscribere non pronuntiare, *ut mox*, inquit, *servata, facta, electa & impleta velitis, idque nostris viribus, simul atque audieritis vocem imperantis, fac, serva, elige.* Quis credat hunc hominem esse sobrium? Quis unquam dixit illico factum, quod imperatum est? Verùm ni sic loquutus esset, oratio non habuisset hyperbolen *Lutheranam*. Norunt idiotæ quod qui optat, non statim habet quod optat, & conditionem esse suspensam, & tamen si quis dicat avaro, *Si tanto studio servasses uxorem quanto servasti pecuniam, haberes castam*, aut, *utinam tam diligenter servasses uxorem quam pecuniam*, idiota scribet dicam injuriarum. Reus clamabit verba optandi & subjunctiva nihil ponere, at Judex ex sensu communi dicet illi mulctam. Quid autem sciunt pueri in triviis? Imperandi verba præscribere quid debeat fieri, non quid possit cui loquimur. Verùm iidem pueri sciunt, si quis imperet quod nullo modo fieri possit, aut esse stultum, aut ridiculum, aut tyrannum. Faciat hujus rei periculum *Lutherus*, si mihi parum fidit, ingressus ludum litterarium, præcipiat huic elementario ut *Homericam* Iliadem recitet memoriter, illi præscribat, ut *Terentium* vertat Hebraice, alii ut subvolet in tectum, aliis item atque aliis similia, quid dicturi sunt? Quid? nisi hic homo aut insanit aut est ebrius, aut deridet nos. Norunt pueri discrimen inter imperandi modum & indicandi. Sed quis docuit illos hanc illationem, quam *Lutherus* tantopere ridet in Theologis? Nimirum natura sensusque communis, à quo mirum quam excidit *Lutherus*, dum undiquaque captat suo dogmati nimium adamato patrocinium. Et tamen qui sic loquitur pueris, minus ridicule faciat, quam *Lutherus* qui hoc tribuit omnibus Dei præceptis. Nam ille quædam præscribit quæ progressu temporis fieri possent. Deus, si *Luthero* credimus, ea præcipit quæ nullo studio, nullo temporis spatio queant perfici, ne Spiritu quidem in nobis operante: cujusmodi leges nullus adhuc tyrannus tulisse legitur, neque quisquam legum nomine dignaretur: ac sententiam tam absurdam, & tantopere pugnantem cum sensu communi, quem *Lutherus* facit judicem Scripturarum, tribus verbis approbat è *Paulo* decerptis, *Per Legem cognitio peccati:* quasi Lex ea præscribens, quæ fieri possunt, non ostendat peccatum improbis, ut vel metu pœnæ abstineant à scelere, quo vel minus sint nocentes, vel certe minus noxii, vel si non abstinent, careant excusatione: bonis, ut vitatis malis expetant honesta.

Posteaquam aperuit sibi viam expeditam discutiendi quicquid adfertur è sacris Litteris, eadem bipenni solvit quæ profert Diatriba ex Deut. tertio & trigesimo: *Verba*, inquit, *imperativi modi, & testimonia citata, aliud probant quam ipse proposuerat.* Proposueram liberum arbitrium nihil posse sine gratia, & hæc docent illud omnia posse, ac se solo, ut *Lutheranice* dicam. Hujusmodi næniæ nobis tota hac disputatione perferendæ sunt. Quare velim te semel meminisse lector, meam Diatribam proposuisse varias opiniones non rejectas ab Ecclesia: & in disputando non respicio tantum ad unam: nec hoc hîc proprie agitur, ut illam probem, cui in fine testor me potissimum hærere, sed ut *Luthero* telum è manibus excutiam, per Scripturas quæ tribuunt aliquid libero arbitrio, sive plus juxta quosdam, sive minus juxta alios: nam in hoc variant etiam Orthodoxi. Utcunque horum quisque rapuit Scripturam, certe hoc efficimus quod volebamus, nimirum declarare falsum esse quod *Lutherus* asseverat, ex Litteris sacris nihil aliud doceri quam nullum esse liberum arbitrium. Jam cum ipse suas Scripturas impudentissime torqueat, si ego vicissim meas torsissem ad victoriam, duntaxat inter pugnandum, ut ostenderem Scripturarum loca cum locis in speciem pugnare, quo collatione facta possint in concordiam redigi, quid absurdi feciissem, præsertim cum id & professa sit, & præstiterit Diatriba? Adeo-ne rudis est disputatoriæ palæstræ, ut nesciat discrimen inter pugnantem & docentem, inter argumentantem & pronuntiantem? Quoties divus *Thomas* colligit hunc in modum. *Joannis* VI. *dicit Dominus:* nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, *ergo hoc sacramentum est de necessitate salutis.* Ex Scriptura producta falsam colligit sententiam, nonnunquam blasphemam, & agnoscimus jus hujus palæstræ. Mihi sine fine *Lutherus* exprobrat meas ἀπιφορὰς, imo ne meas quidem, sed quas depravatione jam fecit suas. Quod si maxime inter pugnandum hoc agens, ut quocunque modo tela excuterem adversario, eumque vinciam, absurdis epiphoris fuissem usus, nihil alienum à consuetudine Theologorum feciissem. Nunc in meis verbis nusquam est illatio, cui toties tam scurriliter insultat, liberum arbitrium omnia posse sine gratia, & se solo. Ubi *Lutherus* didicit eam Dialecticam: *potest, ergo per se po-*

98.

poteſt omnia. Et, *non poteſt perficere ſine præſidio, nihil igitur omnino poteſt ex ſeſe*. Qui dicit Cæſarem poſſe capere civitatem, an is affirmat illum id poſſe ſine militum auxilio? *Sed inter argumentandum*, inquit, *non meminiſti gratiæ*. Neſciebam mihi rem eſſe cum homine tam oblivioſo, ut idem ad ſingulos verſus fuerit opus repetere: nam crebro & gratiæ memini. Nec id faciebat ad argumentationem. Tantum illic cito loca, quæ utcunque accepta deſtruunt *Lutheri* dogma, videlicet omnia Dei præcepta eſſe impoſſibilia. Si ea teſtimonia videntur docere, liberum arbitrium per ſe totum poſſe, quod tamen à me nuſquam eſt dictum, tanto impudentior eſt *Lutherus*, qui negat per Scripturam doceri poſſe omnino quicquam eſſe liberum arbitrium. Cum igitur hoc convitium partim ſit iniquum, partim falſum, tamen veluti præclarum ſophiſma nobis toties occinit, geſtiens, ludens, laſciviens, ac tantum non triumphans. Nec videt interim homo ſolus oculatiſſimus quam ſe cordatis ridiculum præbeat, dum ipſe ridet Diatribam. In duobus iiſque haud longis Capitibus, quot inſulſa profert dicteria. Appellat ſuam Diatribam, excutit veternum Diatribæ, deſiderat memoriam in Diatriba, colligit eam vel nihil intelligere, vel non affici cauſæ, objicit vitium Rhetori turpiſſimum, ſtultitiam, quod ea proferat quæ cauſæ, cui adeſt, officiunt. Ridetur Diatribe, quæ ſibi ſuaviſſime blanditur, perpetuo diſputat contra ſuum ipſius ſtatum, & omnia ridicule & dicit & facit. Sed illud unum dictum eſt de dictis melioribus: *Domina*, inquit, *Diatriba vos male infertis, nec probatis ſequelam, ſed cæcitati & oſcitantiæ veſtræ videtur id ſequi & probari:* & tamen hoc genus illationibus D. *Auguſtinus* toties aſſerit liberum arbitrium. Ubi eſtis *Lutheri* ſodales, quin hîc glorioſo duci veſtro datis plauſum, quin acclamatis, Euge, pulchre, laute, lepide, nihil ſupra. Melius apud *Horatium* ſcurrantur *Nomentanus* & *Balatro*. Quid his jocis inſulſius, quid convitiis dementius? Talibus floſculis luſit in Regem *Angliæ*, nec caruit applauſoribus, ut nuſquam non inveniunt *ſimiles labra lactucas*. Quid infert Diatriba, ſpermologe? Nihil aliud quam per Scripturas ſtatui liberum arbitrium. *Ergo*, inquit, *liberum arbitrium ſine gratia poteſt totum*. Iſta tua ſequela eſt, non Diatribes. Nam pollicitus fueram me prolaturum è Scripturis loca, quorum alia viderentur in totum tollere liberum arbitrium, alia ſtatuere. Poſt citationem quid ſupererat? Nimirum ut exponerentur ea quæ videbantur in totum tollere. Rurſus eorum, quæ ſtatuebant, ſic temperaretur interpretatio, ut ſumma principalis adſcriberetur gratiæ, ſic tamen ut hominis voluntas ſuis quoque partibus fungeretur. Nonne quod pollicita eſt Diatriba præſtitit? Sed ſuo loco. Non igitur ſui oblita eſt Diatriba, ſed tu impudens, qui quod alio loco promiſſum eſt, exigis alio. Imo illud deprehendi in hoc diſputatore peculiare, ad ſingulas argumentationis partes ita depugnat, quaſi ibi ſit victoria, ad ſingulas præfatur, perorat, triumphat. Nec tamen perinde moleſtus eſt ſtolidis convitiis, ut eadem plus millies occinendo. Hîc igitur lectorem admonitum volo, ne ſi toties refellam, quoties ille hoc ingerit, volumen creſcat in immenſum, ut quoties dicam *Lutherus* κοκκύζει, intelligat me nænias hujuſmodi ſtudio præterire.

100. Idem mendacium recinit nobis Capite proximo, Diatriben ubique fingere talem hominem, qui vel poſſit efficere quod præcipitur, vel ſaltem intelligat ſe non poſſe. Diatribe juxta quorundam opinionem aſſumit, omnem hominem naturæ viribus eo poſſe proficere, ut Deus illi non ſit ſuam negaturus gratiam. Aſſumit juxta aliorum opinionem, liberum arbitrium omnia & poſſe & facere, auxiliante gratia. Quid *Lutherus*? Aſſumit, omnes homines eſſe vinctos, miſeros, captos, ægros, mortuos: nec his contentus, facit omnes ſic excæcatos, ut ſe liberos exiſtiment ac ſanos. Cum naturæ lex nemini non adſit, quæ plurima dictat homini, vel expetenda vel fugienda, quî fieri poteſt, ut omnes homines etiam ante gratiam, tales ſint quales fingit *Lutherus*? Quæ lex docuit Philoſophos, ut tam præclara multa traderent de virtutis habitu, & hinc manantibus officiis? Sed apud *Lutherum* ſemper hyperbolen hyperbole, velut anſam anſa trahit. Tali homini opus erat lege, quæ tam multa præſcriberet impoſſibilia. In quem uſum? *Gravem*, inquit, *& ſerium, ut homo cognoſcat peccatum, & imploret medicum*. Jam oſtendi id commodius potuiſſe fieri, ſi Lex præcepiſſet poſſibilia. *Sed melius*, inquit, *homo cognoſcit ſuam miſeriam, ſi viderit Legem ſervari non poſſe*. Atqui Phariſæi credebant ſe ſervare Legem. Non igitur Lex ſemper parit cognitionem peccati, aut ſi parit, frequenter parit inutilem. Sed demus parere. Quomodo Lex docet hominem nullo pacto ſervare poſſe, quod præcipitur? Quomodo vero perſuaſum habebit homo ſe debere ſervare, quod non eſt in ipſius poteſtate? Aut quomodo ſibi perſuadebit Deum eſſe tam miſericordem quam hîc eum facit *Lutherus*, ſi tam duras præſcribit leges homini nihil commerito, niſi quod originem duxit ab *Adam*? Verùm hoc quoque donemus, hominem agnoſcere ſuam extremam calamitatem; quid tum poſtea? Implorabit miſericordiam Domini, implorantis vocem ſtatim audit Deus. Nam hîc Deum, quem alias facit quovis tyranno crudeliorem, quippe qui nihil commeritum pro mera voluntatis ſuæ libidine tradit æternis ignibus, hîc ſubito tam facit miſericordem, ut ad primam ſtatim clamantis vocem ex carne faciat ſpiritum, hoc eſt, ex organo Satanæ, templum Dei. Cur igitur non audivit vocem *Balaam*, dicentis Num. XXIII. *Moriatur anima mea morte juſtorum*. Verùm hæc imploratio unde proficiſcitur? A gratia. Quid igitur implorat, quod habet, an quod non habet? Si implorat ſine gratia, peccat implorando juxta *Lutherum*. Imo etiam in gratia. Quomodo igitur provocando Deum, prolicit illius miſericordiam? Si qui implorat habet quod petit, quomodo ſtatim audit Deus, qui jam dedit priuſquam rogaretur? Quod ſi *Lutherus* ponit quoddam confinium inter eum qui jam habet gratiam juſtificantem, & eum qui non aſſequutus eſt, ſed huic præparatur, ubi eſt illa hyperbole, quæ faciebat omnem hominem ægrum, captum, ferocem, ac ſibi placentem? Sentit, opinor, extra gratiam: Sin aliter, multo eſt impudentius. Homo igitur peccando provocat miſericordiam, ſi extra gratiam, aut ſi in confinio carnis & ſpiritus. Cur igitur ſic vociferatur in eos qui putant hominem, eleemoſynis, jejuniis, precationibus, ſacra lectione, aliiſque ſtudiis moraliter ut dicunt bonis, ambire & impetrare gratiam, cum ipſe dicat ad primum ſtatim clamorem paratam eſſe gratiam? Utrum facilius eſt, Clamare, an benefactis diu multumque ambire. Jam quod ſubinde *Lutherus* ſic mecum agit, Liberum arbitrium hoc aut illud poteſt, ergo poteſt ſuis viribus, abſque gratiæ præſidio: ſi mihi fas eſt eodem in ipſum uti jure, ſic colligam, Lex parit cognitionem peccati, cognitio peccati parit agnitionem noſtræ calamitatis, agnitio parit imploratione opis divinæ, imploratio Dei miſericordiam, ergo Lex ex ſe perficit, ut homo cognoſcat peccatum, & cognitio peccati ſine gratia facit, ut agnoſcat, hoc eſt, fateatur peccatum, agnitio per ſe facit, ut imploret Dei miſericordiam, imploratio tantum valet, ut Deus non poſſit imploranti negare miſericordiam. Ubi hîc *Lutherus* ponit initium gratiæ? Poſteaquam Deus audiit? Quicquid igitur præceſſit, geſtum eſt extra gratiam, ſub plenaria Satanæ poteſtate. Et tamen illa ſic geſta tantum valent, ut cogant Deum ad protinus impartiendam ſuam gratiam. Et hæc qui docet, quibus ſannis irridet in aſſertionibus, imo quoties vocat eos impios, qui putant hominem per opera moraliter bona naturæ viribus eo poſſe proficere, ut Deus ex ſua bonitate non ſubtrahat auxilium gratiæ, præſtanti quod in ipſo eſt. Quoties clamavit illos pejores ipſo *Pelagio*? Quanto autem impudentius eſt quod hîc *Lutherus* tribuit cognitioni, & implorationi? Plus enim facit qui ſibi

diſplicens ex agnitione ſcelerum, dat eleemoſynas, je-
junat, verſatur in ſacris Libris, adeſt ſacris, audit con-
ciones, orat, manens tamen interim in peccatis & in
affectu peccandi, quam qui tantum intelligit præcepta
ſervari non poſſe, & implorat miſericordiam, ut Deus
conferat ſalutem æternam. Nam gratia juxta *Luthe-
rum* non tantum valet, ut homo poſſit vel minimum
ſervare præceptum. Quid igitur? Ut quæ erant futu-
ra capitalia, per Dei miſericordiam vertantur in ve-
nialia. Itaque nec cognitio peccati, nec imploratio
proficit huc, ut homo ſervet præcepta, ſed tantum ut
agnoſcat ſe eſſe deploratæ calamitatis. Deinde Deus,
qui fuit tam durus in præceptis, tam erit ſubito beni-
gnus, ut abſque præceptorum obſervatione, imo per-
ſeverantibus in prævaricatione, tantum ſi clament, &
credant fide *Lutherana*, daturus ſit vitam æternam.
Citat ex Eſaiæ LXI. *Ad euangelizandum pauperibus mi-
ſit me, ut mederer contritis corde.* Quod quidam legunt
pauperibus, *Hieronymus* vertit & Hebræis ſonat *mites*
minimeque feroces: at *Lutherus* fecit omnes homines
cæcos ac ſibi placentes. Dicet, ante Legem.. Ergo
poſt Legem ſibi omnes diſplicebant? Non, ſed Lex
quoſdam dejecit, quoſdam induravit. Lex non confert
gratiam. Unde igitur hæc quoſdam emollit? Quia re-
perit materiam molliorem & gratiæ capaciorem. Au-
dierunt ex Gentibus & ex Judæis Euangelium, ali-
quot illico paruerunt, plerique ſummis viribus reſtite-
runt. Unde diſcrimen? Quia aliud ſemen cecidit in
terram bonam, aliud in diverſam. Unde differentia ter-
ræ? Ex pravis cupiditatibus, vitiatiſque moribus. Sed
hæc corruptela unde, niſi ex libero arbitrio. Simplex
animus, aut per imprudentiam errans, ager eſt, ru-
dis quidem ille, ſed facile capax boni ſeminis. Hyper-
bolicum eſt & illud quod ait, aut Deus præcipit im-
poſſibilia, aut fruſtra eſt Spiritus. Nec Deus ſimpliciter
præcipit impoſſibilia, nec fruſtra eſt Spiritus, ſine
cujus auxilio non pervenitur ad ſalutem æternam. Jam
qui ſunt iſti contriti corde, quibus medetur *Chriſtus?*
Qui agnoſcunt ſuam infirmitatem, & implorant Dei
miſericordiam. Hi ſi jam hoc ipſo ſani ſunt, quid agit
Medicus? Si non ſunt, aut cæci ſint oportet, aut me-
dium quiddam eſt inter illos & hos, quod *Lutherus* ne-
gat. Dominus ait, *non veni vocare juſtos, ſed peccatores:*
juſtos appellans qui ſibi juſti videbantur, peccatores
qui malum ſuum agnoſcebant. Atqui Phariſæi maxime
tenebant Legem, nec tamen illis omnibus Lex pepe-
rit agnitionem peccati. Lex igitur, ut dixi, nec ſolum
hoc efficit, nec in omnibus, & hæc habilitas aut inha-
bilitas proficiſcitur à libero arbitrio.

101. In proximo Capite *Lutherus* κοκκύζει, ſatis apte men-
tionem faciens robuſtæ offæ: totus enim hic ſermo ſa-
pit culinam, in qua non ſobrius videtur hæc ſcripſiſſe.
Quid autem leporis habet miſcere robuſtam offam? Et
ſunt quibus hic locutulejus videatur etiam feſtivus.
Quales offas Diatriba miſceat alii viderint, illud in con-
feſſo eſt, *Lutherum* talia miſcere pharmaca, ut plurimos
ſimplicium animos infecerit. Et quemadmodum jocus
inſulſus de offa reſipit craſſum ſpiritum quo ducitur,
ita quod paulo poſt noſtram illationem appellat *levia-
than*, id eſt, *additamentum*, ut videatur & Hebraice
ſcire, ſapit eum ſpiritum, cujus afflatu multas hyperbo-
las addidit Scripturis ſacris, quæ ſanum illarum ſenſum
ſubvertunt. Quid dicit Leviathan? Ergo liberum arbi-
trium habet plenam omnium poteſtatem, ergo ſe ſolo
poteſt, ergo poteſt ſuis viribus, ergo non eget auxilio
Spiritus. Hæc de ſuo addit *Lutherus* ille Leviathan,
cum mea Diatriba longe aliud loquatur. Hoc menda-
cium cum plus centies recinat, credit ita fore ut vi-
deatur eſſe verum, ſed longe fallitur. Qui quod ma-
nifeſtæ vanitatis eſt ſubinde repetit, non hoc efficit ut
quod dicit videatur minus falſum, ſed ut ipſe impuden-
tior. Quorſum enim attinebat illud ſophiſticum nuga-
mentum, *ſi voluero bona terræ comedetis*, quaſi quiſquam
poſſit frui bonis terræ Deo nolente. Quid hoc eſt aliud
quam tempus & chartas perdere? Ex hoc Capite coar-
guitur *Lutheri* vanitas, toties alias dictum & hîc repe-
tit, me totam poteſtatem tribuere libero arbitrio. Et
tamen ipſe citat hæc mea verba, *Quid attinebat dice-
re*, ſi volueritis bona terræ comedetis, *ſi nulla eſt liber-
tas voluntatis?* An qui dicit, ſi nulla eſt, tribuit to-
tam poteſtatem hominis voluntati? Ac mox, quorſum
attinet eos hortari, qui nulla ex parte ſuæ poteſtatis
ſunt. An hæc ſunt verba totum noſtro tribuentis ar-
bitrio? Et tamen his citatis *Lutherus* ſubjicit: *Quor-
ſum attinet citare locos, qui ſe ſolis nihil probant, & ad-
jecta ſequela omnia tribuunt libero arbitrio?* Duo falſa
ceu linum lino connexuit. Nam & hæc loca hactenus
Eccleſiæ probaverunt liberum arbitrium aliquid poſſe,
nec mea ſequela totam poteſtatem attribuit illi. Quo-
ties autem blateravit me tota diſputatione ſeparare gra-
tiam à libero arbitrio. Et tamen hîc refert hæc mea ver-
ba: *Evidentius vero* Zacharias *liberi arbitrii conatum
indicat, & gratiam conanti paratam.* An excludit gra-
tiam, qui dicit eam paratam? Verùm quo magis elu-
ceat hominis inſignis impudentia, referam & alias ali-
quot ſequelas ex Diatriba. Citato *Eſaiæ* teſtimonio ſic
infero: *Si non eſt homini ullo pacto libera voluntas, aut
ſi, ut quidam ajunt, nec ad bonum nec ad malum, quid
ſibi volunt hæc verba*, ſi volueritis, ſi nolueritis? Ac
mox: *Non video, quomodo vitari poſſit, quin hîc quo-
que peccatoribus tribuamus voluntatem, aliquo modo li-
beram ad electionem boni.* Idem efficit ſimilitudo de ho-
mine vinculis adſtricto, qui nulla ex parte liber eſt.
Paulo poſt ſic infero: *Et ubi ſunt qui negant hominem
quicquam agere, ſed pati tantum ab operante gratia?*
Ac mox: *Caterum quid imputes illi, qui nihil poteſt
agere neque boni neque mali. His qui nullo modo ſuæ vo-
luntatis compotes ſunt*, &c. Et aliquanto poſt: *Hæc
omnia frigeant oportet ſemel inducta neceſſitate, vel bene
faciendi vel male.* Et rurſum: *Si cuncta fiunt neceſſita-
te.* Ac mox: *Nonne frigent omnia præclara præcepta*
Chriſti, *ſi nihil tribuitur humanæ voluntati?* Item: *Ubi
toties eſt operum bonorum ac malorum mentio, ubi men-
tio mercedis, ibi non intelligo, quo pacto locus ſit meræ
neceſſitati.* Non pergam referre plura, ne moleſtus
ſim lectori. Hujuſmodi ſequelis cum plena ſit ea pars
Diatribes, quæ citat Scripturas pro libero arbitrio,
tamen *Lutherus* perfricta fronte toties nobis exprobrat
illationem, quæ totum tribuat humanæ voluntati ex-
cluſa gratia. Illationes meæ ponunt paratam gratiam
agenti quod in ipſo eſt, excludunt meram neceſſitatem,
quam inducit *Lutherus*, tribuunt aliquid libero arbitrio,
ſed modica ex parte. Quem igitur habent locum illa
ſtolida convitia, *Diatribam aliud proponere, aliud pro-
bare, neſcire quid loquatur, pugnare ſecum.* Non libet
regerere convitia, res indicat, qualis Rhetor ſit *Lu-
therus*, & quam ſibi conſtet homo vere nuſquam im-
memor aut diſſimilis ſui, duntaxat in convitiando.

102. Objicitur aliud crimen miſeræ Diatribæ: *In his quæ
recenſuit, nihil facit diſcriminis inter voces* Legis *&*
Euangelii, *tam ſcilicet cæca eſt & ignara, ut quid* Lex,
quid Euangelium *ſit, non videat.* Imo *Lutherum* ni-
hil pudet confingere. Ubi facio verba Legis ex ver-
bis Euangelii? An quia refero quædam loca, quæ ma-
gis ad gratiam invitare videntur, quam præſcribere
quid ſit faciendum? Sit ita, nonne hoc quoque ſibi
ſumſit Diatriba, ut ex invitationibus, promiſſis ac
blanditiis Dei probaret non omnino nihil agere volun-
tatem humanam? exempli cauſa ſumatur illa vox ma-
xime Euangelica, *Venite ad me omnes qui laboratis &
onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Si nihil agit volun-
tas hominis, cur illi dicitur *venite*. Nemo dicit vin-
cto, veni ad me, dabo tibi cibum, ſed ultro cibum
illi defert, aut prius ſolvit. Hîc non præſcribuntur
opera Legis, fateor, ſed exigitur auſcultatio verbi,
quæ præparat dono fidei. Rurſum, *Pœnitentiam agi-
te, inſtat regnum cœlorum.* Promittitur hîc regnum
cœlorum, ſed agenti pœnitentiam. Si nihil agit hu-
mana voluntas ad reſipiſcendum, cur huc hortatur
Euangelium? Danda potius erat pœnitentia quam præ-
cipien-

Digitized by Google

cipienda. Itidem apud Esa. XLV. *Congregamini & venite.* Et iisdem dicitur: *convertimini ad me & salvi eritis.* Quid est *congregamini*, quid est *convertimini?* relinquite idola, congregamini cum Judæis in eandem Ecclesiam, & per fidem salvi eritis. Et qui dicit *consurge*, videtur appellare voluntatem jacentis. Qui dicit *excutere de pulvere*, quid dicit aliud, quam relinque vitiorum sordes. Qui dicit *solve vincula colli tui*, vocat ad pœnitentiam. Deinde sequitur vox Euangelica, *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Rursus in his, *si quæritis quærite*, vox est objurgantis, quod non toto pectore quærerent. *Convertimini & venite*, hortantis est ad plenam seriamque vitæ mutationem. Et hujus generis fere sunt Euangelica promissa, ut habeant jussionem seu conditionem annexam. Quod genus est illud, *Quærite, petite, pulsate*, voces sunt præcipientis: *invenietis, accipietis, aperietur vobis*, voces sunt promissionis. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Salvus erit* vox est Euangelii, sed addita est conditio, *si credideris*, quæ si desit, inanis est pollicitatio. Itaque promissa, quibus ad observationem præceptorum invitamur, nonne supervacua sunt pariter ac præcepta, si nulla est humanæ voluntatis actio? Quis igitur confundit Euangelii voces cum Legis vocibus. Sed *Lutherus* miscet vera falsis. Si Diatriba tantum proposuisset se dicturam de præceptis ac suppliciis, habebat utcunque *Lutherus* quod arroderet: nunc cum proposuerit præcepta, promissa, blanditias, exhortationes, obtestationes, expostulationes, objurgationes, minas, terrores, exprobrationes, exsecrationes, quorsum hic attinebat distinguere verba Legis & Euangelii, nisi ut suam ostentaret admirabilem Theologicæ rei cognitionem? Hic rursus accipe, lector, quam sibi præsens sit ubique *Lutherus.* Hæc verba quæ citavi ex Esaia, *convertimini ad me & salvi eritis*, dicit esse voces Euangelii. Et mox docet in his verbis Zachariæ, *Convertimini ad me*, contineri Legem universam cum omnibus suis præceptis: in alteris, *convertar ad vos*, totum Euangelium. Eadem vox apud *Esaiam* est Euangelii, apud *Zachariam*, non solum est Legis, sed universam Legem complectitur. Ostensum est nullum hic ex *Esaia* locum productum, qui non habeat aliquid præcepti, eoque vanum esse quod *Lutherus* ait, omnia esse verba consolationis sive promissionis, excepto primo loco: docui etiamsi citra controversiam essent Euangelii, tamen facere ad liberi arbitrii probationem. Omitto κοκκυσμὸν de verbis imperandi, & quod ex his colligo liberum arbitrium non egere gratia, quæ mendacia toties occinit, ut pigeat toties refellere.

103. Homo ad maledicendum copiosus, quod antea dixit summam cæcitatem, offam robustam Leviathan, hic appellat lethargum, tandem attingens aliquid argumentorum. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Præceptum est omnium maximum, & verba sunt imperandi. Ex hoc autem quoniam non colligitur aliqua vis liberi arbitrii, nec ex aliis præceptis colligi poterit. Quid si negem quod sibi sumit *Lutherus*? Citabit mihi Doctores Scholasticos. Impudenter mihi citat Scholasticos, qui nullius Doctoris neque Scholastici neque non Scholastici recipit auctoritatem. Nunc cum fateatur *Scotistas* ac recentiores diversum sentire, cur potiorem habet auctoritatem alterius classis quam alterius? Si ipsi jus est eam usurpare quæ pro ipso facit, mihi jus erit amplecti quæ pro me facit. In hoc rerum statu quomodo probabit *Lutherus* quod asseverat? An quia pauci diligunt Deum ex toto corde? Ita-ne consequitur, non diligunt ex toto corde, igitur non possunt? Sed demus hominem non posse quod verba præcepti sonant, quæ tandem est illa collectio, non potest hoc, ergo nullum præceptum potest. Multi abstinent ab homicidio, qui nec Deum perfecte diligunt, nec proximum quantum debent. Et hujus præcepti *diliges*, peculiaris quædam est ratio: præcipitur enim id quod non solum hic semper augescit, verum etiam perfectionem accipit post hanc vitam in piis. Quid igitur sibi volunt illæ hyperbolæ, *ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus?* Ut Deus præ omnibus diligatur, sic ut illi nec uxor, nec liberi, nec mors, nec vita præponatur. Ad hæc perfectio caritatis non hinc est matura, quod nihil possit accedere, sed quod pro nostra imbecillitate suum quendam modum attigit. Neque protinus dicitur præcepti transgressor, qui non ad plenum præstitit, præsertim in his quæ paulatim increscunt, quorum de numero est fides & caritas in Deum. Tolerat Deus infirmos donec proficiant, & adjuvat proficientes. Juxta hanc rationem & exigit Deus perfectam caritatem, & nos præstantes quod in nobis est, illius adjuti gratia, perficere possumus quod exigitur. Habet igitur & hic suam functionem liberum arbitrium quam exigit præceptum. Neque consequitur, si nulla Legis observatio grata est Deo extra fidem & caritatem, igitur præceptum observando, violat, cujus fides & caritas est imperfecta.

Pergit lascivire *Lutherus*, quando res mire succedit, 104.
ut ipsi videtur, irridet oscitantem Diatribam, quæ ex *Zachariæ* verbis, *convertimini ad me*, conatum humanæ voluntatis collegerit. Quasi qui tenens lumen, clamet erranti in tenebris, huc verte oculos. Invitus hujusmodi næniis perdo tum meum tum lectoris otium, tamen operæ pretium est ostendere, quam gravem ac serium mundus habeat Euangelii revocandi ducem. *Et nova*, inquit, *Grammatica*, converti *significat idem quod* conari, *ut sit sensus:* Convertimini ad me, *id est, conamini converti, &* convertar ad vos, *id est, conabor converti ad vos, ut etiam Deo aliquando conatum tribuat, forte & ipsi gratiam paraturum conanti. Si enim* converti *uno aliquo loco significat* conari, *cur non ubique?* Ubi est nunc chorus novus Euangelicus, qui talibus facetiis applaudat? Tam blasphemis nugis scurratur iste, qui jactat Spiritum Euangelicum. Hæc enim non in Diatriben cadunt, sed in *Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum* ac cæteros Ecclesiæ Doctores. Quis dixit *converti* idem significare quod *conari*? Diatribæ verba sic habent: *Zacharias & liberi arbitrii conatum indicat, & gratiam conanti paratam, nimirum significans utrumque ex illius verbis colligi.* Qui dicit puero, evades in virum doctum, quid indicat? nonne, ut gnaviter incumbat studiis? Ergo evadere est studere. Qui dicit villico, fac ut ruri commodius habitem, nonne significat, se velle ut ædificet? Ergo commode habitare est ædificare. Sic enim ratiocinatur *Lutherus*: Qui averso dicit, huc te converte, aliquid indicat, quod in ipsius potestate est facere. Sed hactenus tantum scurratur, nunc blasphemias evomit. *Convertar ad vos, id est, conabor converti*, &c. Sed unde probat hoc scurrile sophisma, *Si usquam* converti *significat* conari, *cur non ubique?* Par pari referam. Si furere dicitur homo qui non est sanæ mentis, cur non idem significat, cum Scripturæ Deo tribuunt furorem? Si qui irascitur, huic effervescit sanguis circa cor, cur non idem accipimus de Deo, cum in Scripturis irasci dicitur? Si dolet qui miseretur, cur non tribuimus Deo dolorem? Jam si maxime fuissem interpretatus, *convertimini ad me, conamini converti ad me*, multo tolerabilius esset commentum, quam quod adfert *Lutherus*, facite omnia præcepta, quorum nullum facere potestis. Verùm hæc numerentur inter *Lutheri* delicias. Objicit quod in testimonio Hieremiæ, *Si separaveris pretiosum a vili*, simpliciter dixerim indicari libertatem eligendi, quasi plenam libertatem arbitrio tribuam, excluso gratia. Atqui *Lutherus* quod centies dictum erat in Diatriba, debebat etiam hic meminisse. Quid enim erat necesse, ad singulos versus eadem verba repetere, quasi pueris loquerer, non Theologis, non enim dicam *Luthero*, quem nihil fugit, nihil latet, nihil præterit. Sed tandem hæc vana jubet valere, ad quæ tamen nunquam non redit, docetque nos auctoritate quadam heroica, convertendi usum bifariam in sacris Litteris usurpari; Usu

Digitized by Google

legali, ut sit vox exactoris & imperantis, quæ non conatum, sed totius vitæ requirit mutationem, *Convertimini quisque à via sua mala, Convertere ad Dominum. Ibi enim involvit actionem omnium præceptorum.* Quid signi? *Ut satis*, inquit, *patet. Usu*, inquit, *Euangelico est vox consolationis & promissionis divinæ, qua nihil à nobis exigitur, sed nobis offertur gratia Dei.* Docuit nos *Lutherus* duplicem usum hujus verbi. Priorem hyperbolicum sic probat, *satis patet*, debebat addere totum exigi, cum nihil possit servari. Quis autem mortalium unquam dixit, conversionem esse præceptorum omnium observationem, ac non potius initium piæ vitæ? Sed satis sit hoc dixisse *Lutherum*. Posteriorem quomodo probat? Psalmus CXXV. *Cum converterit Dominus captivitatem Sion*, aut, ut ipse docet nos loqui, *Zion*. Item illud, *Convertere anima mea in requiem tuam.* Quid hîc serium docet *Lutherus?* Cum ipse Dominus ait se convertere, declarat gratiam suam. Quis hoc negat? Probare debebat, quoties Dominus dicit *convertimini*, esse verbum Euangelicum. Pronuntiavit enim omnia quæ citantur ex *Esaia*, esse voces Euangelii, primo excepto loco. At in his, quæ non excipit, est verbum convertendi, & huic similia. Sed hujus distinctionis quem habet auctorem? Quem nisi seipsum? Probabilior est igitur veterum Orthodoxorum distinctio, quoties Deus dicit *convertimini*, requiri nonnihil ab homine, ut se præbeat oblatæ gratiæ: cum dicit, *& ego convertar ad vos*, promitti gratiam paratam. Quale est illud Hieremiæ, *si converteris, convertam te.* Audis utrinque fieri conversionem, in altera significatur actus humanæ voluntatis, in altera gratiæ præsidium. His tam feliciter dissertis, in ovatione monentur immundi Sophistæ cum oscitante Diatriba, ut distinguant verba Legis & Euangelii, sed distinguant juxta *Lutheri* gnomonem, qui non potest errare. Vide vero quam nusquam non agat hyperbolum. Verbum, *convertimini*, requirit à nobis omnia præcepta Legis: *ego convertar*, nihil prorsus exigit, ne fidem quidem opinor.

105. Aggreditur ab his felicibus exordiis locum ex *Ezechiele* XVIII. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris*, &c. Attende, lector, hominis impudentiam. Mea verba, quæ refert, sic habent: *Toties repetitur in hoc Capite*, averterit se, fecerit, operatus est, *in bonam & in malam partem, & ubi sunt qui negant hominem quicquam agere, sed pati tantum ab agente gratia?* Hæc Diatriba. Nunc audi *Lutherum*. Vide quæso egregiam consequentiam: *Conatum & studium probatura erat liberi arbitrii, & probat totum factum, impleta omnia per liberum arbitrium. Ubi nunc sunt, quæso, qui gratiam & Spiritum requirant? Sic enim argutatur dicens*, Ezechiel *dicit*, Si averterit se impius, & fecerit justitiam & judicium, vivet. *Ergo impius mox ita facit, & potest facere.* Ezechiel *significat quid fieri debeat*, Datriba *intelligit & fieri, & factum esse, iterum nova Grammatica nos doctura, quod idem sit* debere *&* habere, *idem* exigi *&* præstari, *idem* postulare *&* reddere. Hæc ad verbum *Lutherus*, & postea sunt qui mirentur me non illi respondisse ad singula? Ad ista tam temulenta, tam manifestæ vanitatis ac malitiæ quid respondeas? Mox *factum esse*, mox *haberi*, non solum sine fronte, verum etiam sine mente de suo addidit verus ille Leviathan, *posse fieri* colligo, *licet opitulante gratia.* Sed simili impudentia addit ille, *sine gratia totum posse voluntatem hominis*, cum hic ipse locus, quem incogitans refert, tantum excludat eorum opinionem, qui docent hominem in bonum nihil prorsus agere, sed tantum pati ab agente gratia. Hanc non agnoscit, cum Diatriba nominatim designet *Carolstadium.* Si qui hæc scribit sobrius est, ego nunquam vidi temulentum. Ejusdem sobrietatis est, quod hæc duo velut inter se pugnantissima opponit: *Ubi sunt qui negant hominis voluntatem quicquam agere, sed tantum pati?* Et, *ubi sunt quæso qui gratiam & Spiritum Sanctum requirunt?* Quasi nullo modo fieri possit, ut simul agant naturæ vires cum agente gratia. Atqui fatetur ipse, ni fallor, in cunctis actionibus naturæ, primam causam principaliter agere cum secundariis. Nec adhuc improbata est illorum opinio, qui miracula non distinguunt à communibus actionibus naturæ, nisi raritate. Sed ut omittamus quædam miracula, quæ ad tempus olim fiebant, & nunc pro tempore rarissime fiunt, in actionibus gratiæ videmus *Christi* Spiritum semper suum actum conjungere cum affectibus viribusque naturæ, ne quod gerebatur, ostentum videretur abominandum. Nullus enim appetit portenta, sed refugit, horretque potius, pronus ad ea quæ cum natura cognationem habent. Talem fere comperies fuisse Spiritus actionem in Apostolis aliisque piis hominibus. Nec hoc inficiatur *Lutherus.* Cur igitur se miscet alienæ sententiæ? Rursus hîc κοκκύζει, *Pelagium* clamare nobiscum, Quid imputes illi, qui nihil potest agere neque mali neque boni? Si nihil aliud clamasset *Pelagius*, orthodoxus fuisset. Nunc inter hæreticos numeratur, quia separavit actionem humanæ voluntatis ab actione gratiæ. At *Lutherus* sic fugit hæresim *Pelagianam*, ut dum improvide resilit à calcaria, præceps feratur in carbonariam, cum inter utrumque tutissimum pateret iter.

Rursus ad eundem impingit lapidem infelix Diatri- 106.
be, in testimonio, quod citat ex *Ezechiele* cap. XVIII. *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat*, ex verbis consolationis facit verba legis. Nam hoc commentum suo more, quoniam semel arripuit, sine fine urgebit. Si nullum est hîc verbum legis, cur ante docuit, *convertendi* verbo totam Legem cum omnibus præceptis contineri? Respondebit hic accipiendum juxta usum Euangelicum. Hoc *Lutheri* impudens somnium est. Non enim potuit id ex sacris Litteris ullo docere testimonio. Aliud est, si Deus promittat se conversurum *Sion*, aliud si peccatorem hortetur, ut convertatur, aut ut se convertat: nam & hoc invenitur & magis exprimit vocem Græcam ἐπιστρέψητε. Nam quod adferebat è Psalmis, *Convertere anima mea in requiem tuam*, magis facit adversus ipsum. Quoties enim homo seipsum hortatur ad contemplationem rerum cœlestium, intelligitur voluntatis actio, sese ad gratiam accommodantis. Quid autem sibi vult, *nolo mortem?* Si *Lutheranam* recipimus interpretationem, idem est, ac si dicat, Ego sum misericors, non iracor, nolo punire, nolo vos mori, volo ignoscere, volo parcere. Si non iracitur peccatori Deus, tot Scripturæ loca nobis mentiuntur, una cum *Paulo*, qui scribit Romanis I. *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum*, & proximo Capite, *Thesaurizas tibi iram in die iræ*, &c. Ac mox, *Ira, indignatio, tribulatio, angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Audisti *Lutheri* glossam, audi nunc veram interpretationem: *Nolo mortem peccatoris*, id est, nolo peccatorem manere in suis vitiis, ne moriatur. Quid igitur vis? Volo ut convertatur à turpibus ad pietatem; & vitam adipiscatur æternam. *Declaratur*, inquit, *his verbis Dei bonitas propensa ad misericordiam.* Fateor maxime. Sed ira & mors intentatur tacite, perseveranti in peccatis, vita promittitur, cui? Peccanti? Nequaquam; sed convertenti se. Pulsat animum peccatoris, gratia, cui si desit, si claudat oculos & aures, quid facias illi, qui servari recusat? Offert Deus peccatori vitam, offert oblivionem priorum delictorum, sed offert resipiscenti. Desine tu peccator, mea ira protinus vertetur in misericordiam, & mors vita commutabitur. Alioqui si Deus omnino non vult mortem peccatoris, cur tot millia peccatorum conjicit in gehennam? Quis autem nescit in Scripturis magnam esse vim locorum, quæ testantur insignem Dei misericordiam? expositam, obviam, paratam, expromtam, fatemur, sed resipiscentibus. Quicquid igitur est talium solatiorum in Scripturis, sic invitat ad gratiam, ut tamen à peccatore exigat prioris vitæ mutationem. Unde constat & ex illis verbis quantum-

Digitized by Google

tumvis Euangelicis non absurde colligi liberum arbitrium esse nonnihil in rerum natura, quod negat *Lutherus*. Tale est quod refert ex Exod. xx. *Ego facio misericordiam in multa millia*. Hæc verba sunt Euangelii, fateor: at sequitur, *iis qui diligunt me*. Est hoc satis? Non. Sed adjecit, *& custodiunt præcepta mea*. Hoc additamentum callide reticuit *Lutherus*, quemadmodum & illud quod præcesserat, *Ego sum Deus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*. Vides promissa jungi terroribus, nec misericordiam promitti quibuslibet, sed amantibus & præcepta observantibus. De eo quod adfert ex *Matth.* xi. *Venite ad me omnes*, jam ante diximus. Hujus generis est & illud apud Paulum, *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illucescet tibi Christus*. *Surge* & *exsurge* verba sunt gratiæ pulsantis: *illucescet tibi Christus*, verba sunt consolationis & promissionis. Quoniam autem omnium Orthodoxorum consensu, mortui, quos ad vitam revocavit Dominus, repræsentant nobis formam peccatoris ad pietatem resipiscentis, non arbitror esse sine mysterii significatione, quod Dominus neminem unquam excitarit, nisi prius appellatum, quod tamen ab Apostolis non est item observatum, *Luc.* vii. dicit adolescenti, *Adolescens tibi dico surge*. Marc. v. Archisynagogi filiam appellat, *Thabitha cumi, id est, puella tibi dico surge*. Quo loco monent Hebraice periti, *cumi* esse verbum geminæ transitionis, quasi dicas, attolle teipsam. Similiter & *Martha* fratrem inclamat, *Lazare veni foras*. Unde falsum est quod hîc colligit *Lutherus*, nec ex verbis Legis, nec ex verbis Euangelii confirmari vim liberi arbitrii, cum declararim ex utrisque probari.

107. Quid autem mea Diatriba colligit ex his verbis, *Nolo mortem peccatoris?* An aliquid præcipi, quod exigatur? Imo sic ratiocinatur Diatriba, *An deplorat pius Dominus mortem populi sui, quam ipse operatur in illis. Si ille non vult mortem, utique nostræ voluntati imputandum, si perimus*. Hæc *Lutherus* dissimulat, multisque verborum involucris obscurat rem, proferens nobis novas leges, quas arbitratu suo figit ac refigit: *Vox*, inquit, *Legis non fertur nisi ad eos qui peccatum non sentiunt nec agnoscunt, Ita verbum gratiæ non venit nisi ad eos qui peccatum sentientes affliguntur, & tentantur desperatione*. Leges istas hyperbolicas fortiter rejicimus. Imo Lex & bonæ mentis hominibus prælucet, ne peccent: & promissionis verba toties apud populum fiunt rebellem, ac Dei bonitatem sibi vertentem in licentiam peccandi. Nec hoc præcepto, *Diliges Dominum Deum*, &c. indicatur hoc nos debere, quod præstare non possumus, sed admonemur Deum omnibus rebus conditis esse præferendum, & in hoc amando semper esse proficiendum, id quod est in potestate hominis, opitulante gratia.

108. Supereſt igitur, ut triumphum agat *Lutherus*, si modo illi concedimus, *nolo mortem peccatoris*, significare, non iraſcor peccanti, sed volo ut convertatur, id est, nihil servet præceptorum, quæ servare non potest, tantum accipiat gratiam, & faciat quæ velit. Quomodo triumphat igitur? Ratiocinatur nullum locum adduci potuisse, *qui magis doceret liberum arbitrium se solo non posse, nisi ad pejus, nisi Deus tanta lenitate offerret paratam misericordiam*. Quid sentit *Lutherus*, cum ait *se solo*? An quisquam hoc docet, liberum arbitrium aliquid ad justitiam efficaciter posse, seclusa gratia? Cum se gratiæ pulsanti accommodat, aut si mavis præbet, solum non est. Rursum quid sentit, cum ait, *nisi in pejus*? Atqui dogma ipsius erat, liberum arbitrium prorsus esse nomen inane, nec in bonum quicquam posse, nec in malum, nec cum gratia, aut sine gratia quicquam agere, sed agi à Deo. Alias tribuit homini liberum arbitrium in rebus inferioribus, alias negat eum festucam de terra posse tollere vi liberi arbitrii. Sic sibi constat, qui mihi toties objicit, quod causæ statum non observem. Ut reliquam hominis battologiam omittam, quid sibi vult *Lutherus* his verbis, *nisi Deum ejus levitatis esse credat, quod nulla necessitate salutis nostræ, sed mera voluptate loquacitatis, verba promissionis effundat tam copiose*. Quod hoc novum eloquentiæ genus? An non videtur hoc velle dicere, quod hæc tam multa verba, quibus in Scripturis Deus invitat peccatores ad resipiscentiam, nihil faciunt ad nostram salutem, sed ita libuisse Deo pro sua levitate, proque loquacitate voluisse garrire. At si dixisset, *nisi credis*, fortassis effugisset sermonis absurditatem. Non credimus hoc, ô bone, imo persuasum habemus Deum & minis, & terroribus, & blandimentis ac promissis idem agere, ut nostram vincat duritiem, & ad vitæ correctionem indicat, nisi quod secundum eventum feroces & elatos magis terret minis & afflictionibus, ad desperationem tendentes revocat blanditiis. Illis remittit minas si convertantur, his pollicetur paratam gratiam, si se recipiant. Ad hoc autem ut admoniti minis, aut invitati promissis convertamur, non nihil agit liberum hominis arbitrium. Alioqui cur alii convertuntur, alii magis indurescunt? Hic *Lutherus* ut excludat omnem humanæ voluntatis actionem, reperit aliud sophisma, Dei voluntatem arcanam in his rebus non esse requirendam, sed adorandam. Habet iterum bipennem, qua possit omnes quæstionum nodos dissecare. Nos non negamus Dei voluntatem in quibusdam sic agere, ut consilium illius sit nobis adorandum magis quam scrutandum; verùm hîc ex Scripturis argumentamur aliquid esse situm in voluntate hominis, quod tantum habeat momenti, ut hic pulsatus gratia, convertatur & servetur, ille magis adversus pereat. Quod si nihil est imputandum hominis arbitrio, sed soli divinæ voluntati, cur Deus toties expostulat in Scripturis, quod nec præcipiens, nec pellicens, nec territans, nec blandiens sit auditus? Aut qua fronte clamat, *cur moriemini domus Israel*, cujus arcana & adoranda voluntate fit ut moriantur?

Hîc prodit nobis distinctio Dei prædicati, & Dei 109.
ut est in sua natura, quo novitate verborum videatur rem hactenus inauditam adferre, cum tritissima distinctione potuerit solvi quæstio, quomodo Deus nolit mortem peccatoris, & idem velit: non vult enim voluntate signi, & idem vult voluntate efficaci. Aut vult, & non vult, juxta conditionem. Non vult, si ipse velit converti: vult, si nolit resipiscere. Quanquam hanc distinctionem, Dei prædicati & non prædicati, jam exclusimus: nos enim hîc colligimus Dei voluntatem in sacris Litteris nobis expressam. Arcanam illam in sua caligine reconditam adoramus, non excutimus. Quoniam autem frequenter nobis occinitur Deus prædicatus & non prædicatus, ne *Lutherus* videatur hoc commentum de suo proferre capite, citat nobis *Paulum* 2. Thess. ii. de Antichristo loquentem, *Extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Hic novus interpres exponit, *quod dicitur aut quod colitur*, Deum prædicatum. Verba *Pauli* non adfert de suo capite, fateor, sed interpretationem & coactam nec consistentem commentus est ex suo cerebro. Primum quis Veterum somniavit hoc quod hîc adfert *Lutherus*? num *Hieronymus*, num *Ambrosius*, num *Chrysostomus*, num *Theophylactus*, num *Augustinus*, num *Beda*, num *Thomas*? *Theophylactus* interpretatur Antichristum eversurum cultum idolorum, quo solus ipse pro Deo habeatur, annotans & illud quod Antichristus non dicet se esse Deum, sed factis ambiet, ut pro Deo habeatur. Verùm interpretationes Veterum contemnit *Lutherus*. Ex ipso igitur *Pauli* sermone novum illius commentum examinemus, cujus verba data opera non recensuit, ne hæc statim proderent plus quam ferream interpretationem. Primùm dictum & cultum Deum, interpretatur Deum non ut est, sed ut nobis innotuit. Quæro à *Luthero*, an qui adorat Deum, recte dicatur illum colere. Fatebitur, opinor. At ipse paulo ante dixi, arcanam illam voluntatem, hoc est, Dei naturam ut est, summa veneratione adorandam, & hic aliud

Digitized by Google

interpretatur. Imo maxime colimus illam ineffabilem, incogitabilem, & imperſcrutabilem Dei naturam. Et ne quid hìc tergiverſetur *Lutherus*, quod Interpres vertit, *quod colitur*, Græcis eſt σέβασμα à σέβομαι, quod eſt religioſe veneror rem majeſtate præditam. Ad hæc quoniam *Lutherus* hìc *Corycii* ſpecus meminit, ubi majeſtas Numinis ſubmovet humanam cogitationem, ibi maxime locum habet adoratio. Præterea quod ſeparatim dictum eſt à Paulo, *Lutherus* conjungit, *quod dicitur, aut colitur Deus*, cum *Pauli* verba ſic habeant, *ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Græci ſic vel legunt, ὑπὲ πάντα λεγόμϐον θεὸν, ἢ σέβασμα id eſt, *ſuper omnem qui vel Deus dicitur, vel aliud quiddam veneratione religioſa dignum*, ut per σέβασμα, intelligamus fana, aut ſimulacra Gentium. Nam hæc particula, *quod dicitur*, ad utrumque diſjunctim refertur, ad Deum & ad nomen σέβασμα, quod Interpres expreſſit periphraſi. Ideo *Paulus* addidit, *quod dicitur*, ut oſtendat nec eos eſſe Deos, qui dicuntur Dii, nec eſſe *ſebaſmata*, quæ dicuntur *ſebaſmata*. Nuſquam enim *Paulus* nomen Dei tribuit, niſi vero Deo. Aut ſi tribuit aliis, addit aliquid, unde intelligas eum de Diis falſo habitis dicere, veluti cum dicit, *Deum hujus ſeculi*. Et 1. *Corinth.* VIII. *Nam & ſi ſunt qui dicuntur Dii.* Eodem verbo ſignificavit & hìc ſe de Diis falſis loqui. Porro σεϐάσματ@ vocabulo idem apud *Lucam* in Actis XVII. utitur: *Prætereiens enim*, inquit, *& videns ſimulacra veſtra, inveni & aram, in qua ſcriptum erat ignoto Deo.* Quod Interpres vertit *ſimulacra*, Græce eſt σεϐάσματα, quæ vox & templa, & aras, & ſacella, & delubra, & ſimulacra complectitur. Et eandem vocem hìc *Lutherus* exponit *cultum Deum*. Mane lector, nondum habes omnem fucum, quo *Lutherus* eſt in hac interpretatione uſus. Arte invertit ordinem ſermonis. Quis enim neſcit plurimum intereſſe, utrum dicas, *hic artifex prædicatur*, & *hic prædicatur artifex*. Nam in poſteriore ſubauditur verbum ſubſtantivum eſſe, in priore nequaquam. In priore is qui eſt artifex, dicitur eſſe celebri fama: in poſteriore dicitur quiſpiam eſſe artifex, qui forte non eſt artifex. Jam ſi *Paulus Deum* & *ſebaſma* præpoſuiſſet verbo *dicitur*, erat utcunque ſenſus ambiguus, nunc cum utrumque poſteriore loco ſit, non poteſt alius accipi ſenſus, quam eſſe qui dicantur Dii, cum non ſint: aut eſſe *ſebaſmata*, cum non ſint. Oſtendi paucis, qua religione, qua ſcientia, qua fide *Lutherus*, contemtis omnibus & veteribus & recentioribus, tractet nobis ſacras Litteras, quo cunctis ſit perſpicuum, quid illi tribuendum ſit in cæteris.

110. Quanquam hìc nihil opus erat illa diſtinctione voluntatis, quandoquidem Deus & voluntate ſigni, & voluntate efficaci vult peccatorem, ſi perſeveret, ire in gehennam. Huic diſtinctioni locus erat, ſi quis hunc in modum fuiſſet argumentatus, *Si quicquid vult Deus fit, cur non omnes peccatores convertuntur?* Vult omnes converti voluntate ſigni, voluntate efficaci non item. Poſſet id efficere ſi vellet ſimpliciter. Ubicunque igitur *Lutherus* premitur argumentis, confugiet ad illam voluntatem Dei imperſcrutabilem, & ibi faciet Deum non prædicatum, ubi nos aſſerimus prædicatum. Cum hoc viro, qui nullas aliorum leges agnoſcit, & tot leges ſubinde novas nobis præſcribit, pugnare difficillimum eſt. Exigit à nobis, ut fateamur eſſe quandam Dei voluntatem imperſcrutabilem, Fatemur. Eam vult adorari, Adoramus. Quid tum poſtea? Ergo vera ſunt *Lutheri* paradoxa. Quæ? Totam Scripturam ſacram plenam eſſe præceptis, minis, promiſſis, & blandimentis; nec his omnibus moveri animos hominum, niſi ſi quibus Deus velit impartiri peculiarem gratiam juſtificantem: Per leges & minas tantum indicari peccatum, per promiſſa & blanditias tantum indicari paratam gratiam. Nec his tamen prodeſſe delatam gratiam, nec illis intentatam legem, eo quod neutrorum voluntas ullo pacto ſit libera, niſi Deus ſua voluntate, de qua loqui fas non eſt, utroſque trahat ad ſalutem. Et tamen illis, qui nihil ex ſe potuerunt, perinde quaſi potuerint, imputatur culpa: & damnantur immeriti (quod poſtea ingenue fatetur) ne Deus videatur injuſtus: & his nihil promeritis, imo ne conatis quidem aliquid promereri, datur immortalitas. Nihilo ſecius tamen interim Deus dicitur juſtiſſimus, cum juſtitiæ ſit tribuere cuique præmia pro meritis. Verùm hìc habet aliud paradoxon, fidem prorſus interiſſe, niſi Deus videatur injuſtiſſimus, & credatur juſtiſſimus. Hic eſt qui mihi objicit, quod ex indefinita faciam univerſalem: Præcipit quod nec præſtare nec velle poſſumus, & tamen præſtare debemus: & imputat voluntati noſtræ vitiatæ, non per nos, ſed per primos parentes, & imputat etiam juſtificatis. Cur autem imputat, quod neque nos præſtare poſſumus, nec ipſe vult mutare? Vocat Deum non prædicatum, & ſic elabitur.

111. Αὖθις αὖ κοκκύζων objicit mihi, quod oblitus ſtatus, aliud probem quam propoſuerim. Citaturus Scripturarum teſtimonia ſic exordior: *Optans ut ſuperet ubique veritas, quæ fortaßis ex collatione Scripturarum velut ignis ex colliſione ſilicum emicabit. Principio negari non poteſt, in ſacris Litteris plurima eſſe loca, quæ plane ſtatuere videntur liberum hominis arbitrium. Rurſus in iiſdem eſſe nonnulla, quæ videntur in totum tollere. Conſtat autem Scripturam ſecum pugnare non poſſe, cum ab eodem Spiritu tota proficiſcatur. Prius igitur recenſebimus ea quæ noſtra confirmant, mox ea, quæ ex adverſo ſtare videntur, diluere conabimur.* Audis exordium hujus argumentationis ex locis in Diatriba. Jam ſi loca nec plane ſtatuerent liberum arbitrium, nec plane tollerent, tamen in argumentando fueram meo functus officio. Sic in argumentis ante oppoſitum, ut loquuntur. Scholaſtici, citant & colligunt Theologi, nonnunquam in utramque partem, in fine res componitur ad æquilibrium veritatis. Mox uno loco citato, refero varias de libero arbitrio opiniones, quarum aliquot ſic reprobo, ut declarem mihi cum illis pugnam non eſſe: quaſdam indico non rejiciendas, tales tamen ut ſi vel ulla vincat, jaceat *Lutheri* dogma. Ad has communiter refero quæ ex ſacris voluminibus profero teſtimonia. Cum quibus autem opinionibus mihi præcipue res ſit, non diſſimulo. Et in has communiter torqueo jacula diſputationis. Hoc autem loco quid dico? *Hæc*, inquam, *omnia frigeant oportet ſemel inducta neceßitate, vel bene faciendi, vel male.* An hæc ſunt verba totum tribuentis libero arbitrio? an potius excludentis *Wiclevi* opinionem, quam *Lutherus* calore raptus in aſſertione probat, in qua tamen ſibi non conſtat. Non igitur *Diatriba frequenter oberrat eadem corda*, ſic enim habet codex pro *chorda*, ſed *Lutherus* nimium frequenter errat corde.

112. Multis tandem prætermiſſis, aggreditur illud Deut. XXX. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum*, &c. Hìc mire triumphat glorioſus miles, ex Grammatica nos docens, quid ſit ſupra, infra, ante, retro, ad dextram, ad lævam. Ex his verbis dixi ſignificari proclivitatem ſervandi præceptum, argumentans non pronuntians, & ſi pronuntiaſſem, quid erat periculi, cum ipſe Dominus in Euangelio dicat, *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* At hic exclamat, *quid jam Chriſto, quid jam Spiritu opus? Quam ſtultus Chriſtus, qui etiam fuſo ſanguine Spiritum illum non neceſſarium nobis emit, ut faciles efficeremur in ſervandis præceptis, quales jam ex natura ſumus*, aliaque multa hujus farinæ blaterat, ſemper excludens gratiam à libero arbitrio. Nam hujus vocis publicum uſum ſemel impetravimus, gratiam tot locis adjungimus, ut efficax ſit hominis voluntas. Diſſimulat autem quod hoc loco ſubjicit Diatriba: *Si nihil horum ullo pacto ſitum eſt in noſtra poteſtate.* Qui dicit *ullo pacto*, non totum tribuit libero arbitrio. Unde præcepti difficultas? A ſegni voluntate. Unde facilitas? A gratia & à promta voluntate. Negat hic *ſupra* referendum ad vires, ſed ad locum, juxta Grammaticam,

Digitized by Google

tam, quam sciunt & elementarii pueri. Accipio: ergo quæ supra nos sunt, intelliguntur esse in tectis, quæ infra, in cella vinaria. Imo apud pueros Grammaticos, supra, infra, procul, prope, frequentius referuntur ad dignitatem aut facultatem, quam ad loci situm. Cum scribit *Ovidius*,

—— quamvis abjectus & infra
Te quoque sum, inferius quo nihil esse potest,

num intelligit se jacuisse sub pedibus hominis, qui & ipse substratus fuerit pedibus omnium. Rursum cum dicimus, *procul abes ab eo quem exprimere studes*, longo locorum intervallo distat ab illo? Item qui dicit, *Propius accedis ad rem*, significat brevius esse spatium? Cum legis in Euangelio, *supra omnes est*, utrum intelligis *Christum* omnes excellere dignitate, an esse in editissimo loco? Hæc ad Grammaticam, quam nos docet *Lutherus*. Sed donemus id quod est, *Mosen* non absque tropo quidem, tamen significare præceptum illis sic exhibitum, ut sit in promtu, ut non sit è longinquo petendum: quo tendit hæc oratio, nisi ut *Moses* adimat populo omnem excusationem, si quod præceptum est negligant servare. In quem sensum citat hoc testimonium & *Paulus* ad Rom. x. si credimus *Chrysostomo* ac *Theophylacto*. Jam ut hic non sit sensus *Mosi*, tamen ego jure argumentantium verba pro me torqueo. Deinde quod in promtu est, utique proclivius est, quam id quod aliunde petendum est. Nunc videamus interpretationem Lutheri: *Moses*, inquit, *testatur se suo functum officio, proposuisse Legem, in qua nihil erat, quod quisquam servare poterat, ne quid haberent quod expostularent cum* Mose, *qui quod jussus erat præstiterat, sed cum Deo, qui Legem tam duram imposuisset suo popu-*
113. *lo, quam debebant servare, ni mallent perire.* Et tamen qui jussit fieri Legem, sciebat illos nihil omnium
114. efficere posse. Nec idem latebat *Mosen*, opinor, qui tot prolixis concionibus agit cum populo, tot sacramentis ac ceremoniis obstringit, haud in aliud, nisi ut fallat, & in foveam illiciat, quo lapsi cognoscant se non posse præstare quod exigitur. *Lutherus* pulchre declaravit, excusatum esse *Mosen*, sed impudenter adjicit, nullam excusationem habere populum, impudentius etiam fingit Deum talem, qui tam multa præcipiat, exigat, inculcet, territans, minitans, interficiens, quorum nihil omnino possit servari. Interim suum dogma nobis recinit. At hoc ipsum est cur illi reclamamus. Probationem ex Paulo, *Per legem cognitio peccati*, demonstravimus esse duram, absurdam & inconsistentem. *Ubi*, inquit, *in his* Mosi *verbis liberi arbitrii mentio*? Non dixi mentionem esse, sed hinc manifesto colligi aliquid in homine posse voluntatem, quod ni adhibuerit, sua culpa damnari: si adhibuerit, per gratiam opitulantem servari. Jam frequenter audivimus κοκκυσμὸν illum, verba imperandi, exigendi, minitandi, hortandi, non statuere factum, aut facultatem faciendi, sed ex his juxta sensum communem, cui *Lutherus* supra detulit arbitrium interpretandi Scripturam sacram, colligitur. Idem respondimus ad cavillum de verbis subjunctivis, optativis, imperativis, & indicativis imperandi sensu usurpatis. Non statuunt factum aut facultatem faciendi, sed indicant esse facultatem aliquam, nisi qui præcipit, aut stultus est, aut insanus, aut tyrannus. Jam de voluntate inscrutabili, ut fatemur alicubi locum habere, ita clare negamus in tot præceptis habere locum. Asseverationes nihil moramur, Scripturam & argumenta requirimus. Hoc loco sibi canit encomium: *Eat*, inquit, *nunc Diatriba, & dicat, quî fieri potuit, ut homo unus privatus videat, quod tot seculorum proceres non viderunt*. Quid autem docuit hoc dignum triumpho? *Supra* & *infra*, *procul* & *prope*, esse adverbia loci. Sed tacuit frequentissimo omnium usu ad dignitatem, similitudinem aut facultatem usurpari, quemadmodum usurpat Apostolus. Quod si *Lutherus* nullo pacto vult à simplici verborum usu discedere, quomodo populus habebat præceptum in ore *Mosi* narrante? In ipsius magis erat ore, in populi auribus. At quomodo in corde, cum multi Legem averssarentur? *Paulus* interpretatur in corde per fidem, in ore per confessionem. Et hæc ipsa verba, *habere in ore*, *habere in corde*, utcunque interpreteris, per tropum indicant illis in proclivi esse servare si velint. Nimirum parata gratia, quod tenebant, intelligebant, meminerant, ore recitabant, ut nihil superesset, nisi ut factis exhiberent. Nec hîc desinit nobis statum & opinionem probabilem, & plenam humanæ voluntatis excusa gratia, potestatem occinere, non existimans exoriturum quenquam, qui lecta nostra Diatriba deprehendat ipsius improbitatem in mentiendo. Quid agas cum tali disputatore, qui singulis capitibus hæc iterum atque iterum repetit, infigit, inculcat, quo vel tædio submoveamur à refellendo. Neque Deus voluit & videri crudelis ac injustus, & credi misericors ac justus. Imo plurimis argumentis declaravit nobis summam justitiam & clementiam suam, ut his perspectis, crederemus eandem in aliis ubi noster intellectus non assequitur consilium divinæ providentiæ.

Hactenus sibi videtur strenue depulisse quæ prolata 116.
sunt ex Vetere Testamento, ac promittit se iisdem armis depulsurum quæcunque vel prolata sunt, vel proferri queant ex aliis Scripturæ locis. Quibus armis? Aliquot paradoxis, quibuscum nobis bellum est, & aliquot mendaciis. Quorum unum est, me aliud proposuisse, aliud defendere. Et si quis argumentis pugnans plus extorqueat ab adversario quam propositum esset, tanto magis jacet is qui oppugnatur, veluti si quis bellans cum Principe ob unius arcis ditionem, toto eum regno expellat: quod tamen falsissimum est, nusquam enim separo liberum arbitrium à gratia. Alterum est, quod fingit toties, me unam probabilem opinionem proposuisse, cum ut minimum tres proposuerim, quarum nullam rejicio. Tertium, quod quoties dicitur voluntas hominis aliquid posse, ait consequi, quod suis viribus totum possit: perinde quasi qui puero bono ingenio nato, cui adsit idoneus præceptor, dicat, *Potes in doctum virum evadere, si velis*, sentiat illum id posse citra præceptoris operam, citraque studium. Et hæc toties recinit, ut si toties refellam, nullus sit futurus modus voluminis. Omitto hîc scurriles hominis jocos de acie muscarum, deque *Achille* talis exercitus. Senserunt *Ægyptii*, quid possint muscæ. Et nobis domi sunt similes facetiæ, sed nec libet, nec vacat scurrari, etiamsi sales isti tam insulsi non tam in me cadunt, quam in probatissimos Ecclesiæ Doctores, & in primis *Augustinum*, cujus auctoritate jactat se niti in hoc dogmate. Quibus autem armis submovet *Achillem* muscarum? *Matth.* XXIII. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Unde sic ratiocinabar, *Si cuncta fiunt necessitate, cur accusatur nostra voluntas, quæ nulla est, juxta* Lutherum? Respondet ille, probabilem opinionem statuere liberum arbitrium nihil posse sine gratia: & hic locus docet ejus omnipotentiam. Respondeo, utrumque falsum. Nam nec argumenta diriguntur ad unam opinionem, nec hîc tam agitur de confirmanda opinione mea, quam de refellenda *Lutheri* necessitate. Id verba mea indicant, *Si cuncta*, inquam, *fiunt necessitate*. Si hæc musca excludit necessitatem meram, quam *Lutherus* asseveravit, quamque semper exsecrati sunt omnes Orthodoxi, & in bonis & in malis, nonne satis pugnavit? Nec probatur voluntas libera ac potens in omnia, quæ Prophetæ dixerunt, sed auxilio paratæ gratiæ suis viribus aliquid posse in his quæ exiguntur.

Verùm hîc recurrit ad duos illos Deos, quo com- 117.
mento sibi unice placet, quorum alterum nunc mutatis vocabulis appellat incarnatum & crucifixum, alterum appellat Deum reverendum, antea dixerat adorandum, non colendum, quasi qui adoret in spiritu non colat. Siquidem Deum nominatum, quem interpretatur prædicatum, docuit eundem esse cum culto, signi-

Digitized by Google

ficans alterum Deum adorari quidem, at neque prædicari, neque coli. Hæc sunt non muscæ, sed novorum verborum portenta, quæ *Lutherus* pro suo arbitratu nobis gignit è suo cerebro, monetque, ut alterum illum Deum sinamus in sua luce; nos tantum disputemus de Deo crucifixo. Quis erat igitur ille Deus, cujus sapientiam Apostolus loquebatur occulte inter perfectos, cum apud infirmiores nihil sciret, nisi *Jesum Christum*, & hunc crucifixum? & quid est quod alibi dicit, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei?* Philosophi naturæ viribus perspexerunt invisibilia Dei, cognoverunt sempiternam ejus virtutem ac divinitatem, & eos, qui Spiritum hauserunt cœlestem, vult Deum illum sinere in suo latibulo. Undequaque fas est scrutari Deum, ex rebus conditis, è Scripturis, ex sensu spiritus, & experimentis. Tametsi fateor esse scrutandi modum, dum in hoc corpusculo peregrinamur. Nec est idem omnium modus. Habet suas quisque dotes. Sed age tractemus de Deo crucifixo. Nonne illius verba produximus? Homo loquebatur hominibus, nimirum humano more, & nos illius verba juxta sensum communem interpretamur. Sic loqueretur Medicus ægroto pereunti, quod ipsius fidelibus monitis obtemperare nollet, sic pater filio male morigero. Quis Angelus docuit *Lutherum*, aliud loqui Deum crucifixum, aliud velle Deum illum qui habitat lucem inaccessam? Sinat ipse *Lutherus* illum Deum, quem à nobis non vult attingi. Cur illius consilium effert & asseverat, quasi vixerit cum illo? Fatemur Deum in hoc missum, ut omnia faceret, diceretque, quæ pertinent ad hominum salutem: fatemur hæc omnia multis nihil profuisse, plurimis cessisse in majus malum, hactenus convenit inter nos. Sed ubi controversiæ nodus? Quod nos tribuimus vel meritis hominum præcedentibus, vel humanæ voluntati avertenti sese ab oblata gratia, hoc *Lutherus* vult adscribi arcanæ voluntati, qua Deus ex proposito aliquos relinquat & reprobet, ut pereant. Nec nobis quærendum cur ita faciat, sed reverendus Deus, qui talia & possit & velit. Saltem addidisset *Lutherus*, & juste velit, quanquam nobis causæ sunt incognitæ; sed delectatur paradoxis. Expendamus rursum, quid inter nos conveniat, quid non. Esse quandam arcanam Dei voluntatem nobis inscrutabilem, convenit: esse quædam, quorum causas perscrutari nec debemus nec possumus, convenit. Verùm illud non convenit, in omnibus præceptis, in omnibus promissis, minis, terroribus, expostulationibus, blanditiis, hanc voluntatem velut ὀπὸ μηχανῆς θεὸν adorandam tantum esse. Si *Lutherus* dixisset, aliquot homines speciali Dei voluntate, vel reprobari, vel attrahi, tolerabilius esset. Nunc illius dogma est quod oppugno, Omnes qui servantur, omnes qui pereunt, nulla sua culpa, nullo merito, sed mera necessitate, quod ad ipsos attinet, servari aut perire, cum longe aliud sonent verba Dei crucifixi, qui ut celarit alicubi voluntatem Patris inscrutabilem, certe non fefellit nos: nec ea loquutus est, quæ pugnant cum illa voluntate tantum adoranda. *Christus* promittit salutem, si ad ipsum venire voluerimus, nimirum indicans per nos stare, quo minus servemur. At arcana voluntas nihil tribuit humanæ voluntati, sed hominem mera necessitate adactum, vel servat vel perdit in æternum; & tamen *Petrus* negat apud Deum esse προσωπόλημψιν. Ubi destituitur humana ratio, liceat tunc ad adorandam voluntatem, velut ad sacram ancoram, confugere. Hîc quid opus est, cum in promtu sit probabilis & naturæ consentiens ratio, cur alii pereant, alii serventur. Si quis ponat esse sylvestres homines, quibus non esset auditum Euangelium, moveri quæstio poterat de arcana voluntate. De his non agit *Lutherus*, sed de his qui audierunt Euangelium, & noluerunt obtemperare. Sed omnia mavult *Lutherus* quam suum deserere dogma. Hic nodus illi solvendus erat. Nam quod excusat etiam Judæis exhibitum fuisse Deum incarnatum, haud gravate illi concedimus: nihil enim refert ad hanc quæstionem.

Illud propius ad rem pertinet quod adjicit, objici 118.
posse, sicuti jam objectum est à nobis, eum ad hanc voluntatem adorandam non inquirendam confugere, ut eludat nodum quæstionis, quem dissolvere non possit. Hîc respondet, *Non est meum inventum, sed divinis Scripturis firmatum præceptum. Sic enim* Paulus *Rom.* XI. *Quid igitur queritur Deus? Quis voluntati ejus restitit?* &c. *Et an non habet potestatem figulus?* &c. Hic locus post suo tempore tractabitur, & in Diatriba tractatus est. Nunc illud tantum dicam, Si *Paulus* priusquam ad hæc verba veniret, docuit nihil omnino momenti in nostra voluntate situm esse, nec ad bonum nec ad malum, recte citat hunc locum *Lutherus*: sed si & in his quæ præcedunt & quæ sequuntur, Apostolus declarat aliquid & in nobis situm esse, ut servemur aut pereamus, quærat aliud testimonium Scripturæ. Præcedunt autem hæc, *Ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit: Secundum autem duritiem tuam*, &c. & mox audis patientiam boni operis. Sequuntur hæc, *In te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioqui & tu excideris. Et illi si non permanserint in incredulitate, inserentur.* Sequitur & illud, *Obsecro igitur vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra*, &c. An hæc sunt verba nihil omnino tribuentis humanæ voluntati, sed omnia referentis ad meram necessitatem? Cur igitur *Paulus* imponit homini silentium? Non quia respondebat, sed quia contumaciter & impie. Simpliciter percunctantibus non dedignatur respondere Deus. Sed divinæ providentiæ consilium cur Judæos, quibus erat promissus, exspectatus, exhibitus, rejecerit, hoc est, passus sit deficere, cum prohibere posset, & Gentes à Deo alienissimas subito receperit ad Euangelii gratiam, cum eas posset in sua impietate relinquere, non vult à nobis ultra quam sat est inquiri, nec tamen quoslibet submovet ab hoc scrutinio, sed impie disputantes, nec hujus mysterii capaces. An hunc locum nemo vidit ex tot hominum millibus, qui nec recipiunt necessitatem istam, & aliquid tribuunt libero arbitrio? Verùm de his fusius in sequentibus. Nunc mihi vide, lector, quam apte citet locum *Esaiæ* LVIII. qui nihil non docte, nihil non in tempore promit è sacris Litteris, nihil nescit, nusquam hallucinatur, nusquam oscitat. Sic apud *Esaiam* loquitur Deus: *Me enim de die in diem quærunt, & vias meas scire volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, & quæ judicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me judicia justitiæ, & appropinquare Deo volunt.* Quid hîc agit Deus, *Luthere*, muscarum propulsator, pro muscis nobis tales objiciens fumos? An hoc agit, ne populus scrutetur arcanam illam Dei voluntatem? An potius arguit eos, qui sabbatismis, jejuniis, sacrificiis, similibusque corporalium rerum observationibus, vindicabant sibi justitiam, cum essent hypocritæ, verique Legis violatores. Si proferam *Hieronymum* sic enarrantem, dicet esse sacrarum Scripturarum contaminatorem. Quid dicet, ubi viderit in eundem sensum enarrantem *Oecolampadium*? Fortassis & huic adimet spiritum, posteaquam desiit in omnibus assentiri. Quid igitur superest, nisi ut Scriptura seipsam interpretetur? Hæc præcedunt, *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob iniquitates eorum.* Hoc exordium nihil ad inquisitores arcanæ voluntatis. Habent Legem in ore, scrutantur quid præcipiam, quid velim, cum nolint ea servare, quæ Legis præcipua sunt, videlicet amorem erga Deum & proximum. Hoc est quod dicit: *Me etenim de die in diem quærunt*, &c. Et perinde quasi Legem servaverint, petunt à me veluti debitum factis præmium, ac tantum non expostulant cum Deo tanquam parum memori. Sequitur enim, *Rogant me judicia justitiæ, & appropinquare Deo volunt.* Juxta Septuaginta, *Petunt à me judicium justum.*

Quare

Digitized by Google

Quare jejunavimus & non adſpexiſti, humiliavimus animas noſtras & neſciſti? Audis Judæos hypocritas ſua jactantes opera: quibus reſpondet Deus: *Ecce in die jejunii veſtri, invenitur voluntas veſtra*, aliaque multa, quæ teſtantur illorum opera ſpeciem habuiſſe pietatis, cum revera eſſent impia. Talibus teſtimoniis *Lutherus* dogma paradoxotaton evincit, *Hercules* cum muſcis depugnans. Fatetur in cauſis, quarum ratio reddi poteſt, non admiſcendam voluntatem illam majeſtatis, ſic enim nunc vocat Deum non prædicatum, verbis novis laſciviens. Quid ego audio, non poteſt reddi cauſa quare pereant impii, pii ſerventur? Imo toties cauſam reddunt ſacræ Litteræ, exprobrantes illis incredulitatem & inobedientiam. Apud *Eſaiam* ſic loquitur: *Quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Nonne vult etiam noſtro judicio videri juſtus, ſic damnans rebelles? Item in Euangelio cum ait, *Venite benedicti*, & cætera, *qui eſurientem paviſtis, nudum veſtiſtis*, &c. nonne cauſam exprimit, quare dignetur illos æterna vita? Similiter & iis, qui ad ſiniſtram, reddit rationem quare jubeantur ire in ignem æternum. Item cum Dominus deplorat interitum populi Judaici, an tacet cauſam cum ait, *Quia noluiſtis.* Eſaiæ LXV. commemorans diverſa præmia piorum & impiorum, num tacet cauſam? *Et vos*, inquit, *qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montem ſanctum meum, qui ponitis fortunæ menſam & libatis ſuper eam, numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocavi & non reſpondiſtis, loquutus ſum & non audiſtis & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegiſtis.* Audis hîc, *Luthere*, verbum electionis, quod ex diametro pugnat cum neceſſitate, audis ſpretam ad meliora vocantis Dei gratiam. Hujuſmodi teſtimoniis ſcatent undique ſacri Libri. Quod ſi *Lutherus* velit ſerio deſcribere, ubi ſit adhibenda voluntas arcana, ubi adoranda, ſic expedite fecerit, ſi dicat adhibendam quoties ipſe hæret in argumentis.

119. In proximo Capite nihil adfert novi, tantum recinit ea quæ toties refutavimus, niſi quod docet nos, nihil obſtare, quo minus mera neceſſitas cohæreat cum conjunctione *ſi*, & cum verbis ſubjunctivis. Audi lector grave documentum: *Nonne*, inquit, *qui dicit: Alia carmina ſcribas oportet, mi* Mævi, *ſi velis æquare* Virgilium, & cætera. Quis neſciebat in quavis oratione locum eſſe ironiæ? *Nunc expertus ſum fidem tuam*, dicitur ei, cujus perfidia nobis comperta eſt, nec tamen ſunt hîc verba ſubjunctiva aut imperativa. Quid tum poſtea? Si ſic huic aut illi liceat vel irriſionis, vel joci, vel fallendi gratia loqui, num ideo per univerſam Legem omnia verba ſubjunctiva, imperativa & optativa ſunt interpretanda? Quanquam nec hoc exemplum quadrat ad id quod probare conatur. Neque enim ſimpliciter erat impoſſibile *Mævio* ſcribere carmina qualia ſcribebat *Virgilius*, *Lutherus* docet, quicquid præcipit Deus eſſe nobis ſimpliciter impoſſibile. Nec illud pro *Luthero* facit, quod adfert de *David: Si cum* Davide *comparari voles, ſimiles Pſalmos edas neceſſe eſt.* An prorſus fieri nequit, ut aliquis ſcribat tales Pſalmos, quales ſcripſit *David?* Poteſt fieri, ſed non humanis viribus. Nec id nos affirmamus. Sed *David* cum illa ſcriberet, utrum ſic erat afflatus, ut ipſe nihil ageret, ſed ita Deus per illum Pſalmos edebat quemadmodum potuiſſet per arborem aut aſinam, an illius mens & voluntas aliquid agebat cum afflante Spiritu? Si *Lutherus* negat aliquid egiſſe, nos contra dicemus illum & egiſſe quiddam naturæ viribus, & hac actione Dei favorem promeruiſſe. Si nobiſcum ſentit, diſſentit à *Carolſtadio* atque à ſeipſo potius, niſi forte lutum agit aliquid in manu figuli.

120. Sed in quas non rerum formas ſe transformat hic *Proteus*, quo poſſit elabi? Vide quam rimam commentus eſt: *Quanquam*, inquit, *his verbis indicatur liberum arbitrium nihil omnino poſſe, tamen ſimul indicatur omnia futura quæ præcipiuntur.* Quomodo? *Deus dabit homini voluntatem ſervandi præcepta, ita fiet ut præcepta viciſſim ſervent hominem.* Sed quid ſentit cum ait, *dabit voluntatem?* Dabit voluntatem ſuam, & illa Dei voluntas aget in homine ipſius voluntate nihil agente? Abſurdum. Sed gratia movebit hominis voluntatem ad ſervandum præcepta, eademque ſemper aderit, ut perficiat. Ergo voluntas hominis acta aget. At *Lutherus* negat eſſe ullam hominis voluntatem in benefactis aut malefactis, ſemel inducta neceſſitate rerum omnium abſoluta. Voluntas enim non eſt, quæ libera non eſt. Sed fatetur tamen hæc verba, *ſi volueris, ſi ſervaveris, ſervaberis*, abſurda, frigidaque eſſe, ſi nullo pacto fieret quod dicitur. Nunc indicant Dei prædeſtinationem nobis incognitam. Quî ſic? *Videntur hoc velle dicere, Si talis apud Deum fueris, ut hac voluntate te dignetur, ſervandi præcepta, ſervaberis. Quo tropo intelligi datur utrumque, ſcilicet & nos nihil poſſe, & ſi quid facimus, Deum in nobis operari. Ita ſimul verum fieret ut nihil poſſimus eorum quæ præcipiuntur, & ſimul omnia poſſimus: illud noſtris viribus, hoc gratia Dei tribuendum.* Hæc *Lutherus*. Si ſentit nos nihil poſſe ſine gratia quod per ſe efficax ſit ad ſalutem, non reclamo, patiarque hoc tribui viribus humanis, ſed quomodo nos omnia poſſumus Deo in nobis operante, ſi noſtra voluntas nihil agit? Ducem regiis copiis adjutum dicimus aliquid poſſe. Cæterum nemo dicit ſecurim poſſe exſtruere domum, aut cubiculum poſſe ſcribere carmina, in quo Poeta ſcribit. Hoc adverſus *Carolſtadii* ſententiam. Proinde hac ratione non vitatur frigus illud verborum, *Si volueris, ſi feceris.* An non poterat hoc dicere, Deum alios prædeſtinaſſe, alios non, niſi Legis omnia verba huc torqueantur? Deinde nonne frigidus eſſet, qui totos dies ſecuri diceret, ſeca trabem hanc hoc modo, illam illo, ſimiliaque præſcriberet dolabris, terebris, & circinis, nihil aliud ſignificans quam ſe ſtatuiſſe per ea inſtrumenta facere, quæ præciperet? Verùm hæc *Lutherus* tam frigide refert, ut nec ipſi commentum videatur admodum arriſiſſe. *Sic illis*, inquit, *dicerem, qui non contenti vellent eſſe*, & cætera.

121. Adductis aliquot locis ex Novo Teſtamento, in quibus fit mentio mercedis, ſic colligit Diatriba: *Ubi toties eſt mentio bonorum & malorum operum, ubi mentio mercedis, ibi non intelligo quo pacto locus ſit neceſſitati. Neque natura neque neceſſitas habet meritum.* Hic *Lutherus* objicit mihi opinionem probabilem, videlicet *Auguſtini*, cum ego plures propoſuerim. Deinde dum nondum definio, ſed tantum pugno cum hoſte, ſatis eſt excluſiſſe meram neceſſitatem. Et ſi tantum tuerer hîc probabilem opinionem, falſum eſt, quod toties ingerit *Lutherus. Sic enim*, inquit, *Diatriba locum hunc intelligit, ut Chriſtus & Spiritus Dei nihil ſint.* Imo voluntas nihil efficit, quod ad ſalutem pertinet, abſque Spiritu, ſed agit cum Spiritu, & agendo ſimul meretur. Hoc ſane dignius eſt Spiritu Sancto, ſi dicimus illum ſic temperare vim & actionem ſuam, ut hominis voluntas ſimul operetur cum agente gratia, quam ſi dicamus Spiritum ſic agere in nobis, quemadmodum in Bove aut in Aſino. Verùm *Lutherus* ut unam Diatribes ſequelam irrideat, tot ipſe ſequelas abſurdiſſimas nectit: *Liberum arbitrium eſt, ergo Spiritus non eſt. Liberum arbitrium poteſt, ergo ſine gratia poteſt omnia. Voluntas hominis agit, ergo ſine Spiritus præſidio agit totum. Non eſt mera neceſſitas, ergo eſt plena libertas.* Nil medium eſt apud hyperbolum noſtrum. Et admiratur ſi cum noſtra voluntas agat cum principaliter agente gratia, dicimus hominem aliquid mereri.

122. At tandem deſinit nugari *Lutherus*, doctorem agit. Definit arbitratu ſuo quid ſit Lex, quid Euangelium, quid meritum, quid merces, quid promiſſio, quid exhortatio, ſed ita commode, ut omnia pulchre quadrent ad victoriam. Quidni vincat *Lutherus*, ſi juris hoc illi concedamus? Atqui hoc eſt nomotheten agere, non diſputatorem. Sed audiamus definitorem: *Euangelium*

Digitized by Google

conſtat promiſſis & exhortationibus, Lex præceptis ac minis. Hanc diſputationem docendi gratia ita recipiemus, ſi fateatur in utroque Teſtamento ineſſe utrumque, & alteram rem alteri connexam eſſe. Gratiam gratis nihilque promeritis per Euangelium offerri fatemur, ſi ſentiat de meritis præcedentibus, juxta opinionem *Auguſtini*; Sin ſentiat nihil operum exigi à nobis ad conſequendam æternam ſalutem, reclamamus. Cæterum quod exhortationes definit nihil aliud eſſe, *quam ut his Deus jam juſtificatos ac miſericordiam conſequutos excitet, ut ſtrenui ſint in fructibus donata juſtitia & Spiritus, caritatemque exerceant bonis operibus*, &c. non ſatis intelligo. Primùm videmus in ſacris Litteris multas exhortationes atque etiam obſecrationes ad rebelles. Deinde quomodo jubentur eſſe ſtrenui, qui nihil agunt, ſed tantum patiuntur agentem gratiam? Poſtremo quomodo fit mentio bonorum operum, cum voluntas hominis nihil operetur juxta *Lutherum* neque boni neque mali? Aut quo ſenſu tropove ſeſe exercere dicuntur, qui tantum patiuntur agentem Spiritum? Atque hîc rurſus objurgatur miſera Diatriba, quæ nullum norit diſcrimen inter Legem & Euangelium, inter Vetus & Novum Teſtamentum. Quid ſigni? Quia nihil fere niſi præcepta videt, quibus formentur homines ad bonos mores. Quæ vero ſit renaſcentia, innovatio, & regeneratio, & totum negotium Spiritus, prorſus nihil videt, adeo ut vehementer ſtupeat, hominem tam diu in ſacris Litteris verſatum, nihil omnino in illis ſapere. Hos verborum fumos offundit oculis ſimplicium, mortificatio, renaſcentia, negotium Spiritus. Quid ad hæc reſpondebimus? niſi *Lutherum* glorioſiſſime mentiri, cum tot locis in Lucubrationibus meis doceam ea, de quibus jactat me nihil omnino ſcire, niſi quod aliter *Lutherus* mortificat ac regenerat, quam ſolent Orthodoxi. Manifeſtam habet vanitatem & illud, *Diatribam nihil videre niſi præcepta*, cum toties mentionem faciat promiſſionum, invitationum & blanditiarum. Sed ex his colligo requiri officium voluntatis humanæ. Quidni id faciam? cum efficacius id colligatur ex his quam ex nudis præceptis. Minus enim inepte faciat Princeps, ſi populum irriſurus, tantum ferat leges minaces, quarum nulla ſervari poſſit, quam ſi addat exhortationes, obſecrationes, blanditias & pollicitationes. Ubi tandem igitur eſt iſta confuſio Legis & Euangelii? Nuſquam niſi in ſomnio *Lutheri*. At ex voce mercedis colligo meritum aliquod hominis. O rem prodigioſam! Verùm ipſe *Lutherus* nos docuit Scripturam eſſe claram, & accipiendam ſine tropis, juxta ſenſum communem, quemadmodum interpretatus eſt illud, *Præceptum non eſt ſupra te, nec infra, nec procul.* At quis eſt qui ſi quem audiat dicentem, *Dabitur tibi merces ampliſſima*, non ſtatim intelligat ab eo, cui fit promiſſio, requiri nonnihil officii? omnes fatebuntur. Sed *Lutherus* fortiter negabit. *Hîc locus*, inquit, merces veſtra copioſa eſt in cœlis, *promiſſionis & conſolationis verba habet, non præcepti.* Quid, an ego negavi eſſe conſolationis? Minime, ſed ex voce *mercedis* arguo nonnullam operam noſtræ voluntatis, quam *Lutherus* vult prorſus otioſam eſſe. *Gaudete & exſultate* verba ſunt conſolationis, ſed annexum eſt præceptum tollendi crucem, quod alias proponit. Si merces non eſt ſine opera, ſicut nec pater ſine filio, nec conductor abſque locatore, nec emtor abſque venditore; ſi conſolatio & exhortatio confirmat eos qui laborant in obſervando præcepto, quid ſibi vult quod ait *Lutherus*, nihilo magis hæc verba congruere libero arbitrio, quam lucem tenebris, niſi quod nuſquam non loquitur hyperbolas? At multo minus intelligo quid ſibi velit hujus Capitis clauſula, *Nos diſputamus de libero arbitrio ſine gratia potiſſimum.* At ego pugno adverſus *Lutheri* dogma, quod negat quicquam eſſe liberum arbitrium in rerum natura, ſed nomen inane: nam probabilis opinio ſemper conjungit liberum arbitrium cum gratia.

123. Didicimus quid ſit merces, verbum exhortationis, quæ non magis conveniat merito, quam tenebræ luci. Nunc definit meritum. Senſus communis definiret meritum, *officium præſtitum, cui debetur gratia mutua.* Sed auctore *Luthero* quid eſt? *Meritum eſt merces propoſita, nec aliud quicquam quam promiſſio quædam.* Euge negat eſſe liberum arbitrium, qui quicquid libet ut libet tanta libertate definit? Ita depoſitum erit, promiſſio rei reſtituendæ, quam nemo ſervandam tradidit. Et mutuum erit pollicitatio reddendæ pecuniæ, quam nemo credidit, ſubitoque mutabuntur etiam perſonæ, ut quod erat hujus fiat illius, velut hîc meritum hominis, facit eſſe promiſſionem Dei. Qui promittit hoc aut illud facienti mercedem, non declarat quid ille poſſit aut non poſſit, tantum oſtendit quid acceptu-rus ſit ſi fecerit: *Ridicula*, inquit, *conſequentia, omnibus in ſtadio proponitur brabium, ergo omnes poſſunt currere & obtinere?* Imo ridiculus fuerit agonothetes, ſi claudum hortetur ut in ſtadio currat, acceptu-rus brabium ſi primus metam attigerit. Hîc idem eſt exigens, hortans & conſolans. Idem qui jubet tolli crucem, quique *Petro* dicit, *ſequere me:* Idem qui exhortatur, idem qui conſolatur promiſſo præmio. Quoniam autem hæc inter ſe connexa ſunt, & aliud ex alio pendet, ex omnibus recte colligitur aliquid in nobis ſitum ut præſtemus, ut totum noſtris viribus peragamus nihil opus, quandoquidem is qui præcipit, hortatur & promittit, idem addit certanti vires. Proinde nullum hîc habent locum ſophiſticæ tricæ, *Conditionale proloquium nihil affirmare.* Sed his tam craſſis valere juſſis explicat nodum quomodo cum abſoluta neceſſitate, cumque natura cohæreat mercedis vocabulum. Cum neceſſitate coactionis non cohæret præmium. Quis enim invito dat mercedem, ſed cum neceſſitate immutabilitatis pulchre convenit. Non excutiam hîc quantum interſit inter eum qui facit invitus, & illum qui coactus eſt ut velit, cum ex ſe nollet. Nam gratia nolentem & averſum reperit, *Lutherus* aſſumit duo quæ negant Orthodoxi. Primum, quod affirmat hominem gratia præditum non poſſe ſe ſuis viribus à gratia avertere, cum tot Scripturæ locis declaretur diverſum, *Manete in dilectione mea.* Et, *qui ſtat videat ne cadat, Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Stanti dicitur, vide ne cadas: potius dicendum erat, confide non potes cadere, ni ie ſubducat gratia, quam retinere aut amittere non eſt in tua poteſtate. Alterum eſt, quod nos ex divinis Litteris, & ex Eccleſiæ priſca traditione credimus, hominis voluntatem agere ſuis viribus cum agente gratia, quæ ſi nihil agat, cur ille dicitur volens operari, cum nihil operetur, ſed tantum patiatur Spiritum in ipſo operantem? nam & velle bonum, actio quædam eſt. Quod ſi Spiritus & vult in nobis, & operatur in nobis ſine nobis, cur dicimur agere bonum opus? *Naturaliter*, inquit, *ſequitur ſi in aquam mergaris, ſuffocaberis: ſi enataveris, ſalvus eris.* Diſſimile exemplum eſt, in quo conditio tantùm eventum exprimit, in noſtris conditio præceptum habet adjunctum. Nemo dicit, præcipita te in aquam, ſi feceris peribis. At Dominus dicit, Crede & baptizare, id ſi feceris, ſalvus eris. Tolle crucem tuam, id ſi feceris, exſpecta magnam in cœlis mercedem. Hinc autem meritum eſt hominis, quod pulſanti gratiæ ſe præbuerit, rurſus quod operanti gratiæ ſuas viriculas accommodet, nec ab ea ſemet avertat, cum hoc generaliter ſit in ipſius poteſtate. Quanquam non inficior Deum poſſe ob peculiares cauſas hanc poteſtatem eripere.

En alia diſtinctio: *Si dignitatem*, inquit, *ſpectas, nullum eſt meritum: ſi ſequelam, meritum ingens eſt & præmium.* Cui debitum? divinæ gratiæ, quæ ſola dedit bonam voluntatem & perficit bonum opus. Hîc rurſum *Lutherum* ſecum pugnat, dum tribuit homini velle bonum, cum eundem fateatur nihil prorſus agere. Sed teſtatur ſe loqui de libero arbitrio ſecluſa gratia, & utriuſque propriam vim inquirere. Dicetur paucis, juxta dogma *Lutheri*, nihil omnino poteſt, 124.

nec

nec in bonum nec in malum, cum nihil ſit niſi nomen inane. Secundum opinionem quorundam, nondum ab Eccleſia rejectam, poteſt per opera moraliter bona eo proficere, ut Deus non ſit negaturus auxiliatricem gratiam: juxta opinionem eorum qui plus tribuunt gratiæ, poteſt ſemet avertere à pulſante gratia, poteſt ſuas vires quantulaſcunque adjungere cooperanti gratiæ. Proinde non ſibi diſſidet Diatribe, quod toties falſo impingit, ſed *Lutherum* ſibi non conſtat, oblitus ſui dogmatis, quod ex Diatriba recitavi, ne vel alius poſſet inficiari, vel ipſe poſſet obliviſci. Ad hunc ſcopum oportebat omnia ſua jacula dirigere. Mihi liberum eſt, dum argumentor, unam quampiam ex his opinionibus, quas non rejeceram, arripere. Id *Luthero* non eſt integrum, niſi malit eam, quam ſic aſſeveravit, *παλινῳδεῖν*. Quam vero totus hic ſermo ſibi diſſidet: *Si ſequelam*, inquit, *ſpectas, nihil eſt ſive bonum ſive malum, quod non ſuam mercedem habeat.* Hanc mercedem quis fert? Homo. Pro bono opere? Pro bono opere. At opus bonum non eſt hominis, ſed ſolius Dei. Proinde merces Dei dici poteſt, hominis nequaquam. Tantundem dicendum de malo opere juxta *Lutheri* doctrinam, *Si peccaveris, ibis in gehennam.* Sed homo non operatur malum opus, ſed Deus in illo. Hominis tamen merces eſt gehenna. Nonne merito ſtupidi vocamur, qui his paradoxis non applaudimus? Cur autem *Lutherus* horret tantopere nomen dignitatis, quod toties occurrit in ſacris Litteris. De invitatis excuſatoribus dicitur, *non erant digni.* Quare non erant digni? Quia pulſanti gratiæ ſubducebant ſeſe. Quod ſi dignitatis nomen videtur adverſari gloriæ gratiæ, cum tot ſcateat diſtinctionibus, debebat & hîc diſtinguere dignitatem congruentiæ, à dignitate æqualitatis. Mihi, quod cum aliorum pace, ac ſine mea fraude dictum velim, videtur & ante gratiam eſſe dignitas & indignitas quædam ad gratiam accipiendam. Jubentur Apoſtoli vicum aut oppidum ingreſſi, quærere qui eſſent ibi digni, & apud illos diverſari. At dignitatem hanc aliquis referet ad prædeſtinationem Dei. Hanc Apoſtoli non poterant ex hominibus diſcere, quam ſi cognoviſſent ex revelatione, non erat opus quærere. Quid igitur quærebant? Quinam eſſent illic boni rumoris, quod innocenter viverent, neminem læderent, pauperes reficerent. Hos intelligebant eſſe dignos, quibus offerretur communis Euangelii gratia, hanc judicabant materiam gratiæ capacem, hanc bonam terram, in quam jactum ſemen adferret fructum copioſum. Nec impii ſimpliciter nolunt damnari ſe, cum ſciant ſe damnandos ſi perſeverent, & perſeverant volentes, interpretativa, ut ita loquar, voluntate volunt damnari. At ſervi ſunt peccati, nec poſſunt non peccare. Fateor abſque gratia, ſed juxta quoſdam poſſunt ambire gratiam & ambitam accipere, juxta alios poſſunt ſeſe præbere pulſanti gratiæ, quæ nullis deeſt. Cæterum quod ait pios manere vitam, ſive quærant ſive non quærant, etiamſi verum eſſet, tamen erat aut retiçendum, ob animos ad malitiam proclives, aut erat aliter dicendum: nunc cum ſit ſermo falſus, tanto magis eſt exſecrandus: pugnat enim cum Euangelio dicente, *petite, quarite, pulſate, vigilate.*

125. Cæterum an verum ſit eos damnatum iri, qui ob regni cœleſtis præmium colunt Deum, quoniam ad hanc quæſtionem nihil attinet, non excutiam. Illud indicabo, hæc *Lutheri* verba, *filii autem Dei gratuita voluntate faciunt bonum*, parum quadrant cum illorum paradoxis qui docent, hominis voluntatem nihil agere, nec eſſe ullum opus hominis bonum. Cujus eſt opus, niſi facientis? Si Deus ſolus operatur, non eſt hominis, ſi homo facit opera bona, cur non hujus dicuntur opera, quemadmodum revera dicuntur, & ſunt aliqua ex parte. Quid autem colligit ex hoc loco, *Venite benedicti Patris mei. Venite* verbum eſt conſolationis. Fateor, ſed ea quæ ſubnectuntur, quia feciſtis hæc & hæc, ſunt verba meriti. Regnum fuit illis paratum ab æterno, ſed iiſdem præfinitum erat, ut talia facerent. Jam vero docuimus, imo docuit Eccleſia, nec præſcientiam, nec decretum æternum Dei, neceſſitatem inducere humanæ voluntati, qua de re dicetur & inferius ſuo loco nonnihil. Quærit, quomodo quis meretur id, quod jam ipſi paratum eſt antequam naſcatur. Dicam, quia qui nondum natus eſt, jam fecit digna regno cœlorum ei, cui pariter præſentia ſunt omnia. Poterat mutare voluntatem? Poterat ſaltem in malum. Id ſi accidiſſet, falſa fuiſſet Dei præſcientia, voluntas impedita. Sciebat, non mutaturum, & ſi mutaſſet, jam hoc præſcitum erat ac deſtinatum à Deo. Tandem ſicut ante ex perſona merentis fecit perſonam promittentis, ita & hîc invertit Scripturæ verba, quo magis quadrent paradoxo dogmati: *Ut rectius*, inquit, *dicere poſſimus, regnum Dei potius meretur nos ſuos poſſeſſores, & meritum illic collocemus ubi iſti præmium. Regnum enim non paratur, ſed parat: filii vero regni parantur, non parant regnum: hoc eſt, regnum meretur filios, non filii regnum. Sic & infernus ſuos potius filios meretur & parat, cum* Chriſtus *dicat*, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Hæc *Lutherus*. Quis unquam audivit talia verborum portenta? Corrigit divinæ Scripturæ linguam, & involvit ſenſum ambiguitate verbi. Si parare eſt decernere, quemadmodum Legislator vult eſſe paratum præmium defenſori patriæ, pœnam proditori: an hîc abſurde dicetur ſibi vir fortis paraſſe præmium, quia paratum fuerat à Lege cunctis fortiter agentibus? Verùm illic paratum eſt, quod decretum ac deſtinatum eſt, hîc paratur quod virtute acquiritur. Deus paravit ab æterno juſtis præmia, & eadem homines ſibi parant ſervandis Dei præceptis ejuſdem opitulante gratia. Rurſus Deus homines ad ſervanda præcepta parat ſua gratia, & homines ſeipſos parant exercitiis ad pietatem conducentibus. Jam & infernus meretur impios, at ante dixerat Deum etiam mala in nobis operari, ut periculum ſit, ne vel Deus mereatur gehennam, vel gehenna Deum. Sic tractat ſacram Scripturam, qui nobis objicit quod Scripturam irridemus.

Eadem opera dicet, regnum Dei non quæri, ſed quærere. Atque illud ex Euangelio, *Primùm quarite regnum Dei*, ſic nobis interpretabitur, Nolite quærere vos, fruſtra quæſituri, ſed regnum Dei vos quæret, vos inveniet, velitis nolitis. Res enim meræ neceſſitatis eſt, non noſtri ſtudii. Item illud Pauli, *Patientia boni operis, quærentibus vitam æternam*, ad hunc explicabit modum, non iis qui ipſi perſeverarunt in bono opere, cum nihil operentur, ſed quos ipſa vita æterna quæret, etiamſi ne cogitaverint quidem de quærendo. Non ſolum enim *Lutherus* docet eos nihil agere, qui quærunt vitam æternam piis operibus, verum etiam indignos ea reddi ſi quærant. Verba *Lutheri* ſunt hæc: *Quærunt autem æternam vitam, id eſt, ſunt in ea via, qua pervenient & invenient vitam æternam, ut quærere ſit ſtudio niti, & inſtanti opera eo conari, quod ſequi ſolet ad bonam vitam.* Omitto ferream interpretationem hominis, quam non ſolum perpetuo reſpuit Eccleſia, ſed etiam ſenſus hominis communis. Verùm hîc interim appello *Lutherum*, ſi meminit ſui dogmatis, quomodo dicitur ſtudio & inſtanti opera conari, qui nihil prorſus agit, ſed tantum patitur ab agente gratia? An ſecuris & lutum dicitur conari, nitive? Et qui ſtudio inſtanti nititur ad aliquid, an is abſurde dicitur quærere? Addit verba conſolationis & exhortationis in hoc adhibita ne defatigentur in laboribus. Quomodo defatigabuntur qui nihil agunt? An periculum eſt ne Spiritus in illis agens delaſſetur?

Reliquam battologiam prætermitto, ut pergam. 127. Non movetur inter nos quæſtio, cur Deus velit docere impios præceptis, terrere minis, pios conſolari promiſſis & exhortationibus, cum hæc omnia poſſit abſque verbo: ſed cur Deus præcipere voluerit, quæ ſcit à nobis præſtari non poſſe, etiamſi acceſſerit auxilium

Digitized by Google

gratiæ. Cur ad impoſſibilia tot minas, promiſſa, blanditias, exhortationes adhibeat. *Poſſet*, inquit, *nos alere abſque pane, at non voluit.* Audio, ſed homini dedit poteſtatem edendi panem. Verùm ſi porrecto lapide diceret, *comede ut ſatieris*, tantum ut homini commonſtraret quod non poſſit edere, conveniret exemplum. Hîc rurſum illi in quæſtione hærenti ſuccurrit ado-
128. randa tantum Dei voluntas. Quæ proximo Capite κοκκύζει, Diatriben pugnare ſecum, quæ probet liberum arbitrium omnia poſſe ſine Spiritus auxilio, jam toties declaravimus eſſe manifeſtæ vanitatis. Certe hoc
129. loco mea verba ſic habent: *Hæc aut frigida videntur aut ſupervacanea, ſi cuncta referantur ad neceſſitatem.* Ea ſic depravavit noſter hyperbolus: quid enim illum pudet? *Fruſtranea, ſupervacanea, frigida, ridicula, nihil eſſe quæ dicuntur, niſi libera ſit voluntas.* Argumentum de fructibus, quos interpretatur opera hominum, nova ſecuri diſſecat *Lutherus: Noſtra*, inquit, *rectiſſime dicuntur, quæ non quidem facimus nos, ſed ab aliis accepimus. Cur igitur opera non dicerentur noſtra, quæ nobis per Spiritum donavit Deus? Chriſtum noſtrum dicimus, quem tamen non fecimus, oculos noſtros dicimus, pedes noſtros dicimus, quos tamen ipſi non fecimus.* Hæc ille. Non negamus opera bona, magis eſſe Dei quam noſtra, pieque adſcribi gratiæ, quod ſine illa non eſſent noſtra. Verùm *Lutherus* ineptit, cum opera ſic vult dici noſtra, quemadmodum pedes noſtri ſunt, quos ſine nobis donavit nobis Deus, aut pecunia noſtra eſt, quam aliquis nihil promeritis dono dedit. Domus mea eſt, quam mihi dedit amicus. At nemo dicit domum opus meum: aut nummum opus meum: aut picturam dono datam opus meum. Neque quiſquam veſtem dono datam appellat mercedem: præmium, brabium, quibus vocibus utuntur ſacræ Litteræ. Cur igitur eadem facta dicuntur dona Dei, & opera noſtra? Quia præcipuas partes hic obit gratia Spiritus, nonnihil adlaboravit noſtra voluntas. Id perpuſillum eſt, ſed Deus boni conſulit, quamvis exiguum, ultra quod præſtare nihil queas, & tamen hoc tantum habet momenti, ut niſi accedat, inanis ſit in te futura Dei gratia. Ita *Paulus*, qui gratiæ non defuit, *& gratia*, inquit, *Dei in me vacua non fuit.*

130. Ex eo quod *Chriſtus* in cruce dixit, *Pater ignoſce illis, neſciunt quid faciunt*, violentus argumentator colligit imo extorquet diverſum ei quod probare nitor. *Si neſciunt*, inquit, *ergo nulla eſt liberi arbitrii vis, ut non ſolum non queant præſtare quod pium eſt, ſed ne noſſe quidem.* At *Lutherus* nos docuit, per Legem eſſe cognitionem peccati. Certe Legem noverant plurimi ex his qui Dominum adegerant in crucem. Si *Pilatus* ſciebat eſſe innoxium, quomodo latebat hoc Phariſæos, Scribas, & *Annam*, *Caiphamque*? Sciebant igitur & neſciebant: Juſtum eſſe ſciebant, Deum & hominem eſſe neſciebant: arcanum illud Dei conſilium, quo decreverat redimere genus humanum, ignorabant, teſte *Paulo* 1. *Cor.* II. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Et hic eſt ſermo caritatis, quæ venatur etiam ignoſcendi cauſas. Qualis eſt *Petri* Act. III. *Et nunc ſcio fratres quod per ignorantiam feciſtis ſicut & principes veſtri. Lutherus*, qui pro mercede interpretatur eventum non exſpectatum, pro merito promiſſionem, non ſinit nos interpretari de ignorantia non malitioſa ſed mixta cum infirmitate, cui ſumma caritas vult ignoſci. Sed demus ex hujuſmodi locis maxime probari ſomnium eſſe liberum arbitrium, mera neceſſitate geri omnia, quî cohæret quod ſequitur, *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Hæc *Lutherus* ita interpretabitur, *pœnitemini*, id eſt, Deus aget pœnitentiam, *& convertimini*, id eſt, Deus convertetur ad vos, *ut deleantur peccata*, id eſt, hoc velitis nolitis ſequetur, ut deleantur peccata, quæ vos non feciſtis, ſed Deus operatus eſt in vobis. Sed redeo ad verba, *Ignoſce illis.* Quis orat ignoſci illis, qui nihil prorſus agunt nec in bonum nec in malum? Nemo petit veniam ſecuri, ſi pro trabe vulneravit tibiam ſecantis: nemo petit veniam infanti, ſi foria contaminavit puerperam. Qui dicit *ignoſce*, fatetur eſſe peccatum: qui peccatum elevat ignorantiæ prætextu, aut in exemplum immenſæ miſericordiæ excuſat quæ non ſunt excuſanda, aut ſentit ignorantiam culpandam quidem, ſed tamen ob errorem admixtum, ignoſcendum ſi reſipiſcant. Sic *Petrus* prius commemorat & exaggerat facinoris immanitatem, *Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfeciſtis.* Hoc eſt vinum infuſum vulneri ſanando, mox infundit oleum, *Scio quod per ignorantiam feciſtis, Pœnitemini & convertimini.* Demiror hominem tot diſtinctionibus extemporariis abundantem non diſtinxiſſe hîc vocem caritatis à voce ſeveritatis. Altera dicit, *neſciunt quid faciunt*, Altera, noluerunt intelligere ut bene agerent. *Et qui prædicas non mœchandum mœcharis?* Et, *ſervus ſciens voluntatem Domini nec faciens, plagis vapulabit multis.* Ac vehemens orator aſſeverat nullum adferri poſſe locum, qui magis totum demoliatur liberum arbitrium, quam hunc quem adduxi pro libero arbitrio. *Neſciunt*, interpretatur, ſcire non poſſunt, multo minus facere, urgens interim propoſitiones hyperbolicas, *liberum arbitrium, aut ex ſe poſſe totum, aut omnino nihil poſſe. Si voluntas hominis eſt aliquo modo libera, Spiritus nihil eſt, ſi Spiritus eſt, nihil eſt hominis voluntas:* & *ſequela pugnat cum probabili opinione.* Et poſt hujuſmodi nænias triumphat: *Verùm ſic*, inquit, *audire & tractare divina verba arguit animum, qui ſit inſignis contemtor Dei & hominum, qui prorſus nullam mereatur patientiam.* Nec interim illius refert, quod hæc convitia recidunt non in me tantum, ſed in univerſos Eccleſiæ Doctores, qui omnes ſunt inſignes contemtores Dei & hominum, *Lutherus* inſignis cultor Dei & doctor hominum. *Lutherus* dicit hominem nihil agere nec in bonis nec in malis, niſi quemadmodum agit ſecuris in manu fabri: at qui petit ignoſci fatetur peccatum, & qui peccat, aliquid agit, aliquid commeruit mali, quod deprecatur interceſſor. Et tamen *Lutherus* aſſeverat hunc locum nihilo magis facere adverſus ipſius dogma, quam ſi citaſſem, *Deus requievit die ſeptimo ab operibus ſuis.* Ex quo ſane loco probabilius ſtatueretur liberum arbitrium, quam *Lutherus* ex verbis imperandi colligit hominem nihil poſſe.

Proximo Capite mirus iterum κοκκυσμὸς eſt, quem re- 131.
ferre tædet. De re paucula dicentur. Demiratur hebetudinem Diatribes, quæ locum citet ex Joanne: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, &c. cum nullum ſit ſulmen efficacius ad elidendum liberum arbitrium. Dic argumentum. Quid opus eſt, nonne audis, *fieri*? de opere nulla mentio. *Homo fit filius Dei, non ſe facit.* Ita-ne cum dicitur puero, cui proviſum eſt de libris, præceptore & viatico, *ecce data eſt tibi poteſtas ut fias vir doctus*, intelligimus eum ſubito transformandum in hominem doctum, nullo ſtudio? O mirum verbum *fieri*, ô nos cæcos, qui hæc tam perſpicua non viderimus! Sequitur autem, *iis qui credunt in nomen ipſius.* Quæro an credere ſit aliquod opus, ſi eſt, utique fit operis mentio. Porro cum fides ſit fons bonorum operum, qui fontem nominat ſatis indicat cætera. Sed fides, inquiet, eſt gratuitum Dei donum. Ubi igitur locus libero arbitrio? Adeo locus eſt ut per liberum arbitrium homo pulſantem fidei gratiam poſſit excludere, poſſit amplecti, niſi quid obſtet aliud, & acceptam poſſit amittere. Hoc inficiatus *Lutherus* confugiet ad arcanam illam voluntatem Dei. Audi, lector, Diatribes ſequelam, hoc loco ſic colligit: *Quomodo datur poteſtas ut filii Dei fiant, ſi noſtræ voluntatis nulla eſt libertas?* Audi nunc *Lutheri* depravationes: *Diatribe inſtat, liberum arbitrium omnia poſſe, parata pronuntiare frigidum & ridiculum eſſe verbum* Joannis. Et poſt, *Tanta eſt Diatribes hebetudo, ut nihil prorſus inter promiſſionis & legis verba diſcernat.* Hoc ita probat, quia tam ex præceptis, quam ex promiſſis colligo argumenta conſtituendi liberi arbitrii. Hæc ille. An hoc eſt nihil diſcernere, ex utroque colligere

Digitized by Google

ligere argumentum? Ubi voco præceptum promiſſum, & contra? Et ſi promiſſa cohærent præceptis, cur ex promiſſis abſurde colligitur ideam quod ex præceptis? Nec meminit hîc argumentari me, nondum definire. Nec reputat hæc convitia, quæ deblaterat in Diatribam, recidere in probatiſſimos Eccleſiæ Doctores, qui ex iiſdem locis eodem modo ratiocinantur. Ut affatim hic helluo ſemet explevit ingurgitavitque convitiis. Poſt hæc ſubito fit Deus & judicat de animo meo: *Sed facile*, inquit, *toleratur hæc abſurditas, ſi conſideretur, quam aliena animo & contemtore Diatribe diſputet, ad quam nihil attinet, gratia ſtet vel cadat, jaceat vel ſedeat, tantum ut inanibus verbis in odium cauſæ ſerviatur tyranni.* Hæc ideo retuli, quo lector oculis perſpiciat, qui ſpiritus agat *Lutherum*, tam impudens in mentiendo, tam impius in judicanda aliena conſcientia, tam credulus quorumlibet delationibus, tam contumelioſus in Eccleſiæ Doctores & Orbis Monarchas. Fateor, impulſu Principum ſcripſi de libero arbitrio, ſed in nullius gratiam prodidi cauſam fidei. Poſſem pro falſis convitiis vera regerere, ſed malo conſiderare quid lectori gratius, quid me dignius ſit, quam quid mereatur effrenis *Lutheri* maledicentia. Neque vero me clam eſt, quis ſine *Chriſto* frater hæc ad illum perſcripſit, anſa mentiendi ſumta ex noſtris colloquiis; hoc eſt familiaritatis indultæ præmium. Neque me fugit, cujus litteris inſtigatus ipſe ſuſceperit hanc triumphalem diſputationem. Qui perpulit, ſibi videtur admodum urbanus, regiumque facinus credidit *Lutherum* in *Eraſmum* provocaſſe. Alter, qui ex familiaritate ſibi viſus eſt noſſe *Eraſmum*, homo vanus & perfidus, non hîc tantum *Thraſybulus* dici poteſt.

132. Sed tandem delaſſatus tranſit ad loca, quæ videntur ſtatuere liberum arbitrium, ſed in medio relictis compluribus locis ex *Paulinis* Epiſtolis, quæ multo vehementius premebant dogma *Lutheri*, quam quæ ex aliis Scripturæ locis recenſueramus. Hæc ſi ſtudio præteriit, diffidit ſuæ cauſæ: Sin quia vel pertæſum eſt, vel non vacavit ad ſingula reſpondere, poterat hoc incommodum effugere, ſi parcius uſus fuiſſet convitiis & κομπασμοῖς ſuis. Quanquam quid retuliſſet ad omnia reſpondiſſe, ſi reſpondiſſet, quemadmodum hactenus reſpondit, paradoxa paradoxis, veluti linum lino, connectens? *Lex non agit cum hominis voluntate, tantum indicat peccatum, quod nullo modo vitare poteſt, itaque præparat hominem gratiæ. Verba indicativa, ſubjunctiva, optativa, nullam indicant in homine facultatem, ſed potius declarant eum nihil omnino poſſe nec in bonum, nec in malum: Aliud velle Deum crucifixum, aliud Deum qui inhabitat lucem inacceſſam: mercedem, præmium, brabium ſimileſque voces non referri ad operam aut officium præſtitum, ſed tantum ſignificare ſequelam, id eſt, eventum, & ſeu velis ſeu nolis, neceſſario ſequuturum. Meritum non ſignificat officium cui debetur præmium, ſed promiſſionem Dei gratuitam; Ut cum dicimus* merita ſanctorum, *intelligamus promiſſiones Dei, quibus illos nihil promeritos, neque promereri volentes, conſolatur, ne delaſſentur, hoc eſt, ne Spiritus in eis omnia tum faciens, tum patiens deficiat. Legem non convenire pios ac mites, ſed tantum impios ac feroces:* Contra, *promiſſiones & exhortationes tantum convenire pios, quibus, ſive quærunt ſive non quærunt, paratum eſt regnum cœlorum. Et* quærere *in Litteris ſacris non declarat precibus & piis factis ambire vitam æternam: Abſit, ſed eſſe in ea via, quæ volentem nolentem ducit ad regnum cœlorum. In contrariis nihil eſſe medium, ut ſi voluntas dicatur libera, neceſſe eſt eam ex ſuis viribus abſque gratia poſſe omnia; Sin minus, nihil omnino poteſt, nec in bonum nec in malum. Si quid omnino poteſt hominis voluntas, Spiritus nihil eſt. Si Spiritus eſt, nihil omnino eſt libertas humanæ voluntatis. Operari ſignificat operantem Spiritum pati: Agere ſignificat agi rapique. Reddet unicuique ſecundum opera ejus,* hoc eſt, *ſecundum opera non ſua, quæ Deus gratis donat homini. Impii merentur gehennam,* id eſt, *gehenna meretur eos. Et, regnum paratum eſt piis,* id eſt, *regnum parat pios. Currit in ſtadio,* id eſt, *Deus in ipſo currit in ſtadio. Certat in agone, in quo Deus certamen peragit: & apprehendit bravium, cui gratis datur nihil agenti, ne optanti quidem. Deus neminem tentat,* id eſt, *Deus prædicatus neminem tentat, ſed Deus non prædicatus etiam impellit ad peccandum, imo ipſe peccatum operatur in homine.* Item quod eſt apud *Joannem, ſanctificat ſe*, exponet, patietur Spiritum, ipſum ſanctificantem, quem patitur velit nolit. Et apud *Paulum, qui ſe emundaverit, emundaverit* verbum mere paſſivum eſt. Quod ait *Petrus, omnem curam ſubinferentes*, interpretabitur *Petrum* loqui more Dei crucifixi. Rurſum quod ait *Petrus, Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam vocationem veſtram & electionem faciatis*, exponet, Spiritus Sanctus ſine vobis aget in vobis, ut per ipſius bona opera capiatis vitam æternam, ad quam vos non debetis reſpicere, ſed tamen non quærentibus parata eſt. Evolve totam Scripturam, nulla eſt pagina, quæ non habet aliquot loca, quibus opus eſt tali interpretatione, ſi recipimus *Lutheri* dogma de mera neceſſitate.

Jam ad ſui dogmatis confirmationem. Feliciter expugnatis muſcis, cauſam ſuam aggreditur, denuo præfatus, verba ſubjunctiva, optativa, imperativa, nihil facere pro libero arbitrio, multo minus exhortandi, cum demonſtrarim ex verbis exhortandi, pollicendi, obſecrandi certius colligi noſtram voluntatem aliquid agere, quam ex nudis præceptis. Recinit & illud mendacium, Diatriben inter argumentandum tantum tribuere libero arbitrio, ut ſine gratia poſſit omnia. Objicit alicubi mihi falſo, quod ex indefinita fecerim univerſalem. Ad hunc lapidem ipſe perpetuo impingit, *Voluntas hominis poteſt aliquid, ergo ſola poteſt omnia.* Præmittit autem unam machinam, qua demoliatur omnia, etiamſi tria millia teſtimoniorum adduxeris ex ſacris Litteris pro libero arbitrio. *Paulus* Roman. VIII, ſcribit pios Spiritu Dei agi, non libero arbitrio. Ubi *Lutherus* didicit iſtam Dialecticam? *Navis agitur velis, ideo non impellitur & æſtu?* Quoties jam diximus voluntatem hominis actam agere? Itaque fatemur & nos pios agi Spiritu Dei, ſed negamus quod addit *Lutherus*, eos ſic agi rapique, quemadmodum à fabro agitur ſerra & ſecuris. Mira vero felicitas filiorum Dei, ſi hoc ſunt Spiritui Sancto, quod ſecuri eſt fabro! Ne id quidem dixit *Paulus*, quod aſſeverat *Lutherus*, etiam impios agi Spiritu Dei. Etenim ſi pii ideo dicuntur agi Spiritu, quod Spiritus ſolus in illis operetur omnia bona, quid obſtat, quo minus idem dicatur de impiis, in quibus, ut *Lutherus* docet, idem Spiritus operatur omnia mala? Nam voluntas hominis & in bonis & in malis tantum patitur agiturque, non operatur agitve. Hîc tamen vult ingenuus videri, dum agnoſcit ſua verba, quæ Diatriba recitat ex ipſius aſſertionibus. Quanquam quid laudis eſt, ea non inficiari, quæ quis ſcripto publicavit? Et tamen illa me non ſine cauſa recitaſſe declarat eventus. Quidam enim ſoliti *Lutherum* in omnibus defendere, cum legiſſent hunc Diatribæ locum, faſſi ſunt ſe nunquam credituros fuiſſe *Lutherum* hoc ſentire, ni verba ipſius ut habent recitaſſem. Proinde eadem hîc referam. Sic autem habent: *Unde & hunc articulum neceſſe eſt revocare. Male enim dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam ſit res de ſolo titulo, ſed ſimpliciter debui dicere, liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re, quia nulli eſt in manu cogitare quippiam boni aut mali, ſed omnia, ut* Wiclephi *articulus*, Conſtantiæ *condemnatus, recte docet, de neceſſitate abſoluta eveniunt.* Ad hoc dogma debebat *Lutherus* detorquere quæ citat Diatriba, potius quam ad probabilem opinionem, quanquam illic nihil eſt, quod cum opinione probabili pugnat, niſi accedat *Lutherus* interpres. In pugna ſatis erat utcunque dejeciſſe adverſarium. Cætera per otium componi poterant. Hæc autem eſt illius argumentationis clauſula, quam totam *Lutherus* expendit ad ſomnjatam ab ipſo quandam opinionem. *Hæc*, inquit Diatribe, *tam multa non ſine*

133.

cauſa

causa moverunt eruditos ac sanctos viros, ne in totum tollerent liberum arbitrium, tantum abest ut Spiritu Satanæ fuerint instigati, sibique damnationem accersierint, fidentes operibus suis. Vel hinc *Lutherus* homo tam perspicax intelligere poterat quid egerim illis testimoniis: nimirum non omnino nihil agere voluntatem hominis, nec eos qui statuerunt liberum arbitrium sic fisos suis operibus, ut excluſa gratia, sibi damnationem accersierint, id quod nusquam non inculcat *Lutherus.*

134. Præstat autem omittere præludium hominis plusquam Thrasonicum, *Hactenus*, inquit, *præcessit fumus hominis*, quasi nos è Scripturis nihil attulerimus, nunc audiemus fulgura & tonitrua Dei, id est, interpretationes *Lutheri*, multo præstantiores iis, quas ex eodem hactenus audivimus. Incessit quod tam multos Scripturæ locos citarim pro libero arbitrio, cum prætermiserim innumerabiles, interim irridens homo festivus, sanctos & sanctas omnes, qui tribuerunt aliquid libero arbitrio. Quin his tam lepide dictis applauditis *Lutherani?* Si plausum dederitis, audietis lepidiora: *Nisi vero*, inquit, *Spiritus Sanctus Rhetoricæ aliquantulum gnarus esset, periculum erat, ne tanta simulati contemtus arte fractus prorsus de causa desperaret, & palam libero arbitrio concederet ante tubam.* Nonne hæc mire festiva sunt? Nunc *Thrasonismum* accipe: *Sed ego*, inquit inferius, *succenturiatis illis duobus locis, ostendam & nostras copias, quanquam ubi talis est fortuna pugnæ, ut unus fuget decem millia, nullis opus est copiis. Si enim unus locus vicerit liberum arbitrium, nihil ei profuerint innumerabiles suæ copiæ.* Non respondendum est ad singula, ne scurrilitatis inter nos certamen susceptum videatur, non causæ. Quas copias adducit *Lutherus?* Et unde? Nonne ex sacris Litteris? Unde ego produxi meum exercitum? Nonne ex iisdem? Quomodo igitur unus miles *Lutheranus* fugabit decem millia? An Scriptura prosternet Scripturam? Non, sed una falsa *Lutheri* interpretatio, si fuerit commodum, subvertet universam Scripturam, quanquam ad id quot strophis utatur, jam satis demonstratum arbitror. Si Diatribe produxisset *Aristotelis* testimonia, erat aliquid quod jactat *Lutherus;* nunc ista in Scripturam sacram stolidissime, ne dicam impie, dicuntur, cum certamen non sit inter Scripturam & Scripturam, sed inter interpretationem omnium Ecclesiæ Doctorum & *Lutheri* cum paucis aliquot ab Ecclesia damnatis. Ille dicet omnes insaniisse actos Spiritu Satanæ, se Sancti Spiritus afflatu verum Scripturæ sensum afferre. Hoc si persuadet, vicit. Sed interim friget *Thrasonismus*, ut omittam frigidum jocum de Spiritu, non omnino rudi Rhetorices. In nullos enim libentius jocatur *Lutherus*, quam in Divos & Spiritum Sanctum, si quando libet exporrigere frontem.

135. Audiamus igitur Dei fulmina, quæ proferet *Lutherus.* Ex his, quæ videntur funditus tollere vim liberi arbitrii, duo præcipua loca sunt, quorum alter est de eo, quod Dominus induravit cor *Pharaonis.* Habetur autem Exodi IX. tractatur ab Apostolo in Epistola ad Romanos Cap. IX. qui adducit & illud ex Exodi XXXII. *Miserebor cujuscunque misereor, & commiserabor quemcunque commiseror.* Hujus quæstionis difficultatem quoniam *Origenes* explicat tropo, quo dicitur perdere filium qui peccantem non statim corripuit, *Lutherus* tractat locum communem contra tropos. Habent enim Rhetores hujusmodi sententias, quas in utramque partem pro causæ commoditate tractare solent, ut testibus credendum, & testibus non credendum; tormentis credendum, tormentis non credendum. At *Lutherus* ipsos etiam Rhetores superat. Nullus enim Rhetor in eadem causa tractat utramque loci partem, sed in diversis: *Lutherus* in eadem causa vult plurimum valere tropos, quoties patrocinari videntur ipsius dogmati: & rursus exsibilat tropos, quoties pro adversario faciunt. Sed hoc facit veluti suo jure. Illud iniquum, quod Diatribam accusat, quasi illa troporum sit repertrix, cum nihil sit in Scripturis usitatius, quam tropis effugere sermonis absurditatem. Præter causam igitur incusaret Diatribam, etiamsi suos adferret tropos, nunc cum adducat à probatis Ecclesiæ Doctoribus proditos, multo facit iniquius. Non igitur iniquum postulat Diatriba, si jus utendi tropis postulat, adversus eum qui se tropis tuetur. Nunc conferamus troporum genus. *Lutherus* adfert suos abhorrentes à consuetudine sensuque communi, Diatriba profert è probatis Auctoribus consentientes cum more sensuque communi, cui se Scriptura libenter attemperat: & Diatriba tropos inducit, ubi Scripturæ voces abhorrent à sensu communi, *Lutherus* adducit, ubi Scriptura maxime consentit cum natura sensuque communi, quo sensum inducat suum, & à Veterum opinione, & à communi mortalium consensu simpliciter abhorrentem. Audi tropos *Lutheranos*, quos ipse nescio an dignetur agnoscere: *extende manum tuam ad id quod volueris*, id est, gratia extendet manum ad quod ipsa voluerit. *Facite vobis cor novum*, id est, gratia faciet vobis cor novum. *Serva mandata*, id est, tu non potes servare mandata, sed hoc scito, te non posse: reliquaque quæ supra commemoravimus, de mercede, merito, præmio, brabio, certamine, cursu, quæ omnia *Lutherus* per tropos durissimos, & à communi loquendi usu alienissimos præter Orthodoxorum auctoritatem interpretatur, utcunque postulat dogmatis quod defendit ratio. Quis unquam Poetarum, apud quos est magna troporum licentia, dixit, *fecit adulterium*, id est, alius in eo fecit, aut *egit remum*, id est, à remo actus est. Aut *retulit illi mercedem pro meritis*, id est, donavit illi munus, non ob aliud nisi quia decreverat promiseratque se daturum, cum ille nec egerit quicquam, nec promeritus sit. Hujusmodi tropis cum causam suam tueatur *Lutherus*, tamen me Proteum vocat, qui tropis & longe modestioribus, & ab Orthodoxis scripto proditis utar, si quando huc impellit absurda sermonis species. Quod genus est, cum Deus summe bonus dicitur induraſſe cor Regis, ut per illius malitiam illustraret suam gloriam, & illud *Hieremiæ, Seduxisti me Domine, & seductus sum.* Non est igitur eadem ratio troporum, quos ex se durissimos ac violentos comminiscitur *Lutherus*, & meorum quos ab antiquis traditos & agnoscit usus loquendi communis, & similium in Scripturis locorum collatio comprobat. Proinde verissimum est quod dicit, invalidam fore Scripturarum auctoritatem, si cuivis liberum erit tropis & sequelis commentitiis earum verba quocunque libitum fuerit trahere.

136. Sed postea quam elusit tropos, aggreditur alterum locum communem, adversus *Origenem*, cujus errori si quid delinquit, duplici nomine debetur ac datur venia. Primum, quod inquirens scripsit ista, non definiens: deinde quod priscis temporibus, quibus adhuc fas erat de multis dubitare, de quibus nunc ambigere fas non sit. Fatemur *Origenem* aliquoties allegoriis ludere, sed quid hoc ad hunc tropum, qui non habet allegoriam? Hoc *Origenis* commentum approbavit Ecclesia, sequitur cum Orthodoxis *Hieronymus.* Jam tropus in crimen vocatur, qui fuerit in causa, ut *Ariani* fecerint *Christum* Deum putativum. Quin potius Apostolus *Paulus* in commune crimen vocatur, qui Satanam vocat Deum hujus seculi, & fatetur esse multos, qui nominantur Dii, & sunt. Et Psaltes mysticus appellat Deos Gentium, quod pro Diis haberentur. Et *Christus* ipse probat hunc versiculum, *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes.* Postremo, quod quidam ab ipso dissentiunt de Eucharistia, tropis imputat. Nec hoc contentus, pronuntiat ab ipso observatum, *omnes hæreses & errores in Scripturis non venisse ex simplicitate verborum, sed ex neglecta simplicitate verborum, & ex affectatis proprio cerebro tropis aut sequelis.* Si dixisset *multos errores*, tolerari poterat: impudenter dixit *omnes*, cum maxima pars hæreseôn nata sit, nec ex tropis, nec ex verbis simplicibus, sed ex Philosophia Græcorum, qua quidam infecti verius quam imbuti, veniebant

bant ad tractandas ſacras Litteras. Certe negari non poteſt *Anthropomorphitas* ex ſimplicitate verborum ac troporum inſcitia hauſiſſe errorem ſuum, qui quia legerant Dei manus, pedes, brachia, cor, oculos, credebant illum corporeum, humanis conſtare membris, ac proinde iraſci, furere, miſericordia commoveri, pœnitere, gaudere, dolere, cum harum affectionum nihil cadat in Deum. Similiter declamat in ſequelas. Quid igitur ſibi vult *Lutherus*, excludi tropos omnes, una cum ſequelis? Non opinor, ſed idoneos vult recipi, ineptos rejici, dubios examinari. Itaque præſcribit nobis regulam, quam ſecuti id poſſimus efficere. Negat in Scripturis vel ſequelam vel tropum ullum admittendum, niſi id cogat circumſtantia verborum evidens, & abſurditas rei manifeſta, in aliquem fidei articulum peccans, ſed ubique vult inhæreri ſimplici puræque & naturali ſignificationi verborum, quam Grammatici & uſus loquendi habet, quam Deus creavit in hominibus. Accipio præſcriptum, modo nobis definiat, quid ſit articulus fidei: ad hæc diſtinguat inter allegoriam, qua ſubvertimus ſenſum hiſtoricum ſive grammaticum, & eam, qua moralem ſenſum tractamus manente ceu fundamento ſenſus grammatici. Hoc facto, conferemus tropos *Lutheri* cum noſtris, expenſuri utri magis quadrant ad ſenſum communem, & utros ſuaſerit ſenſus abſurditas. Quis unquam ſenſu communi ſic accepit omnes leges publicas civitatis, ut imperando nihil aliud declararent, niſi cives non poſſe quicquam præſtare eorum quæ præſcribuntur, nec in aliud valere minas legum? Aut quæ coegit abſurditas *Lutherum* in tot millibus locorum, quæ vel præcipiunt, vel territant, vel minitantur, vel expoſtulant, vel objurgant, vel pollicentur, vel blandiuntur, vel exhortantur, à ſimplicibus verbis recedentem, ad tropos inauditos confugere? *Sequela*, inquit, *docet hominem omnia ſervare poſſe ſuis viribus.* Hæc eſt *Lutheri* ſequela. Imo ſequitur, hominem poſſe cum auxilio paratæ gratiæ, & hominem Legis violatorem jure plecti, per cujus voluntatem ſteterit, quo minus potuerit ſervare. Verùm aliter non poterat ſuum dogma tueri, quod abſurdum, abſurdioribus tropis ac ſequelis defendit. Quis ſenſus communis ſic interpretatus eſt, eum nihil agere ut fiat pater, cui ducta uxore data eſt poteſtas, ut fiat pater? Tales igitur tropos, tales ſequelas recipiemus, cætera rejiciemus. Si ſenſum communem, quo *Lutherus* exponit Scripturas, Deus creavit in omnibus hominibus ſanæ mentis, quid dicemus de tot millibus eruditorum hominum, qui ſecus interpretantur Scripturam, quam *Lutherus*.

137. Verùm audiamus quod adfert exemplum regulæ, quam modo nobis præſcripſit. Sed interim amoliar calumniæ crimen, quod impingit meæ Diatribæ. Negat ſe meminiſſe, ubi ſit tam violenta Scripturarum uſus tractatione, *extende manum*, id eſt, gratia extendet, &, *facite vobis cor novum*, id eſt, gratia faciet vobis cor novum. *Licet*, inquit, *Diatriba publico libello me ſic traducat tropis ſcilicet & ſequelis diſtenta, & illuſa, ut non videat quid de quo loquatur.* An *Lutherus* hîc videt quid de quo loquatur? Cum in principio diſputationis nominarim auctores ſententiarum quas rejicio, deinde quas in medio relinquo, poſtremo cum quibus certamen ineo, quo ſenſu communi *Lutherus* rapit ad ſe quicquid ibi dicitur? Certe *Carolſtadium*, cujus illa ſunt, in ingreſſu nominaram, hîc nullius nomen edo, quo quiſque quod ſuum eſſet agnoſceret. Si erat hoc alienum, cur alieno tacto ulcere, vociferatur ipſe? Et homo tenerè cavens famæ ſuæ queritur ſe traduci, ſi dicatur ad hunc modum interpretatus Scripturam, cum habeat multo his duriora de fabro & ſecuri. Et interim ignoſcit ſibi, quod me toties appellat atheon, *Epicurum*, blaſphemum, irriſorem ſacrarum Scripturarum. His enim ſalibus ſibi feſtivus non contumelioſus videtur. Quem obſecro locum hîc habebat, *Non videt quid de quo loquatur?* Et addit lepidum jocum, *tropis* ſcilicet *& ſequelis diſtenta & illuſa.* Quis non videt hæc ſine mente ſcribi, nec agere *Lutherum* cum hæc ſcribit, ſed agi ſpiritu quodam maledicentiæ? Si non meminit, an hæc ſcripſerit, cur impingit Diatribæ falſi crimen? Perinde quaſi quis intendenti furti crimen reſpondeat, non memini me furtum iſtud admiſiſſe, proinde tu me falſo inſimulas. Qui negat ſe meminiſſe, propemodum agnoſcit, quod objicitur. Itaque ridicule *Lutherus* criminatur Diatribam, cum fateatur ſe dubitare ſcripſerit talia, nec-ne. Nunc etiam ſi certum ſciret ſe nihil iſtiuſmodi ſcripſiſſe, tamen impudenter ad ſe rapit, cum in Diatriba cum pluribus agam, quam cum uno, nec *Lutherum* uſquam appellem, quemadmodum hanc totam convitiorum farraginem ad me nominatim ſcripſit in gratiam ſodalium & ſophiſtarum. Sed audiamus molliorem interpretationem: *Hæc verba*, extende manum, *verbis ſimpliciter ut ſonant acceptis, ſecluſiſque tropis & ſequelis, nihil aliud ſignificant, quam quod exigitur a nobis extenſio manus, ſignificaturque quid facere debeamus, ut eſt natura verbi imperativi apud Grammaticos & uſum loquendi.* Imo ſi *Lutherus* excludit omnes tropos, non præcipitur actio, ſed tantum porrectio manus, cum in agendo toto corpore ſit opus. Jam cum ad Dei proximique caritatem non ſit opus extenſione manuum, ſed affectu cordis, ſecluſis omnibus tropis locus hic non pertinebit niſi ad ea præcepta, quæ ſolent una manu peragi. Verùm hactenus tropum recipit, ut excludat ſenſus abſurditatem, ſed nihilo minus abſurdum eſt, quod *Lutherus* à ſimplicitate verborum recedens ſuis tropis interpretatur. An uſquam apud Grammaticos (nam hos appellat judices) *merces* ſignificat eventum, nulli merito debitum? An apud ullos litteratores *meritum* ſignificat promiſſionem doni? An *quærere vitam*, ſignificat eſſe in via quæ tendit ad vitam, cum ipſe vitam non quæras, ut jam homo pie vivens nihilo magis dicatur quærere vitam æternam, quam ſecuris quærere *Romam*, quæ geſtatur abs quopiam in via quæ perducit *Romam*. Et hi ſunt tropi *Lutherani*, hæ ſunt ſequelæ, quas nobis obtrudit invitis Grammaticis, reclamante ſenſu communi. Et ad hos tropos, has ſequelas, torquet non tria quatuorve Scripturæ loca, ſed univerſam prope Scripturam ſacram. Lex humana dicit, *Liberi parentes alant, ni fecerint vinciantur.* Urge ſenſum Grammaticum. Quid præcipit lex? tantum ut detur cibus ac potus. De tecto, de veſtitu, cæteriſque vitæ neceſſariis nulla mentio. Verùm ſenſus communis intelligit præcipi liberis, ut parentibus deſtitutis ſuppeditent, quicquid ad vitam tuendam pertinet. Et ſi forte defuerit unde id faciat filius, ſenſus communis interpretatur, hoc quoque legem præſcribere, ut vel induſtria vel amicorum ope paret ſibi, quo parenti ſubveniat. Objiciunt declamationum Scholæ de infante in vincula conjiciendo, quod parentem non aluerit, verùm ſenſus hominum communis interpretatur legem non minari vincula liberis, qui nullo modo poſſunt præſtare quod imperat. Item ſenſus communis colligit legislatorem hoc velle fieri, quod præſcribit. Nihil horum *Lutherus* recipit in præceptis Dei, ſed tantum occinit nobis, verba imperativa, optativa, & ſubjunctiva non declarare quid poſſit homo, ſed quid debeat, vehementer ipſe diſcrepans à ſua lege, qua nobis præſcribit, ne diſcedamus à verbis ſimplicibus, & ſenſu communi, niſi evidens abſurditas cogat ad tropos confugere, ipſe quo excludat ſenſum verborum ſimplicem, cum ſenſu communi congruentem, comminiſcitur tropos & ſequelas prodigioſas: nec hoc contentus, affingit Diatribæ meæ ſequelas, quas nunquam ſomniavit, *Extende manum tuam*, id eſt, potes vi propria extendere manum. *Facite vobis cor novum*, id eſt, poteſtis facere cor novum. *Credite in Chriſtum*, id eſt, poteſtis credere, & cætera. Et ob has ſequelas, quas ipſe de ſuo capite pro ſuo fingit arbitratu, miris convitiis flagellat Diatribam, cæcam, ebriam, ſtertentem, oſcitantem, ſtupidam, ſui oblitam,

Digitized by Google

cum Diatriba non aliud colligat ex imperandi verbis, quam nonnihil esse situm in nostra voluntate, ut gratia Dei in nobis non sit inanis, excludaturque mera rerum necessitas. Sic ratiocinatur *Augustinus*, cui solet deferre *Lutherus*, & cujus opinionem se jactat sequi, & male audit Diatriba, quasi prima tales commenta sit illationes. At dissimulat interim, quibus modis tractat ipsum *Joannes Roffensis* Episcopus, quibus alii complures. Sed visum est illi catum consilium, bilem omnem, omnes sales in Diatribam effundere, haud cogitanti qualem artificem provocasset, si mihi libuisset par pari referre.

138. Verùm reperit nobis alium nodum, quod stringat *Proteum*. Nam hac facetia mire delectatur, *Empusa* verius quam *Proteus*: *Proteus* enim vehementer constrictus edit vera, *Empusa* nihil aliud est quam *Empusa*, vanum & inane spectrum. *Non satis est*, inquit, *dicere, potest esse tropus, demonstrandum est necessariis argumentis inesse tropum.* Age, cum extra controversiam sit in sacris Litteris innumerabiles esse tropologias, quemadmodum *Lutherus* à nobis exigit, ut demonstremus argumentis necessariis inesse tropum, vicissim exigemus ab ipso, ut talibus argumentis doceat non subesse tropum. Objiciet nobis simplicem litteram, à qua nefas sit recedere, nisi cogat evidens absurditas. Primum, hoc quod assumit manifeste falsum est; alioqui quod dicitur in Precatione Dominica, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, juxta litteram simplicem nihil à Deo petimus nisi panem, cum ipse etiam *Lutherus* fateatur nomine panis contineri quicquid ad vitæ necessitatem pertinet. Hìc habes protinus tropum, ad quem fortassis aliqua cogit necessitas. Sed quæ necessitas cogit, ut sub nomine panis intelligamus gratiam spiritualem, & corpus Dominicum? Atqui hunc sensum *Lutherus* putat esse præcipuum, nec in hoc dissentit ab Orthodoxis. Habes alterum tropum, ad quem nulla compulit absurditas. Verùm hìc suæ causæ serviens alias præscribit leges. Jam ostendi sensum evidenter absurdum, & abhorrentem à sensu communi, nec ferendum piis auribus, redegisse nos ad tropi refugium. Quis enim ferat Deum summe bonum, indurare cor Regis, ut per illius exitium illustraret suam gloriam? Verùm *Lutherus* negabit hìc esse sensum absurdum, quanquam ita visum est non solum communi sensui, verum etiam Ecclesiæ proceribus ac populo, idque ut doceat, confugiet non solum ad absurdissimos tropos, verum etiam ad Deum non prædicatum, cujus voluntatem jubebit adorari, vetabit inquiri: nec tamen hoc docere dignatur argumentis necessariis, an hic sit locus voluntati adorandæ, cum à nobis exigat, ut necessario demonstremus in Scripturæ verbis esse tropum, interim exclusa veterum omnium Orthodoxorum auctoritate, quam nobis ne tantulum quidem vult in causa suffragari, cum ipse *Hussos* & *Wiclefos* citet auctores. Proinde si largimur uni *Luthero* parem cum omnibus Ecclesiæ Doctoribus interpretandi facultatem, nihilo secius duplici nomine reddetur anceps auctoritas Scripturæ, neque quicquam nobis profuerit *Lutheri* regula, etiamsi vera foret. Primùm enim erit controversum, an locus requirat tropum, nec-ne, & an evidentem habeat absurditatem, ut ad tropologiæ præsidium oporteat confugere: deinde si tropus conceditur, ambigetur hic an ille tropus sit admittendus: nam & hinc non infrequens est inter interpretes dissensio. Postremo, si *Lutherus* hærens in vado quæstionis, confugiet ad arcanam voluntatem, an audiendus erit? Quis igitur erit controversiæ finis? Quis? Ut aut miraculis comprobemus tropum nostrum, aut certissimis argumentis. At miracula potius exigenda sunt ab his, qui paradoxa proferunt adversus omnium seculorum consensum. Quantquam & miracula patent calumniæ. Sed quæ tandem argumenta sunt certissima? Quid enim est tam certum, quod *Lutherus* non rejiciet, si causæ ipsius refragetur? Si nos destituimur, meminerit ipse præstare quæ nobis præscribit. Commonefacit hìc denuo me pacti, quod tale est interim, ut omnes intelligant, me legibus iniquissimis contendere cum homine, videlicet, ut mihi ne tantulum quidem prosit, quicquid Ecclesiæ probatissimi Doctores, quicquid Scholæ Theologorum, quicquid Synodi quamvis generales interpretatæ sunt ac definierunt. Qui has leges recipit, commodus est concertator: qui exigit ac præscribit, etiamsi vincat, non videbitur vicisse, nihilo magis quam si quis pugnet cum exarmato, ipse suis armis undique munitus. Verùm magis ingenuum est, quod hìc sine fuco pronuntiat, inter Ecclesiasticos Scriptores nullos ineptius aut absurdius tractasse sacras Litteras, quam *Origenem* & *Hieronymum*. Nam toto hoc libello sub titulo Diatribes impie debacchatus est in sacros Ecclesiæ Doctores. Hic tropus visus est illi perquam festivus. Sed interim oblitus est præscriptæ legis, quæ concedit ad tropos confugere, quoties submovet nos à littera sensus absurditas: Hìc non patitur, sed confugit ad Deum non prædicatum. At nondum audimus Dei fulmina, fumos ac tergiversationes mere sophisticas audio. Facit ex proloquio singulari, generale. Deus hìc dicitur ingravasse sive induresse cor *Pharaonis*, eo quod non statim punierit illius malitiam: ergo quoties Deus dicitur parcere peccantibus, indurat eos: quoties affligit, miseretur. Quod aliquot locis peculiare est, non oportet ad universam Scripturam detorquere. Quid igitur agit *Lutherus*? Deum nusquam misericorditer affligere? Quid vero est quod ait Sapiens Hebræus? *Quem diligit Dominus, castigat: Flagellat autem omnem filium quem recipit.* Quid est quod minatur apud *Osee* Deus, *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ?* Deus non uno modo profert in nos suam misericordiam, aliquando rebus lætioribus consolans, interdum afflictione castigans. Idem non uno modo profert iram suam, interdum terribiliter puniens, quod meruit *Sodoma* & *Gomorrha*, interim peccatorem suis relinquens affectibus. Nihil igitur ad rem faciunt illationum portenta, quæ hìc somniat *Lutherus*, quasi si hæc recipiatur interpretatio, liberum sit cuivis, quidvis, quovis modo interpretari. Et tamen exempla, quæ proponit, paulo minus absurda sunt quam ea quæ nobis interpretatur *Lutherus*, *meritum* est promissio, *merces* est sequela, *quærere* est esse in via, sic tamen ut non quæras, *Pharao indurat seipse mea lenitate, Deus indurat cor nostrum*, id est, *nos ipsi induramus nos, Deo pœnas differente*, &c. Ubi est hìc illa prodigiosa absurditas? Quasi non legamus Exod. VIII. *Videns autem Pharao, quod data est requies, ingravavit cor suum.* Unde *Augustinus* ad *Valentinum* de libero arbitrio non veretur dicere, *Deus induravit per justum judicium, & ipse* Pharao *per liberum arbitrium.* Jam mea Diatriba non sic ineptit, sed ita loquitur: *Nunc utroque vertibili voluntate conditus, suapte sponte deflexit ad malum, dum suo animo maluit obsequi quam Dei jussis obtemperare. Hac autem* Pharaonis *malitia Deus abusus est in suam gloriam & ad salutem populi sui, quo magis perspicuum esset, homines frustra conari, qui Dei voluntati resistunt, quemadmodum prudens Rex aut paterfamilias sævitia quorundam quos odit, tamen ad puniendos improbos abutitur.* Ad hunc modum mea Diatribe. Quid 141.
autem absurdi est, sicubi Deus misereri dicitur, cum flagellat, ut convertat pœnitentem, cum etiam piis hominibus dictus sit tum misereri, cum peccatorem deploratum mittit in gehennam, ne diutius vivens graviorem sibi damnationem accumulet? Quid autem necesse est, ut si Deus uno alterove loco in Scripturis dicatur indurare differens pœnam, aut misereri pœnam statim infligens, protinus ubique afflictionem vocemus misericordiam, bonitatem indurationem? Siquidem *Lutheri* sequela sic habet: *Igitur quantum ad Deum attinet, ipse perpetua bonitate nihil aliud facit, quam quod indurat: perpetua correptione nihil aliud facit, quam quod miseretur.* Si ex particulari recte colligitur universalis, cum demonstratum sit in sacris Litteris esse

Digitized by Google

eſſe miſericordem afflictionem, & iratam parſimoniam, fruatur *Lutherus* ſuo ſyllogiſmo. A nobis tale nihil dictum eſt, hujus loci ſenſum ex circumſtantiis veſtigamus.

142. Jam perinde quaſi hoc ſit probatum, in ſacris Litteris, *affligere* nihil aliud ſignificare quam miſereri, & *indurare* nihil aliud quam parcere, miris ineptiis laſcivit, ac ſibi magnopere placet. Ne reſpondeam ad omnes hominis otioſi nænias, Deus ille prædicatus nunquam affligit hominem in hac vita, niſi ut aut illum revocet ad pœnitentiam, aut gehennæ pœnam imminuat. Nunquam immittit læta, niſi ut homines ad agnitionem divinæ bonitatis invitet. Sed boni tum bonitate, tum ſeveritate Dei utuntur in ſuum bonum, mali utroque in ſuum malum abutuntur. Ut ita fiat, Deus in culpa non eſt, ſed penes illos eſt culpa, qui gratiam pulſantem averſantur. Pulſat afflictionibus, pulſat proſperitate rerum, pulſat indulgendo ſpatium pœnitentiæ: miſeretur igitur affligens bonos ac ſanabiles, indurat affligens inſanabiles & averſos. Conſolatur bonos, admiſcens læta triſtibus, indurat malos, indulta rerum proſperitate. Nec hic opus eſt ad arcanam Dei voluntatem confugere, cum ratio conſtet, cur illi reddantur meliores, hi deteriores. Poteſt quidem Deus vim facere voluntati humanæ, ac perpellere quo velit. Verùm hoc generaliter non facit, ſed adhibet pulſantem gratiam, quam ſi noſtra voluntas amplectitur, ſequitur miſericordia, quanquam hoc ipſum pulſaſſe miſericordiæ eſt. Sin averſatur, per occaſionem indurat Dei bonitas. Pulſavit Deus *Pharaonem* utroque modo, ſeveritate plagarum, & facili remiſſione malorum immiſſorum. Fateor. Et induravit utroque modo, dans occaſionem, qua ſciebat illum fore deteriorem. Non tamen illi immiſit malam mentem, ſed malitiam impii Regis exercuit, atque abuſus eſt ad ſuam gloriam. Sive igitur Deus immittat triſtia, ſive læta, malos indurat, niſi addat gratiam. Pulſantem ſeu præparantem gratiam, Deus nec bonis negat, nec malis, dum in hac vita ſunt. Eam qui averſatur, quoniam abutitur arbitrii libertate, ſuo merito non accipit gratiam juſtificantem, qui pulſantem repulit. Nam quod interim objicit probabilem opinionem, liberum arbitrium nec velle bonum abſque gratia: jam toties diſtinxi velle efficax ab inefficaci, toties admonui, me inter diſputandum non reſpicere unam opinionem, ſed hoc agere ut excutiam improbatas ſententias. *Pharao* cœperat reſipiſcere, unde hoc velle? Non à gratia juſtificante, ſed à pulſante. Quod ſi ibi vim liberi arbitrii applicuiſſet ad actum gratiæ, ſucceſſiſſet altera gratia. Jam ſi roget aliquis, Cur Deus non omnipotenti voluntate ſua invertit cor *Pharaonis* cum poſſet? Reſpondeo, quoniam ſciebat illum magis indurandum, & illius mala merita præceſſerant, cur ſuæ malitiæ relinqueretur, quemadmodum tradidit Philoſophos in reprobum ſenſum, qui dono cognitionis, qua invitabantur ad cultum & amorem veri Dei, abuſi ſunt ad ſuas cupiditates. Aſſumit igitur *Lutherus* liberum arbitrium nihil poſſe ſine gratia niſi in malum, & hinc colligit quod vult, non diſtinguens liberum arbitrium peccatis obrutum, à liberato, nec diſtinguens gratiam pulſantem à juſtificante, nec diſtinguens non poſſe, à ſimpliciter non poſſe. *Sed Deus*, inquit, *dat gratiam quibus vult, illius igitur voluntas in cauſa eſt, ut iiſdem rebus alii convertantur, alii indureſcant.* Sine Dei voluntate nihil fit, fateor, ſed generaliter illius voluntas pendet à noſtra voluntate. Ideo voluit indurari *Judam* & *Pharaonem*, quoniam illi gratiam pulſantem neglexerunt. Hanc dicimus nulli deeſſe, & ſi cui deeſt, tradito in reprobum ſenſum, merita præceſſerunt, quæ non habent originem niſi ex libero arbitrio. Cæterum ubi nihil eſt niſi natura, nullum eſt meritum; ubi nihil niſi mera neceſſitas, nullum eſt meritum, multo minus ubi nulla eſt hominis actio, quod docet *Lutherus*, niſi forte meritum tribuimus ſecuri, qua faber eſt uſus.

Ut autem rejiciat ſimilitudinem de cera & limo, 144.
quorum hic indureſcit Sole, illa liqueſcit, vult in omnibus hominibus eundem eſſe liberi arbitrii modum. Quis hoc illi largietur? Ut intellectus purior eſt in his qui non ſunt cupiditatibus & luxu obruti, ita voluntas propenſior eſt ad bonum, & ſanabilior in his qui ſimpliciter errant, ac morales virtutes exercent pro ſua virili, quam in his qui diutina conſuetudine vitiis indurueruntProinde cera eſt animus ſimplex & facile capax gratiæ, limus eſt animus ferox, & exſultans jam in rebus peſſimis: neque nos facimus duo ingenia ex uno libero arbitrio, ſed diverſas circumſtantias adhibita ſimilitudine declaravimus, niſi forte *Lutherus* tam rudis eſt collationum, ut quoniam res, unde ſimilitudinem petimus, ſubſtantia diveriæ ſunt, oporteat & liberum arbitrium eſſe tota natura diverſum. Eadem eſt natura corporis humani, tamen hujus corpus, ſi morbus inciderit, facile remedio levatur, illius adhibitis pharmacis perit. Quid in cauſa? Alter ſobrio moderatoque victu reddidit ſibi corpus remedii capacius, alter luxu cæteriſque vitiis reddidit immedicabile. Pharmacum admotum utrique eſt, huic profuit, illum occidit. Sed aliud incommodum adfert: *Si indurationem*, inquit, *& converſionem adſcribimus libero arbitrio amplectenti gratiam, aut refutanti, nulla eſt Dei electio. Deus autem ſpoliatus eligendi virtute ac ſapientia, quid erit, niſi idolum fortunæ, cujus numine omnia temere fiunt. Et tandem eo venietur, ut homines ſalvi fiant, & damnentur ignorante Deo, ut qui non diſcreverit certa electione ſalvandos & damnandos, ſed oblata omnibus generali lenitate tolerante & indurante, tum miſericordia corripiente & puniente, hominibus reliquerit, utrum velint ſalvi fieri, an damnari, ipſe interim ad convivium* Æthiopum *profectus, ut* Homerus *dicit.* Hos inſulſos ac blaſphemos hominis jocos invitus in hoc recenſeo, quo declarem quibuſdam nimium addictis homini qualem habeant Euangeliſtam. Cum nos ubique conjungamus in bonis actionem liberi arbitrii cum auxilio principali gratiæ, quî fieri poſſit ut homo ſervetur damneturve ignorante Deo. Aut quî Deus nihil aliud futurus ſit quam idolum fortunæ, cujus æterna ſapientia moderatur univerſa? Quemadmodum illius præſcientia, deſtinatio, voluntas, non officit generaliter libero hominis arbitrio, ita nec electio. *Paulum* elegerat ad prædicandum inter Gentes Euangelium, & elegerat ab æterno, electum ſuo tempore vocavit, vocatum inſtruxit gratia, inſtructum auxit, & tamen ille loquitur, *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Et, *gratia in me vacua non fuit*, &, *plus omnibus laboravi*, &, *bonum certamen certavi, curſum conſummavi.*

Proximum Caput nihil habet niſi ſimiles blaſphe- 145.
mias, & recinitur illud toties rejectum mendacium, me tribuere libero arbitrio totum abſque gratiæ præſidio, cum propoſuerim liberum arbitrium ne velle quidem efficaciter bonum abſque gratia. Et perinde quaſi jam feliciter exploſerit *Origenis* interpretationem, redit ad ſuum dogma, liberum arbitrium eſſe regnum Satanæ, ac mera neceſſitate geri omnia, alioqui Deus non eſſet Deus. Nec interim meminit hæc omnia recidere in ſacros Eccleſiæ Doctores, magis quam in meam Diatribam. Quorum omnium conſenſum pili non facit, cum ipſe non ſolum ingerat nobis interpretationes ſuas, verum etiam arbitratu ſuo præſcribat Orbi leges, ad quas oporteat exponere Scripturas. Quærit à me, quis dedit *Origeni*, *Hieronymo*que auctoritatem ſic interpretandi? Imo quis dedit auctoritatem *Luthero* præſcribendi tales exponendi leges? primum mendaces, deinde manifeſto falſas: poſtremo quas nec ipſe ſervat qui præſcribit. Negat à littera recedendum, niſi talis ſit in verbis abſurditas, ut pugnet adverſus articulum fidei, & arbitror ſi quis urgeat, eum ſic definiturum articulum fidei, utcunque videbitur eſſe cauſæ, quam agit, commodum. Quæ neceſſitas adegit *Paulum*, ut hiſtoriam de filio *Agar*

Digitized by Google

& filio *Saræ* trahat ad tropologiam? In ſenſu hiſtorico nihil erat abſurdi, nec adverſans articulis fidei. Toties legimus Deum iratum, furentem, pœnitentem, quis articulus fidei læditur, ſi credamus hos affectus vere in Deo eſſe? Si quis reſpondeat impium eſſe Deo tribuere affectus humanos, reſpondebo juxta *Lutheri* regulam, me quod expreſſum eſt in ſacris Litteris tenere, nihil abſurdum eſſe, ſed ita videri carni, non eſſe ſcrutandum quomodo Deus iraſcatur aut pœniteat. Quis hîc me coget tropum recipere? Ad hæc quas tropologias nobis *Lutherus* invexit in explicandis decem præceptis; item in Pſalmos, ubi ſimplex oratio non habebat evidentem abſurditatem? Fidei articulum fortaſſe vocabit, quicquid expreſſum eſt in ſacris Litteris. At in his verba verbis crebro pugnare videntur, quemadmodum jam demonſtratum eſt. An igitur in his, quæ lædunt cauſam ipſius, invehet tropologias ex animi ſui ſententia, in aliis, quæ in ſpeciem conducunt ad cauſam, rejiciet omnes tropos, & ſi hæret in abſurditate explicanda, confugiet ad arcanam Dei voluntatem? Et hæc qui facit, videtur ſibi diſputare, ſi Superis placet, & triumphum adornat, quaſi difficile ſit cuiquam ad iſtum modum vincere. His legibus vel Pygmæus dejiciet Gigantem. Queritur non ſervari pacta, qui recenſuerim *Origenis* interpretationem. Si nullam recipit interpretationem, cur ipſe tot inauditas interpretationes comminiſcitur ubicunque commodum eſt? Si recipit, cum pari mecum jure contendat, cur meam recepturus, rejicit *Origenis* ac *Hieronymi?* Quanquam & *Auguſtinus*, & *Theophylactus* & *Chryſoſtomus* hactenus conſentiunt cum *Origene*, ut ab homine ſubmoveant neceſſitatem abſolutam *Lutheri*, neque confugiunt ad arcanam illam ac tantum adorandam voluntatem. Et ſi *Chryſoſtomo* credimus, non ideo *Paulus* dicit, *ô tu homo quis es qui reſpondes Deo*, quo ſubmoveat à quæſtionis ſolutione, ſed ut retuſa hominis curioſitate, paret illum magis docilem ad quæſtionis ſolutionem, eo quod in hoc genere quæſtionum multa incidunt, quæ non percipiuntur niſi à piis: multa item quorum ratio nulla reddi poteſt, quorum exemplum tale profert *Auguſtinus:* multi infantes Chriſtianorum citra culpam parentum decedunt abſque ſacramento baptiſmi, & eunt in gehennam, veluti qui pereunt in utero materno, aut in ipſo partu, nonnulli Judæorum aut Paganorum infantes, ſublati furto à Chriſtianis, & clam baptizati, ſi deceſſerunt, eunt in vitam æternam. Cur hoc Deus fieri permittat, negat eſſe noſtrum inquirere. Jam ſi tantum *Origenis* citaſſem ſententiam, queri poterat ſe gravari hominis auctoritate. Nunc recenſeo collationem locorum, quæ *Auguſtino* auctore optima eſt exponendi Scripturas ratio, adfero cauſas abſurditatis, quæ mittit ad tropum, oſtendo congruentiam interpretationis cum his quæ præcedunt & ſequuntur. Itaque fingat ſi volet eſſe meam interpretationem, & deſinat queri de ſacris Eccleſiæ Doctoribus. Accedit igitur ad excutiendas cauſas à Diatriba citatas, ob quas hîc ad tropum confugerint Orthodoxi. Abhorrent aures Chriſtianæ, abhorret ſenſus communis, ut dicatur Deus natura bonus immittere malitiam in cor hominis, aut certe addere malitiam, quod ne juſti quidem hominis videri queat. Ad hæc ita *Lutherus: Hæc abſurditas in quem peccat articulum fidei?* Reſpondeo. Si fidei articulus eſt, quicquid expreſſum eſt in ſacris Litteris, hæc abſurditas pugnat cum illo, *juſtus es Domine & rectum judicium tuum*, pugnat adverſus illud, *Et miſericordia ejus non eſt numerus.* Quod abſurdum eſſet in homine Rege, multo abſurdius eſt tribuere Deo. Habes articulum fidei, cujus exempla ſexcenta proferre cuivis proclive ſit è ſacris Voluminibus. Si hæc abſurditas non videtur idonea cauſa, cur ad tropum confugiamus, impudenter facit *Lutherus* ad tropos confugiens, non ut abſurditatem vitet, ſed invehat, nimirum cum interpretatur *meritum* promiſſionem, *mercedem* ſequelam, *querere* eſſe in via, *agere*, id eſt, agi more fecuris. Cur ibi non dicebat, hæc ſunt verba Dei clara, dilucida, non recipio tropum, quod dictum eſt mordicus teneo. Si dicerem hanc abſurditatem pugnare cum omnium Orthodoxorum totiuſque Eccleſiæ Catholicæ decreto, forte moverem homini cachinnos. Habes ad articulum. *Aut quis*, inquit, *hac offenditur abſurditate? Ratio humana offenditur, quæ cum in omnibus verbis & operibus, cæca, ſurda, ſtulta, impia & ſacrilega eſt, hoc loco adducitur judex operum & verborum Dei.* Ita *Lutherus.* Euge ut ſui ſimilis eſt noſter hyperbolus! Ita-ne in omnibus factis ac dictis Dei, cæca ſurdaque eſt humana ratio etiam ſanctorum? Quis igitur Spiritus hoc arcanum patefecit ipſi? Si uſque adeo nihil videt humana ratio, cur *Paulus* Philoſophis Ethnicis tantum tribuit, ut dicat illis inviſibilia Dei ex rebus conditis intellecta fuiſſe, uſque ad cognitionem ſempiternæ Deitatis. Et hanc rationem *Paulus* appellat Dei revelationem, Orthodoxi interpretantur lumen vultus divini, quod ipſe in nobis ſignavit, quod omnes fatentur peccato primorum parentum obſcuratum, exſtinctum nemo non negat. Ad quid valuit illis ratio? ut ſint inexcuſabiles. Gratia pulſans erat ea divinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis cognitio: ſed liberi arbitrii erat, quod oblatam gratiam negligebant. Si nulla gratia fuiſſet oblata, videri poterant excuſabiles; nunc oblata eſt gratia, cui ſi acceſſiſſet voluntatis humanæ ſtudium, gratia gratiam, juxta proverbium, peperiſſet. Evolvat qui volet, quæ *Socrates*, quæ *Stoici*, quæ *Peripatetici*, quæ *Epictetus*, de fine boni, de recte vivendo tradiderunt, & dicat humanam rationem in omnibus eſſe cæcam, ſtultam & impiam. Pergit hyperbolizein. *Hoc*, inquit, *abſurditatis prætextu, negabimus omnes articulos fidei*, Chriſtum *eſſe Deum & hominem, eſſe Virginis filium, reſurrexiſſe à mortuis.* Fortaſſe verum diceret *Lutherus*, ſi illa paradoxa nobis talis auctor talibus argumentis proponeret. Nunc miracula prophetiæ, exhibitio repromiſſorum, Euangelica Scriptura, ſanguis martyrum, auctoritas Apoſtolorum, integritas Doctorum, totiuſque Eccleſiæ conſenſus nobis perſuaſerunt hæc eſſe certiſſima. Nec tamen in his eſt quicquam abſurdi, etiamſi ſunt multa paradoxa. Omnia declarant admirandam Dei ſapientiam, bonitatem erga nos ineffabilem. Hæc autem abſurditas impingit Deo crudelitatis & injuſtitiæ notam. Quod ſi tantum à tropis ſit periculi, quantum fingit *Lutherus*, multo juſtius metuendum eſt ab ipſius tropis, quos nec apud Poetas, nec apud probos viros invenias. Deſinat igitur res multum diſſimiles veluti pares inter ſe conferre. Promiſerat nobis tonitrua Dei. Nihil adhuc audimus niſi convitia. Verùm adhuc præludit, mox initiandis proferet myſteria.

Κοκκύζει rurſus; ut admittamus tropum, non tamen 147.
evitatur abſurditas: *Si liberum arbitrium ſine gratia nihil poteſt, Deo imputandum, qui gratiam aliis dat, aliis negat, prout ipſi viſum eſt, nullo reſpectu meritorum: Si liberum arbitrium ſine gratia poteſt omnia, multo eſt abſurdius.* Hoc quod *Lutherus* toties occinit, ne *Pelagius* quidem docuit, opinor. In principio propono tantum opiniones Orthodoxorum: nullam rejiciens, ut mihi liberum eſſet in argumentando in auxilium vocare quam vellem. In fine demonſtro quæ maxime placeat, ſic tamen ut eas non damnem, quas non damnavit Eccleſia. Nuſquam illam reperies, quæ libero arbitrio totum tribuat abſque gratia. Nec uſquam dico liberum arbitrium nihil omnino poſſe, Sic enim habent verba Diatribes: *Mihi placet illorum ſententia, qui nonnihil tribuunt libero arbitrio, ſed gratiæ plurimum.* Ac mox, *Cur, inquies, datur aliquid libero arbitrio? Ut ſit quod merito imputetur impiis, qui gratiæ Dei volentes defuerint, ut excludatur à Deo crudelitatis & injuſtitiæ calumnia, ut excludatur à nobis deſperatio, ut excludatur ſecuritas, ut exſtimulemur ad conandum. Ob has cauſas fere ab omnibus ſtatuitur liberum arbitrium, ſed inefficax abſque Dei perpetua gratia, ne quid*

arro-

arrogemus nobis. Dicet aliquis, quid valet liberum arbitrium si nihil efficiat? Respondeo. Ad quid valet totus homo, si sic in illo agat Deus, quemadmodum figulus agit in luto? His Diatribæ verbis declaro liberum arbitrium aliquid agere, sed quod non pertingat ad æternam salutem, nisi præsidio jugi gratiæ. *Augustinus* jam senex in libris, quos senex scripsit ad *Valentinum*, plurimum tribuit gratiæ, nonnihil tamen libero arbitrio. Idem cum in iisdem libris commemoret præparantem sive pulsantem gratiam, quæ nondum largiatur justitiam, sed eo provehat, & huic tribuit bona quædam opera, sed imperfecta, minimum abest ab opinione tertia, quæ putat hominem naturæ viribus huc usque per opera moraliter bona posse proficere, ut promereatur gratiam justificantem, saltem juxta congruum, hoc est, ut jam Dei bonitas immensa non neget quod ab ipso petitur.

148. Exagitat illud quod *Origenes* annotavit, Deum non ita loqui, *In hoc creavi te*, sed *in hoc excitavi*. Excitavit autem præbita occasione majoris malitiæ. *Vidit enim Deus omnia quæ condiderat, & erant valde bona. Hoc*, inquit *Lutherus*, *dixit ante lapsum hominis: Sed mox tertio Capite sequitur, quomodo sit homo factus malus, desertus à Deo ac sibi relictus.* Rem novam audio. Ergo nunc non sunt valde bona quæ Deus condidit? Si Satanas quatenus est Dei creatura, valde bonus est, cur homo simili ratione non possit dici valde bonus? Omitto quod hîc dicit hominem à Deo desertum, & ita lapsum in mortem. Imo potius Deum deseruit homo per liberum arbitrium, seipsum avertens à Deo, quemadmodum & Angeli mali desciverant, unde & Græcis *apostatæ* dicuntur. Hîc nobis admovebit alteram machinam *Lutherus*, Peccatum originale, quod sic exaggerat, sic amplificat, ut nec gratia agens in homine possit aliud operari quam peccatum. Nascimur omnes filii iræ, quanquam, ut ostendimus, ibi *Paulus* videri potest de mortalium inquinatis moribus loqui, & naturam appellat, non conditionem, sed id quod nostrum est, hoc est, nostræ voluntatis: verùm fateamur omnes homines nasci filios iræ. Non tamen usque adeo valet peccatum alienum, ut nulla semina reliquerit in homine pietatis ac virtutum, cum harum rerum semina nonnulla videamus & in animantibus brutis, ut in columbis ac turturibus casti conjugii, in Elephantis religionis & pudicitiæ, in canibus gratitudinis, in asinabus pietatis erga fœtus, in apibus & formicis politiæ: in hoc tamen omnes referunt primos parentes, quod sentiunt in se proclivitatem ad peccandum, licet alii plus alii minus. Quis autem tribuit infantibus impietatem? aut adolescentulis etiam probæ indolis nondum vitæ commercio contaminatis? non enim omnis culpa impietas est. Ea pronitas per baptismi gratiam non in totum tollitur, sed imminuitur. *Pharao* vas erat iræ, paratum in interitum, natus immundus ex immundo semine, qui si nihil habuisset præter originis vitium, facilius auscultasset pulsanti gratiæ. Nunc consuetudo peccandi callum obduxerat. Atqui ea durities primum à libero arbitrio profecta est, & per liberum arbitrium crevit in immensum. Non ausim tamen dicere quod non potuerit ad meliora converti, cum cœperit flecti: sed si non potuit, ipse meritis præcedentibus causam dedit, ut traderetur in reprobum sensum. Abusus est igitur Deus impii Regis prava voluntate ad puniendum similem Regi suo populum, qui hospites Hebræos tam inclementi servitute premi sustinuerit. Profertur & illud, jam pridem explosum ab aliis, *omnia propter semetipsum fecit Dominus, etiam impium ad diem malum.* Neque enim Deus facit impios, alioqui dicetur omnes homines impios fecisse: sed virum impium & insanabilem sic dicitur fecisse ad diem malum, quemadmodum vasa iræ præparavit in interitum. Si condidisset in interitum, nemo salvus esset, sed abutitur hominum impiorum malitia in bonum electorum. Nec est in nostris codicibus, *omnia fecit Dominus*, sed *operatus est*, operatur autem & qui moderatur & gubernat. Sic autem Deus moderatur præterita, præsentia, futura, bona simul & mala, ut ex his admiranda quædam resultet harmonia. Septuaginta nobis longe alium sensum tradiderunt. Sic enim verterunt: Πάντα τὰ ἔργα τῇ ταπεινῇ φανερὰ ἐστὶ τῷ Θεῷ, οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ὀλοῦνται. Id est, *omnia facta humilis manifestata sunt apud Deum, impii vero in die malo peribunt.* Ineptum autem sit hîc puerilibus gryphis argutari, Deum impios generare, at non generare impios. Deus ut omnium rerum summa causa, producit agitque cuncta, in his & hominem, malitiam tamen non gignit in homine: Naturam gignit vitiatam, sed hujus vitium non gignit, verùm id profectum est à Satana, & libero arbitrio. *Lutherus* autem hîc fatetur à Deo non gigni peccatum, cum alias fateatur Deum & bona pariter & mala operari in omnibus. Et adhibet simile: *Deus sic propagat naturam hominis vitiatam; quasi si bonus artifex ex inutili vitiatoque ligno faciat Statuas.* Sed de iis, quæ πάρεργα sunt, alias incidet differendi locus. Aperit aliam rimam, *Deus vidit omnia esse bona, at non dictum est, homo vidit & erant valde bona.* Imo hoc vidit Propheta qui scripsit, *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Quomodo benedicent Domino, nisi bona sint? Ex turpibus operibus non relucet artificis gloria. Vident igitur & homines omnia quæ fecit Deus esse valde bona, quia malorum auctor Deus non est. Afflictiones, incommoda dici possunt, per se nec vere mala sunt, nec vere bona. Probabilius poterat *Origenis* annotationem rejicere, si dixisset Deum illic loqui de rebus conditis & actione naturali. Jam peccatum est res præter naturam. Nihil enim magis pugnat cum natura, quam creaturam obsistere creatori.

149. Tandem confutatis tropis dignabitur nobis aperire quomodo Deus dicatur in Scripturis indurare cor, tradere in reprobum sensum, seducere hominem, & in errorem trahere & seducere Prophetam. Ad hoc assumitur veluti confessum à ratione simul & à Diatriba, Deum omnia in omnibus operari, ac sine ipso nihil fieri nec efficax esse. Ratio pro se respondeat, certe apud *Homerum Jupiter* negat se esse causam malorum mortalibus, sed ipsos sua stultitia ruere in interitum. Pro Diatriba respondeo, illam nusquam hoc dixisse, quod Deus operatur omnia in omnibus: gratiam in omnibus bonis cooperari homini, professa est: Deum in nobis mœchari, inebriari, mentiri, invidere, occidere, nusquam neque sensit neque dixit Diatriba, quæ quanquam in aliquo sensu possunt videri vera, tamen à talibus dictis soleo libenter abstinere. Quare si non habet alias probationis bases, nihil aget apud Diatribam. Ne in hoc quidem convenit, quod *Lutherus* ait, sic Deum in nobis operari, quemadmodum faber agit securim aut serram. *Paulus* Actorum XVII. probat Ethnici Poetæ sententiam, *In ipso vivimus, movemur & sumus*, nimirum de naturali motu loquentis. Esse primum est naturæ fundamentum, vivere proximum, moveri tertium, nisi moveri malis referre ad vegetabilia. Nam in fœtu animantis prior est motus vegetationis, quam vita animalis, cui adhæret motus, id est, vitalis actio. Jam oportuit *Lutherum* distinguere generalem illam actionem primæ causæ in rebus conditis omnibus, à peculiari actione, de qua nos hîc agimus, & de qua loquitur *Paulus* primæ *Corinth.* duodecimo: *Et divisiones operationum sunt, Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quanquam hoc loco *operatur* non est ἐνεργάζεται, sed ὁ ἐνεργῶν, quod magis sonat impulsum, & vim auxiliantem quam operationem. Sic in amante agit amor, nimirum impulsu. Nec illic loquitur de quibuslibet hominum actionibus, sed de variis donis Sancti Spiritus, quanquam nec hæc sic aguntur in piis, ut faber agit serram, cum *Paulus* dicat Spiritus prophetiæ, Prophetis ipsis subjectos esse; sed potius ut sessor agit equum. Porro locus *Eph.* I. quem perperam in assertione citat *Lutherus*, non agit de motu illo communi, sed de vi effectuque gratiæ, quam exserebat in electis. Nam & illic est verbum ἐνεργῶν τος, *Qui opera-*

ratur, inquit, *omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus.* Eadem vox est ad *Philip.* 1. *Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & perficere*, ὁ ἐνεργῶν, quæ vox significat pulsantem gratiam, sed audi voluntatis libertatem pro bona voluntate, quod Græce est εὐδοκίας, quæ vox sonat liberum animi placitum. Sunt & alia loca apud *Paulum*, in quibus Deus dicitur operari in nobis, sed in bonum, nusquam legitur operari blasphemias, cædes & adulteria in malis, etiamsi frequenter ista permittit fieri. Arbitror jam discussa *Lutheri* tela priusquam provolarint. Sed audiamus quid balbutiat. Nam profitetur se velle balbutire & inceptire. Assumit & aliud hoc non minus impudens, æquat hominem lapsum Satanæ, quasi uterque sic sit aversus à Deo, ut perpetuo conversi ad suas cupiditates, non possint velle bonum. Pro se respondeat Satanas *Luthero*. Pro homine dicam: falsum est quod assumit, cum *Paulus* in peccatoris hominis persona loquatur, *velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Imo in hujus sermonis ingressu, naturæ humanæ personam agit dicens: *Ego autem aliquando vivebam sine lege*, &c. Residet in hominibus honesti semina, inest & nisus aliquis ac pronitas ad recta, licet in plerisque major sit ad diversa proclivitas. Potest igitur & homo sine peculiari gratiæ dono, aliquo usque velle bonum aliquid, sed illud bonum, quod adducit ad felicitatem, efficaciter velle non potest, absque principali gratiæ præsidio. Totum autem adscribitur divinæ bonitati, non quod homo nihil agat, sed quod à Deo proficiscantur omnia, quibus aliquid possumus, volumus, agimus aut sumus. Nec est in homine malitiosa aversio à Deo, quemadmodum in Satana, sed infirmitas potius est, quam malitia: perversitas autem in nonnullis non tam est à natura, quam à consuetudine parta peccatis, graviora levioribus accumulando. Sed *Luthero* nihil placet nisi hyperbolicum. Jam quantum videmus discrimen in pueris: Quosdam dicas ad omnem natos malitiam una cum lacte pravam mentem imbibisse, alios ad certa vitia propensos, ab aliis abhorrere. Nonnullos mediocriter affectos, & ad virtutem & ad turpitudinem. Quorundam indoles tam est ad virtutem sequax ac docilis, ut præcurrant, non sequantur. Dicas ad pietatem, & ad omnem vitæ probitatem natos. Et hæc semina produnt sese his etiam annis, quibus nondum valent usu rationis, ut intelligas à natura insita: sive hæc tanta inæqualitas proficiscitur ex temperatura corporum, sive ex parentum aut nutricum moribus, sive ab astris, sive aliis ex causis nobis incognitis: certe à baptismo non est, cum is sit omnium communis, & inter Ethnicos fuerit eadem ingeniorum differentia, nec à peccato principum hominum, cum hoc ex æquo pertineat ad omnes. Nihil horum distinguit *Lutherus*, sed in malitia parem facit hominem Satanæ, hominem rudem ac nondum in vitiis inveteratum, homini qui jam assiduitate peccandi hominis sensum exsuit, & in feram, ut ita loquar, abiit, qualis erat *Pharao*, de quo nobis hîc erat institutus sermo. His argumentis subductis, quid colligit *Lutherus?* Sed colligit tamen. Quid? *Satanas & homo natura impius, est tamen aliquid: & cum peccant, peccant autem semper, nec possunt non peccare, agunt aliquid. Deus autem ut prima causa generaliter agit in omnibus rebus conditis sive bona sint, sive mala. Ita fit ut omnipotens illius motus, rapiens & agens omnia, agat in impiis quicquid perpetrant facinorum, quemadmodum & in Satana, nec tamen illi non sunt impii quia secus agere non possunt, nec Deus male agit, qui operatur omnia mala. Veluti si bonus eques agat equum claudum, aut si bonus faber utatur mala securi, opus malum faciet, cum ipse bonus sit artifex. Quod si quid obstiterit impie agentibus, effervesset impietas ejusdem Dei motu.* Hæc *Lutherus*. Habes quomodo Deus operatur mala, & quomodo induret hominem, habes præclarum sophisma, non è divinis Libris, sed è Philosophorum adytis petitum atque huc detortum, quanquam nec hîc convenit inter Philosophos, nec quisquam Philosophorum ausus est falsis Diis adscribere mala opera. Atqui jam dictum est, nos hîc non agere de universali motu primæ causæ, juxta quam cooperatur Deus & adulteranti, & venenum paranti, & occidenti, sed quatenus hæc operatur Deus, mala non sunt. Sunt enim aliquid, & iisdem finibus circumscribitur entis & boni cognomen. Ergo & juxta Philosophorum rationem falsum est, Deum operari mala. Neque quadrat hîc equitis & equi comparatio: equus bipes aut tripes non ambulat, claudus incommode quidem ambulat, ambulat tamen quo vult sessor. At *Lutherus* facit hominem, equum in diversa tendentem, quam vult sessor, proinde magis congruebat equi retrogradi similitudo. Quanquam nec ea satis congruit dogmati *Lutherano*, qui dicit hominem in bonis nihilo plus agere, quam agat securis in manu fabri, aut lutum in manu figuli. Rursus alius scrupus: Fatetur Deum operari mala, negat tamen male agere. At hîc fatetur fabrum male secare, si malam habeat securim. Quanquam hæc, ut dixi, non proprie faciunt ad id quod in manibus est. Si Deus operatur quicquid agunt formicæ, ranæ, boves & asini, serpentes, pisces & volucres, ignis, aer & aqua, Angeli boni pariter ac mali, homines pueri, juvenes, senes, probi, improbi, quid novi legimus, cum audimus, *Induravit Deus cor Pharaonis*, aut, *seduxi Prophetam illum?* Quoniam autem hæc paucis locis dicta reperiuntur, oportet aliquam peculiarem actionem designatam esse. Magna erat turba Pseudoprophetarum ætate *Pauli*, non tamen dixit, quod Deus illos seduxerit, sed spiritum erroris ait in eis operari. Quanquam apud *Ezechielem* XIV. dicitur à Deo seductus Propheta, qui seducit vaticinio suo populum. Tropus igitur hic non actionem primæ causæ generalem, sed quiddam peculiare nobis innuit. Sequitur autem & aliud absurdum: Ut eundem hominem ad idem opus simul agat Deus optimus ac Dæmon pessimus, & ejusdem peccati duo erunt operatores, Spiritus Dei & Spiritus Satanæ operans in filiis diffidentiæ. Dicet aliud actionis genus, quo Deus movet universa, & quo Satanæ Spiritus agit impios. Missum igitur faciamus illum primæ causæ motum universalem, ac de illa tractemus operatione Spiritus, quæ opponitur operationi Satanæ. Ad hunc gnomonem oportuit interpretari, *Indurabo cor Pharaonis*, & similia.

Vides quam nihil adhuc præstiterit eorum quæ fuerat pollicitus, & tamen quasi jam evicerit, ipse sibi canit encomium: *Hæc*, inquiens, *rata & certa sunt, Si credimus omnipotentem esse Deum.* Credimus, impiam esse creaturam Dei, non simpliciter agnoscimus. Nec fatemur hominem hoc ipso quod natus est esse impium, abunde satis est, si fateamur illum exclusum à gratia filiorum Dei, ob unicum peccatum, quod nec admisit ipse, nec admittendi dedit occasionem, præsertim si prognatus sit ab iis, quos *Christi* gratia jam ab eo peccato purgavit, etiamsi residet aliquod avitæ transgressionis vestigium, ad exercitationem pietatis, & custodiam modestiæ. Nunc mihi vide quam hyperbolicus sit *Lutheri* sermo: *Et tam*, inquit, *non potest non furere, quam non potest non cupere & quærere. Et tam non potest non cupere, quam non potest non esse, cum sit creatura Dei, licet vitiata.* Bis hîc peccat *Lutherus*: Primum, quod natura vitiata prona est in malum ex parte, interpretatur, quasi tota feratur ad impia, quod longe secus habere jam demonstravimus. Alterum, quod fuco sophistico inculcat naturam hominis vitiatam esse creaturam Dei, cum natura hominis quatenus vitiata est non sit creatura Dei, nec in hac Deus operetur malum quatenus malum est. Nam est & in peccando actio quædam & res natura bona, ut in adulterio, corpora, visus, contactus, & amor. Verùm hic generalis primæ causæ motus non explicat quæstionem, quæ est in manibus. 150.

Nondum audimus Dei tonitrua. Nam hoc commentum hausit ex Philosophia, quam toties detestatus 151.

est,

Digitized by Google

est, quemadmodum & sophisticen, cum non alio magis confugiat, quoties urgetur argumentis. Sed animadvertens nondum satis esse mollitum illud indurandi verbum, adfert aliud commentum. *Indurare*, inquit, *est malum facere. Proinde Deus non sic indurat quasi de novo in nobis malum creet, perinde quasi caupo malus in vas sincerum infundat venenum, ipso vase nihil agente. Sed Deus*, inquit, *operatur in nobis, id est, per nos, mala, non suapte culpa, sed nostro vitio, quos natura malos actione sua rapit, quemadmodum operatur & in Satana, licet nostro malo utatur bene.* Ut dissimulem, quod ubique Satanæ dissimilem causam miscet cum causa hominis: non enim Satanam Deus genuit malum, quemadmodum quotidie gignit homines malos & impios etiam, si *Luthero* credimus; nec Satanas ob alienum peccatum malus est, sed ex propria malitia, nec habet insita virtutum semina, quemadmodum habet homo nascens. Si indurare est facere malum, ut exponit *Lutherus*, & Deus indurat, juxta simplicem sensum & Grammaticorum leges exclusis tropis, id quod hîc agebat *Lutherus*, Deus fecit *Pharaonem* malum. Neque enim Sol dicitur indurare silicem, quem durum reperit, sed limum, quem mollem reperit. Verùm hîc qui nobis ob tropum tam insolenter insultabat, ad tropi præsidium confugit, exponens quomodo debeat accipi, quod Deus indurasse dicitur *Pharaonem: Indurat*, inquit, *hoc est, agens per illum malum, quemadmodum agit per universas res, abusus est illius mala natura ad gloriam suam & salutem populi sui, quasi bonus artifex malo instrumento malum faciat opus.* Objicit nobis *Lutherus* quod tropis ac sequelis satagimus, ut Deum defendamus esse justum ac bonum, verùm ipse multo longius petitis tropis & collationibus hoc agit, ne videatur bonus aut justus. Nam Deus non solum sapiens est & bonus artifex, verum etiam bonus Deus. Jam fieri potest ut bonus vir & idem bonus artifex, faciat opus imperfectum destitutus idoneis instrumentis: at quis diceret bonum virum, qui malis instrumentis sciens fecerit opus, in quo nihil esset boni, qualia *Lutherus* fingit omnia hominis opera, nondum per gratiam justificati, imo per omnia malum: veluti si faceret testudinem, quam sciret illico corruituram in capita inhabitantium, aut discum conficeret ex argilla venenata, præsertim cum illi esset in manu mutare vel materiam vel instrumenta. Magis hîc quadrabat collatio boni Regis, qui malis spiculatoribus abutitur ad puniendos malos, aut defendendos bonos; verùm id non facit perpetuo, sed quoties res postulat. Nec est malum opus, quod Rex per illos agit, sed bonum opus, licet illi peragant animo non bono. Nec sic agit per illos, quemadmodum faber per securim, sed quemadmodum herus per ministrum, qui & ipse operatur, licet impulsu Domini. Hactenus igitur *Lutherus* tropum pepulit, sed alio tropo, veluti clavum clavo, pollicitus nobis simplicissimum ac germanissimum Scripturæ sensum. Quanquam ne sic quidem poterit elabi. Cum ait *indurabo*, juxta Grammaticos, non significatur præteritum, sed futurum, ut alterutrum sit necesse, aut Deum in illo genuisse novam malitiam, aut ei, quam reperit, accessionem adjunxisse. Quantulum autem refert, utrum adferas morbum, an adaugeas? Sed omitto mentis habitum, certe quæ dicebat faciebatque *Pharao*, erant actiones novæ, quas Deus in illo operatus est, otioso & nihil agente, sed nihil aliud quam patiente juxta securis & serræ parabolam. Nec sublevat *Lutherum*, quod Deus naturam *Pharaonis* ab initio reperit malam, cum illam ipsam naturam gignendo induraverit, si *Luthero* credimus, quasi faber malis instrumentis, quæ ipse parit, faciat malum opus. Quod si hîc confugerit ad primam massam peccato vitiatam, hoc ipsum primum peccatum sic Deus operatus est in *Adam*, quemadmodum operabatur in *Pharaone*, nimirum prima causa motu suo omnipotente rapiens omnia. Si dicat *Adam* peccasse subtracta gratia, tota calamitatis invidia recidit in Deum, qui præter culpam, *Ada* subtraxerit gratiam. Hîc confugiet ad arcanam voluntatem, at nos negamus esse necesse, cum probabilius, & juxta sententiam Orthodoxorum omnium, origo mali referatur ad liberum arbitrium. Quanquam multa tradunt de statu primorum parentum, in quo fuerunt conditi, quæ certo doceri non possunt ex sacris Litteris. Verùm hominem sic conditum legimus, ut esset illi liberum deflectere in malum si vellet, & hærere bono, si vellet. Legimus *Evam* à serpente circumventam, sollicitatam pulchritudine pomi, *Adam* ab uxore fuisse seductum. Quod Deus ultro subduxerit illi gratiam, non legimus. Quod legimus tenemus, quod affingitur rejicimus. Jam si voluntas hominis nihil agit nec in malis, quid est quod aliquoties repetit *Lutherus*, Adam *sua voluntati relictus?* Ita-ne voluntas hominis erat condita mala, ut illi relictus, statim raperetur ad impietatem? Probabilius igitur est, eum dici relictum suæ voluntati, quem Deus passus est uti suo arbitrio, cum posset retrahere vacillantem. Hîc exsistit alia quæstio, an *Adam* potuerit obsistere tentationi sine accessione novæ gratiæ. Verùm præstat hoc agere quod est institutum. Adducit huc ex Libris Regum, quod de *Semei* maledico dixit *David*, *Dominus præcepit illi, ut maledicat David.* Fatetur absurdum, si quis accipiat Dominum præcepisse maledico, ut justum incesseret convitiis. Itaque qui profitebatur se rem exclusis tropis explicaturum, hîc rursus ad tropos confugit, immane quam è longinquo petitos. *Eo* David *respexit*, inquit, *quod Deus omnipotens dixit & facta sunt, hoc est, verbo æterno omnia facit.* Quam durus hic tropus est, qui tamen non hîc tantum habet locum, sed in omnibus sceleribus. Dominus præcepit, ut Pharisæi blasphemias jacularentur in Filium Dei pendentem in cruce, præcepit ut Lucifer desciscceret à conditore suo, præcepit ut seduceret *Evam*, præcepit ut *David* occideret *Uriam*, & uxorem corrumperet adulterio, præcepit ut *Judas* osculo proderet *Christum*, præcepit ut milites illum indigne tractarent, præcepit ut Pseudapostoli & hæretici vexarent Ecclesiam Dei, præcepit ut tyranni sævirent diris suppliciis & mortibus in discipulos *Christi*, præcepit ut hodie Satanas non desinat hominum animos ad turpia sollicitare. Hæc si mollia sunt, si simplicia, si sensui communi consentanea, vicit *Lutherus*, etiamsi non sine tropo; Sin coacta, dura & frigida, quid est cur ob hæc ab Ecclesiæ decreto recedamus? Verùm cum hoc sermonis genus non reperiatur in sacris Litteris, nisi paucis locis, ubi Deus abutitur malitia hujus, aut illius, vel ad emendationem bonorum, vel ad punitionem malorum, vel ad aliam rem bonam, ne admisceamus huic negotio generalem illam primariæ causæ actionem, sed adferamus aliquid peculiare, ubi sermo non est in genere, sed de hoc aut illo proprie loquitur, *Ego Dominus seduxi Prophetam illum*, id est, passus sum illum falsis prædicationibus decipere populum, sic meritum. Ita fecit suos aberrare à recta via, non revocans illos afflictionibus, nimirum sic commeritos, qui toties Deum revocantem spreverant. Sic emittit Spiritum in ora Prophetarum mendacem: Sic tradidit quosdam in reprobum sensum, vel ut ingravescens ac proditus morbus facilius corrigeretur, vel ut omnibus perspicuum esset, illos justo Dei judicio fuisse desertos. Jam cum *Lutherus* fatetur, Deum data occasione *Pharaonem* induraſse, non ita multum abest à nostra sententia. Hoc idem affirmant, quorum interpretationem retuli. Facere dicitur qui dat occasionem. Verùm hunc tropum in nobis irridet, cum ipse utatur eodem, quanquam non in loco.

Nunc audi triumphum hominis: *Hæc*, inquit, *si persuasimus, vicimus in hac causa, & exclusis tropis & glossis hominum, verba Dei simpliciter accipimus, ne sit necesse Deum excusare vel iniquitatis arguere.* Audiamus igitur simplicem Dei sermonem exclusis tropis & glossis hominum. *Indurabo*, inquit, *cor Pharaonis, simpliciter loquitur, ac si diceret, Ego faciam ut cor* Pharaonis *induretur, seu ut me operante & faciente indure-*

152. 153.

Digitized by Google

duretur, quod quo modo fiat audivimus: Scilicet intus generali motu, ipſam movebo voluntatem malam, ut ſuo impetu & curſu volendi pergat, nec ceſſabo movere, nec poſſum aliter. Foris vero offeram verbum & opus, in quod impinget impetus ille malus, cum aliud non poſſit, niſi male velle, me ipſum malum movente virtute omnipotentiæ. Audivimus humanorum verborum volumen, verbum Dei ſine tropis & gloſſis non audimus, ſed pro gloſſis Orthodoxorum audimus commenta Philoſophorum, & pro tropis mollibus ac receptis, & è proximo petitis, audimus tropos multo duriores, & ab ipſa uſque prædeſtinatione petitos. Sed cui dixit iſta Deus? *Moſi.* Uter Deus prædicatus, an non prædicatus? Utique Deus prædicatus: nam ille alter non loquitur, ſed tacitus agit quæ vult. Atqui Deus prædicatus negat ſe quenquam indurare, ſed veniſſe ſervandis omnibus, nec uſquam docuit ſe induraſſe *Judam*, ut proderet Dominum ſuum, aut Phariſæos, ut ad crucem adigerent agnum omnis expertem maculæ: Breviter quicquid eſt malorum ab ipſo fieri, cum voluntas hominis tantum patiatur & ad bonum opus & ad malum. Quod ſi *Moſes* homo ſpiritualis ſciebat Deum eſſe primam omnium cauſam, & hujus motu omnipotente fieri omnia, quid novi dixit illi Deus, pollicens ſe induraturum cor *Pharaonis*? Quod ſi *Moſes* nondum intelligebat hoc arcanum, nec populus apud quem nomine Dei legatione fungebatur, ubi ſimpliciſſimus ille ſermo, quem pollicebatur *Lutherus* arbitris Grammaticis & ſenſu communi? An quiſquam hoc ante *Lutherum* ſic interpretatus eſt? Nec quiſquam exſtitit in Orbe, qui ſenſum haberet communem, ut Grammaticum ſermonem intelligeret? Si ſciebat populus quod docet *Lutherus* de motu omnipotente, nihil novi dixit Deus: ſi neſciebat, nec hunc ſermonem tam non ſimplicem potuit intelligere. Quid autem ſibi vult *Lutherus*, cum gaudens ut ſemper hyperbolis Deum ita loquentem facit, *Nec ceſſabo movere, nec poſſum aliter.* An Deus non poteſt malitiam impii Regis etiam abſque gratia cohibere ſi vellet, quemadmodum fecit ut ignis refrigeraret tres pueros in fornace *Babylonica?* Non potuit non movere, ſed potuit aliter movere & potuit ibi ſiſtere furentem. Quid dixi, ſiſtere? Potuit in nihilum redigere. Quas hyperbolas, quos verborum fumos objicit nobis hic, qui repudiat omnia, præter ſimplicem ſermonem Dei. Tandem velut his quoque diffiſus alio dilabitur, obiter admiſcens prædictionis ac præſcientiæ mentionem. *Sic*, inquit, *certiſſimus erat, & certiſſime pronuntiabat Deus*, Pharaonem *eſſe indurandum, ut qui certiſſimus erat* Pharaonis *voluntatem nec motui omnipotenti reſiſtere, nec malitiam ſuam deponere, nec oblatum adverſarium* Moſen *admittere poſſe, ſed manente ejus voluntate mala, neceſſario pejorem, duriorem, & ſuperbiorem fieri, dum curſu & impetu ſuo, impingeret in id quod nolebat, & quod contemnebat, confiſus potentia ſua*, &c. Quid opus erat hoc ſermone? Si Deus ideo dixit, *indurabo*, id eſt, ſcio illum fore duriorem quam hactenus fuit, tropus erit aliquanto mollior, quam quem inducit *Lutherus*. Atqui ſi fuiſſet in manu *Pharaoni* mutare voluntatem ſuam perverſam & impiam, nihilo minus certo Deus pronuntiare poterat eum indurandum, quam nos pronuntiamus eum induratum fuiſſe. Sed interim *Lutherus* oblitus ſui, tribuit humanæ voluntati vim agendi malum, cum antea dixerit humanam voluntatem tantummodo pati, non aliter quam ſecuris agitur à fabro, ut jam nihilo plus laudis ſit ſecuri, ſi faber ea faciat aram, quam ſi eadem occidat hominem. Quod ſi hominis voluntas acta motu primæ cauſæ, ſimul agit & ipſa, cur non idem fatetur in opere bono? Niſi forte ſub generali motu manet impetus humanæ voluntatis, ſub gratia agente non manet. Item ſi omnes homines natura ſunt impii, nec quicquam velle poſſunt niſi malum, quî fit, ut hunc viſa uxor alterius pertrahat ad adulterium, ille ſibi temperet, cum neutrum agat Spiritus, & utrique data ſit par occaſio? Rurſus hic pecuniæ cauſa jugulet homines, alius ne repertam quidem pecuniam velit tollere? Hic ultro effutiat ſecretum, alius ne in tormentis quidem effutiat, quod reticendum eſt. Si impietas manat ex origine, ea par eſt omnibus, ſi *Chriſtum* excipias cum ſua matre, quam & ipſam volunt exceptam. Jam poſuimus & occaſionem parem. Motus autem omnipotens, qui rapit omnia, ſine dubio communis eſt omnium. Nec hîc apparet cauſa, cur alius propenſus ſit ad hoc crimen, alius ad aliud, quemadmodum Spiritus variis donis aliter atque aliter agit in diverſis. Rurſus homo violentus ex hoc ipſo loco, quem adverſus liberum arbitrium adduximus, colligit liberum arbitrium nihil poſſe niſi malum. Atqui quomodo dicitur liberum arbitrium, ſi captivum ducitur ad malum tantùm? Deinde ubi eſt, quod nos docuit *Lutherus*, liberum arbitrium eſſe nomen inane, nuſquam exſtans in rerum natura? Præterea quæ tandem eſt conſequentia; Certa præſcientia Deus prædixit indurandum *Pharaonem*, ergo *Pharao* non potuit mutare pravam voluntatem. Imo pulſatus eſt gratia præparante *Pharao*, & flecti cœperat, & fortaſſe reſipiſcere poterat, ſi pulſantem gratiam fuiſſet amplexus. Quod ſi Deus non addidit uberiorem gratiam, non natura nec motus ille generalis fuit in cauſa, ſed animi pravitas per liberum arbitrium multo peccandi uſu contracta. Et ſi Deus negaſſet illi pulſantem gratiam, nihil opus erat, velut ex machina inducere motum univerſalem primæ cauſæ, ſed potius ut *Auguſtinus* facit, merita præcedentia, quibus ſe reddiderat indignum uberiore Dei gratia. Hactenus itaque nihil audivimus à *Luthero*, quod funditus tollat hominis liberum arbitrium, aut meram ſtatuat neceſſitatem: denique quod reſpondeat ſplendidis illis promiſſis, quid interſit inter fumos hominis & tonitrua Dei, & tamen perinde quaſi rem felicibus geſſiſſet auſpiciis, pergit tollere reliquias hujus belli. Roganti cuipiam, cur Deus non ceſſet ab illo motu omnipotenti, reſpondet non eſſe æquum, ut Deus ob impios deſinat eſſe Deus. Hoc dictum utcunque tolerabile eſt, licet interim adimat Deo facultatem eum motum moderandi pro ſuo arbitrio. Neque enim ſemper motus ille rapit Satanam homini molientem exitium, nec impiis ſemper licet quod volunt etiam occaſione objecta. Sed alterum durius eſt, quod addit, ſcilicet ut deſinat eſſe bonus, ne illi fiant pejores. An Deus deſineret eſſe bonus, niſi perpetuo motu ſuo gigneret homines impios, & illorum pravam voluntatem raperet ad agenda mala? Citius credatur bonus, ſi vel coerceat, vel immutet illorum impiam voluntatem. Itaque cum conſtet illum eſſe ſumme bonum, cur per gratiam ſuam non immutat illorum voluntates, quanquam idem poteſt omnipotente ſuo motu, cujus arbitrium habet in manu. Neque enim ſic movetur, ut Sol aut Orbes cœleſtes, nec ſic agit, ut ignis adurit, ſed mera libertate agit ut vult. Hîc nihil habet quod reſpondeat, niſi fateatur eſſe liberum hominis arbitrium aliquid, quo poſito ſimul probatur Deus & juſtus & bonus. Sed mavult ad arcanam Dei voluntatem confugere, quam negat inquirendam, ſed tantum adorandam. Atqui hujus quæſtionis indagatio propius ad nos pertinet, quam illæ veteres de verbo *homuſii*, de Spiritu Sancto ab utroque procedente, de Filio ex eadem eſſentia naſcente, & Spiritu Sancto ex eadem procedente, quem Filium appellare fas non ſit. Quin hîc reſpondebant, myſterium & adorandum eſſe, non inquirendum. Fateor in rebus divinis frequenter occurrere, in quibus adoranda eſt Dei voluntas, non humana ratione ſcrutanda, verùm ea difficultas non ſemper eſt in Scripturis aut rebus, ſed frequenter in animis noſtris, vel illotis, vel parum exercitatis. Rudibus igitur, impiis, & craſſis iſta cantio canenda eſt, ne irruant in adyta divinorum myſteriorum; Piis autem & exercitatis fas eſt cum reverentia ſcrutari, quod divinis voluminibus nobis proditum eſt. Et quibus tantum datum eſt lucis, ut ex Scripturis potuerint colligere, in tribus perſonis eſſe can-

eandem eſſentiam numero, ſimpliciſſimam & individuam, hi tam miſere cæcutierunt in hac materia, cujus bona portio ſic ad nos pertinet, ut quædam etiam ipſo ſenſu queamus dijudicare, de qua nobis tam multa prodiderunt ſacræ Litteræ? Nihil enim moror iſtiuſmodi verba, Si caro & ſanguis hîc offenſa murmurent, Murmurent ſane. Hujuſmodi verborum fumis jam aſſuevimus. Facile eſt nominare carnem ac ſpiritum, at diſcernere difficillimum eſt. Nec facile nobis perſuadetur, omnes retro Doctores fuiſſe carnem & ſanguinem, excepto *Wiclepho*, & his qui nuper exorti negant hominis liberum arbitrium. Iis qui rogant, cur talem condidit *Adam*, ut poſſet labi, cur paſſus eſt labi, ut non deeſt quod reſpondeatur, ita non eſt neceſſe ad omnia reſpondere. Deus voluit agnoſci ſumme juſtus ac ſumme bonus, juſtitia non eluxiſſet, niſi fuiſſet liberum arbitrium, hoc eſt, labendi facultas, bonitas non eluxiſſet, niſi fuiſſet reſtituendi gratia. Idem reſponderi poteſt iis, qui quærunt quamobrem ex eadem maſſa infectos gignat omnes, cum potuerit aliud hominum genus condere, aut purgato ſemine creare nos. Si quis, inquam, pius ac modeſtus hæc cuperet diſcere, talia quædam poterant reſponderi, Sin impius, aut ſtulte curioſus, aut indocilis eadem percunctaretur, illè mereretur audire, quæ nunc *Lutherus* non mihi, ſed univerſis Eccleſiæ proceribus recinit, *Deus eſt, facit quæ vult, adora myſterium, ne inquirito, Non eſt illi præſcribenda regula, cum ipſe ſit regula omnium.* Quod ſi libet ubilibet hanc ſententiam occinere, cur tam multa quærunt ſacri Doctores in divinis Libris, & reddunt rationem plerumque certam, interdum probabilem, veluti cum inquirunt, cur *Chriſtus* voluerit naſci ex virgine, cur ex conjugata, cur apud Judæos, cur peregre, cur in publico diverſorio, cur ſub *Auguſto* Cæſare, cur in ſolo *Lazaro* excitando legitur infremuiſſe ſpiritu, & lacrymas fudiſſe, cur paſſus amicum mori, cur tam ſero profectus eſt in *Bethaniam*, cur juſſit ſibi commonſtrari ſepulcrum, cur juſſit tolli lapidem, cur ſic inclamavit, cur ſolvi juſſit, ac dari cibum. In his veſtigandis cum ſe ſalubriter exerceat Chriſtiana pietas, cur in aliis Scripturæ locis non idem liceat, modo reverenter ac religioſe? Quod ſi percunctator talis fuerit, ut appareat fore deteriorem ſi reſpondeas, hic ablegandus eſt dicto Pauli, *O homo tu quis es qui reſpondes Deo?* Deus eſt, non poteſt non eſſe juſtum ac bonum quicquid dicit facitve, etiamſi tibi ſecus videatur.

154. Satis, ut arbitror, demonſtratum eſt, *Lutherum* nec præſtitiſſe quod promiſerat, cum hactenus nihil adduxerit niſi Philoſophorum commentum, de motu omnipotente, quod ut verum ſit, certe hic friget: nec abſque tropo conatum efficere quod inſtituit, cum pugnam inſtituerit adverſus omnes tropos & ſequelas, imo pro unico tropo ſermonis uſitato & è proximo petito, produxiſſe nobis tropos complures, duros ac ferreos, novos & inauditos, ab extramundanis uſque petitos. Præterea declaratum eſt, in verbis evidentem abſurditatem, ſatis idoneam dediſſe cauſam, ut ad tropum confugeremus, quem oſtendimus cum aliis Scripturæ locis congruere, nec abhorrere à communi loquendi conſuetudine. Et ne protinus rejiceretur *Eraſmi* tropus, nominavi probos auctores, *Origenem*, *Hieronymum*, *Chryſoſtomum* ac *Theophylactum*, qui non tantum aſſeverant, ſed rationibus idoneis probant quod interpretantur. Quin & ideo nominavi meos auctores, ut alius, qui vellet aut poſſet, commodiorem inveniret tropum, qui verborum abſurditati mederetur. Nunc ſupereſt, ut *Lutherus* pari felicitate doceat nos, ipſius commentum eſſe ſenſum Sancti Spiritus, idque non humanis rationibus, ſed ex ipſo loci tenore, quod ſane probandi genus in ſacris Litteris efficaciſſimum eſſe fateor. Verùm quid erit tam evidenter ſcriptum in arcanis Litteris, quod non detorqueat ad ſuum dogma, cum norit nobis interpretari pro *merito*, pollicitationem, pro *mercede* eventum, pro *quærere*, eſſe in via, pro *indurari*, moveri à prima cauſa. Sed ſpectemus quem nobis exhibeat artificem. Hanc partem aggreſſurus præfatur ſuo more,

A Diatribam appellans tropologam, quaſi meam ac non potius Veterum ſententiam recenſuerim: aut quaſi ſola Diatriba agat tropis & ſequelis. Quod ſi tractans ſacras Litteras nec tropum admittet uſquam, nec aliud ex alio colliget, quid tandem efficiet, præſertim in locis inter ſe pugnantibus, juxta ſpeciem duntaxat? Exorditur autem à generali convitio in omnes qui tropis utuntur in ſacris Libris explicandis, quibus ait eſſe morem, ut fortiter contemto textu, verbum aliquod decerpant, quod tropis torqueant. Sic Diatriba, &c. Hæc petulantiſſime dicta, totieſque in hoc glorioſo libro repetita, in quem recidunt? Non in Diatribam, quæ bona fide recenſuit opinionem Veterum, ſed in probatiſ-
B ſimos Eccleſiæ Doctores, in quos ita ſub Diatribæ fuco debacchatur, quemadmodum olim *Julianus* ſub *Auguſtini* nomine, ſacros Eccleſiæ Doctores faciebat *Manichæos*. Si illi verbum è contextu decerptum torquent, cur accuſatur ſola Diatriba? Verùm illos *Lutherus* fortiter contemnit, ne dicam impie. Contemnit, ſed ubi dogmatibus ipſius adverſantur; ubi videntur ſuffragari, non gravatur etiam *Gregorium* citare, aut dictum aliquod ex hiſtoriola decerptum. Eodem autem animo quo maledicit *Hieronymo*, malediceret & *Paulo*, ſi auderet, quoties non facit ad ipſius dogmata. Sed maluit in Diatribam ſcurrari (nam hoc illi viſum eſt elegans inventum) ſic cogitans, ludos deliciaſque faciam Diatribam,
C ita fiet, ut omnes auctoritate mea moti, conſpuant illam, nec dignentur lectione, Tanta ſcilicet eſt mei nominis auctoritas. Hæc ſibi pollicebatur glorioſus miles. Quis eſt omnium *Origene* diligentior in connectendis Scripturæ partibus, & obſervando, unde orſus, qua pergat, quo evadat Spiritus? At quo tandem argumento rejicit tropum Veterum? *Si Deus*, inquit, *induravit* Pharaonem *differendo pœnam, quid novi dictum eſt, cum eadem tolerantia induret omnes impios, abutentes Dei tolerantia?* Accipio lemma, ſed hoc telum mox retorquebo in jaculantem. Si ideo ineptus eſt tropus,
D quod *Pharaoni* tribuit quiddam quod eſt omnium impiorum commune, multo minus valebit commentum ipſius de motu generali primæ cauſæ, quod adeo non eſt peculiare *Pharaoni*, ut commune ſit non jam dicam piis & impiis, ſed ranis & crocodilis, viperis & ululis, denique rebus omnibus. Ut omittam interim non citra controverſiam eſſe quod aſſumit. Etenim ſi quis neget Deum ut primam cauſam in ſingulis rebus, ac ſingulis actionibus cooperari ſecundis cauſis, quomodo evincet? videlicet quoties lapis ex alto decidit in terram, eum ferri impulſu Dei, non ſola generali naturæ vi. Aut quoties urit ignis, impulſu ejuſdem urere. Proinde quod colligit *Lutherus*, *Vides igitur*, inquiens, *nihil prorſus ad rem facere tropum iſtum hoc loco, ut*
E *qui generaliter ad omnes pertinet, qui peccant lenitate divina tolerati*, &c. nos in ipſum totidem verbis regerimus. Vides igitur, *Luthere*, nihil prorſus ad rem facere tropum iſtum hoc loco, ut qui generaliter ad omnes pertinet, qui peccant & non peccant, & non ſolum ad homines, verum etiam ad aſinos & mulos, cum calcitrant aut aliud faciunt, rapti omnipotenti motu Dei. Nonne belle excuſſit tropum, non meum, ſed probatiſſimorum Eccleſiæ Doctorum? Quanquam hîc alium adhibuit fucum artifex. *Origenes* adducit tropum, quo *indurare* dicitur, qui indurationis dedit occaſionem, hoc jam pertinet non minus ad oblatas moleſtias, aut alias occaſiones, quam ad tolerantiam. Cæterum quod non ponit exemplum niſi de lenitate, facile eſt videre quid
F ſit in cauſa, quoniam hujus partis explicatio favorabilior erat quam alterius. Verba Diatribes ſic habent: *Origenes libro περὶ ἀρχῶν tertio ſic explicat nodum, ut fateatur occaſionem indurationis datam à Deo, culpam tamen in* Pharaonem *rejiciat, qui ſua malitia factus ſit obſtinatior, per hæc per quæ debebat ad pœnitentiam adduci.* Conſtat autem multos afflictionibus, moleſtiis ac miraculis adduci ad reſipiſcentiam. Et falſiſſimum eſt, quod interim aſſumit *Lutherus*, omnes malos indurari, tum ſeveritate Dei, tum lenitate. Imo

Digitized by Google

multos morbus aut alia calamitas etiamſi non transformet ad pietatem, tamen coercet à licentia peccandi: & ſi non facit, ut plane boni ſint, tamen facit ut minus ſint mali. Teſtatur hoc *Plinius* Junior in Epiſtola quadam quantis cupiditatibus malis ægrotatio quorundam animos liberet. Idem dici poteſt de rerum proſperitate: Solos feroces, & adverſus Deum erectos indurat & lenitas & ſeveritas Dei, quod accidit *Pharaoni*. Quoniam autem *Pharao* motus malis cœperat reſipiſcere, fortaſſe dimiſiſſet populum, ſi Deus conſtanter preſſiſſet illum immiſſo malo: nunc utroque modo induratus eſt, vel omnibus potius, non omnipotenti motu primæ cauſæ, quæ movet etiam ranas & viperas, ſed occaſione objecta perverſo Regis animo: quemadmodum ſi quis igni reſinam injiciat, aut rapido flumini tranſverſam molem invehat, quo magis æſtuet. Hoc autem erat peculiare quiddam, non ab univerſali motu, ſed à propriis cauſis proficiſcens, quas etiamſi nequeamus divinare certo, tamen juſtas fuiſſe credimus. Sed audiamus *Lutherum*, ſermonis *Paulini* ſcopum ac ſermonem explanantem: *Hoc* inquit, *agebat Deus, ut in Hebræis confirmaret fiduciam in ipſius promiſſis, poſteaquam comperiſſent tot difficultatibus fruſtra obſtantibus nihilo ſecius Deum præſtitiſſe quod promiſerat.* Hactenus nihil repugno *Luthero*. *Et ob id*, inquit, *Deus toties prædixit futurum, ut* Pharao *induraretur, diuque diſtulit extremam pœnam, quo multis prodigiis editis magis illuſtraretur & præſcientia, & virtus, & fides Dei.* Nec hîc refragor admodum, niſi quod hæc vocula, *ut*, frequenter in divinis Litteris eventum ſonat, non propoſitum aut finem, Indurabo per occaſionem, & ſcio prædicoque fore, ut non dimittat populum meum. Excitat autem ille, non qui immittit mentem, ſed qui occaſionem exſtimulat, quaſi Medicus oſtenſa vi pecuniarum excitet lethargiam avari. Cæterum quod addit, *Malitiam* Pharaonis *operor, & in manu mea habeo;* Si dixit *operor malitiam*, pro objicio occaſiones reſipiſcendi, quas ille vertit in majorem malitiam, non refragor. Alioqui duriſſimus eſt ſermo, nec ferendus Chriſtianis auribus, *Deus in homine operatur malitiam.* Nam *malitiam in manu habere* recte dicitur, cui in promtu eſt eam ubi libuit coercere. Sciebat Deus *Pharaonem* nec plagis territum, nec remiſſione correctionis mitigatum, dimiſſurum Hebræos, jamque decreverat illum exitio dare. Hoc exitium diſtulit, quo magis eluceſceret Dei juſtitia in puniendo Rege & bonitas erga populum ſuum. Veluti ſi Rex hominis ſupplicio capitis deſtinati malitia abutatur ad puniendos ſontes, aut in exemplum aliorum, ne ſimiliter contemnant juſſa regia. Et tamen interim quæ objiciuntur, poterant eſſe occaſiones reſipiſcendi, ni perverſitas obſtitiſſet, ex natura tantum inſita, ſed multo magis ex vitiorum habitu collecta. Nihil igitur hîc opus erat omnipotente motu, nec Deo ſine tropis in *Pharaone* operante malitiam. Quod autem enthymematis genus hoc eſt, *Si ulla fuiſſet in* Pharaone *vertibilitas, Deus non potuiſſet certo prædicere illius indurationem?* Sed homo verecundus dixit, *Non tam certo.* An Deus alia certius præſcit, alia minus certo? Ipſe *Lutherus* cum vellet æquior videri, conceſſit homini liberum arbitrium in rebus inferioribus. Eſt igitur homini in manu jugulare capum in cœnam, & non jugulare. An hîc Deus non poterit certo prædicere, quid homo facturus ſit? Si Deus non aliter præſcit futura, quam ſcit facta, quomodo dicitur quædam minus certo præſcire, quod ſit in arbitrio hominis facere aut non facere? An hîc *Lutherus* videtur fuiſſe ſobrius? Et iterum inculcat, Deum non potuiſſe omittere operationem omnipotentiæ generalem. Quid igitur, an Deus non poteſt efficere, ut Sol conſiſtat, & flumina relabantur ad fontes? Cum impio confert gratiam, mutatque voluntatem, nonne hac in parte mutat actionem generalem?

157. Audivimus quam dilucide nobis explicuerit *Lutherus* contextum ac tenorem ſermonis *Paulini*, nihil ſequutus niſi ſimpliciſſimum abſque tropis ſermonem: imo ſermonis hujus exordium erat, Cap. II. progreſſus tertio, quarto, & deinceps ſequentibus. Quoniam *Judæi* vindicabant ſibi juſtitiam ex obſervatione Legis, quam tamen re vera non obſervabant, adeo ut minus tribuerent Euangelicæ gratiæ, quam oportebat, nec Gentes quoniam erant à Lege alienæ, cenſerent recipiendas ad Euangelicam promiſſionem, niſi Legem reciperent: Rurſus apud Gentes erant Philoſophi, qui ſuis decretis ſummum bonum ac felicitatem pollicebantur, abſque Lege *Moſaica*, ſineque gratia Euangelii: *Paulus* hoc agit, ut utroſque dejiciat à ſtulta fiducia, doceatque jam nec ex Legis obſervatione dari ſalutem, nec ad ſalutem omnino requiri Legis ceremonias, quibus illi plus tribuebant, quam ſpiritualibus Legis præceptis, quæ non ſuſtulit Euangelium, ſed explicuit. Deinde oſtendit neutros eſſe juſtos, ſed omnes ex æquo egere gratia Euangelii, quæ proferretur pariter omnibus, non ob merita præcedentia, ſed ex gratuita promiſſione Dei, cui quiſquis fideret ex quacunque gente profectus, ſervaretur, declarans nihil obfuturos vitæ prioris errores ſi reſipiſcant, nec Judæis profuturam Legem, niſi reſipiſcentes agnoſcant Euangelii gratiam. *Judæis* erat facta promiſſio, quæ tamen illis nihil eſſet profutura, niſi crederent Euangelio: nec erant habendi pro poſteris *Abrahæ*, ſi non reſponderent fidei *Abrahæ*. Jam enim *Judæi* repugnabant Euangelio ſtudio veteris Legis, & Gentes incircumciſæ ſubito per fidem facti ſunt veri filii *Abrahæ*. Hæc *Paulus* varie diſputat aliquot Capitibus. Proinde ne Gentes diffiderent de promiſſis, eo quod eſſent alienæ à Prophetis ac Lege, præſertim cum viderent Judæos mordicus tenere Legem, adimit utriſque fiduciam operum, & utroſque æquat in Euangelii gratia per fidem. Non autem eſſe mirum, ſi plerique *Judæi* rejicerent Euangelium ipſis nominatim promiſſum, cum nollent credere, neque quiſquam eſſet gratiæ capax, niſi crederet. Et hoc ipſum præſciſſe Deum, ut populus Iſraeliticus deficeret ab Euangelio, atque hac occaſione fores aperirentur Gentibus, quamlibet alienis à Lege & Prophetis. Summam enim hujus beneficii pendere à liberalitate Dei, & hominum fide. Jam ne Judæus quereretur, cur rejicit Deus populum ſuum, quem elegit, quem tot promiſſis lactavit, quem tot magnificis titulis honoravit, & pro his recipit impuras Gentes idololatras, ac vitæ contaminatiſſimæ, docet Deum omnium futurorum præſcium, cuique non pro generis nobilitate, ſed pro meritis futuris ſtatuere honorem & contumeliam, quemadmodum ex *Abraham* natum *Iſaac* honoravit hæreditate promiſſionis, *Iſmaelem* ex eodem prognatum ejecit ex ædibus, & ex *Iſaac* propagatus eſt populus Deo carus, ex *Iſmahele* nationes profanæ. Rurſus ex eodem patre, eadem matre, eodem partu prognati ſunt *Jacob* & *Eſau*, tamen *Jacob*, cujus pietatem præſciebat, fecit Patriarcham duodecim Tribuum, *Eſau* Gentium barbararum principem. Unde his honos decretus eſt, alteris nequaquam? Quia ſic ex juſtis cauſis præſcivit ac prædixit Deus futurum, quemadmodum præſcivit ac prædixit futurum, ut Judæi rejicerentur ab Euangelii gratia, & Gentes in hoc honoris adoptarentur, ut in *Judæos* ederet exempla ſuæ ſeveritatis, ſicut fecit in *Pharaone*, & in Gentes declararet exempla ſuæ bonitatis, veluti fecit erga filios *Iſrael* ab *Ægyptia* ſervitute liberatos. Gentes invitavit ad Euangelium, non vi coegit: Nec Judæos vi repulit, ſed obſtinate reſiſtentes Euangelio, tot expertos beneficia, tot conſpectis miraculis, jamque dignos exitio, veluti vaſa iræ parata in interitum propoſuit horrendum omnibus exemplum, ut in illis perſpicerent, quantum ſit periculum adſpernari gratiam Dei ſemet offerentem. Fuit igitur inopinatus eventus, ut populus ille Deo peculiaris ac dilectus ſic rejiceretur, ut eſſet quemadmodum eſt & hodie, mortalium omnium abjectiſſimus, & Gentes vel tam impiæ, ut merito debuerint à Deo in tartara mitti, vel tam barbaræ, ut vix homines

Digitized by Google

nes viderentur, repente in numerum filiorum Dei adſciſcerentur. At Deus *Judæorum* pervicacia abuſus eſt in ſuam gloriam, ac Gentium ſalutem: & Gentium fide uſus eſt ad declarationem ſuæ benignitatis in omnes qui credunt Euangelio, in utriſque demonſtravit certiſſimam fidem promiſſionum. Nam utrumque prædictum erat à Prophetis, ut & *Judæi* reprobarentur, & ad Gentes demigraret Euangelii gratia. Hîc adhuc nulla coactio eſt aut neceſſitas, quam fingit *Lutherus*. *Judæi* ex olea ſunt exciſi, ut idem *Paulus* mox docet Capite XI. & Gentes ex oleaſtro inſitæ ſunt in olivam. Quam ob cauſam? Propter credulitatem & incredulitatem. Gentes oblatæ Euangelii gratiæ non defuerunt, ſed agnoſcentes ſuam impietatem, amplexæ ſunt benignitatem: *Judæi* contra majore gratia provocati ad reſipiſcentiam, magis indurati ſunt adverſus Euangelium. Hîc vides libero arbitrio locum dari, quod ſe gratiæ pulſanti præbet ſi velit, & accipit juſtificantem gratiam, & avertit ſe ſi velit, atque indignum reddit hominem majore gratia. Siquidem *Paulus* non ſolum oſtendit has, quas dixi, cauſas, dicens, *propter incredulitatem fracti ſunt rami, tu autem fide ſtas*: verum etiam oſtendit in nobis eſſe ſitum, ut decidamus à gratia, aut ad gratiam oblatam convertamur. *Noli altum ſapere, ſed time, alioqui & tu excideris, ſed & illi ſi non permanſerint in incredulitate inſerentur.* Qui dicit, *noli altum ſapere*, nonne indicat quomodo poſſit homo excidere à gratia? Nimirum ſi ſibi tribuat quod gratis accepit à Deo. Verùm hanc arrogantiam *Lutherus* tribuet ſubtractæ à Deo gratiæ, at Orthodoxi melius ſentientes de bonitate juſtitiaque Dei, tribuunt libero arbitrio. Quanquam non negamus Deum piis nonnunquam auferre gratiam ad tempus, quo poſt lapſum ſtent firmiores. Verùm quod ob peculiares cauſas in hoc aut illo fit, non pertinet ad generalem diſputationem. Cæterum qui dicit Deum dare gratiam immerenti, non ob aliud niſi quia ſic placitum eſt, & ſi non comprobat Dei juſtitiam, exaggerat tamen illius bonitatem. At qui prædicat Deum id, quod gratis dedit ad ſalutem, ultro ſubducere homini in perniciem, nulla hominis culpa offenſum, parum pie loquitur de ejus inæſtimabili benignitate. Rurſus in hujus Epiſtolæ undecimi Capitis fine docet idem aliquanto lucidius: *Quid ergo*, inquit, *dicemus? Quod gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam, Juſtitiam autem quæ ex fide eſt. Iſrael ſectando legem juſtitiæ in legem juſtitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.* Vides non ſine cauſa rejectos *Judæos*, videlicet ob fiduciam operum legalium, quibus inflati reſiſtebant Euangelii gratiæ. Nec eos, qui ſervati ſunt ex Gentibus, ſine cauſa fuiſſe ſervatos, ſed ob ſimplicem credulitatem. At fides, inquiet, eſt donum Dei, nec eſt in noſtra poteſtate. Fateor, ſi ſentias de fide per gratiam juſtificante: verùm ut eſt cognitio quædam præparans ad lucem fidei, ita fides quædam eſt humana, ad fidem juſtificantem præparans hominem: ut ſunt juſtitiæ gradus, ita ſunt & donorum, donec pervenias ad id quod mere naturale, atque hoc ipſum habet ſuam gratiam, cum auctor naturæ ſit Deus, ut fruſtra metuat *Auguſtinus*, ne initium gratiæ dicatur ab homine proficiſci. Poſtremo ſic eſt in manu hominis etiam ipſa juſtificatrix gratia, ut ſi velit poſſit amplecti pulſantem gratiam, quæ nulli negatur, in genere loquor, ſi velit poſſit averſari.

His ita diſſertis de *Iſaac* & *Iſmahele*, de *Jacob* & *Eſau*, *Paulus* facit elatum *Judæum*, aut Ethnicum arrogantem hæc rapientem ad impingendum Deo crimen injuſtitiæ. *Nunquid igitur Deus injuſtus eſt*, tyrannorum more faciens quicquid animo collibuit? Eam vocem *Paulus* abominatur dicens, *Abſit*. Ac rurſus ex perſona contra diſputantis addit; *Moſi dixit, Miſerebor cujus miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipſum excitavi te ut oſtendam in te virtutem meam*

A *& ut annuntietur nomen meum in univerſa terra. Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Hunc totum ſermonem Veteres aliquot tribuunt non *Paulo*, ſed contradicenti, quem ſic facit colligentem ex Scripturis perperam intellectis. *Quid adhuc queritur? Voluntati ejus quis reſiſtit?* Hæc vox propemodum eſt *Lutheri*, ſimul & bene agentibus adimens omne meritum, & male agentes liberans à culpa, ſed benefactorum omnium gratiam adſcribens voluntati divinæ, & malefactorum culpam in Deum transferens, niſi quod naturam hominis vehementer impiam, ac Dei motum quendam omnipotentem commentus eſt, ne cogatur Deo crimen adſcribere. *Paulus* autem nondum abſolvit quæſtionem, ſed indocilem arrogantiam retundit. B Veluti ſi herus immorigero ſervo, deque juſſis Domini diſputanti reſpondeat, Quid tua refert quamobrem id jubeam? Tibi ſatis eſſe debet, quod mihi ſic viſum eſt, Non eſt tuum judicare de meis conſiliis. At idem Dominus ſervo modeſte reverenterque percunctanti, non gravabitur conſilii ſui reddere rationem. Ita hæ voces, *ô homo tu quis es qui reſpondes* Deo, Et, *nunquid lutum dicit figulo*, &c. non omnino ſubmovent hominem ab ejus quod propoſitum eſt cognitione, ſed à curioſa & impia diſquiſitione: nam quæſtionem poſtea ſolvit *Paulus*, quatenus homini fas eſt. Habet hæc quæſtio ſuos excurſus, in quibus oportet rationem humanam cedere majeſtati divinæ: C Veluti ſi quis roget, cur Deus tot millia Gentium paſſus ſit impune perire, cum per Euangelium multos ſervarit, & ante Euangelium ſoli Judæorum nationi per Legem ſubvenerit: neque enim Lex prædicata eſt per univerſum Orbem, ſicut Euangelium. Item cur infantes alii pereant ſine lavacro renaſcentiæ, alii ſerventur, nulla parentum culpa, nullus habebit, opinor, quod reſpondeat, niſi quicquid facit aut permittit Deus judicio fieri, ſemper quidem juſto, ſed aliquoties nobis incognito, quemadmodum ſcribit *Auguſtinus*. Quod ſi quis mihi diffidit dicenti ſermonem hunc totum eo tendere, non ut doceat neceſſitatem quam adfert *Lutherus*, ſed ut impiam, D curioſam & arrogantem inquiſitionem coerceat, legat *Hieronymi*, *Chryſoſtomi*, & *Theophylacti* commentarios. Verùm de his poſt erit pluribus agendum.

Interim perſequar curſum *Lutheranæ* diſputationis, ſi tamen diſputare videtur, qui figit ac refigit leges pro ſuo arbitratu, qui deridens omnium auctoritatem, ſua ſomnia vocat Dei tonitrua. Miro faſtidio deridet Diatribam, quæ veluti perplexa in quæſtione nunc huc nunc illo ſe torqueat: *Nunc*, inquit, *dicit eſſe neceſſitatem conſequentiæ, ſed non conſequentis, Nunc ordinatam ſive ſigni voluntatem cui reſiſti poteſt, voluntatem placiti cui reſiſti non poteſt, Nunc loci adducti ex* Paulo *non pugnant, nec loquitur de ſalute hominis, Nunc* E *præſcientia Dei ponit neceſſitatem, Nunc non ponit neceſſitatem, Nunc prævenit gratia voluntatem ut velit, comitatur eventum, dat felicem exitum, Nunc cauſa primaria agit omnia, Nunc agit per cauſas ſecundarias ipſa quieta.* Omitto cætera, quæ congerit. Quantæ ſunt hujus tyranni delitiæ! ut ſibi placet in omnibus! Ut ipſi diſplicent aliorum omnia! Ut ſibi pollicetur quicquid dixerit pro oraculo ab univerſis acceptum iri! Primum, excipiam quæ hîc miſcet mendacia, videlicet quod Diatriba dixerit, primam cauſam agere omnia, rurſus ſibi diſſentiens dixerit, per ſecundarias cauſas agi cuncta, prima cauſa quieta. Verba Diatribes ſic habent: *Hîc non excutiam, an Deus, qui eſt ſine* F *controverſia primaria & ſumma cauſa omnium quæ fiunt, quædam ſic agat per cauſas ſecundarias, ut ipſe interea nihil agat: an ſic agat omnia, ut ſecundaria cauſæ tantum cooperentur cauſæ principali, tametſi non ſunt alioqui neceſſaria. Certe dubitari non poteſt quin Deus ſi velit poſſit omnium ſecundariarum cauſarum naturalem effectum in diverſum vertere: Videlicet efficere poteſt, ut refrigeret & humectet ignis*, & cætera. Ex his verbis, vel tacente me, liquet eſſe falſum quod impingit *Lutherus*: Quid autem abſurdi ſit, ſi cum in igni ſecundaria cau-

Digitized by Google

ſa ſimul agat cum prima : in homine voluntas ſimul agat cum agente gratia? Sed acumen *Lutheri* ſic ſolet colligere, *agit omnia, ergo agit ſola.* Ubi vero dixi quod præſcientia ponit neceſſitatem? Imo hoc refello, quod tamen hîc *Lutherus* impudentiſſime repetit & inculcat. Cur autem mihi non liceat ad explicandam quæſtionem uti diſtinctionibus ab orthodoxis Scriptoribus traditis, de voluntate ſigni & efficaci, de neceſſitate immutabili, & inevitabili, de gratia præparante ſive pulſante, operante, cooperante, ſufficiente, proficiente & perficiente, &, ſi libet addere, naturali ſive communi, cum ipſe nobis invexerit tot diſtinctiones inauditas, aut certe inauditis vocabulis, de Deo prædicato & non prædicato, de Deo crucifixo, & inhabitante lucem inacceſſam, de voluntate Dei ſcrutanda & adoranda, de motu omnipotenti Dei & motu Satanæ in eodem opere malo, de neceſſitate immutabilitatis & coactionis, de voluntate hominis nihil agente, ſed tantum patiente, tum in bonis, tum in malis, & voluntate agente & in bonis & in malis. Et hæc ſua ſomnia vocat Dei tonitrua, quod adfertur ex probatis Auctoribus, ludibria vocat: & ut videatur valde feſtivus, confert Diatribam puero, qui dum claudit oculos ne quem videat, putat ſeſe à nemine videri. O dictum lepidum! Ubi ſunt applauſores? Pene nominaveram quoſdam. In quem hic jocus magis cadit quam in *Lutherum*, qui putat ſe perſtrinxiſſe totius Orbis oculos, cum jam omnes ſciant, ipſum neque boni quippiam neque mali prodidiſſe, quod non hauſerit ex Veterum monumentis, excipio hyperbolas, & quædam portenta verborum quaſi propheticorum, quibus facit ut nova quibuſdam videantur, quæ ſunt vetuſta, adeo ut *Wiclevis* etiam, *Valdonibus* & *Huſſis* videatur invidere. Atque interim cum hujuſmodi fumos offundat legentium oculis, tamen ſplendidis verbis frequenter intonat, tonitrua Dei, fulgura clariſſima: ſtat invicta veritas. Iſtis fulminibus ac tonitruis, *Luthere*, quære peregrinum, nobis innotuerunt. Refricat nobis memoriam, quod obiter admiſcuerat Diatribe, de neceſſitate conſequentis & conſequentiæ. Hoc commentum gloriatur ſeſe feliciter conſequentia diſpuliſſe, cum perplexis verborum involucris rem potius ceu prudens obſcurarit. Diſtinguebam enim illationem neceſſariam à propoſitione contingente. Itaque juxta priorem rationem dixi neceſſariam conſequentiam propoſitionis ex propoſitione : Si hæc vera eſt, Deus præſcit *Judam* proditurum Dominum, neceſſario conſequitur hæc, *Judas* prodet Dominum: at non conſequitur juxta poſteriorem modum, neceſſario *Judas* prodet Dominum: poterat enim *Judas* alio flectere voluntatem ſuam. Neceſſitas enim conſequentis eſt, cum id quod fit aliter fieri non poteſt: Neceſſitas conſequentiæ eſt etiam in falſis, ut ſi homo eſt lapis, non ſentit, tantum abeſt ut inducat neceſſitatem conſequentis. Alioqui hæc propoſitio eſſet neceſſaria, homo non ſentit, cum ſit impoſſibilis. Hæc, ut arbitror, ſatis expedita ſunt. Nunc audi fumos *Lutheri* profitentis ſe craſſiore Minerva velle rem explicare. Neceſſitatem conſequentiæ ſic explanat: *Si Deus aliquid vult, neceſſe eſt ut ipſum fiat, ſed non eſt neceſſe, ut ſit quod fit. Solus enim Deus neceſſario eſt, omnia alia poſſunt non eſſe ſi Deus velit. Ita actionem Dei neceſſariam dicunt, ſi volet, ſed factum ipſum non eſſe neceſſarium. Quid autem*, inquit, *iſtis ludibriis verborum efficiunt? Id ſcilicet, facta res non eſt neceſſaria, id eſt, non habet eſſentiam neceſſariam, hoc eſt, nihil aliud docere, quam res facta non eſt Deus ipſe. Nihilo minus manet illud, ut omnis res neceſſario fiat, ſi actio Dei neceſſaria, vel conſequentia neceſſitas eſt, quantumlibet jam facta non ſit neceſſario, id eſt, non ſit Deus, vel habet eſſentiam neceſſariam.* Hactenus ille. Quid hac explanatione involutius? Primum, adducit exemplum hominis conditi, in quo nihil agit ipſius qui conditur voluntas, cum nos loquamur de re, quam facere aut non facere eſt in hominis voluntate ſitum, veluti qui tomum panis tenet in manu, ſi velit in jus appoſitum intingere, fiet offa, ſin minus, non erit. An igitur qui intingit, neceſſario id agit, an potius contingenter, quia poterat mutare voluntatem? *Lutherus* docet neceſſario intingere. Quare? Quia Deus præſcivit fore ut intingeret, hoc eſt, ut eam voluntatem ſuſciperet nec mutaret, & ſi mutaret, præſciebat quæ eſſet futura poſtrema voluntas. Ubi eſt igitur liberum hominis arbitrium in rebus inferioribus, quod *Lutherus* in hoc opere concedit? An cohæret mera neceſſitas cum libero arbitrio, hoc eſt, aqua cum igni? Quod ſi contingenter immergo panem in jus, non obſtante Dei vel præſcientia, vel voluntate, ſequitur & *Judam* contingenter non neceſſario prodidiſſe Dominum. Exemplum igitur, quod adducit *Lutherus*, non quadrat huic inſtituto. Et tamen ad hoc accommodavit definitionem contingentis : *Contingenter*, inquit, *fit, quod fit contingente & mutabili voluntate. Contingens opus eſt, quod nobis contingenter, & velut caſu, imprudentibuſque nobis fit.* Sic ſane conditus eſt mihi Mundus. Sed quid hoc ad actiones humanas, de quibus loquebamur? In Deo non eſt voluntas mutabilis, ergo omnis Dei actio eſt neceſſaria, quanquam opera ſunt contingentia ſi velit. Voluntas & præſcientia Dei eſt ipſe Deus, fateor, ſed tamen præſcire Dei & velle Dei, ad res externas nihil prohibet ſe contingenter habere, pro rei natura. Jam cum eadem voluntate Deus operetur quæ fiunt, & facta velit quæ ſunt, non minus neceſſarius eſt homo factus, ſi Deus vult eum eſſe hominem, quam neceſſaria erat actio Dei, qua illum condidit. Sed nobis iſta contingentia ſunt, qui neſcimus an Deus ex homine facere velit aſinum. Ita Sol oritur neceſſario, ſi ſpectes naturæ curſum, ſi ſpectes voluntatem Dei nobis ignotam, contingenter oritur, quia poteſt fieri, ut ſi ille velit non exoriatur. Verùm nos metimur contingens & neceſſarium non ex ſcientia aut ignorantia noſtra, ſed ex ipſa natura rei. Neque enim ideo Deus non eſſet neceſſario, ſi dubitarent homines eſſet-ne Deus, an non. Nec ideo contingens dicitur quod incertus ſim an futurum ſit, nec-ne, ſed quod talis ſit natura rei, ut poſſit fieri aut non fieri, qualia ſunt quæ pendent ab hominis arbitrio, ne recedamus ab argumento. Proinde ſi Deum ſpectes, contingenter condita ſunt omnia quæ non ſunt Deus. Cæterum quæ pendent ab hominis arbitrio, bis ſunt contingentia. Primum, quia fiunt mutabili voluntate, deinde quia poſſunt per Dei voluntatem aliter fieri. Cæterum imprudentia noſtra nihil facit ad rationem contingentis. Quæ contingenter fiunt, ubi facta ſunt, immutabili certitudine novimus, nec tamen deſinunt eſſe contingenter facta, quanquam quod ad nos ſane attinet habent neceſſitatem immutabilitatis. Quod enim ſemel factum eſt, nunquam poteſt fieri infectum. Et ut hæc propoſitio, *Petrus cras cœnabit*, pone eum cœnaturum, contingenter eſt vera, ita ſi cœnavit, hæc erit perendie contingenter vera, *Petrus heri cœnavit*, nec mea ſcientia certa aut incerta mutat rei naturam, quæ ſita fuit in hominis poteſtate. Aliud eſt ſi *Lutherus* dicat, Deum omnia agere in omnibus & bona & mala, hominem nihil agere, ſed tantum pati, itaque neceſſario fieri quicquid ſit vel boni vel mali. Verùm hoc eſſet per id probare, quod erat ipſum probandum, utpote de quo eſt controverſia. Verùm haud ſcio an *Lutherus* credat idem eſſe caſu fortuitove fieri, quod contingenter fieri. Caſu fortuitove fit quod accidit præter exſpectationem aut operam noſtram. Contingens autem, hoc eſt, quod *Ariſtoteles* vocat *endechomenon*, complectitur poſſibilitatem ad eſſe & non eſſe, ut non ſemper idem ſit contingens & poſſibile, quod dicitur δυνατόν. Triplex autem cauſarum genus eſt, unde conſideratur neceſſitas, aut contingentia. Eſt libera voluntas hominis, ſunt cauſæ naturales in rebus inanimis aut rationis expertibus, & eſt ſumma cauſa Deus. Nihil itaque vetat eandem rem ad diverſas cauſas relatam eſſe neceſſariam & contingentem. Veluti motus Orbium

cœ-

Digitized by Google

cœleſtium, deceſſus & acceſſus maris, quod urit ignis, quod gravia feruntur deorſum, quod ad nos attinet, neceſſario fiunt, eo quod ex his cauſis proficiſcuntur, quæ per nos impediri non poſſunt: ad Deum ſi reſpicias, contingenter fiunt, qui vim ſecundarum cauſarum habet in manu. Verùm quæ pendent à voluntate hominis, ſimpliciter contingentia ſunt, tam nobis quam Deo. Ut enim rei eſt natura, ſic ille novit aut vult: Si neceſſaria, neceſſario, ſi contingens contingenter. Verùm de his mox plura dicendi locus erit.

Poſteaquam igitur *Lutherus* evidentiſſime demonſtravit, res conditas non eſſe Deum, cum nos de actionibus hominum ageremus, triumphum agit his verbis: *Adeo ſtat & permanet invicta ſententia, omnia neceſſitate fieri. Nec eſt hîc ulla obſcuritas aut ambiguitas. In* Eſaia *dicit, Conſilium meum ſtabit, & voluntas mea fiet. Quis enim puer non intelligit, quid velint hæc vocabula, conſilium, voluntas, fiet, ſtabit?* Audivimus ſane glorioſum triumphum: Si quivis puer intelligit hæc *Eſaiæ* verba, quî factum eſt ut tot Theologi nihil hîc viderint? Dicet: Non erat inter illos *Lutherus*. Ergo locus expendatur. An illic præcedit aliquid ſequiturve, quod adimit homini voluntatis arbitrium? De eventis rerum illic eſt ſermo, de fruſtrandis hominum conſiliis ac pſeudo-Prophetarum promiſſis, de capienda *Babylone*. Proinde uno in loco hîc bis peccat *Lutherus*. Primum, quod Scripturæ ſermonem alio trahit quam oportet, deinde quod eſt peculiariter dictum, trahit ad ſenſum generalem. Et tamen modo nos docuit illos abſurde facere, qui decerpunt unum aut alterum verbulum, quod deforqueant ad ſuum ſenſum, nulla habita ratione quid illic agatur, cum quibus, unde ortus ſermo, quo tendat. Itaque ſi concedimus *Luthero*, Deum illam malam voluntatem egiſſe in *Juda*, & ad facinus perpuliſſe, utcunque probavit *Judam* neceſſario prodidiſſe Dominum, quod quidem ad ipſum attinet proditorem. Verùm ex præſcientia Dei non magis arguit neceſſitatem actionis, quam ex mea ſcientia facti. Neque enim Deus aliter ſcit præterita quam proſpicit futura, imo nihil eſt illi neque præteritum, neque futurum, ſed omnia veluti præſentia unico ſimplicique contuitu perfectiſſime cernit, quemadmodum eadem voluntate vult omnia. Poſt vehementes aſſeverationes objicit mihi, quod convictus conſcientia, fateor idem quod docet ipſe. Quid? *Si Deus non fallitur in eo quod præſcit, neceſſe eſt ipſum præſcitum fieri, alioqui quis credere poſſet ejus promiſſionibus.* Hoc nunquam pronuntiavit Diatriba, quamvis ebria, ſed ex perſona argumentantis proponit hunc in modum: *Poteſt & in humanis rebus aliqua poni neceſſitas, quæ tamen non excludat libertatem noſtræ voluntatis. Præſcivit Deus, & quod præſciebat aliquo modo volebat, fore ut* Judas *proderet Dominum. Itaque ſi ſpectes Dei præſcientiam infallibilem, & voluntatem immutabilem, neceſſario eventurum eſt, ut* Judas *prodat Dominum, & tamen* Judas *poterat mutare voluntatem ſuam, aut certe poterat non ſuſcipere voluntatem impiam. Dices, Quid ſi mutaſſet? Non fuiſſet falſa Dei præſcientia, nec impedita voluntas, cum hoc ipſum præſciturus fuerit ac voliturus, quod eſſet mutaturus voluntatem.* Hæc ſunt, quæ, ut diximus, ſub argumentantis perſona referuntur: Id eſſe verum indicant hæc verba Diatribes, *Poteſt poni & aliqua neceſſitas.* Ubi tandem hîc fateor quod aſſeverat *Lutherus?* Imo contrarium aſſevero. Et tamen hoc ipſum, quod de neceſſitate dictum eſt, explico in his quæ ſequuntur, diſtincta neceſſitate conſequentis & conſequentiæ.

158. Ab hominis præſcientia ducimus argumentum ad præſcientiam Dei. Aſtrologus certo præſcit futuram Eclipſim, nec tamen ejus præſcientia cogit Solem cum Luna concurrere: & hominis ſcientia de præterito poteſt eſſe infallibilis, ut ego certum ſcio *Petrum* cœnaſſe nudius tertius, nec ideo fuit illi neceſſe ſumere cœnam: ita nec Dei præſcientia impedit arbitrii voluntatem, nihilo magis quam impedit cognitio rerum præteritarum. Proinde nugamentum eſt, labaſcere fidem Dei in promiſſis omnibus, niſi neceſſario eveniat quod prædicit eventurum. Certiſſimo evenire fatemur omnia quæ prædicit Deus, aut etiam Propheta Dei Spiritu afflatus, neceſſario, nihil eſt neceſſe. Quædam Deus prædicit abſolute futura, quemadmodum prædixit ſe venturum ad judicium: id nullus hominum poteſt impedire quo minus fiat: Quædam pollicetur aut minatur ſub conditione, *Si ſervaveris præcepta, ſalvus eris, Sin contemſeris, ibis in gehennam.* Conditio partim in nobis eſt ſita, eventus à ſolo Deo pendet infallibilis. Aperui fucum *Lutheri*, aperiam & alterum. Iterum Diatriba quamvis diu multumque luctata profitetur idem quod docet *Lutherus*, id quo magis perſuadeat, recitat ipſius verba: *De voluntate*, inquit, *ac deſtinatione difficilior eſt quæſtio. Vult enim Deus eadem qua præſcit, & hoc eſt, quod ſubjicit Paulus*, voluntati ejus quis reſiſtit. *Etenim ſi Rex eſſet, qui quicquid vellet efficeret, nec quiſquam poſſet obſiſtere, facere diceretur quicquid vellet. Ita Dei voluntas quoniam eſt cauſa principalis omnium quæ fiunt, videtur neceſſitatem noſtræ voluntati inducere.* Hæc illa. Et *Lutherus, gratias*, inquit, *tandem agimus Deo, pro ſana ſenſu Diatribes.* Rurſus non animadvertit *Lutherus*, Diatribam hîc argumentari, non pronuntiare. Primum, illud eſt artis, quod cum Diatriba ſic argumentans loquitur: *Nam Deus aliquo modo velit oportet, quod cum præſciat futurum, tamen non impedit, cum ipſi ſit in manu*, hæc verba prætermiſit. Nec abs re, reſpuunt enim illius opinionem, quam fingit me profiteri. *Aliquo modo vult.* Quid hoc ſonat? Nimirum ut velle dicatur, qui ſinit fieri, quod alioqui poterat impedire. Et ita colligit, *Ita videtur inducere.* Quid eſt *ita?* Niſi juxta hanc rationem, qua vulgus dicit eum facere, qui cum poſſet non prohibuit, veluti cum dicitur occidiſſe hominem, qui cum poſſet non ſervavit. Quid eſt *videtur inducere?* Sic alicui videretur cum non ſit. Eat nunc & *Lutherus*, & gratias agat Deo pro ſana Diatribes ſententia. Jam verba, quæ *Lutherus* tribuit *Paulo*, Veteres tribuunt impio diſputatori, qui ſic citant interdum verba Scripturæ ſacræ, quemadmodum Satanas in Evangelio tentans Dominum, & tamen non adeo magni refert, etiamſi hæc verba tribuantur Apoſtolo citanti tantum & argumentanti. Nam hic illi mos eſt, ut varius ac lubricus ſit in tractandis quæſtionibus, ut docti crebro fateantur ſibi difficillimum eſſe obſervare, unde ſit ingreſſus, aut qua ſit exitus, quod accidere ſolet ei qui per conclavia regiæ domus circumducitur. Id quod *Hieronymus* hoc loco nominatim repetit, teſtatus ſe velut in penetrali regio circumſpecte reverenterque velle verſari, quod utinam & *Lutherus* interdum faceret, nec omnia velut è tripode pronuntiaret. Certe hæc eſt vox impiorum: *Quid ergo queritur, ſi quem vult indurat, & cui vult miſeretur?* Cui *Paulus* reſpondet, *ô homo tu quis es qui reſpondes Deo*, non explicans quæſtionem, ſed retundens impiam vocem in Deum, quaſi Deus eſſet injuſtus, proque ſua libidine faceret omnia. Hîc me conſpuit *Lutherus*, quod de proprio capite, ſine Scripturis, ſine miraculis pronuntiem, imo clariſſima Dei verba depravem. Miracula non profeſſus ſum me poſſe edere, nec de meo capite pronuntio, qui *Chryſoſtomi* ac *Theophylacti* protulerim auctoritatem, nec ſine Scripturis, niſi forte pro Scripturis non habet, quas Diatribe tam multas recitat planiſſime refutantes *Lutheranam* neceſſitatem. Sed rejiciet orthodoxorum auctoritatem *Lutherus:* patiar, modo viciſſim ipſe patiatur me rejicere quod de ſuo capite præter omnium Veterum ſententiam interpretatur, utcunque viſum eſt cauſæ conducere. *Chryſoſtomus* cumque hoc veteres probatiſſimi Doctores tradunt hæc eſſe verba reprimentis impiam obmurmurationem adverſus Deum, non explicantis quæſtionem; quam ſolvit in his quæ ſequuntur, *quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam*, &c. Nec omnino diſſentit *Auguſtinus*,

Digitized by Google

cum ait, *non ſolvendo, quodammodo ſolvit, & indicans ubi vere ſolvi incipiat. Lutherus* fortiter negat, aſſeverans hunc ſermonem eſſe clariſſime profitentis meram & abſolutam in omnibus neceſſitatem, nec aliud quærendum, niſi quia Deus ſic voluit. *Quid*, inquit, *quærebatur iſta quæſtione de voluntate Dei: nonne hoc ut neceſſitatem imponeret noſtræ voluntati?* Ut verbo reſpondeam: nequaquam, ſed quid agatur jam ante dilucide expedivi, ut ſupervacaneum ſit repetere. Verùm dum Apoſtolus ſtudet oſtendere, & Judæorum rejectionem, & Gentium admiſſionem non fortuito accidere, ſed jam olim hoc à Deo præfinitum, & à Prophetis fuiſſe prædictum, adduxit exemplum *Iſaac* & *Iſmahelis*, item *Jacob* & *Eſau*, quo Judæi perſpicerent, ad Euangelii gratiam nihil referre genus carnale, ſed fidem, quæ propinquitatem habet ſpiritualem. Ex his velut obiter incidit hæc quæſtio de murmure impiorum. Si quod dico non exſtat in probatiſſimorum Eccleſiæ Doctorum libris, clamet *Lutherus* me de capite meo proferre commentum. Quod ſi rejicit quicquid à nobis adfertur, nos viciſſim eodem jure quicquid ab illo, nimirum peracta eſt hæc fabula. Sed fingamus hæc verba tribui perſonæ Pauli, *cui vult miſeretur, & quem vult indurat.* Qui miſeretur immerentis, nullam facit injuriam ei cui pœna non remittitur, ut hîc periclitetur Dei juſtitia. Veluti cum vitulus adoratus eſſet, crimen erat omnium commune, certus tamen numerus hominum interfectus eſt, cæteris parcitum eſt. Hîc à nobis cauſa reddi non poteſt. Nec tamen dubium eſt, quin Deus juſtis de cauſis id fecerit. Et ſi nulla de cauſa faceret, niſi quia libuit, nullus hîc habet quod queratur, ſed ſunt quibus eſt unde gratias agant. De *Pharaone* jam reſponſum eſt variis modis. *Origenes* aliter hunc nodum explicat, *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei*, „hoc eſt, fruſtra cupit homo, fruſtra laborat, „niſi accedat opitulatrix gratia, quemadmodum dicta „ſunt illa: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Rurſus illud hujus Apoſtoli, *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Tandem hanc diſputationem hac clauſula finit: *Ut vertamur ad ſalutem, aut avertamur, nobis in manu eſt. Caterum quomodo dentur præmia piis, aut quibus modis perdantur impii, hoc ſolius eſt Dei. Proinde ſi murmuret impius, quare Deus ſic induravit* Pharaonem, *quare ſic rejecit populum electum: Reſpondet, non eſt tuum exquirere, quibus modis puniam impios. Rurſus ſi murmurent, quare rejectis ſuis admittit Dæmonum cultores, omnia mala commeritos? Reſpondet, juſtus ſum puniens impios, miſericors vocans immeritos ad pœnitentiam.* Dicis itaque: *Quid adhuc queritur Deus? Voluntati ejus quis reſiſtit? Vides*, inquit Lutherus, *proſopopœiam?* Video, quid tum poſtea? *Illi*, inquit, *audientes quod voluntas Dei nobis neceſſitatem inducit, blaſphemantes murmurant & dicunt*, Quid adhuc queritur? *hoc eſt, cur Deus ſic inſtat, ſic urget, ſic exigit, ſic queritur*, &c. quæ loquaciſſime proſequitur, cauſa deſtitutus. Imo quoniam quod *Paulus* aliam ob cauſam induxerat, videbat impios rapturos in excuſationem impietatis ſuæ, occupans refert illorum ſermonem, nec ſtatim ſolvit nodum quæſtionis perdifficilis, ſed repreſſa illorum arrogantia, prius illorum animos præparat, ut pii ſaltem accipiant quid ad hæc murmura poſſit reſponderi. Et ſi cui non eſt in promtu, quo refellat tales argumentationes, indicat *Paulus* quo telo poſſit illico temeritas impia coerceri, *Nunquid dicit lutum figulo ſuo?* Sic *Julius* ſecundus fertur reſpondiſſe *Lodovici* duodecimi Legato, per quem expoſtulabat, cur Cardinalem quendam Gallum conjeciſſet in carcerem: *Quia meus*, inquit, *eſt Cardinalis, Sic mihi viſum eſt, Nec eſt Regis à me quærere cauſas quomodo tractem meos Cardinales.* Si Rex reverenter fuiſſet percunctatus, fortaſſe *Julius* non gravatus fuiſſet illi cauſas aperire. Nunc tantum voluit inimicam parumque reverentem expoſtulationem retundere. Idem hîc facit *Paulus.*

Pergit argutari *Lutherus: Si* Paulus *non explicarat* 159.
hanc quæſtionem, aut non certo definierat, neceſſitatem nobis imponi præſcientia divina, quorſum opus erat inducere murmurantes voluntati ejus non poſſe reſiſti? Quis enim murmuraret aut indignaretur, ſi non ſentiret definiri neceſſitatem illam. Jam oſtenſum eſt, nec præſcientiam nec voluntatem Dei ſemper inducere neceſſitatem humanæ voluntati, licet in quibuſdam eventus inducat neceſſitatem inevitabilitatis, ut Scholaſtici loquuntur. Deus præfinivit omnibus eſſe moriendum, hoc nemo poteſt evitare, & tamen quo genere mortis quiſque ſit periturus, non eſt noſtræ poteſtatis. Rurſus aliter vult Deus quæ prædicit abſolute, quam quæ ſub conditione. Veluti dictum eſt *Ezechiæ, Morieris & non vives.* Vixit tamen, erant enim verba minando provocantis ad preces ac pœnitentiam. *Adhuc triduum, & Ninive ſubvertetur.* Non tamen illico ſubverſa eſt. Sed ut *Luthero* reſpondeam, par pari referens, cur inter loquendum, ſi quod dictum incidat, quod ſuſpicamur aliquos in malam partem interpretaturos, obiter explicamus, obturantes os alio rapturis quod dicebamus. Hactenus *Lutherus* nihil adfert niſi fortiſſimas aſſeverationes, inculcat Scripturam eſſe clariſſimam, neminem neſcire, quid ſit reſiſtere, quid ſit voluntas, quid ſit Deus. *Cæcutiant hîc*, inquit, *ſane infinita millia doctorum probatiſſimorum, & Scripturas fingant dilucidas non eſſe, & quæſtionem difficilem paveant. Nos habemus verba clariſſima, qua ſic ſonant*, Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. Nec pudet illum toties repetere quod à pueris quoque confutatum eſt: *Si Deus præſcit, neceſſario fit, præſuppoſito quod Deus nec errat, nec fallitur.* Audis magnificum κοκκυσμὸν, præterea nihil. Quas autem contrarietates aut contradictiones mihi narras? Si Deus, qui futura quoque veluti peracta proſpicit, non fallitur, ſequitur hominem nihil ex arbitrio ſuo mutabili agere? ego video famulum ſedentem, igitur non erat illi liberum ſtare ſi voluiſſet? Sed quando prodibunt iſta Dei tonitrua? Hominis glorioſas voces hactenus tantum audimus. De proſopopœia non eſt inter nos controverſia. Convenit hæc verba, *quid adhuc queritur, voluntati ejus quis reſiſtit?* eſſe murmuris impii. Verùm illud *Luthero* neque mecum, neque cum ullo veterum interpretum convenit, hæc recte dici ab impiis. Recte autem dicerentur, ſi homo nec ad bonum, nec ad malum nihilo plus valeret, quam ſecuris, quæ eſt in manu fabri, aut lutum, quod eſt in manu figuli, ſed mera neceſſitate pateretur Deum in ſe operantem. Quod ſi verum eſſet, & ab illis, ut vult *Lutherus*, fuiſſet ex *Pauli* verbis intellectum, nonne merito dicerent, quid adhuc queritur de nobis, qui nihil agimus, ſed patimur tantum, proque illius voluntate vel merentes vel immerentes damnabimur aut ſervabimur? Tot leges dedit, in quibus nihil eſſe ſcit, quod à nobis præſtari queat, agit autem ipſe nos, quocunque ipſi viſum eſt, & tamen in *Eſaia* clamat: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam.* In Euangelio toties inclamat væ, *Hieroſolymam* deplorat, quod colligi noluerit. Et quid aliud ſonant omnes Prophetæ, quam expoſtulationes, objurgationes ac minas? Habent & præcepta ſuas minas & exſecrationes horrendas. Itaque ſi verum eſt *Lutheri* dogma, non injuria dicunt impii, *Quid adhuc queritur?* Nunc obturatur illis os duplici nomine. Primum, quod irreverenter obmurmurant Deo, cujus majeſtas religioſe & cum tremore eſt adeunda: deinde quod ex Scripturæ verbis perperam intellectis, colligunt inevitabilem neceſſitatem, abjicientes ſtudium vitæ in melius commutandæ, cum gratia Dei nulli deſit, ſi, quod in ipſo eſt, præſtiterit homo. Quod autem jus mihi narrat *Lutherus* Dei in nos, & noſtrum in Deum? Imo ſi fas eſt dicere, mutuum jus eſt, quemadmodum inter æquum ac benignum herum & ſervum. Servus debet obſequium, herus debet præmium, etiamſi nulla interceſſit pactio. Nunc Deus ſuam fidem promiſſis obſtrinxit homini, nec recuſat argui, ſi minus pacta præſtite-

Digitized by Google

ſtiterit. Sic enim apud *Eſaiam* loquitur, *Venite & arguite me.* Idem apud *Micheam* Capite VI. cauſam ſuſcipit cum populo, veluti ſub judice victurus aut vincendus. *Judicium*, inquit, *Domini cum populo ſuo, & cum Iſrael dijudicabitur, Populo meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? Reſponde mihi.* Hîc provocat ad reſpondendum: Et *Paulus* dicit, *ô homo tu qui es qui reſpondes Deo?* Quid ita? Quia cum judicio reſpondentem audit Dominus, ſine judicio obmurmurantem ferre non poteſt. Si non reſpondendo diſſoluta eſt quæſtio, cur mox diſſolvit quæſtionem: *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam*, &c. Idque perſequitur uſque ad Caput XII. declarans nec totam Gentem Iſraeliticam rejectam, & eos qui rejecti ſunt, non temere rejectos, ſed ob pertinacem incredulitatem, ut ſuo exitio fierent aliis exemplum, nec omnes Gentes Euangelii factas participes, ſed eas duntaxat quæ crederent Euangelio. Deus nihil accepit à nobis, ut aliquid debeat, fateor, niſi quod natura bonus eſt, quodque nos condidit. Quid accipit pater à filio? tamen ob hoc ipſum debet filio pietatis officium quia genuit. Præter hæc etiam pacto ſe nobis obſtrinxit Deus, quo magis ipſi fideremus. Nihil nobis promiſit, nihil nobis dedit, niſi quia ſic voluit. Accedo, ſed inter hæc quæ nobis dare voluit, & donum liberi arbitrii eſt, quoniam hujus magna quædam vis in homine reſidet, etiam poſt lapſum primi parentis. *Præſtaret*, inquit, *hominem prorſus carere arbitrii libertate, & ſic conditum aut confirmatum eſſe, ut in malum prolabi non poſſet.* Verum, ſed hoc pacto magis illuceſcit Dei tum juſtitia, tum bonitas, qui vult à nobis ſic timeri ut ametur, ſic amari ut timeatur, quia ſic expedit nobis. Quod ſi *Lutherus* hanc urgeat quæſtionem, dicam in loco quia Deus eſt, & facit quicquid ipſi collibuit. Quod ſi quis pergat ſciſcitari, cur ob alienum peccatum ſic excruciat genus humanum, cur paſſus eſt hominem labi, cum poſſit illum ſtabilire? cur condidit illum, quem ſciebat mox lapſurum? harum quæſtionum nullus erit finis, quarum curioſitas ne progrederetur in immenſum, *Paulus* ſicut impie diſputantem initio coercuit, quo reverenter quantum fas erat audiret, *O homo tu qui es:* ita in fine quæſtionis ſubmovet humanam ſcrutationem dicens, *ô altitudo divitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Quo dicto ſeipſum etiam ſubmovet à profundiore ſcrutinio conſilii divini. Satis erat hoc didiciſſe, Judæos merito rejici, quia credere nolebant, Gentes miſericorditer recipi ad Euangelii gratiam ob ſimplicem ſinceramque fiduciam, nec iſta cauſa* geri, ſed admirabili Dei providentia, & ex Prophetarum oraculis, qui Judæorum exitio voluit illuſtrare juſtitiam ac ſeveritatem ſuam inevitabilem, Gentium ſalute, bonitatem ineffabilem, rebus omnibus ita temperatis, ut Deus nec ſtultus, nec improvidus, nec injuſtus videri poſſit. Cæterum ſi *Paulus* ſenſit quod *Lutherus*, ad hunc modum reſpondere debuerat obmurmurantibus, Quid queritur, quid accuſat, cur minitatur, quid expoſtulat, & cætera. Sic loquitur Deus crucifixus, ſed Deus ille non prædicatus aliud ſentit. Deus crucifixus præcipit, minatur, blanditur, objurgat, expoſtulat, terret, allectat, ſed latens ille Deus nihil horum, verum pro ſua libidine operatur in hominibus tum bona tum mala: quoſdam deſtinavit gehennæ, quoſdam æternæ vitæ, quod deſtinatum eſt neceſſe eſt fieri, nec hîc quicquam habet momenti voluntas hominis. Hîc ſi remurmurent impii, quî juſtus ac bonus eſſe poteſt talis Deus? *Lutherus* reſpondebit pro *Paulo*, fidem eſſe Deo gratiſſimam. Huic autem nullum eſſe locum, niſi Deus videatur injuſtus & crudelis.

160. Et ſi reſponſum hoc parum videatur, addet hominem ex peccato primorum parentum naſci natura tam vitiata, ut minimum differat à Satana, totuſque feratur ad omnem impietatem: ita fieri ut Deus ille ſecretus adorandus non colendus omnipotenti motu ſuo, non poſſit aliud in hominibus agere, quam impietates, blaſphemias, & omne ſcelerum genus, ne gratia quidem tam mala ſecuri poſſit opus bonum facere. Cum hac conſolatione *Lutherus* dimittit hominem, tantum obturans illi os, ne de rebus hiſce auſit hiſcere, tantum ſinat Deum agere quod agit. Alioqui voluntati ejus quis reſiſtit? Huc detorquetur & illud ex Precatione Dominica, *fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra*, ut probet omnium rerum inevitabilem neceſſitatem. Supervacuum erat igitur hoc ipſum dicere, *fiat voluntas tua*, quæ futura erat, etiamſi contrarium rogares. Imo ſupervacaneum eſt quicquam à Deo petere, ſtante neceſſitate quam fingit *Lutherus*. Sed quis unquam Divorum hominumve locum hunc interpretatus eſt de neceſſitate rerum omnium? Quin potius orant pii, ut homines ſubmittant ſuam voluntatem gratiæ divinæ. Videor hoc mihi in *Lutheri* ſcriptis animadvertiſſe, Non ſemper eſt intentus iis quæ ſcribit, nec id fieri poteſt ut hominis animus perpetuo ſit intentus alicui negotio, ſemper tamen illi currit calamus. Itaque quo creſcat volumen, plurima incidunt quæ nihil aliud quam chartas explent. Nunc repetit plus decies dicta, commutatis tantum verbis, nunc concionatur verſans in locis communibus, nunc aſſeverationibus explet chartas, nunc ineptis ſalibus, & infacetis facetiis eximit tempus, nunc quicquid offertur aut ſuccurrit animo, quocunque modo detorquet ad cauſam ſuam. Ac præter convitia quibus natura ſcatet, habet verba quædam veluti magica, quæ non ratione, ſed vehementia quadam afficiant lectoris animum, vel imbecillem, vel parum eruditum. In quibus quoniam imaginatio plurimum valet, juxta Phyſicos, adeo ut frequenter morbos graves & mortem pariat, fit ut quodam modo afflentur ſpiritu, utinam ſancto. *Ireneus* tradit arte ſimili plurimis impoſuiſſe *Valentinum* ac *Marcionem*, non mulierculis tantum, ſed & judicibus. Habebant verba quædam barbara, incognita, vehementia, imperioſa. Ea mira fiducia pronuntiantes territabant judices, & infirmos rapiebant in ſuam ſententiam, mulieribus etiam prophetiæ ſpiritum dabant, iterum atque iterum jubentes, præcipientes, imperantes, ut tantum aperirent os, aſſeverantes prophetiam fore quicquid dicerent. Quid quæris? Incaleſcebant magicis verbis imbecilles animi & afflabantur, non aliter quam qui commentitiis vocibus adjurati intumeſcunt, fremuntque perinde quaſi veris exorciſmi verbis premantur. Hujuſmodi vocibus cum omnes *Lutheri* libri, tum hic præcipue ſcatet. Addit æris *Dodonæi* loquacitatem, aut ſi quid illo eſt loquacius, ut lector quamvis ſanus & integer, tamen hoc tædio delaſſetur. Quoties ex infallibili Dei præſcientia collegit nullum eſſe hominis arbitrium, ſed omnium rerum inevitabilem neceſſitatem, non ſine riſu omnium qui vel limen attigerunt Theologiæ! Talia ſunt quæ ſtomachatur hoc Capite in eos qui ſcrutantur arcana Dei in ſacris Litteris, illic curioſi ubi non oportet, illic oſcitantes, ubi fuerat opus ſcrutinio. Quid autem eſt impie ſcrutari *Lutherus* expedit, Certam Dei præſcientiam cum libertate voluntatis humanæ conjungere. Itaque ſi Deus præſcit me verſurum manum, mihi non liberum erit vertere aut non vertere, aut ſi liberum eſt, Deus fallitur, & erit idolum verius quam Deus. Quod ſophiſma diſſolvunt qui dies decem vacarunt Sophiſticæ. Interim tot admiſcet fucos, ut vel recenſere tædeat, Qualia jam permulta demonſtravimus, Quorum eſt illud in hoc Capite, quod confundit *eſſe*, *velle*, & *agere*, cum in altero fateamur aliquam neceſſitatem, in altero diſtinguimus. *Deus*, inquit, *præſcivit* Judam *futurum*, *ergo vitari non poterat*, *quin* Judas *fieret proditor.* Neque enim erat hîc locus libero arbitrio. Et hoc ſolus Deus operatus eſt. *Sed idem Deus*, inquit, *operatur in nobis & velle & agere.* Concurrit enim prima cauſa ad actiones naturæ. Verùm malam voluntatem, quatenus mala eſt, & impium facinus quatenus impium eſt, bonus Deus non ope-

* Legendum videtur *caſu*.

Digitized by Google

operatur in nobis. Nec ad rem facit quod hîc distinguit omnipotentiam, alteram qua multa non facit quæ potest, alteram quæ potenter omnia facit in omnibus. *Et hac*, inquit, *in Scripturis dicitur omnipotens.* Quorsum attinet hoc commentum? Certe huic loco non congruit.

161. In proximo Capite quoniam nihil est præter verborum turbas & vocum congeriem, non est cur respondendo teramus tempus, nisi quod satis impudenter inculcat, ipsius dogma per naturam quoque mentibus omnium mortalium impressum esse: *Si Deus est omnipotens & infallibiliter præscit omnia, ergo nullum est hominis liberum arbitrium.* Caruerunt igitur communi naturæ sensu tot Ecclesiæ Doctores, aut non crediderunt Dei præscientiam infallibilem. Cæterum cum ea quæ nobis insita sunt à natura, etiam citra doctoris operam intelligunt omnes, qualis illa lex est, *quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris*, quî factum est, ut *Lutherus*, homo tam ingeniosus, tam sero potuerit hoc sibi persuadere. Non enim quæram unde factum sit, cur tam ægre nunc quoque doctissimis viris persuadeat. Verùm isti legi, quam fingit *Lutherus* omnibus insitam, adversatur altera lex penitius insita mentibus hominum, adeo ut Ethnici quoque sic colligant: *Deus est summe justus ac bonus, Si justus est, non punit in æternum eos, qui nulla sua culpa, sed inevitabili necessitate peccarunt, nec irrogat supplicia ob ea mala quæ ipse operatur in hominibus. Sed pro sua bonitate nulli deest ad salutem, modo ne quis desit sibi.* Hæc est vera lex inscripta mentibus hominum, præsertim Christianorum, tam infixa penitus, ut etiamsi Sophistæ nectant inexplicabiles nodos, de ineffabili Dei præscientia, non possit tamen labefactari, sed neglectis ejusmodi verborum præstigiis stat immobilis.

162. Ad id vero quod objicit, *Si* Paulus *hoc loco non definit absolutam necessitatem rerum humanarum, frustra adducit similitudinem luti & figuli*, jam supra responsum est. Quemadmodum enim id quod præcessit, *homo tu quis es qui respondes Deo*, non explicat quæstionem, sed retundit impiam obmurmurationem, sic & hac similitudine facit idem. Tum in Diatriba satis demonstratum est, hujusmodi similitudines non exigendas ut quadrent per omnia, satis est ad id congruere, cui probando adhibentur. Deinde quod asseverat *Paulum* tota hac Epistola nihil aliud agere, quam ut ostendat hominem nihil agere, manifesto falsum est, quemadmodum ex ipsa re liquet, & nos supra declaravimus, ne semper eadem iteremus. Nihilo vero congruentius, quam paulo ante citavit ad probandam inevitabilem necessitatem, *fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*, nunc eodem adducit verba Pauli, *Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ per fidem est. Israel autem sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.* Toties rogat Diatribam, num intelligat quid loquatur, justius idem hîc rogarim *Lutherum*. Nihil enim aliud hîc agit hac Epistola *Paulus*, nisi quod Gentes cum essent à Lege alienæ, tamen credentes Euangelio consecuti sunt gratiam. Contra *Judæi*, qui à pueris vixerant in Lege, quoniam resistebant *Christo*, repulsi sunt à gratia. Id aperte declarant quæ sequuntur: *Quia non ex fide, sed quasi ex operibus:* offenderunt enim in lapidem offensionis. Ex Legis operibus nunquam justificabatur homo, nisi adesset fiducia in *Christum* promissum: multo minus post *Christum*, ubi jam pleraque Legis opera cessabant. Secus accidit quam multi putabant, ergo-ne mera necessitas agit omnia? Sic probat sua *Lutherus*, qui solus novit & sensum & usum Scripturarum. Jam quod adductum erat ex Paulo, *Tu fide stas, ne animo extollaris*, sic diluit, *Verba*, inquit, *sunt imperativa & conjunctiva*, qua de re gloriatur se supra satis dixisse. Equidem fateor etiam plus satis, sed nihil adhuc probatum est. Verùm toties jam dictum est, judicio sensus communis ex his intelligi facultatem perficiendi quod jubemur. Et si Deus crucifixus delectatur hoc modo loqui, quid opus est Apostolos eodem more dicere? Imo cur hodie sic loquuntur, qui docent populum? Aliud lemma: *Paulus*, inquit, *non dicit nos posse credere, sed potens est illos inserere.* Verum, sed præcessit, *si non permanserint in incredulitate.* Ut autem resipiscant minima quidem parte in ipsis situm est, sed quæ tantum habeat momenti, ut si desit gratiæ Dei, sibi debeat imputare homo qui perit. Hîc exceptos velim, quos Deus ob præcedentia merita tradidit in reprobum sensum, & peculiare Dei consilium, quo nonnullos subito transformat in alios homines, aut cum gratiam subducit ad tempus iis quos diligit. Hac ratione potest homo credere, & potest non credere. Quis enim nescit per Spiritum hominem inseri corpori *Christi*, non suis viribus? Omitto cavillos hominis, quibus taxat transitiones & clausulas meæ Diatribes, cui dicit hanc causam non esse cordi. Quis erat futurus voluminis modus, si ad singula dicta more *Lutheri* resisterem, desiderem, premerem, urgerem, redirem? Et ut ingenue dicam, paucos illos dies quos dedi Diatribæ, maluissem alibi collocare. Sciebam me nihil aliud quam cicadam ala corripere. Quid autem stultius, quam cum eo disputare, qui nihil admittit nisi Scripturæ verba, sed harum interpretationem uni sibi reservans, Imo qui sibi permittit comminisci, quoties commodum est, quod non magis è Scripturis elici potest quam è pumice lac. Et tamen sibi videtur mirificus disputator, atque ita re gesta, sibi canit encomium.

163. Pergit discutere, quod adduxi, nihil vetare quo minus libertas cohæreat cum aliqua necessitate, ut, *Deus necessario gignit Filium, & tamen volens ac liberè gignit, quia non coactus. Loquimur*, inquit, *de necessitate immutabilitatis:* de eadem & ipse loquor. Neque enim sentio coactionem, cum quis id patitur, agitve quod non vult, sed cum non potest non velle quod vult. Quod si non placet verbum coactionis, pro *non coactus* mutetur, *natura immutabili.* Nusquam enim urgeo *Lutherum* necessitate coactionis quam ipse fingit, nimirum eam qua cogitur homo facere quod non vult. Quanquam *Lutherus* hujusmodi coactionem qualem ego pono, videtur inducere, dicens hominem suapte natura nihil velle nisi impia, nec aliud posse vel velle vel agere. Hanc voluntatem cum aliò vertit gratia, nonne quodammodo vim facit & cogit, quemadmodum usu venit, qui philtris aliisque veneficiis coguntur amare quos oderant, & odisse quas amabant: aut quemadmodum Rex jussu suo facit ut homo velit, quod alioqui nolebat. Ita vis fit aquæ, dum lebete fervefacta cogitur calfacere, natura suapte frigida. Quanquam igitur hîc *Lutherus* dividit necessitatem in violentam, quæ pertineat ad opus, & aliam insallibilem, quæ referatur ad tempus, negans se de priore necessitate loqui, tamen quod vitat non effugit, in transformanda per gratiam hominis voluntate, qui sit expers gratiæ. Quin & subducta luce cogor nihil videre. Ita vis quædam fit & illi, qui ob nullam suam culpam, sed tantum quia sic libuit, subducta gratia relabi cogitur in malitiam. Denique *Paulus* sustinens personam peccatoris, scribit se velle bonum, at non posse quod vult efficere, itaque quod non vult, facere. Attamen unde *Lutherus* hauserit hanc distinctionem, non satis video. Scholastici Theologi distinguunt necessitatem immutabilitatis à necessitate inevitabilitatis, ut prior pertineat ad præsens tempus ac præteritum, posterior ad futurum. Priore Deus Pater gignit Filium, posteriore moriendum est omnibus, & venturum est judicium vivorum ac mortuorum. Rursus si præscit *Judam* futurum, *Judam* fore necesse est, necessitate inevitabilitatis, at non est eadem necessitate necessarium; ut *Judas* prodat Dominum; si Dominus præscit hoc illum facturum. *Judas* volendo prodidit Dominum, fatetur *Lutherus*, qui alias docet voluntatem hominis nihil agere nec in bonis nec in malis. *Verùm hoc*, inquit, *velle in ipso* Juda *certo & * ineffabiliter fu-*

* Forsan, *infallibiliter*, vel *inevitabiliter*.

futurum fuiſſe dicimus, ſi Deus præſcivit. Aſſentior. At non continuo ſequitur, ut *Judas* neceſſario ſuſceperit voluntatem prodendi, ſed eam voluntatem poterat non ſuſcipere, ſi cæteros Apoſtolos imitari maluiſſet, quam inhiare pecuniæ. Jam ponamus *Judam* aliquando fuiſſe in gratia, quæ res mutavit illius voluntatem? Nonne liberum arbitrium ad deteriora ſeſe deflectens? Imo dicet *Lutherus*, voluntate Dei ſubtracta gratia. Et hîc igitur vis quædam eſt, ut modo dixi. At eam *Lutherus* non admittit, ſed tantum infallibilem neceſſitatem. Nos infallibilem Dei præſcientiam agnoſcimus, infallibilem neceſſitatem nuſquam apud Orthodoxos legimus. Quid *Luthero* ſonent hæc verba ipſe viderit, Multo minus intelligo. *Non diſputamus*, inquit, *an* Judas *invitus ac nolens proditor ſit factus, ſed an tempore præfinito à Deo, infallibiliter fieri oportuerit, ut* Judas *volendo proderet* Chriſtum. Ne nos quidem hoc agitamus, an *Judas* invitus prodiderit, etiamſi qui reclamante conſcientia facinus impium patrat quodammodo nolens facit, & cogitur à ſua prava cupiditate abſtractus & illectus, ſed potueritne evitare, ne tale facinus admitteret. *Lutherus* negat, ego diſſentio, In hoc eſt controverſia. *Oportuerat*, quoniam neceſſitatis verbum eſt, nobis ſuſpectum eſt, niſi dicas neceſſitatem conſequentiæ. Certo futurum erat, quod Deus infallibilis futurum præſcivit. Et tamen *Judas* poterat non ſuſcipere prodendi voluntatem, aut ſuſceptam potuit deponere, toties ad reſipiſcentiam in cœna & poſt cœnam provocatus. Quo minus mutarit, in cauſa fuit vis liberi arbitrii, ſubducens ſeſe gratiæ pulſanti, & invitanti ad pœnitentiam. Quid ſi mutaſſet voluntatem? Jam hoc diſſolvit Diatriba, nec falſa fuiſſet Dei præſcientia, nec impedita voluntas, quandoquidem hoc ipſum præſciturus ac voliturus erat Deus, quod eſſet mutaturus voluntatem. Jamque conſtat inter pueros etiam, infallibilem præſcientiam manere in his quoque rebus, quæ quoniam ab hominis voluntate libera pendent, mere contingentes ſunt. Contingens autem eſt, quod priuſquam fiat, poteſt eſſe aut non eſſe: ut ego poſſum nunc vertere calamum, aut non vertere, & tamen quicquid facturus ſum Deus nihilo incertius præſcit, quam ſi res eſſet neceſſaria. Hoc à Diatriba dictum diſſimulat *Lutherus*, ſed aliud quiddam arrodit. *Vide*, inquit, *quid hic dicat Diatribe. Si ſpectes Dei præſcientiam infallibilem, neceſſario* Judas *erat proditurus, & tamen* Judas *poterat mutare voluntatem ſuam. Intelligis etiam mi Diatriba quid loquaris?* Imo tu, *Luthere*, intelligis-ne quid loquaris? An tam acutus homo non perſpicis hæc à Diatriba proponi, & refelli poſtea, ſicut ante docuimus? Quemadmodum ante confudit opiniones de libero arbitrio, ita pari ſubtilitate nunc confundit objectionem cum reſponſione, adeo vigilat is, cui perpetuo ſtertit ebria Diatribe. Infulcit obiter, quod in fine Diatriba dicit, *hominem ſemel deditum peccato nihil pium velle*, quod hic depravat, *nihil niſi malum velle*, quaſi nihil ſit medium inter bonum & malum. Sed ad hoc nugamentum nunquam non retinniens, jam toties reſponſum eſt. Habes quid dicat Diatribe: Nunc audi quid dicat *Lutherus*. *Quomodo potuit* Judas *mutare voluntatem ſuam, ſtante infallibili præſcientia Dei? An potuit præſcientiam Dei mutare, & fallibilem facere?* Non ô bone, ſed hoc ipſum præſcit Deus, quo volubilis illa voluntas huc & illuc quo lubet verſans ſeſe, denique ſit deflexura ſeſe. An Diatribe non ſatis dilucidis argumentis declaravit, Dei præſcientiam quamvis infallibilem, non inducere neceſſitatem immutabilitatis aut inevitabilitatis humanæ voluntati? Quid eſt igitur quod hîc jactitat, hîc ſuccumbere Diatriben, ac relictis ſignis, projectis armis loco cedere, ac ſuſceptam diſputationem ad Scholaſticas ſubtilitates rejicere, qui diſtinguunt neceſſitatem conſequentis & conſequentiæ, quas ipſe nolit perſequi, me, cum res maxime poſceret virum, terga vertere, & aliis reſpondendi negotium cedere, potius non ſuſcipiendum fuiſſe certamen? Quid cætera commemorem, prolixa eſt ac glorioſa oratio, de cardine cauſæ, de tranſitionibus rhetoricis, de nugis nihil ad rem pertinentibus, de animo nihil affecto cauſæ, de quæſtionibus Theologicis ſerio tractandis. Et hæc nobis ita canit *Pyrgopolinices*, quaſi Diatriba non attigerit cauſæ cardinem, cum, ut jam oſtendimus, poſt oſtenſuri clarius, nullum ſit argumentum nec in illius aſſertione, nec in hoc triumphali libro, quod non diſcuſſum ſit & excuſſum, ſi velit attendere, imo potius ſi velit fateri. Abunde demonſtratum eſt, præſcientiam quamlibet infallibilem non inducere neceſſitatem inevitabilitatis humanæ voluntati. De voluntate durior eſt quæſtio, hoc eſt, de deſtinatione decretoque Dei. Quid hîc non diſſecuit Diatriba, ut nodos diſſolveret? Diſtinxit naturas rerum, quarum aliæ pendent à noſtro arbitrio, aliæ nequaquam: aliæ pertinent ad ſalutem noſtram, aliæ non item: Quod genus eſt, divitem eſſe aut pauperem. Diſtinxit eventum à deſtinatione, diſtinxit voluntatem Dei, conditionalem, permiſſivam, ſigni & efficacem. Excuſſit illud *Lutheri* telum, ſic exaggerantis naturam hominis vitiatam, ut nec Spiritus Sanctus poſſit in eo bonum opus operari. Excuſſit & alterum telum, de omnipotente motu, quod obiter mutuatus videtur ex Diatriba. Cum enim nullo telo magis ſe jactet, tamen id in aſſertionibus non venit illi in mentem, cum doceret omnium rerum abſolutam neceſſitatem. Et tamen interim Diatriba pugnat cum adverſario legibus ab ipſo præſcriptis. Ubi igitur Diatriba agit *rhipſaſpidem*, ac terga vertit? Quia negat ſe velle ſimiles argutias Scholaſticorum perſequi? Quid erat neceſſe longius perſequi, cum tantum adduxiſſem, quantum ad rem propoſitam erat ſatis, præſertim cum *Lutherus* tales argutias ſoleat fortiter contemnere, quoties adverſus ipſum faciunt, amplectens quoties hæret in *Syrti* quæſtionis. An me volebat hîc repetere quicquid Sophiſtæ garriunt de futuris contingentibus, de præſcientia ac prædeſtinatione Dei? At convenerat ut Scripturarum teſtimoniis res ageretur. Rapuit igitur vel in curſu Diatriba, quod nodum diſſecaret, & *Lutheri* meram neceſſitatem extruderet. Hoc facto quo ſe proripit *rhipſaſpis?* Ad id quod inſtituerat, ad loca Scripturarum explicanda, quæ *Lutherus* ad ſuum dogma detorſerat. Quis unquam vidit militem in bello turpius fugere, quam ſi amolitus quod obiter intercurrit, redeat ad aciem?

Superius ita loquutus eſt de neceſſitate conſequentis 164.
& conſequentiæ, ut ſuſpicarer hominem ſtudio rem obſcurare verborum fumis: hîc ſic explicat rem, ut videatur non intelligere, de quo tam multa verba fudit. Sic enim argumentatur, *Si enim neceſſitatem conſequentia conceſſeris, victum ac proſtratum eſt liberum arbitrium, nec quicquam juvat vel neceſſitas, vel contingentia conſequentis. Quid ad me, ſi liberum arbitrium non cogatur, ſed volenter faciat quod facit: ſufficit mihi, quod concedis neceſſario fore, ut volenter faciat quod facit, nec aliter habere ſe queat, ſi Deus ita præſcierit.* Hæc ille. Primum admiſcet hîc ſuam coactionem, cum ego loquar de neceſſitate inevitabilitatis, quando Scholaſticorum more loquendum eſt. Itaque cum illi nominant neceſſitatem conſequentis, intelligunt eum qui facturus eſt evitare non poſſe quin fiat quod præſcitur. Hanc inevitabilem neceſſitatem ſi *Lutherus* appellat coactionem, per me ſane licebit. Hanc in *Juda* proditore fuiſſe negamus, ſtante libero arbitrio & pulſante Dei gratia. Ad hæc tota hac diſputatione *Lutherus* videtur errare in verbis, hoc neceſſario fore interpretans, quod certo ſive ſine dubio futurum eſt, Deo præſciente, quaſi quicquid verum eſſet & certum, idem eſſet neceſſarium. Verùm manum inverſurus ſim, nec-ne, Deus præſcit, & certo futurum eſt quod ille præſcit, & tamen quoniam an fiat, nec-ne, pendet à mea voluntate, non fit hoc à me neceſſario, ſed contingenter: & hanc voluntatem contingenter ad id faciendum inflexi, erexi manum, ipſe nondum

Digitized by Google

certus, utrum pronam an ſupinam oſtendere velim, & me nondum certo, Deus certus eſt. Utrumcunque novit Deus futurum, certo fiet, at non neceſſario: poterat enim non fieri, ſi mihi libuiſſet. Et tamen hîc eſt neceſſitas conſequentiæ, ſi Deus præſcit me manum ſupinam oſtenſurum, neceſſario conſequitur fore, ut id faciam, & tamen ipſum faciam contingenter, quemadmodum & Deus hoc præſcit contingenter. Falſa ſunt igitur quæ colligit ſic *Lutherus: Hoc enim efficit neceſſitas conſequentiæ, id eſt, ſi Deus præſcit, ipſum neceſſario fit, hoc eſt, liberum arbitrium nihil eſt. Speculator proſpicit hominem aberrantem à via, venturum in manus latronum, num ob id inducit illi neceſſitatem errandi & incidendi in manus latronum?* Poſt tam frivolam argumentationem, vide quam magnifica ſuccedit aſſeveratio. *Iſta neceſſitas conſequentiæ non eſt obſcura nec ambigua, ut ſi etiam cacutiant omnium ſeculorum Doctores, cogantur tamen eam admittere, cum ſit ita manifeſta & certa, ut palpari poſſit:* miror eum non addidiſſe *peronatis pedibus*, ne parum eſſet hyperbolus. Aut ego nihil video, aut *Lutherus* nondum intelligit quid ſit neceſſitas conſequentiæ & conſequentis. Exemplum neceſſariæ conſequentiæ ponit hoc, *Si Deus præſcit, ipſum neceſſario fit.* Imo hîc eſt neceſſitas conſequentis potius quàm conſequentiæ. Aliud eſt, ſi diceret, *Neceſſe eſt hoc fore, ſi Deus præſcit.* At non ſequitur, *Deus certo præſcit, ergo neceſſario fiet.* Exemplum alterius tale ponit, *Deus præſcit* Judam *fore proditorem, ergo certo & infallibiliter fiet, ut* Judas *ſit proditor.* Quid intereſt inter hoc & illud, niſi quod illic eſt conditionalis falſa, hîc rationalis æque falſa, Si *Lutherus*, ut facit, non diſtinguit certum & infallibile à neceſſario. Deus unico contuitu novit res omnes ſic ut erant, ſunt, aut futuræ ſunt. Nec illius notitia mutat naturam rei, ſed res potius mutat modum notionis divinæ. Quæ fiunt neceſſario novit neceſſario, quæ contingenter, novit ut contingentia. Ubi *Petrus* currit, Deus certo ſcit illum currere, cum tamen ille currat contingenter: ubi deſiit currere, æque certo ſcit hanc propoſitionem, *Petrus currit*, eſſe falſam, & novit futura, ut novit præſentia. Cum video *Petrum* currere, certum ſcio illum currere, nec tamen ille neceſſario currit, poterat enim non currere, poteſt deſinere cum volet. Quod ſi mea notitia nullam neceſſitatem adducit rebus quæ geruntur ex libero arbitrio, nihilo plus adfert præſcientia Dei: & illius notitia quodam modo mutari poteſt ex arbitrio noſtro, falli tamen non poteſt, quemadmodum ego non fallor intuens hominem ſic aut ſic agentem. Modus actionis in cauſa eſt, ut ſic aut ſic cognoſcam, non mea cognitio facit, ut ſic aut ſic agat. Sive enim videam, ſive non videam, ille tamen agit quod agit. Eadem eſt ratio de præſcientia. Si video *Petrum* currere, ſequitur hanc propoſitionem eſſe veram, *Petrus currit:* at non ſequitur neceſſario verum eſſe quod natura ſit contingens. Ita ſequitur, *Deus præſcit hoc fore, ergo fiet:* at non ſequitur, *ergo neceſſario fiet:* alioqui ſequeretur, quicquid eſſet futurum id neceſſario fore, nihil contingenter, ſed omnis propoſitio de futuro vera, eſſet neceſſaria, & omnis propoſitio de futuro falſa, eſſet impoſſibilis, quod eſt jam olim exploſum à Philoſophis. Et ubi tum erit liberum arbitrium quod *Lutherus* homini tribuit in rebus inferioribus? Quicquid hîc ratiocinatur, etiam illic habebit locum, Si illic non habent, nec hîc habitura ſunt. Eadem eſt & ſummarum & infimarum rerum præſcientia apud Deum: niſi forte dicet, eſſe quæ fugiant Dei præſcientiam. Pergit offundere fumos. *Quia Judas*, inquit, *poteſt mutare voluntatem prodendi, ideo non eſt neceſſitas conſequentis.* Fateor, hoc ſentio, & verum eſt, ſi quid intereſt inter contingens & neceſſarium, aut inter propoſitionem contingentem & neceſſariam. Nec ſtatim eſt neceſſario verum, quod infallibiliter ac certo verum eſt. Finge *Petrum* moturum pollicem, hæc contingenter erit vera, *Petrus movebit pollicem*, ac ſi moverit, *movet pollicem:* Ubi movere deſierit, erit contingenter vera, *Petrus movit pollicem*, cum tamen hujus veritas ſit immutabilis, quod ejus veritas pendeat à præterito, cum poterat *Petrus* movere aut non movere pollicem. Hæc cum adoleſcentibus tritiſſima ſint, demiror *Luthero* non venire in mentem, quam hîc ridicula nobis inculcet. Pergit argutari, ne dicam ineptire. *Rogo te*, inquit, *quomodo conveniunt illa duo*, Judas *poteſt non velle prodere, & neceſſe eſt ut* Judas, *prodere velit?* Hæc fateor eſſe contradictoria: Quid tum poſtea? Diatriba nuſquam pronuntiat hanc eſſe veram, *neceſſe eſt ut* Judas *velit prodere*, imo habet eam pro manifeſto falſa. *Non cogetur*, inquis, *prodere invitus.* Quis hoc dixit? *Lutherus*, Diatriba nuſquam. *Aliud*, inquit, *quæro? aliud reddis.* Quî ſic, Reſponſio fuit de neceſſitate conſequentis, & tu exemplum profers de coactione conſequentis. Ubinam hoc exemplum eſt? Verba Diatribes ſic habent, *Fatentur neceſſario conſequi, quod* Judas *fuerit proditurus Dominum, ſi hoc ab æterno voluntate efficaci volvit Deus, at negant conſequi, quod ideo neceſſario proditurus ſit.* Hîc nihil eſt eorum quæ *Lutherus* jactat: Et tamen ego colligo ex voluntate Dei efficaci, ille colligit ex præſcientia, quæ collectio jam fuit exploſa. Quî congruunt illa duo, quod *Lutherus* fatetur *Judam* contingenter fuiſſe, & tamen aſſeverat eundem neceſſario agere? Contra Theologi fatentur Deum neceſſario eſſe, non tamen omnia neceſſario ſcire, licet infallibiliter ſciat omnia. Si contingens in ſe complectitur poſſe & non poſſe, quomodo poteſt neceſſario fieri, quod fit contingenter? Ideo vero *Judas* contingenter prodidit Dominum, quia poterat velle prodere, & poterat non velle. In hujuſmodi Dialecticorum argutiis puer, nec admodum volens, nec admodum favente Minerva, verſatus ſum, & ex tanto temporum intervallo, non ita multum reſedit in memoria: proinde parcius attigi in Diatriba, ne moleſtus eſſem lectori. Et tamen *Lutherus*, qui in his bonam ætatis partem conſumſit, hactenus ſic ſe geſſit, ut nuſquam frigidius aut delirantius.

Nunc aggreditur alterum locum de *Jacob* & *Eſau*, 165. *de quibus nondum natis dictum eſt, Major ſerviet minori.* Inter multa demonſtrat Diatriba locum illum non proprie loqui de iis quæ ad ſalutem hominis aut exitium pertinent. Non enim refert ad ſalutem, ſervus ſis an herus. Hîc *Lutherus* veluti latiſſimum debacchandi campum nactus, mire vociferatur, Diatribam eludere Scripturas, fugitare veritatem, *Hieronymum* iterum atque iterum vocat ſacrilegum, & anathemati devovet, qui ſcribit alicubi, teſtimonia quædam Scripturarum pugnare apud *Paulum*, quæ ſuis locis non pugnant. Quid multis? Ingens eſt tragœdia. Verùm hîc lubens appellarim *Lutherum* rogaturus, num integer mentis fuerit, cum hæc vociferaretur? Hoc loco nulla *Hieronymi* mentio, & quod interpretor *Lutherus* concedit, locum illum non pertinere ad ſalutem æternam, ſed ad hujus vitæ commoda aut incommoda. Neque enim nobis conſtat, *Eſau* damnatum eſſe apud inferos. Sed quemadmodum Rex eos diligere dicitur, quos evehit ad ſummos honores, odiſſe quos nullo dignatur honore, quos mulctat, ſpoliatque, ita loquitur Deus in Scriptura. Non hîc utor dicto *Hieronymi*, quod exſecratur *Lutherus*, nec ipſe ſignifico *Paulum* quicquam ſecus adducere quam oportet. Itaque dementiæ verba ſunt illa de ſacrilego ore *Hieronymi*, de hebetudine & oſcitantia, de exſecratione anathematis. Quod ſi forſitan maxime hîc meminiſſem *Hieronymi*, quid opus erat illa tragica interpretatione, *Pugnant apud* Paulum, *quæ ſuis locis non pugnant: hoc eſt*, Paulus *cum fundamenta dogmatis Chriſtiani jacit, nihil facit niſi quod depravat Scripturas divinas, & ludit animas fidelium, ſententia è ſuo cerebro efficta*, &c. Euge! hoc eſt proferre divina tonitrua: Piget referre cætera. Sed quid tandem offendit *Lutherum*? Si locus ſentit non de ſalute aut exitio æterno, ſed de honore temporali, num ideo *Paulus* depravat Scripturas? An hoc novum eſt in Scripturis ſacris, exempla rerum cor-

Digitized by Google

corporalium adducere, ad demonſtrationem ſpiritualium? Sicuti tunc invertit honorem primogenitalium, ac majorem voluit ſervire minori, ſic nunc honorem habuit Gentibus, quæ prius fuerant contemtiſſimæ, ac repudiat Judæos populum electum, videlicet inverſo rerum ordine. Verùm quemadmodum illud fiebat non caſu, ſed ex deſtinatione Dei, ita quod nunc agitur in Judæis ac Gentibus. Quid ſi dicam ne hìc quidem *Paulum* agere tantum de cauſa ſalutis æternæ, ſed de Judæorum gloria ad Gentes translata: Subverſa eſt civitas, ademtum Regnum, ſubrutum Templum, ipſi per Orbis plagas diſperſi, penes Gentes gloria Religionis eſt. Cæterum quod proprie pertinet ad negotium ſalutis, nec ulli Judæorum præcluſa eſt via ad ſalutem, nec omnes Gentes receptæ ſunt, ſed utriſque patet eadem via fidei, quemadmodum ab æterno Deus hoc futurum & præſcivit, & ſtatuit: ut jam nec Gentes oporteat diffidere, reputantes impiam vitam ſuam, nec Judæos obmurmurare, cum hoc ipſum Deus Prophetarum ore futurum prædixerit, ut antiquata Legis gloria, Lex Euangelii ſpargeretur per univerſum Orbem.

166. Aſſeverat hunc locum rectè à *Paulo* adductum, etiamſi loquatur de honore temporali. Idem affirmat *Lutherus* quod ego. Cur ergo litigat? An eſt ulla ſyllaba in mea Diatriba hoc ſane loco ſuggillans *Pauli* citationem? Verba Diatribes hæc ſunt, *Ut hoc teſtimonium apud* Paulum *non admodum pugnet ad probandam neceſſitatem, ſed potius ad retundendam arrogantiam Judæorum.* Ex his verbis potius elicere debuit, teſtimonium apud Prophetam pugnare magis quam apud *Paulum*. Ad id quod hìc agit *Paulus* aptiſſime citavit, ad neceſſitatem *Lutheri* probandam nihil facit, quoniam hoc non agit *Paulus*. Agnoſco *Pauli* verba de nondum natis, priuſquam quicquam boni malive geſſiſſent, dictum eſt gravidæ matri, non *Saræ*, ut ſomniat *Lutherus*, ſed *Rebeccæ*, *Major ſerviet minori*. Sit in his verbis cardo cauſæ, nihil refugio. Quid ait *Lutherus? Diatriba diſſimulat hæc, neque quicquam diſputat de meritis.* Non pudet hominem tam manifeſtariæ vanitatis? Mox eodem loco ſequitur in Diatriba: *Quoniam autem Deus quos odit aut diligit, ex juſtis cauſis odit aut diligit, non magis officit libertati arbitrii odium & amor, quo proſequitur naſcituros, quam quo natos. Nam non natos odit, quia certo præſcit illos geſturos odio digna, natos odit quia committunt odio digna.* Hanc ſententiam cum multis verbis proſequatur Diatriba, tamen *Luthero* dicitur rhetoricis tranſitionibus utens nihil de meritis attigiſſe. Sed quid ex his verbis colligit *Lutherus?* nullis meritis, ſed ſola voluntate Dei, rejectos Judæos & Gentes ad Euangelium vocatas: idque mera neceſſitate factum, ſic ut nihil egerit vel in his, vel in illis liberum arbitrium? Cur igitur ipſe *Paulus* exprimit merita Judæorum, ob quæ rejecti ſunt à Deo, quia tot modis provocati, pertinaciſſime, ſicut ait *Stephanus*, reſtiterunt Spiritui Sancto. Nihil illos movit Patriarcharum exemplum, Legis religio, Prophetarum oracula, ipſius Domini præſentia, miracula, beneficia, contemſerunt omnia, & ſalutis auctorem ſubegerunt in crucem. An hìc nulla ſunt merita, ob quæ rejici debuerint? Hoc totum *Paulus* civili vocabulo vocat incredulitatem. Neque nullum tamen meritum notat in Gentibus, non quidem opera vitæ prioris, ſed fiduciam erga *Chriſtum*. Quorſum igitur pertinent illa, *Non ex operibus, ſed ex vocante?* Eo pertinent, ut Judæis ob admiſſas Gentes murmurantibus obturaret os. Clamabant illi, cur admittis impias Gentes ad tantum honoris? Reſpondet Deus, Cur de nondum natis dictum eſt, major ſerviet minori? Ad hoc ſi non poteſtis reſpondere, cum ſit in Lege veſtra ſcriptum, deſinite inquirere, cur ego Gentes præferam Iſraelitis. Non ſic amo odive quemadmodum homines, qui ex rebus geſtis concipiunt amorem aut odium. Ego priuſquam naſcantur homines, ſcio quales futuri ſint, & unicuique præfinio quæ ſint in illis digna. Ideo *Eſau* nihil prodeſſe volui, quod eſſet primogenitus, quia noveram quibus moribus eſſet futurus: *Jacob* favi, quod ab æterno præſcivi virum pium, & hoc honore dignum futurum. Nec hìc valuit patris *Iſaac* voluntas, qui benedictionem deſtinarat *Eſau*, quem diligebat, neſciens uter eſſet amore aut odio dignior, ſed vicit Dei decretum. Nam hìc Apoſtolus in collatione, *Eſau* ſuppoſuit loco Judæorum, *Jacob* loco Gentium, quemadmodum mox *Pharaonem* adducit loco Judæorum. *Eſau* paruit voluntati patris, egreſſus in venatum, & tamen benedictione fruſtratus eſt: *Jacob* nihil officii præſtans patri, per dolum intercepit benedictionem. *Iſaac* lex erat carnaliter obſervata, *Rebecca* quæ dedit conſilium irrependi, erat gratia. Nulla præceſſerant merita, cum audiret mater, *major ſerviet minori*, ſed merita præviderat Deus, cui præſentia ſunt omnia. Proinde non eſt hominis obmurmurare Deo, cur hunc honoret, illum rejiciat. Novit enim ille cauſas occultas, quæ latent hominem, & ex futuris definit, non ex præteritis. Cæterum quod ait, *ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante*, potiſſimum ad Gentes vocatas pertinet, quæ nec generis nec Legis obſervatæ commendatione vocatæ ſunt, juxta propoſitum Dei, qui miſeretur quibus vult, ſic tamen ut neminem immerentem rejiciat, *damnans* (ut ait *Bernardus*) *juſte, ſervans miſericorditer*. Sed cur *Paulus* huic ſermoni miſcet verba quædam, quæ videntur omne meritum in utriſque excludere, totumque tribuere voluntati divinæ? Primum, ut dixi, quo retunderet impiam curioſitatem in rebus divini conſilii: præterea quod talis ſit hæc materia, ut hinc atque hinc multas gignat quæſtiones, quæ ab homine diſſolvi non poſſunt, partim in his quæ externa bona malaque vocantur, nec pendent ab hominis arbitrio, partim in his quæ pertinent ad ſalutem æternam. Quis enim exigit rationem à Deo, cur hic naſcatur mas, illa fœmina, hic Rex, ille barbarum mancipium, hic dives, ille pauper, hic formoſus, ille deformis, hic proſpera firmaque valetudine, ille morbis horrendis ac jugibus obnoxius, hic longævus, ille mox in cunis moriturus, alius inter uteri materni latebras præfocandus, hic ingenio felici, ille tam ſtupidus, ut non multum abſit ab animante bruto, hic ingenio tractabili, & ad omnem virtutem docili, ille veluti natus ad omne facinus. Rurſum cur certo tempore voluerit vocare Gentes ad Euangelii gratiam, quas tot ſeculis paſſus eſt ſervire Dæmonibus, & ſimulacris, Cur *Paulum* eodem ſtudio furentem in Chriſtianos, quo cæteri furebant, violenta manu ad ſe traxerit, cæteros ſuæ malitiæ cæcitatique reliquerit. Hæc aliaque permulta incidunt in hujus argumenti tractatione, in quibus repreſſa hominis curioſitate requiritur ſimplex fides, ac ſubmiſſa obedientia. Alioqui percunctator audiet, *Nunquid dicit lutum figulo, cur me finxiſti ſic?* In his rebus etſi non ſemper exſtant merita, ſubſunt tamen juſtiſſimæ cauſæ, cur Deus ita fieri vel voluerit, vel permiſerit. Oſtendi quid illic agat *Paulus*: oſtendi hæc cum illius propoſito pulchre congruere: oſtendi ex vocatione, electione, præſcientia Dei non tolli liberum arbitrium hominis, in his præſertim quæ ſpectant ad ſalutem æternam. Hìc fortaſſe cachinnum tollet *Lutherus*, ridebit Diatribes ebriæ ſomnium. Eodem jure ridebit Diatriba *Lutheri* ſomnium. Quanquam quod adfero, ex ipſo ſermonis tenore declaravimus ſenſum eſſe *Pauli*, & ſimplicia verba ſequor, excluſis tropis. Quod ſi referam *Origenis* interpretationem aut *Hieronymi*, provocabitur ad novas blaſphemias. Sed quid dicet de *Chryſoſtomo*, quid de *Auguſtino*, quid de *Ambroſio*, quorum interpretatio pro me ſtat? *Chryſoſtomi* verba bona fide ſubſcribam: „ *Non ſolum autem, verum etiam Rebecca, ex uno ferens uterum, videlicet Iſaac patre noſtro.* „ Magna erat quæſtio, eoque multas movet rationes, „ & undique tentat adducere, quod ſolvat difficultatem. „ Nam ſi incredibile erat ac novum, illos poſt tantas „ promiſſiones excidere, multo nimirum incredibilius

Digitized by Google

„erat illud, nos in illorum bona succedere, qui tale
„nihil exspectaveramus. Id quod accidit perinde est,
„ac si Regis filius, cui promissa sit regni paterni suc-
„cessio, in classem ignobilium extrudatur, & hujus
„vice damnatus quispiam homo, malis innumerabili-
„bus opertus, emissus è carcere principatum illi desti-
„natum accipiat. Quid haberes, inquit, quod dice-
„res? An quod indignus erat filius? Verùm & hic in-
„dignus est, multoque quam ille indignior. Itaque
„aut pariter erant honorandi, aut pariter puniendi. Ta-
„le quiddam & in Gentibus ac Judæis accidit, imo
„hoc etiam admirabilius. Nam omnes fuisse indignos
„declaravit in his quæ præcesserunt, dicens: *Omnes*
„*peccaverunt & egent gloria Dei.* Cæterum novum est,
„quod cum omnes pariter essent indigni, solæ Gen-
„tes servatæ sunt. Ad hæc autem poterit & alius, in-
„quit, movere quæstionem. Si Deus non erat præ-
„stiturus illis quæ promiserat, quare promisit? Siqui-
„dem homines ignari futuri sæpenumero falluntur,
„suaque dona pollicentur indignis; At Deus & præ-
„sentium & futurorum providus est, ac certissime sci-
„ens. An quoniam seipsos indignos præbebant polli-
„citis, & hanc ob causam nihil accepturi sunt eorum
„quæ promissa sunt? Sed cur pollicetur? Quomodo
„igitur hæc solvit *Paulus*? ex eo dum ostendit, quis
„sit ille *Israel*, cui promissum erat. Hoc enim de-
„monstrato, simul & illud demonstratum fuerit, vi-
„delicet omnes pollicitationes impletas esse. Hoc ita-
„que declarans dicit, *Non enim omnes ex Israel proge-*
„*niti sunt Israelitæ*, & ob id ne *Jacob* quidem vocabu-
„lum posuit, sed *Israelis*, quod virtutem justi, & do-
„num cœlitus datum, ac Deum ab ipso conspectum
„fuisse admonebat. Et sane dicit, *omnes peccaverunt*
„*& egent gloria Dei.* Quod si peccaverunt omnes,
„quî factum est ut alii servati sint, alii perierint? Quo-
„niam non omnes voluerunt accedere. Sane quod ad
„eam rem pertinet, servati sunt omnes, verùm id non-
„dum explicat, sed ex superfluo solvit, ex aliis exem-
„plis aliam in medium inducens quæstionem, quemad-
„modum & in superioribus solvit quæstionem difficil-
„limam per aliam difficultatem. Cum enim quærere-
„tur, quî factum esset, ut *Christo* justificante, omnes
„reliqui illius justitiæ participes fierent, obiter indu-
„xit mentionem *Adæ*. *Etenim si unius peccato mors*
„*regnavit, magis qui abundantiam gratiæ perceperunt*
„*in vita regnabunt.* Atque id quidem quod de *Adam*
„quæri poterat non solvit: Cæterum quod ipse posue-
„rat, ex hoc solvit, ostendens magis esse rationi con-
„sentaneum, ut qui pro eis mortuus est, habeat in
„nos potestatem utcunque velit. Nam ob unius pec-
„catum omnes dare pœnas, plerisque videtur non ad-
„modum congruere rationi: verùm ut unius corre-
„ctione omnes justificentur, magis rationi consenta-
„neum videri poterat ac Deo dignius. Attamen non
„solvit id de quo dubitabatur, eo quod quò id manet
„inexplicatius, hoc magis Judæo obturabatur os, &
„hac de re mota quæstio, ad illam transiit: & hæc
„illinc facta est manifestior. Similiter autem & hoc
„loco ex aliis difficultatibus solvit id quod quæreba-
„tur. Etenim cum Judæis illi certamen erat. Cur
„hoc? exempla in medium adduxit, quæ non admo-
„dum solvit? Non enim obnoxius erat tam multis dif-
„ficultatibus explicandis, Velut in pugna adversus Ju-
„dæos susceptа, Sua vero omnia, ex illis reddit cla-
„riora. Quid enim miraris, inquit, quod ex Judæis
„alii servati sunt, alii non servati sunt hoc tempore?
„Nam idem hoc retro in Patriarchis accidisse dixerit
„aliquis. Cur enim solus *Isaac* vocatur semen, cum
„*Abraham* & *Ismaelis* pater esset, ut & aliorum com-
„plurium. Dixerit aliquis, erat ex matre ancilla. Sed
„quid hoc ad eum qui genuerat illum? Verumtamen
„nihil contendo. Ejiciatur hic ob matrem. Quid
„dicemus de his quos ex *Chetura* suscepit? Nonne li-
„beri erant ex libera nati? Cur non iisdem prærога-
„tivis honorati sunt cum *Isaac*? Verùm quid de his
„loquor? *Rebecca*, sola & unica erat uxor *Isaac*, cum-
„que duos peperisset ex *Isaac* pueros, habebat ambos.
„Attamen qui nati sunt, cum essent ejusdem patris,
„ejusdem matris, eosdem parturiendi nixus solvissent,
„communi patre, communi matre, præterea etiam
„gemelli, non tamen eundem honorem sortiti sunt.
„Atqui non potes hîc causari matris servitutem, quem-
„admodum in *Ismaele*, non causari potes, hunc ex
„hoc, illum ex alio natum fuisse utero, veluti de *Sa-*
„*ra* & *Chetura*, cum hic parturiendi nixuumque tem-
„pus fuerit commune. Propterea sane velut transiens
„ad exemplum evidentius: *Non solum*, inquit, *acci-*
„*dit hoc in Isaac, sed & Rebecca ex uno uterum gerens,*
„*Isaac patre nostro. Cum enim*, inquit, *nondum essent*
„*nati, neque quicquam boni malive fecissent, ut secun-*
„*dum electionem propositum Dei maneret, non ex operi-*
„*bus, sed ex vocante dictum est ei, Major serviet mi-*
„*nori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem*
„*odio habui.* Quamobrem igitur hic amabatur, ille
„habebatur odio? Cur huic dominatus datus est, ille
„servituti traditus est? Quoniam alter malus, alter bo-
„nus fuit? Atqui cum nondum essent nati, hic quidem
„honoratus est, ille condemnatus. *Nondum enim na-*
„*tis illis, Deus dixit, Major serviet minori.* Quam
„igitur ob causam hoc dixit Deus? Quoniam non ho-
„minum more exspectat eventum operum, ut hinc
„perspiciat quis bonus sit, quis malus, sed priusquam
„aliquid faciant perspexit, quis malus sit, quis non.
„Idque majore miraculo accidit in Israelitis. Quid
„enim, inquit, loquor de *Esau* & *Jacob*, quorum hic
„bonus erat, ille malus. Siquidem Israelitarum com-
„mune peccatum erat, omnes vitulum adorarant, ve-
„runtamen alii misericordiam consequuti sunt, alii
„non consequuti sunt. *Miserebor enim*, inquit, *cu-*
„*juscunque misereor, & commiserabor, quemcunque*
„*commiseratus fuero.* Hoc videre licet & in his quî
„puniuntur. Quid enim dices de *Pharaone*, quod pu-
„nitus est, quodque tam graves dedit pœnas? Quo-
„niam durus erat ac rebellis? Ergo-ne solus ille talis
„erat, ac præterea nullus? Quî factum igitur est, ut
„ille tam acriter sit punitus? Quid tandem in Judæis?
„non populum, vocavit populum. Ac rursum non
„eodem honore dignatus est omnes. *Si enim fuerint,*
„inquit, *ut arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Et cur
„reliquiæ tantum? Vides quantis difficultatibus invol-
„verit, quæ fuerant proposita. Idque optimo jure
„facit. Quoties enim licet adversarium in difficulta-
„tem inexplicabilem conjicere, ne protinus infer so-
„lutionem. Etenim si ipse quoque videtur eidem ob-
„noxius ignorantiæ, cur superfluum sustineas pericu-
„lum? Cur illum reddis confidentiorem qui cuncta
„trahit ad sese? Dic enim mihi, Judæe, qui tam mul-
„tas moves difficultates, cum nihil earum possis sol-
„vere, qua fronte nobis de vocatione Gentium faces-
„sis negotium? Quanquam ego sane possem justam ad-
„ferre causam, propter quam Gentes justificatæ sunt,
„vos autem velut ex operibus Legis quærentes justi-
„tiam, cum hac via ad eam contenderitis, undiqua-
„que estis destituti. *Ignorantes enim Dei justitiam, &*
„*propriam quærentes statuere, Dei justitiæ non fuerunt*
„*subjecti.* Totius igitur loci solutio sic anticipatur à
„beata illa anima, ut in summa dicat totum. Ut au-
„tem hæc manifestiora fiant, singulatim etiam eo-
„rum, quæ dicta sunt, faciamus examinationem, il-
„lud scientes, quod beatus *Paulus* hîc studet illud
„esse, nimirum ut demonstret per omnia quæ di-
„cta sunt, quod solus Deus novit dignos, hominum
„vero nullus, etiamsi vehementer dignus videatur,
„sed frequenter fallitur in hoc judicio. Verùm qui
„occulta mentium novit, ille certo scit, qui sumus
„corona digni, qui contra digni supplicio & vindi-
„cta. Hinc nimirum fieri, ut multos apud homi-
„nes pro bonis habitos, redargutos Deus punierit:
„Contra multos pro malis habitos coronarit, decla-
„rans eos non esse tales, non ex vulgi sententia,
„sed

Digitized by Google

„ſed ex exacto incorruptoque judicio pronuntians, „nec exſpectans, ut ex factorum eventu perſpiciat, „quis malus, quis ſecus. Sed ne rurſum obſcuriorem „reddamus ſermonem, ad ipſa Apoſtoli verba venia„mus. *Non ſolum autem, ſed & Rebecca ex uno ferens „uterum.* Poteram, inquit, & eos proferre, qui ex „*Chetura* nati ſunt, ſed de his non loquor: Verùm ut „ex ſuperfluo victoriam feram, qui ex eodem patre, „eadem matre nati ſunt, hos in medium adduco. Nam „ex *Rebecca* nati fuerant ambo, deinde ex *Iſaac*, le„gitimo filio, ac probato, qui omnibus fuerat hono„re prælatus, de quo dixerat, *In Iſaac vocabitur tibi „ſemen. Qui fuit pater omnium noſtrum.* Quod ſi „ille pater noſter eſt, oportet & eos, qui ex illo pro„geniti ſunt, patres noſtros eſſe. * An non fuerunt? „Vides quemadmodum non in ſolo *Abraham* hoc ac„cidit, verum etiam in hujus filio. Et undiquaque „fides eſt, quæ dat ſplendorem, veramque ſignat co„gnationem. Hîc enim diſcimus, quod non ſolum „ex modo nativitatis, verum etiam ex eo quod digni „ſunt virtute progenitoris, filii vocantur illius filii. „Etenim ſi id fieret tantum ex modo nativitatis, opor„tuit eandem eſſe ſortem *Eſau* cum *Jacob*. Siquidem „& hic prodiit è vulva emortua, & hujus mater erat „ſterilis. Atqui non ſolum hoc erat quod quærebatur, „verum etiam mores, quæ res nec eſt fortuita, & ad „vitam inſtituendam nobis conducit. Neque dicit, „alterum fuiſſe malum, alterum bonum, & ideo hunc „honore prælatum eſſe, ne protinus ipſi objiceretur: „Cur igitur ii qui ex Gentibus ſunt, boni ſunt potius, „quam ii qui ex circumciſione? Quanquam ita rei ve„ritas habebat, nondum tamen hoc explicat, eo quod „durius eſſe videbatur, ſed rei ſummam rejecit in Dei „ſecretum, cui nullus auderet repugnare, quamvis „inſigniter inſanus. *Nondum enim natis illis dictum „eſt* matri, *Major ſerviet minori.* Siquidem hoc erat „præſcientiæ, quod ex eodem partu fuerint electi. Ut „igitur, inquit, perſpicua ſit electio Dei, quæ facta eſt „ex præſcientia, ex primo ſtatim die vidit uter eſſet „bonus, uter malus, idque pronuntiavit. Ne igitur, „inquit, mihi dixeris, legi Legem ac Prophetas, tam „longo ſervivi tempore. Quandoquidem is qui novit „animos probare, idem novit quis dignus ſit, ut ſerve„tur. Concede igitur arcano electionis judicio. So„lus enim hic novit exacto judicio dare coronam. „Quot erant qui videbantur meliores *Matthæo*, juxta „bonitatis ſpeciem ex operibus apparentem. Verùm „is qui novit arcana, quique poteſt mentis idoneita„tem explorare, & margaritum in cœno jacens agno„vit, idem omiſſis aliis, hujus pulchritudinem admi„ratus, elegit ipſum, & voluntati generoſæ promtæ„que ſuam ipſius addens gratiam, reddidit illum cele„brem ac probatum. Etenim ſi in libris iſtis tempo„rariis aliiſque in rebus omnibus, ii qui judicio præ„cellunt, non earum rerum æſtimatione, à quibus „idiotæ ſolent judicare, eligunt ea quæ propoſita ſunt, „ſed ab iis quæ ipſi certo norunt, neque raro quod „eſt apud vulgus probatum, rejiciunt, contra quod „improbatum eligunt: Ac domitores equorum fre„quenter idem faciunt in equis, ſimiliter & pretioſo„rum lapidum æſtimatores, & aliarum artium opifi„ces: multo magis benignus Deus, qui eſt immenſa „ſapientia, qui ſolus omnia perſpicue novit, non ſuſ„tinebit hujuſmodi quicquam, ſed ex propria ſapien„tia, quæ perfecta eſt, nec falli poteſt, de cunctis „feret ſententiam: eoque publicanum elegit, & latro„nem & meretricem, Sacerdotes autem, Seniores ac „principes contemſit, rejecitque. Idem hoc & in mar„tyribus videre licet accidere: Complures ex his, qui „videbantur vehementer abjecti, certaminis tempore „coronati ſunt. Contra qui apud vulgus habebantur „magni, ſupplantati ſunt ac ceciderunt. Itaque ne „poſcito cauſas à conditore, neque dicito, Cur hic „coronam adeptus eſt, ille punitus? Novit omnia ex-

* Forſan legendum, *At.*

„acto facere judicio, & ideo dicebat, *Jacob dilexi, „Eſau autem odio habui.* Utique juſte, quoniam tu „quidem ex eventu factorum noſti, ille vero, & an„te eventum, certo noverat. Non enim Deus ſolum „quærit operum exhibitionem, ſed & voluntatis ge„neroſam promtitudinem & probam mentem. Talis „enim etiamſi per incidentem aliquam occaſionem la„batur, facile ſeipſum recipiet: Et ſi forte verſetur „in vitiis non negligetur, ſed celeriter illum revoca„bit, qui novit omnia, Deus. Quemadmodum è diver„ſo, qui animo corruptus eſt, etiamſi quid boni vi„deatur facere peribit, quoniam id facit mala mente. „Quandoquidem & David commiſſo pariter & homi„cidio & adulterio, quoniam per incidentem occaſio„nem abreptus, non deſtinata malitia id fecit, cele„riter ea diluit crimina. Phariſæus autem qui nihil „horum facinorum auſus eſt, ſed aliis etiam bonis or„natus erat, malitia intentionis omnia perdidit. Quid „igitur dicemus? Num iniquitas eſt apud Deum? Ab„ſit. Igitur nec in hoc quod in nobis fecit ac Judæis. „Poſt hæc inducit aliud hoc evidentius. Quod? *Moy„ſi enim dicit: Miſerebor cujuſcunque miſereor, & com„miſerabor quemcunque commiſeror.* Ac rurſus auget „objectionem, per medium illam diſſecans, ac ſolvens, „alteramque gignens dubitationem. Sed quo fiat evi„dentius quod dico, explicandum id eſt. *Dixit*, in„quit, *Deus, Major ſerviet minori*, idque dixit ante „partum. Quid igitur? An injuſtus Deus? Nequa„quam. Audi igitur quæ ſequuntur. Illic enim & „virtus & malitia diſcernit eos, hîc vero erat Judæo„rum omnium peccatum, in vituli fabricatione. Et „tamen alii dedere pœnas, in alios non eſt animadver„ſum. Et ideo dicebat, *Miſerebor cujuſcunque miſe„reor, & commiſerabor quemcunque commiſeror.* Non „enim eſt tuum, inquit, ſcire, ô *Moſes*, qui digni ſunt „humanitate, verùm hoc meum eſt. Quod ſi non eſt „*Moſi* ſcire, multo minus noſtrum. Nam hanc ob „cauſam non ſimpliciter retulit quid dictum eſſet, ſed „cui dictum eſſet commemorat. *Moſi*, inquit, *dixit:* „videlicet ut & perſonæ dignitate pudorem incutiat „contradicenti. Cum igitur dixiſſet ſolutionem eorum „de quibus ambigebatur, medium ſermonem interſe„cuit, rurſus aliam inducens objectionem, ac dicens: „*Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt „Dei.* Volebat quidem *Iſaac* benedicere *Eſau*, is cu„currit in campum, ut faceret quod mandaverat pa„ter, deſiderans benedictionem: Cæterum Deus in„terea *Jacob* qui dignus erat induxit, juſtoque judicio „dignum benedictione declaravit. Dicit enim Scri„ptura *Pharaoni, In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam „in te potentiam meam & ut annuntietur nomen meum „in univerſa terra.* Sicut illic, inquit, alii quidem „ſervati ſunt, alii puniti, ſic & hîc idem ſervabatur. „Deinde rurſus inducit objectionem, *ergo cui vult mi„ſeretur, & quem vult indurat. Dices itaque mihi. „Quid adhuc queritur? Voluntati ipſius quis reſiſtit?* „Vides ut ſtuduerit hoc modis omnibus explicabile „reddere, nec protinus adducit ſolutionem, idque fa„cit ad eorum quibuſcum agit utilitatem: ac primum „occludit os ei qui movet quæſtionem, dicens illi, *ô „homo tu quis es, qui reſpondes Deo?* Hoc autem facit, „ut illorum importunam curioſitatem coerceat, im„modicumque inquirendi ſtudium, injecto freno, do„cens illos ſcire quid ſit Deus, quid ſit homo, & quo„modo ſit incomprehenſibilis illius providentia, no„ſtrum tranſgrediens intellectum, & quod oporteat „omnes illi parere: ut poſteaquam in hoc præpara„verit auditorem, eumque cohibuerit, animumque „reddiderit mitiorem, tum demum citra difficultatem „inducens ſolutionem, efficiat ut quod dicitur facile „recipiatur. Nec ita loquitur, Iſta ſunt inſolubilia. „Sed *quid tandem?* Impium eſſe dicit talia quærere. „His enim quæ fiunt à Deo obſecundare oportet, non „curioſe inquirere, etiamſi quam ob cauſam fiant igno„remus. Ideo dicit, *Tu quis es, qui ex adverſo reſpon-*

Digitized by Google

„*des Deo?* Vides quomodo illum dejecerit, quomodo percelluerit inflatam arrogantiam? *Tu quis es*, „Num consors imperii? ergo-ne sedes judex Deo? „Nam ad illius comparationem nec esse quicquam potes, vel hoc vel illud, verùm nec esse quidem omnino „quicquam. Nam cum dicit: *Tu quis es*, multo magis declarat esse nihil, quam si diceret, nihil es. Et „alioqui ipsa interrogatione significat majorem indignationem. *Qui ex adverso respondes Deo*, hoc est, „qui contradicis, qui te opponis. Nam dicere, sic „oportuit, sic non oportuit, est ἀντιαποκρινομένῳ, id „est, ex adverso respondentis. Vides quomodo terruit, quomodo percelluit, quomodo tremorem potius incussit, quam quærendi aut curiositatis studium? „Hoc est optimi doctoris, non sequi cupiditatem discipulorum, sed illos ad suam ubique trahere voluntatem, ac primum spinas evellere, deinde deponere „sementem, nec ubivis protinus ad interrogata respondere. Hæc non *Origenes* ineptus Scripturarum tractator, non *Hieronymus* oris sacrilegi, sed aurei oris *Chrysostomus*.

Vides autem quam in his verbis nihil illi conveniat cum *Luthero*. *Lutherus* ait hoc agi tota hac Epistola, ut doceat hominem nihil omnino posse nec in bonum nec in malum, sed mera necessitate ferri agique, quomodocunque visum est Deo. Omnia *Chrysostomi* pugnant cum hoc scopo. *Lutherus* excludit omne meritum, *Chrysostomus* duo ponit, indolem & animum gratiæ capacem, deinde merita bene utentis accedente gratia. Præmia destinata prædictaque sunt nondum natis, sed ab eo qui noverat quales essent futuri. Deinde *Lutherus* ait hîc solutam quæstionem: *Chrysostomus* negat id esse factum, verùm hæc obiter interseri, ad retundendam contradicentis arrogantiam, quo reddatur docilior. *Ambrosius* aliis verbis eadem dicit, distinguens judicium à præscientia. *Deus*, inquit, *ex præscientia pronuntiat quod est futurum: Caterum non judicat nisi ex meritis.* Verba illius subscribam; *Sciendo enim quid unusquisque illorum futurus esset, dixit, Hic erit dignus qui erit minor, & qui major, erit indignus. Unum elegit præscientia, & alterum sprevit: & in illo quem elegit, propositum Dei manet, quia aliud non potest evenire, quam scit & proposuit in illo, ut salute dignus sit. Et in illo quem sprevit simili modo manet propositum, quod proposuit de illo, quia indignus erit.* Hæc, sat scio, *Lutherus* ad se rapiet. Sed audiat quæ sequuntur, ea declarant non excludi merita, sed præveniri. *Hoc*, inquit, *quasi præscius, non personarum acceptor. Nam neminem damnat antequam peccet, & nullum coronat antequam vincat.* Mox agens de Judæis qui, dum invident Gentibus, perdurant in incredulitate, *possunt tamen*, inquit, *credere, quod ex subjectis aperitur.* Rursus aliquanto post: *Sed iterum quia ipsi sibi perditionis causa sunt, sopitur dolor. Præscius itaque Deus mala illos voluntatis futuros, non habuit eos in numero bonorum, quamvis*, &c. Ac mox, *De justitia enim Deus judicat, non de præscientia.* Sed *Ambrosii* commentarios cuivis in promtu est inspicere. Congruunt his quæ scribit *Theophylactus*, tum Commentarii falso *Hieronymum* auctorem præferentes, in quibus tamen nihil est non eruditum, aut ex eruditis auctoribus collectum, excepta præfatiuncula, quam impostor Librarius operi præfixit, quo codex esset vendibilior. Solus *Augustinus* excludit etiam prævisa merita fuisse in causa, ut *Jacob* eligeretur, *Esau* rejiceretur, & odii causam interpretatur peccatum originis. Cui viro quantumlibet per me quidem licebit tribuere qui volet, nunquam tamen hoc illi tribuam, ut plus viderit in *Paulinis* Epistolis quam interpretes Græci. Et tamen *Augustinus* quamvis multo iniquior libero arbitrio post bellum cum *Pelagio* susceptum, tamen constanter asseverat esse liberum arbitrium, licet fateatur ad bonum non ita multum posse. Sed putet *Lutherus* hanc esse meam interpretationem, malo enim in me debacchans, tantum sit maledicus, quam in Ecclesiæ Doctores blasphemus, tantum expendatur utra magis quadret tenori disputationis Apostolicæ, atque adeo scopo quem sibi proposuerat. Cupiebat & Judæos & Gentes ad Euangelii gratiam pellicere, via nimirum omnibus exposita per fidem. Ad id quam non conducibile est, dicere nihil hominem posse nec in bonum nec in malum, sed quos Deus elegit, venturos ad salutem velint nolint, quos non elegit mera necessitate ituros in gehennam. Quid igitur est causæ, cur hîc *Lutherus* sic exsultet, sic gestiat, sic triumphet? *Quid*, inquit, *juvit liberum arbitrium Jacob?* Dicam, Quia præbens se gratiæ divinæ, nec aversatus vocantem Deum, meruit esse carus Deo. *Quid*, inquit, *obfuit Esau?* Quia aversatus gratiam Dei, habitus est indignus honore primogenitalium. Nihil adhuc egerant. Mirum vero, si Deus hunc destinat honori, alterum contumeliæ non exspectatis operibus, cum physionomi puerum hunc applicent ad studium Philosophiæ, illum ad militiam & agriculturam, perspecta ex conjecturis indole. *Hic*, inquit, *debuit Diatriba respondere.* Imo hîc Diatribe dilucide rem expedivit, sed *Lutherus* ut aspis auribus obturatis non audit vocem incantantis sapienter.

Concesserat agi de honore dominatus, & contume- 166.
lia servitutis, negans referre. Quod si perpetuo donat, non est necesse in hujusmodi rerum genere scrutari causas. *Cain* erat primogenitus, & huic *Abel* erat subjectus, nec tamen Deus invertit ordinem, quemadmodum fecit in *Jacob* & *Esau*. Quod si contendit hîc quoque causam esse quærendam, jam ostendi Deo præscitam indolem, & animum divinæ voluntati morigerum. Quare vocavit *Jacob*? Quia sciebat illum fore dignum hoc honore. Quare *Esau* destinavit servituti? Quia præsciebat illum hoc honore fuisse abusurum, etiamsi fuisset vocatus. At ne quis existimaret satis esse vocatum esse: Nonnulli vocati, per liberum arbitrium defecerunt. Vocatus erat *Judas* in sortem ministerii, tamen excidit ab honore suapte malitia. Vocati erant discipuli septuaginta duo, & tamen ex his aliquot à Domino recesserunt. Hoc in numero fuit & *Saul* & *Solomon*. Nulla hîc vis fit Scripturæ divinæ, sed *Lutherus*, ne loco quidem ut apparet apud *Paulum* relecto, violentis interpretationibus omnia detorquet ad suum dogma. Verùm ne quid usquam illi conveniat cum Diatriba, reposcit hoc quod concesserat, negans hunc locum tantum ad honoris prærogativam pertinere, quanquam Diatriba non negavit hæc ad gratiam justificantem per allegoriam accommodari posse. Sic enim loquitur Diatriba: *Sed hæc vox non proprie pertinet ad hominis salutem, ut ineptus sit* Lutheri *clamor, jactantis se non passurum, ut* Paulus *sacrilegorum calumniis contaminetur. Tali carbone notat non minus eruditos quam pios Ecclesiæ Doctores.* Sed age quomodo refellit, quod ait Diatribe? *In oraculo*, inquit, *manifeste duo populi discernuntur, alter in gratiam Dei recipitur, licet junior, ut vincat majorem, non quidem suis viribus, sed favente Deo. Proinde non sola ibi dominatio externa tractatur aut servitus, sed omnia quæ pertinent ad populum Dei, id est, benedictio, verbum, Spiritus, promissio Christi, & regnum æternum*, &c. Sic ille. Fatetur & Diatriba ad hæc locum hunc per allegoriam accommodari posse. Verùm si *Lutherus* existimat simplicibus Scripturæ verbis, de quibus se tantopere jactavit, hæc omnia significari, & per *Jacob* & *Esau* non significari duos homines, sed duos populos, quorum alter favente Deo sit vocatus ad gratiam, alter rejectus à gratia, constat Judæos, qui crucifixerunt Dominum, quique in hodiernum usque diem blasphemiis illum crucifigunt, esse prognatos ex *Jacob*. Rursus constat *Job* à Deo sic laudatum virum, fuisse nepotem *Esau*, nimirum ab *Abraham* quintum. Nec dubitandum est quin *Job* liberos habuerit sui similes, aliique permulti fuerint ex eo genere Deo grati, utcunque placet de *Esau* ferre sententiam. *Augustinus* putat ad Christianos ex Gentibus vo-

Digitized by Google

vocatos & Judæos pertinere. Judæi nunc ſerviunt Chriſtianis, populus major minori, nec tamen omnes Judæi pereunt, nec omnes Chriſtiani ſervantur. Sed honor nominis & profeſſionis translatus eſt ad Chriſtianos ex Gentibus vocatos, Judæi, quod aliis ſolent largiri, à nobis petant oportet. Nec tam erat Judæis de ſalute contentio, quam de honoris prærogativa. Indignabantur Gentes ad ſalutem vocari ſine Legis obſervatione, cum illi cuperent gloriari in carne Gentium. Itaque *Paulus* ad ſimilem cauſam, ſimile contulit exemplum, & Judæorum coercens arrogantiam, & Gentes invidia translati honoris liberans. Ubi eſt igitur illa ſacrilegæ Diatribes ac *Hieronymi* ſententia, *non pugnant ſuis locis teſtimonia, quæ pugnant apud Paulum?* Quanquam hoc à Diatriba dictum non eſt, illud dictum eſt, *hoc teſtimonium non admodum pugnare ad probandam neceſſitatem, ſed potius ad retundendam arrogantiam Judæorum.* Hæc ſacrilega ſententia placuit & *Chryſoſtomo* & Orthodoxis omnibus, certe doctiſſimis quibuſque. Verùm tantum maledicentiæ fruſtra fudit hac occaſione unius voculæ, *pugnat*, nec animadvertit quid diceretur. Pulchre vero corrigit, quod ſomniat à me dictum, ut poſthac dicamus teſtimonia fortius apud *Paulum* pugnare quam ſuis locis, id quod non ſolum de *Paulo* dictum eſſe vult, ſed de omnibus etiam Apoſtolis, quoties adducunt Scripturarum teſtimonia. Ita *Lutherus* dum fumum fugit, in ignem incidit. Uter enim magis ſacrilegus eſt, qui ſentit *Paulum* acriter ſciteque Scripturas accommodare ad comprobationem Euangelicæ veritatis, ut ea quæ ſuis locis videri poterant ſimpliciter dicta, vertat in arma propugnandæ fidei, quemadmodum apud *Athenienſes*, ex aræ titulo forte conſpecto ſumit argumentum annuntiandi *Chriſtum*. Eaque ratio diligenter annotata eſt à Græcis Rhetoribus, velut cumprimis elegans, nimirum quoties quod ut fiat ſuademus, jam factum eſſe monſtramus. Exemplum adferunt de exſulibus, qui patriam obſidione liberarunt. Horum patronus agens ut reſtituantur, negat ſe quicquam petere novi: jam enim exſules in patriam rediſſe, cum hoſtem à mœnibus depellerent. Ita *Paulus*, non ſine arte, titulum ignotorum Deorum adjectum reliquis Gentium Diis huc vertit, ut diceret illos jam ignotum colere, quem illis prædicaret. Itidem quod à Poeta dictum erat de *Jove*, torſit ad verum Deum, *ipſius & genus ſumus.* Similia quædam oſtendere queam in ſacris Teſtimoniis à *Paulo* citatis, ſi hoc ageretur, ex quibus lector perſpiceret hoc non ſine cauſa dictum à Theologiæ veteris proceribus. Uter igitur ſententiam habet magis ſacrilegam, qui dicit *Paulum* ſcite tractare teſtimonia Scripturarum, ſic ut magis videantur pugnare apud *Paulum* tractata, quam illis locis unde ſumuntur, an qui dicit illum parum dextre uſurpare Scripturarum teſtimonia, ſic ut frigidiora ſint apud Apoſtolum diſputantem, quam apud Prophetam, id quod affirmat *Lutherus*? Apud Rhetores plurimum refert, quomodo tractes argumentum. Hoc igitur in *Pauli* laudem dictum eſt, non in contumeliam, ſed vere contumelioſum eſt quod ait *Lutherus*, non ſolum de *Paulo*, verumetiam de omnibus Apoſtolis. Vides igitur lector quantum chartarum *Lutherus* inanibus verbis perdidit. Vix autem deſiit hac clauſula: *Sed iſta decent eos, qui Scripturis ſerio non afficiuntur.* In quem hoc dicit? In Diatribam? Illa nihil dicit, quam *Paulum* ſic tractare hoc exemplum de *Eſau* & *Jacob*, ut non admodum faciat pro dogmate *Lutheri*. In *Hieronymum* igitur dixit, ſed extra cauſam, ſimpliciter ἀπὸ τῆ μέσων, ac dum *Hieronymo* affingit blaſphemiam in unum *Paulum*, ipſe blaſphemiam atrociorem impingit omnibus Apoſtolis.

167. Nunc ad *Malachiæ* teſtimonium, *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Hoc ait à me triplici torqueri arte. *Primum in Deum*, inquam, *non cadunt affectus odii aut amoris, quemadmodum in nos.* Hoc deridet quaſi ſine cauſa dictum. Imo quoniam *Lutherus* non admittit niſi ſimplicem litteram, obiter oſtendo velit nolit hîc tropum eſſe recipiendum. Nam juxta ſermonis conſuetudinem, juxta ſenſum communem, aliud intelligimus cum audimus, *Socrates amat Alcibiadem*, aut *Vatinium odit Cicero*, quam cum eadem prædicantur de Deo. Non eſt quod hîc *Lutherus* confugiat ad æternum amorem, cum ipſe Deus ſit caritas, de odio æterno quomodo explicet ſine tropo? Deus enim nihil odit eorum quæ condidit, ſed vitia odit, quia punit admiſſa: pietatem amat, quia pios coronat. Itaque ridicule geſtit hîc *Lutherus*, *Quid audio*, inquiens, *An nunc quæritur, quomodo Deus amet aut odiat, ac non potius cur amet aut oderit?* Hoc ipſum agit Diatribe, ſed obiter taxat ſententiam de excludendis omnimodo tropis. *Hieronymus* admonet Deum ἀνθρωποπάθως dici odiſſe, quemadmodum dicitur flere, dolere aut iraſci. Videat igitur *Lutherus*, an verum ſit abſque tropo quod ait, *Deus æterna & immutabili natura amat & odit.* Verùm hinc quoque *Lutherus* telum arripiet, quo prorſus jugulet liberum arbitrium. Si æternum & immutabile eſt illius odium, & talis amor, quid agit liberum arbitrium? Ut donemus illi quod aſſumit, quî magis officit amor aut odium æternum libero arbitrio, quam præſcientia ac deſtinatio ab æterno? Quod ſi concedit tropum, ut amor aut odium accipiatur pro honore habito, aut immiſſis afflictionibus, quid adverſus me valet telum, qui non loquor de æterno amore aut odio, ſed de argumentis amoris & odii temporarii. Sic Deus amabat *Saulem*, cum ungi juberet Regem, eundem odit cum rejiceret: bonum amabat, mutatum in diverſa oderat. Deus ipſe non eſt alius, ſed illius actiones in res externas variant, quemadmodum & illius notitia. Urget igitur, *Reſpondе quo merito diligitur* Jacob, *odio habetur* Eſau, *antequam naſcuntur & operantur?* Jam bifariam ad id reſpondit Diatribe. Primum in his quæ pertinent ad temporaria commoda vel incommoda, non eſſe noſtrum inquirere Dei conſilium. Neque enim hîc ſemper expendi merita, quemadmodum legimus de cæco Euangelico, qui nullo vel ſuo vel parentum vitio ſic natus fuerat. Deinde ſi hîc quoque quærantur merita, jam reſpondit Diatribe, merita futura Deo præſentia eſſe: nec aliter Deus amat olim bene operaturum, quam nos amamus bene operantem, aut operatum. Verum eſt igitur quod colligit *Lutherus*, *Paulum* recte adduxiſſe teſtimonium *Malachiæ*. Fateor, & quidem rectiſſime, ſed nihil ad dogma *Lutheri*.

Alteram artem oſtendit Diatribes, quod *Malachias* 168.
non videtur loqui de odio quo damnantur in æternum, ſed de temporaria afflictione. Reprehenduntur enim, qui exſtruere volebant Idumæam. Sic Diatribe. Hîc ſtomachatur *Lutherus*. Hoc iterum dicitur ad contumeliam *Pauli*, quaſi vim fecerit Scripturis. Adeo nihil veremur majeſtatem Spiritus Sancti, modo noſtra ſtatuamus! Quam contumeliam hîc gannit *Lutherus*? Finge *Paulum*, quod hiſtoria dictum eſt, trahere ad allegoriam, aut per ſimilitudinem accommodare ad probationem ſenſus ſpiritualis, num illico vis fit Scripturis? Nunc declaratum eſt & *Paulum* hîc agere, de honore gentis Judaicæ, translato ad Gentes, & de ſimilibus beneficiis ſentit *Malachias*. Cum enim dixiſſet, *Jacob dilexi, Eſau odio habui*, Iſraelitæ reſpondent, *in quo dilexiſti nos*? Et Dominus commemorat ſua in illos beneficia, quæ negavit *Idumæis*. Conſentit igitur *Paulus* cum teſtimonio Prophetæ. Sed hic conſenſus nihil juvat dogma *Lutheri*. *Paulus*, inquit, *ex Malachia probat illam afflictionem ſine merito, ſoloque odio Dei illatam* Eſau, *ut liberum arbitrium nihil eſſe concludat. Hîc urgeris*, inquit, *hîc reſpondere oportuit.* Quid accidit *Luthero*? exigit quod ad manum eſt in Diatriba, ſicut ipſe mox confitetur, & tamen perinde quaſi nihil eſſet reſponſum ſic inſultat. Quanquam falſum eſt quod aſſumit interim, illam afflictionem nullo merito *Eſau* accidiſſe, & ſi accidiſſet, non erat reddenda ratio, non magis quam cur Deus hunc

ſinit

finit naſci vivacem, illum in cunis emori priuſquam vitæ ſenſum acceperit. Quod ſi his adhærent ea quæ ſunt æternæ ſalutis, jam de meritis reſponſum eſt, & ſi non eſſet reſponſum, tamen excluſum eſt *Lutheri* ſophiſma, quando non tam hæc adducuntur ad explicandam quæſtionem, quam ad obturandum os Judæis ob Gentes admiſſas ad Euangelium Deo obmurmurantibus. Ad hæc cum *Jacob* & *Eſau* hoc loco juxta ſenſum etiam Grammaticum ponantur pro duabus Gentibus, & *Eſau* reſpondeat ad rejectos Judæos, *Jacob* ad electas Gentes, quî convenit ut Judæi dicantur rejecti, non ob aliud niſi ob odium æternum Dei, cum hos antea pronuntiarit populum dilectum? Deinde quî convenit Judæos nullo merito ſuo rejectos, cum *Paulus* aperte fateatur eos ob incredulitatem fuiſſe rejectos, & hinc odium Dei? Sed ut pergat ſermo, negat eſſe verum quod *Malachias* hic ſentiat de ſola afflictione temporali. Nec hoc dixit Diatribe, ſed negavit hîc proprie tractari de ſalute æterna. Qui ſic loquitur, idem ſentit quod *Lutherus*, qui fatetur hoc ſentire Prophetam, ſed addit ſenſum allegoricum, & tamen Diatriba totum Prophetæ ſenſum pervertit, *Lutherus* loquitur Dei tonitrua. Sed audiamus probationem aſſeverationis quæ jam præceſſit, pronuntians omnia comprehendi hoc nomine *dilexi*. At quo tandem argumento? *Quoniam in Geneſi fit mentio benedictionis.* Sed juxta ſimplicem ſenſum congruit opinioni noſtræ benedictio: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti vini & olei, ſerviant tibi populi, & adorent te Tribus. Eſto dominus fratrum tuorum*, &c. Habes benedictionem bene craſſam, ſi excludas tropos, quod hîc profitetur *Lutherus*. Si recipit allegorias, nulla inter nos diſſenſio eſt, niſi quod allegoria nihil prodeſt *Lutherano* dogmati. Divus enim *Hieronymus* ex hujus loci allegoria probat liberum arbitrium, ex quo *Lutherus* jugulatum putat. Sic enim loquitur, *Dominus reſpondit* Eſau & Jacob *de una ſtirpe generatos, hoc eſt, vitia atque virtutes ex uno cordis fonte procedere, dum ex arbitrii libertate in utramque partem ut volumus declinamus*, &c. Verùm audiamus *Lutherum* refellentem Diatribæ verba. *Propheta*, inquit, *clariſſimis verbis indicat quid velit. Quid? Exprobrat Iſraelitis ingratitudinem, quod cum eos dilexerit, illi viciſſim neque diligant ut patrem, neque timeant ut Dominum. Dilexiſſe autem ſe probat tam Scriptura quam opere, nempe quod cum* Jacob & Eſau *eſſent fratres, ut* Moſes *ſcribit Gen.* xxv. Jacob *tamen dilexerit, & elegerit antequam naſceretur*, Eſau *vero ſic oderit, ut regiones ejus redegerit in ſolitudinem. Deinde ea pertinacia oderit & peragat, ut cum* Jacob *reduxerit de captivitate reſtitueritque*, Idumæos *tamen non ſinat reſtitui, ſed etiamſi dixerint ſe velle edificare, ipſe minatur eis deſtructionem. Si non hæc habet textus ipſe apertus Prophetæ, arguat me totus Orbis.* Hæc ille. Fateor ſic habere verba Prophetæ. Sed quid tum poſtea? Hactenus omnia pro me faciunt. Non igitur hîc reprehenditur temeritas *Idumæorum*, ſed ingratitudo filiorum *Jacob*, ait *Lutherus*. Novum verò ratiocinandi genus, objurgat *Iſraelitas*, ergo non damnat temeritatem *Idumæorum*. Imo ſimul utrumque notat populum, alterum, quod à Deo rejectus conaretur reſtitui, alterum, quod reſtitutus ſic ageret, ut mereretur rejici. Quod *Hieronymus* vertit, *Quod ſi dixerit Idumæa*, id Septuaginta verterunt, *Quia dicet Idumæa*. Et alioqui probabile eſt *Idumæam* hoc molitam ut reſtitueretur. Verùm hoc ad id quod agitur proprie non pertinet. Probandum erat Prophetam de ſalutis æternæ cauſa loqui. Hoc exſpectatur. *Quomodo*, inquit, *nunc ſtabit, quod Propheta de temporaria afflictione loquatur.* Quid audio? Redigi in ſolitudinem, non eſt afflictio temporaria? Et ubi eſt Lex, qua negabat admittendum tropum, niſi cogat evidens abſurditas? Sed hoc dictum, velut elapſum per imprudentiam, *Luthero* condonabitur. Audiamus cætera. *Cum evidentibus*, inquit, *verbis teſtetur, ſe loqui de duobus populis, è duobus Patriarchis natis, illum ſuſceptum in populum & ſervatum, hunc vero relictum & tandem deſtructum. Suſcipere vero in populum & non ſuſcipere in populum, non pertinet ad temporalia bona vel mala tantum, ſed ad omnia*, &c. Si ſobrius eſt, quid hîc agit *Lutherus*? Ut populus *Iſraeliticus* æterno Dei amore perpetuo ſit honoratus & commodis temporalibus, & æternæ ſalutis præmio: alter populus æterno, & inevitabili odio, perpetuo ſit afflictus, & incommodis hujus vitæ, & gehennæ ſupplicio? Atqui conſtat & ex *Eſau* poſteris multos fuiſſe pios, & ex *Iſraelitis* impios quam plurimos, nec huic populo defuiſſe crebras afflictiones. Nec hîc agitur, an Deus ſit Deus omnium commodorum, ſed de quo rerum genere fiat hîc ſermo. Si de honore electionis, locus nihil habet ſcrupuli, ſi de negotio ſalutis, licebat & *Idumæis* amplecti Legem ac ſervare, nec omnes *Iſraelitæ* ſervabantur. Quare ſi litteram abſque tropis urgemus, neutrum populum ſimpliciter vel odit vel amat Deus: ſi allegoriam, *Iſraelitæ* ſunt in omnibus gentibus, & in iiſdem ſunt *Idumæi*.

Recenſet tertiam technam, aut, ut ipſe loquitur, induſtriam, qua locum torquet Diatribe, quem depravat narrando. Itaque fuerit operæ pretium Diatribes verba recitare. *Porro*, inquit, *quod attinet ad tropologiam, nec omnes Gentes dilexit Deus, nec omnes* Judæos *odit, ſed ex utraque gente quoſdam elegerat, ut hoc teſtimonium apud* Paulum *non admodum pugnet ad probandam neceſſitatem, ſed potius ad retundendam arrogantiam* Judæorum, *qui credebant ſibi proprie deberi gratiam Euangelicam, quod eſſent poſteritas* Abrahæ, *& Gentes abominabantur, nec recipi patiebantur ad Euangelicæ gratiæ conſortium. Id paulo poſt explicans dicit,* Quos & vocavit non ſolum ex Judæis. *Quoniam autem Deus quos odit aut diligit, ex juſtis cauſis odit aut diligit, non magis officit libertati arbitrii odium & amor, quo proſequitur naſcituros, quam quo natos. Non natos odit, quia certo præſcit illos geſturos odio digna, Natos odit, quia committunt odio digna.* Judæi, *qui erant populus dilectus, rejecti ſunt, & Gentes, quæ erant non populus, recepta ſunt. Quare* Judæi *reciſi ſunt ab olea? Quia noluerunt credere. Quare inſita Gentes? Quia obedierunt Euangelio. Hanc cauſam adfert ipſe Paulus*, propter incredulitatem, *inquit*, fracti ſunt, utique quia credere noluerunt. *Et exſectis facit ſpem, ut rurſus inſerantur, ſi relicta incredulitate voluerint credere: & inſitis injicit metum ne excidantur, ſi averterint ſeſe a gratia Dei, &c. Hæc nimirum arguunt* Paulum *hoc illic agere, ut reprimat Gentium ſimul &* Judæorum *arrogantiam.* Hæc cum habeat Diatriba, *Lutherus* clamitat nihil eſſe reſponſum, tantum tergiverſatione vitari pondus quæſtionis. Primum ex Diatribæ verbis, *non admodum pugnet*, fecit *nihil pugnet*, & ex pugnandi verbo non intellecto, movet calumniam blaſphemiæ in *Paulum*. Deinde cum oſtendo non hîc pronuntiari, ſed tantum proponi difficultates, ad retundendam *Judæorum* arrogantiam, qui velut ex æquo cum Deo rationem ineunt, nonne totam argumentationis *Lutheranæ* aciem fundo? Atqui hoc ita eſſe ex probatiſſimorum Doctorum ſententia demonſtravi, demonſtravi & ex ipſa loci conſequentia. Præterea demonſtratum eſt, in his quæ nec conducunt, nec officiunt proprie ad ſalutem, non exigendam cauſam. Etſi cauſa ſit exigenda, docui Deum ob juſtas cauſas, licet nobis incognitas, vel amare vel odiſſe. Nam quod Deus pronuntiavit amorem & odium ſuum, antequam eſſent nati, non colligitur ex *Malachia*, ſed ex Geneſi, quo loco non dicitur, *alterum odi, alterum diligo*, ſed, *Major ſerviet minori*, quæ verba palam loquuntur non de ſalute æterna, ſed de commodo temporali. Et quod tum Deus promiſit, præſtitit. Ad *Iſraelem* delata eſt gloria teſtamenti, ad *Idumæos* nequaquam. *Malachias* itaque non agit de nondum natis, ſed ex beneficiis acceptis arguit *Iſraelitarum* ingratitudinem. Cæterum in hoc congruit *Malachias* oraculo quod recenſet commoda & incommoda temporaria; videlicet *Judæam* florentem ac reſtitu-

169.

tutam, diruta ac desolata *Idumæa*. Quod si quis hæc per allegoriam velit ad Euangelii vocationem accommodare, ut *Esau* odio habitus designet *Judæos* ab Euangelii gratia repulsos, *Jacob* dilectus, Gentes ad eam vocatas, geminus obstrepit scrupulus: alter quod ex utraque gente quidam recepti sunt, quidam rejecti, ut nec hanc nec illam videatur odisse simpliciter aut amasse: alter quod ut demus Gentes nullo merito vocatas ad Euangelium, certe *Judæi* plurimis, gravissimis ac justissimis de causis exciderunt à gratia. Quod si interpretemur *Jacob* credentes Euangelio, *Esau* incredulos, ex utraque Gente, vel potius ex omnibus Gentibus, plane recessimus ab eo quod hîc agit *Paulus*. At *Lutherus* negat se videre tropologiam, cum Prophetæ verba sint clarissima. Nec ego hic confugio ad tropologiam, verùm ut in *Malachia* palam est mentionem fieri de beneficiis temporariis, ita patiar & in hoc exemplo, quod *Paulus* adducit, eundem esse sensum, quod in hunc usum adducitur, non ut asseratur rerum omnium necessitas, quod toties insulcit *Lutherus*, sed ut impie murmurantibus os occludatur. Euangelii principatus à *Judæis* translatus est ad Gentes. Quid ni? Cum idem olim fecerit Deus in *Jacob* & *Esau*. Quod tunc probabant, nunc arrodunt, cum idem sit Deus, qui & hoc & illud faciat, decernens principatum quibus vult, & adimens quibus vult. Non hæc fortuito accidunt, æterno Dei consilio geruntur, cujus rationem exquirere curiosum est, vituperare impium. Novit ille causas quamobrem ita faciat. Hæc cum strictius quidem disseruerit ebria Diatribe, sed tamen eadem, quid est quod sic ineptit *Lutherus? Moriar*, inquit, *si Diatriba ipsa intelligit quid loquatur*. Sed est forte & hîc rhetoricum schema, quod docet sensum obscurare, si qua periculum instat ne capiaris verbo. Moriatur *Lutherus* si velit, Diatriba sentit cum probatissimis Ecclesiæ Doctoribus. Hujusmodi nænias rarius refrico, dissimulaturus omnes, nisi vehementer ad rem pertineret, ut qui se *Lutheri* scriptis totos devoverunt, alba quod ajunt amussi probantes omnia, videant quam incondito spiritui sese committunt. Sed pergamus. *Scimus*, inquit, *fide inseri, incredulitate excidi, sed hinc non sequitur eos posse fidere aut diffidere vi liberi arbitrii de quo nos agimus*. Atqui hoc *Lutherus* quod nunc negat, ante partim confessus est. Diffidere, ni fallor, malum est opus, & ad male agendum professus est valere liberum arbitrium. Ego vero cum Orthodoxis omnibus sentio, hominem per liberum arbitrium posse semet à gratia oblata avertere, & ab accepta excidere: Ac rursum per liberum arbitrium gratiæ pulsanti sese præbere aut avertere. Et in his sunt qui plus audent tribuere libero arbitrio. Sed urget, quo merito pervenitur ad fidem? Respondeo. Quî fit ut semen in hanc terram conjectum evanescat aut degeneret in zizaniam, in illam pariat bonam frugem? Quî fit, ut cum omnibus offeratur Euangelium, alii convertantur, alii fiant depravatiores? Malitia præcedens in causa est, cum adspernantur oblatam gratiam, aut simplex animus facit, ut amplectantur quod offertur. Hæc ratio locum habet & in Judæis & in Gentibus, nisi quod Judæorum malitia est inexcusabilior. Habet *Lutherus* quod exigit, descriptum meritum, quod tamen homo sibi velut ex ipso profectum vindicare non potest. Hic sermo generalis esto, violentas ac singulares quorundam vocationes excipio. Nihil enim non potest Deus, si velit. Proinde falsissimum est quod hîc colligit *Lutherus*, *Paulum* docere quod fides homini nullo ipsius opere, sed solo Dei amore & odio contingat. Imo solus Deus neminem amat, oditve, nisi justis de causis. Nec obstat quod odisse dicitur nondum natos. Illi præsentia sunt omnia; nec absurdius est illum amare nondum genitos, quam hominem amare bene meritos. Jam quod exhortatur *Paulus* insitos ne excidantur, ex quo docui, hominem suo vitio posse gratiam acceptam amittere, *Lutherus* canit nobis veterem cantionem, verba exhortandi non probare quid postulemus, sed quid facere debeamus. Quis Orthodoxorum unquam somniavit hoc sophisma? Nullus, sed hoc tam insigne telum porrexit illi domina Grammatica. Verùm jam toties ostendimus, etiam Grammaticos juxta sensum communem, intelligere non esse omnino impossibile, ad quod vir prudens ac probus alium exhortatur. Vides quam belle se gesserit *Lutherus* in hoc loco, à quo tamen non digreditur sine ovatione.

Aggreditur paribus auspiciis locum de luto & figulo, 169
& ecce statim in ipso limine crimen atrox impingitur. Diatriba dixit: *Hæc testimonia magis pugnant apud* Paulum *quam apud Prophetas unde decerpta sunt. Suggillat*, inquit, *Pauli temeritatem vel insciitiam*. Imo laudo *Pauli* dexteritatem in tractandis Scripturarum testimoniis. Porro quod *Lutherus* negat *Paulum* hæc testimonia mutuatum è Prophetis, quanquam id indicant interpretes, & loca congruunt, non admodum contendam, etiamsi frivolum est argumentum quod adfert, quod *Paulus* soleat citare Scripturam, cum mox in Capite undecimo, nulla citatione retulerit Scripturæ locum, *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* &c. In tam propinquo erat, unde *Lutherus* posset coargui. Quid autem attinebat Diatriben in hoc sumere probandi operam, quod per se satis liquet, & à doctissimis Ecclesiæ Doctoribus receptum ac proditum est? Verùm interim admiror, quid hoc *Lutherus* sua referre putarit. An quia vidit in Prophetis agi de afflictione temporali? Quid tum postea? Nec hoc ab sensu multum abhorret Apostolus, agit enim de temporali pœna *Judæorum*, qui restiterunt Euangelio. Nec in aliud *Paulus* adducit hæc testimonia. Non enim loquitur de causis, quare *Judæi* quidam non crediderunt Euangelio, sed quamobrem tali pacto sint puniti, cum multos impios non eodem modo Deus punierit, quemadmodum è diverso quorundam pietatem celebrem & honoratam esse voluit in hoc mundo, quorundam non item. Totus *Judæorum* populus quod attinet ad hæc temporaria, privatus est honore suo, pro celebri *Hierosolyma*, quondam Religionis principe, successit *Roma*, quondam idolorum ac Dæmonum cultrix, Gentium populus imperat, Judaica natio servit & exsulat. De hoc, nam id jam tum fieri incipiebat, querebantur *Judæi*, de hoc agit *Paulus*. Etenim quod non loquatur de rejectione sempiterna post explicat Cap. XI. *Nunquid Deus repulit populum suum? Absit*, &c. Sed concedit *Lutherus* Prophetas de afflictione temporali loqui, ne toties alienis quæstionibus occupetur. Civilitatem, ille scilicet solet aliquid de suo jure concedere, sed ideo præstruxit *Paulum* ex suo spiritu hanc de figulo & luto produxisse similitudinem, ne fateri cogeretur & *Paulum* de temporariis incommodis agere, itaque locus nihil faceret adversus liberum arbitrium. Sed unde nunc hæc insolita temporis parsimonia, qua gravatur alienis quæstionibus occupari, cum toto hoc opere plusquam dimidium temporis perdat insultationibus, convitiis, & insulsis salibus? Ad hæc si donat *Lutherus* Prophetam loqui de temporariis incommodis, & si verum est *Paulum* hæc suo spiritu accommodare ad liberum arbitrium, nonne fatetur id quod paulo ante clamabat esse sacrilegum, pugnare magis apud *Paulum* quam apud Prophetas testimonia? Quanquam falsum est quod assumit, hæc à *Paulo* accommodari ad liberum arbitrium, adhibet ad reprimendam *Judæorum* insolentiam, quemadmodum Dominus in Euangelio Pharisæorum impiam & insidiosam interrogationem non solvit, sed alia percunctatione reprimit. Itaque videre debuit, quod se videre negat *Lutherus*, quo pertineat mentio figuli & luti, si non pertinet ad subvertendum liberum arbitrium. Temporales afflictiones aut prosperitas à Deo veniunt, nobis volentibus nolentibus. Fateor. Subvertitur ergo liberum arbitrium, si hoc sumus Deo, quod lutum est figulo. Fateor etiam minus nos posse adversus Deum, quam lutum adversus figulum. Lutum enim lutum est, velit nolit figulus: aliter atque aliter fingi potest; ut non sit quod est, non est in manu figulo. Deus hominem potest in quidvis vertere, potest in nihilum redigere.

Digitized by Google

Verùm his in rebus non pono liberum arbitrium. Quanquam multa mala nobis noſtra incogitantia obveniunt. Sed de his nunc non agimus, de negotio ſalutis agimus, in quo tamen illius ſententia nihil aliud ſumus Deo, quam lutum figulo, ſi Deus velit. Verùm ſecus illi viſum eſt, voluit in hac ratione locum eſſe libero arbitrio, vel ad perſeverantiam pietatis, vel ad impietatis imputationem. Odioſe tamen obmurmurantibus reſponderet Rex. Quid à me velut ex æquo contendentes exigitis rationem, cur hos honorem, illos abjiciam? Rex ſum, meum eſt ſtatuere, veſtrum parere. Hæc bonus etiam Rex pro tempore reſponderet tumultuanti populo, non idem dicturus reverenter percunctantibus. Nec ex hac voce Regis ſequitur illum in honorando ac rejiciendo, in ſervando ac perdendo, nihil aliud ſequi quam quia ſic libuit. Dei voluntas cauſas habet & juſtas & æquas. Verùm ne *Lutherus* clamet me prophetiam ex meo cerebro confingere, non proferam *Origenem*, aut *Hieronymum*, quos contemnit, ſed *Chryſoſtomum*. Interim rogandus eſt mihi lector, ut hanc diſputationis morulam æquo ferat animo. Græca *Chryſoſtomi* Latine reddam bona fide: *Nunquid*, inquit, *dicit figmentum ei qui ipſum finxit, cur me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in ignominiam? Hic, non ut tollat liberum arbitrium iſta loquitur, ſed oſtendit quouſque oporteat obtemperare Deo. Non enim convenit à Deo cauſas expoſcere, nec hìc aliter affectum eſſe quam lutum. Non enim ſolum non oportet contradicere aut quærere, verùm ne hiſcere quidem omnino, neque conſiderare, ſed ſimilem eſſe illi rei inanimatæ, quæ ſequitur manum figuli, quæ flectitur & circumagitur, quocunque voluerit ille. Ad id enim ſolum Apoſtolus ſumſit exemplum, non ut oſtenderet quomodo Deus res humanas adminiſtret, ſed ut demonſtret illi ſubmiſſam & obnoxiam exhibendam obedientiam cum ſilentio. Atque id ſane ubique convenit obſervare, quod adhibitas ſimilitudines non oportet ſecundum omnes partes accipere, ſed tantum excerpto quod in his eſt utile, & ad id cujus gratia adhibentur, accommodato, totum quod reliquum eſt omittito: veluti cum dicit*, Recubans dormivit ut leo, *excerpendum eſt, quod invictus eſt ac metuendus, non quod immitis, nec aliud quicquam ex his* Oſex XIII. *quæ inſunt leonibus. Ac rurſus cum ait*, Occurram eis quaſi urſa raptis catulis, *excerpatur vindicta. Item cum ait*, Deus noſter ignis conſumens eſt, *excerpatur vis conſumtiva, quæ ſpectatur ex puniendo. Similiter & hoc loco* lutum & figulum *ac* vaſa *oportet accipere. Cumque infert*, An non habet poteſtatem figulus, ex eodem luto facere aliud quidem vas in honorem, aliud rurſus in ignominiam, *ne putes hæc* Paulo *dici, de ratione conditionis, neque de neceſſitate mentis humanæ, ſed de poteſtate varietateque diſpenſandi. Etenim ni ad hunc acceperimus modum, multa ſequentur abſurda. Nam ſi hìc ageretur de mente, deque bonis ac malis, ſimul & homo videbitur alienus ab omni crimine*, & Paulus *ſecum pugnare videbitur, qui nuſquam non coronat voluntatem. Proinde nihil aliud hìc agere vult, niſi ut auditori perſuadeat modis omnibus audientem eſſe Deo, nec ullas unquam ab eo cauſas poſcere: quemadmodum figulus, inquit, qua vult facit, neque quiſquam contradicit, ſic & Deus ex eodem hominum genere dum alios punit, alios honorat, ne ſis curioſus, ne diſquiras, ſed adora tantum, & imitare lutum, & quemadmodum illud ſequitur manus figuli, ſic & tu obtempera voluntati ejus qui iſta diſpenſat: nihil enim vulgari more, nihil fortuito facit, etiamſi te lateat ſapientia ſecretum. At tu figulo permittis ut ex eadem maſſa fingat varia, nec incuſas: à Deo vero poſcis rationem, cur alios puniat, alios honoret, nec illi concedis noſſe, quis dignus, quisve ſit indignus, ſed quoniam eadem maſſa, ejuſdem eſt naturæ, vis & eaſdem eſſe voluntates. Quam vero ſunt iſta ſtupida? Quanquam ne ſub figulo quidem honor, aut ignominia, naſcitur ex eadem maſſa, ſed ex uſu eorum quæ ſumuntur in manus, quemadmodum & hìc ex animi propoſito eſt, niſi quod, ut cœperam dicere, in hoc ſolum oportet accipere ſimilitudinem, ne quid contradicamus Deo, ſed ipſius concedamus incomprehenſibili providentiæ. Siquidem oportet exempla majora eſſe his ad quæ adhibentur. Sic enim magis movent auditorem. Nam niſi majus fuerit exemplum, ac vehementer excellat, nequaquam eo pervenire poteris, quo oportet, neque contradicentem pudefacere. Importunam igitur illorum contentionem hoc pacto redegit ad ſilentium, decente adhibita hyperbole. Deinde vero ſubjicit ſolutionem.* Hactenus *Chryſoſtomi* verba recenſuimus, quæ quantum ad *Lutheri* dogma valitura ſint neſcio, vel ſcio potius, in hoc certe valebunt, ne vociferari poſſit me pro capitis mei ſomniis torquere Scripturam.

Supereſt ut *Lutherus* eludat argumentationem Diatribes, ſed ut eadem opera rideat ſacros Eccleſiæ Doctores. *Duo*, inquit, *abſurda opponit, alterum ex Scripturis, alterum ex ratione colligit. E Scripturis ſic colligit:* Paulus 2. Timoth. 11. *ſcribit in magna domo vaſa eſſe aurea, argentea, lignea, fictilia, quædam in honorem, quædam in contumeliam.* Et adjungit, *Si quis ſe emundaverit ab aliis, erit vas in honorem*, &c. *Tum ſic argutatur Diatribe. Quid ſtultius, quam ſi quis dicat matula Samia, ſi te expurgaris, eris vas honorificum? verùm hoc recte dicitur teſta rationali, quæ monita poteſt ſe accommodare ad voluntatem Domini. Ex his vult ſimilitudinem non per omnia quadrare.* Hactenus nihil mentitus eſt *Lutherus*, ſed falſum eſt quod annectit, *atque ſic eludat, ut nihil efficiat.* An nihil efficit, quæ facit ad hoc cujus gratia adhibetur, videlicet ad reprimendam impiam obmurmurationem hominis? Sed nihil efficit *Luthero*, ſi non ſubvertit liberum arbitrium. Ad hæc reſponſurus obiter admonet, *Paulo* non eſſe dictum, *ſi quis ſe emundarit à ſordibus*, ſed *ab his*, hoc eſt, *a vaſis contumeliæ:* cum nec Diatribe mentionem faciat ſordium, nec ad hanc quæſtionem attineat, an ſe purgatum vas eximat à conſortio reliquorum, an expurget ſordes, niſi quod hoc poſterius magis facit adverſus *Lutherum:* non enim eximitur à vaſis ignominioſis, niſi purgatis ſordibus, & hoc ipſum eſt eximi, purgari. Hìc rurſus donat aliquid *Lutheri* civilitas, quod equidem non ſatis intelligo quale ſit. *Donemus quoque*, inquit, *hunc locum* Pauli *prorſus facere, quod vult Diatribe, id eſt, ſimilitudinem non eſſe efficacem, quomodo probabit idem velle* Paulum *loco illo ad* Rom. IX. *de quo diſputamus? An ſatis eſt alium locum citare, & nihil prorſus curare, an idem vel diverſum efficiat?* Hæc ille. Quis dixit ſimilitudinem non eſſe efficacem? Imo docui efficacem eſſe, licet ad ipſius dogma negavi quicquam efficere. Quid autem eſt illud *Pauli* de quo diſputamus? An ſit aliquod liberum arbitrium. Iſtud non agi *Paulo* jam demonſtratum eſt, & quid agatur oſtenſum eſt, & ad id quod agitur accommodata ſunt quæ vel dicuntur vel citantur, idque ex probatiſſimis Auctoribus, ex conſequentia tenoreque ſermonis, ex collatione locorum, ſi rejicimus hominum auctoritatem. Quorſum igitur attinet, quod hìc *Lutherus* rurſum occupans locum communem, declamat contra collationem locorum, quam omnes fatentur interpretandi Scripturas certiſſimam rationem? Dicit, *An ſatis eſt alium locum citare, & nihil prorſus curare, an idem vel diverſum efficiat? Non eſt facilior & vulgatior lapſus in Scripturis, quam diverſos locos velut ſimiles è Scripturis coaptare, ut ſæpius monſtravi, ut ſimilitudo locorum magis efficax ſit, de quo Diatribe ſuperbit, quam noſtra qua non confutat.* His *Lutheri* verbis quid efficitur, niſi ut quoties ipſe confert locos ſimiles, omnia quadrent ad amuſſim: quoties alius cum ipſo pugnans, meras agat nugas: Alioqui locus hic communis quî magis competit in nos, hoc eſt, in Orthodoxos, quam in ipſum? Certe probabilius eſt eum, qui contentioſi dogmatis propugnator eſt, undiquaque colligere quæ detorqueat ad victoriam, quam nos qui ſequimur receptam & à crepundiis Eccleſiæ probatam opinionem. Fatetur eſſe veriſſimum, ſimilitudinem non per omnia quadrare. Sed largitur *Paulum* idem agere ſcribentem

Ro-

Digitized by Google

Romanis, & ad *Timotheum*. Quis hoc dixit? Non Diatribe, ſed in hoc adductus eſt locus, ut docerem, ſimilitudinem luti & figuli non pertinere ad liberum arbitrium, ſed ad retundendam importunam hominis contradictionem. Nihil hîc largitur, quia non convenit inter nos quid agat *Paulus*.

171. Ut autem oſtendat locum ex Epiſtola ad *Timotheum* citatum, huic loco non congruere, præfatur alium locum communem: ex cauſa ſimilitudinis, non ex verbis, oportere citare Scripturam. Deinde fingitur cauſa, mox diſtinguitur doctrina & exhortatio. Hujuſmodi verborum præſtigiis elabitur, qui loquitur Dei tonitrua. Atqui non patiar, ut hujuſmodi fumis imponatur ſimplici lectori. In Epiſtola ad Romanos *Paulus* agit, ut Judæos avocet à fiducia Legis, & Gentes pariter ac Judæos provocet ad fidem Euangelicam. In Epiſtola ad *Timotheum* hoc agit, ut hæreticos, ſub Euangelii prætextu diverſa docentes ab Euangelio, Chriſtianus evitet, nec ideo putet labaſcere fundamenta Euangelii, ſi quidam deſciſcunt ab Euangelii ſinceritate. Noverat enim Dominus illos defecturos. Nec mirum ſi in magna domo tolerantur vaſa facta in contumeliam. Non enim laboro, ſive interpreteris domum magnam Mundum, in qua ſunt increduli & hæretici, ſive Eccleſiam, quæ frequenter tolerat hæreticos: deficientium incredulitas nihil officit, imo potius illuſtrat fidem perſiſtentium, quemadmodum alibi dicit, *Oportet hæreſes eſſe*, &c. Habent igitur & illa vaſa ſuum uſum in magna domo, Deo videlicet aliorum incredulitate ad probationem fidelium abutente. Monet tamen Apoſtolus, ut talium conſuetudo vitetur, quoque id fiat facilius, exprimit ibidem illorum nomina. Porro ſi quis forte fuit illorum commercio nonnihil ſeductus, monet ut abjecto errore diſcedat ab illis, ne cum illis fiat vas ignominioſum, ſed honorificum, paratum in omnem uſum Domino. Atqui hunc locum *Theophylactus* haud dubie ſecutus *Chryſoſtomum*, alioſque vetuſtiores, accommodat ad probationem liberi arbitrii. *Judas* enim ex vaſe aureo factus eſt vas fictile. Contra *Paulus* ex fictili factus eſt vas aureum. Neque enim ſe dicitur emundare, qui nihil contraxit ſordium, nec dicitur, erit vas in honorem ſanctificatum, de eo qui ſine labe eſt. Congruit & in cæteris locus. Quod illic dicit, *Fundamentum Dei firmum ſtat, habens hoc ſignaculum, novit Dominus qui ſunt ipſius*, hîc explicat, *Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ejus ſalvæ fient.* Ac ſuperius, *Non autem quod exciderit verbum Domini.* Ac rurſus, *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Item Cap. III. *Nunquid illorum incredulitas fidem Dei evacuavit?* Quod autem *Timotheo* ſcribens dixit, *ſi ſe emundaverit*, Romanis ſcribens explanat hoc modo, *Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur, potens eſt enim Deus iterum illos inſerere.* Hæc eſt ſimplex ex ipſo loci tenore interpretatio. Nunc audiamus *Lutheri* torturam: *Cum*, inquit, *tam multi à fide diſcedant, nullum eſt ſolatium nobis, niſi quod certi ſumus firmamentum Dei certum ſtare, habens ſignaculum hoc*, &c. *Cauſam itaque facit, quod Dominus norit ſuos. Tum ſequitur ſimilitudo, ſcilicet eſſe vaſa diverſa, alia in honorem, alia in contumeliam. Hîc*, inquit, *abſolvitur doctrina.* Quæ? Quod vaſa non ſeipſa parent, ſed herus. Audio doctrinam, ſed cujus? Non *Pauli*, ſed *Lutheri*, In domo magna varia ſunt vaſa, hoc eſt, herus ipſe parat bona juxta ac mala. Rurſus poſtulat, ut ſimilitudo quadret per omnia. Imo *Paulus* ſentit, divitem patremfamilias omnibus vaſis uti ad commodum ſuæ domus, aureis ad honorificos uſus, fictilibus ad ſordidos, quemadmodum in mundo tolerat impios & hæreticos ad exercitationem piorum. *Hoc* inquit, *vult & ad* Rom. IX. *quod figulus poteſtatem habet*, &c. *Sic ſtat*, inquit, *ſimilitudo* Pauli *efficaciſſima, quod libertas arbitrii nihil ſit coram Deo.* Equidem exſpectabam, ut *Lutherus* diverſam adferret ſimilitudinis cauſam ejus, quæ eſt apud *Paulum* ad *Timotheum*, & apud eundem ad *Rom.* ſcribentem: Nunc eandem induxit. Verùm hanc non eſſe cauſam in Epiſtola ad *Romanos*, jam demonſtratum eſt, & hanc cauſam à *Luthero* detortam res ipſa loquitur, cum ad *Timotheum* ſcribens agat de vitandis hæreticis, & immobili fidei fundamento. Nec mirum ſi *Lutherus* ex ficta cauſa, produxit falſam doctrinam. Poſt hæc ſequitur exhortatio, *Si quis ſeſe emundaverit ab iſtis.* Atque hîc recinitur nobis vetus cantilena, verba imperandi, ſubjunctiva & optativa, nihil ponere, etiamſi congerantur centum myriades ejuſmodi vocum. Ideo hæc verba, *ſi ſe emundaverit*, aut nihil faciunt pro libero arbitrio, aut ſi quid probant, probant liberum arbitrium ſeſe poſſe emundare abſque gratia. Bene colligit *Lutherus*, ſi nihil medium eſt inter hæc proloquia, liberum arbitrium nihil eſt, & liberum arbitrium per ſe ſine gratiæ præſidio poteſt quicquid vult. Quid valeat liberum arbitrium aliàs ſatis declaratum eſt: interim mihi ſatis eſt, quod hæc verba, *Si quis ſe emundaverit*, juxta ſenſum communem, & Grammaticorum, & agricolarum, & nautarum, & olitorum ſignificant aliquid agere voluntatem hominis. Addit coronidem huic capiti, *Si iſta eluſio valet, tota diſputatio nihil valet: Fruſtra enim induceret murmurantes adverſus figulum Deum, ſi culpa vaſis & non figuli eſſe videretur. Quis enim murmuret, ſi audiat damnari dignum damnatione?* Hujuſmodi nugamentis *Lutherus* explet miſeras chartas, & haud ſcio an ſic prudens deliret, quo fatiget lectorem, aut reſponſurum potius. Primum oſtendi ſimilitudinem hanc adductam ad reprimendum impium murmur, quod *Lutherus* mire diſſimulat. Deinde quid ſentit *Lutherus?* Culpam eſſe figuli Dei, non vaſis? Hoc enim illius verba ſonant. Hæc verba dicuntur à *Paulo*, Num ille ſenſit Deo imputandum quod multi pereunt? Ergo damnantur indigni damnatione, & juſta de cauſa murmurant impii. Ad quid tandem adduxit Diatribe locum ex Epiſtola ad *Timotheum?* Nonne ut oſtenderet ſimilitudinem de luto & figulo, non ad omnia congruere, ſed tantum ad id cujus gratia proponitur? Quodnam illud? Ne creatura obmurmuraret Creatori. Hoc certe probant hæc verba, *Si ſe vas emundaverit.* Quantum igitur verborum incaſſum hîc fudit *Lutherus?*

172. His feliciter diſſertis exſpatiatur in campum, mira vehementia declamans in miſeram Diatriben, quæ dum ſtudet oſtendere quod ipſe *Lutherus* faſſus eſt eſſe veriſſimum, nihil eſſe neceſſe, ut ſimilitudo quadret in omnibus partibus, indicavit hactenus non congruere luti figulique parabolam, quod vaſis vitium nulli niſi figulo imputatur, at homo à Deo conjicitur in ignem nihil commeritus, niſi quod non ſui juris eſt. Hîc exſultat *Lutherus*, *Nuſquam*, inquit, *ſe apertius prodidit Diatribe quam hoc loco. Audis enim hîc aliis quidem verbis, ſed eodem ſenſu dici, quod* Paulus *facere dicit impios. Quid queritur? Voluntati ejus quis reſiſtit?* Quem non tædeat cum hoc homine diſputare? Quod Diatribe proponit velut abſurdum, ad probandum non undiquaque congruere ſimilitudinem, hic rapit quaſi ſerio dictum. Eadem opera ſi quis docere volens ſimilitudinem corporis & capitis in *Chriſto* & Eccleſia, non ad omnia quadrare, dicat hoc intereſſe, quod caput animantis viciſſim à membris juvatur aut læditur, cum *Chriſtus* nec juvari nec lædi poſſit à ſuo corpore, clamet ſerio dictum *Chriſtum* viciſſim juvari ac lædi à corpore. Imo vox iſta non eſt communis Diatribæ cum impiis murmuratoribus, ſed *Luthero* potius communis eſt, qui hoc docet, unde illi probabiliter ſumunt occaſionem impii murmuris. Quid autem eſt, quo ſe prodit Diatriba? Si per omnia quadrat ſimilitudo, homo nihil commeritus in ignem conjicitur, quemadmodum vas nihil commeritum frangitur. Hoc dictu abſurdiſſimum eſt, fateor, ſed quo abſurdius eſt, hoc efficacius probat id quod ſumſeram. Ubi ſunt hîc *Lutheri* fautores, qui plauſum dent huic dicto tam lepido? Ac primum exiſtimabam impietatis cri-

Digitized by Google

men in Diatriben proprie jactum, verùm ex progressu sermonis declarat hoc ad universos Ecclesiæ Doctores pertinere. Hîc oratione lugubri deplorat Deum, cui per eos qui statuunt liberum arbitrium non liceat facere quicquid velit : deplorat *Paulum*, cujus similitudo de luto & figulo rejicitur. Si Deus sibi noluit licere quod pugnat cum justitia, quid mirum, si illi tale nihil tribuunt homines pii ? Et si *Pauli* similitudo valet ad id, cujus gratia sumta est, quæ fit *Paulo* injuria? Similitudo adimit homini temeritatem de rebus divinis judicandi, etiamsi homo non possit assequi divini consilii rationem. Ad hoc adhibita est similitudo. Admonetur homo ut pareat voluntati Dei, quemadmodum argilla sequitur manum figuli. Ad id valet similitudo: ad sententiam, quæ sustollit liberum arbitrium, quæ docet Deum & bona ob quæ servamur, & mala ob quæ damnamur, operari in nobis, non valet, quia non in hoc adhibitam demonstravimus. Quid autem absurdi, si Deus non impartit gratiam iis qui invitati recusant accipere, aut quos scit male usuros? Quis dat beneficium recusanti? Ut nihil aliud sit, hoc pro merito imputatur, quod homo pulsanti gratiæ aperit ostium, subducto pessulo, quod illato lumine intendit oculos. Hîc *Lutherus*, *Si sic operatur Deus, ut merita spectet, cur illi murmurant & expostulant ?* In servando non est necesse, ut Deus spectet meritum prioris vitæ, quanquam hîc quoque spectat futura merita, & animum gratiæ morigerum. In damnando tollere respectum meritorum impium est. Cur igitur isti obmurmurant? Quoniam erant impii, Quoniam invidebant Gentibus Dei benignitatem, Quoniam sibi videbantur justi, cum essent impii, Quoniam Legis gloria tumebant, quam non servabant. Hinc est illud impium murmur. Quod si seipsos agnovissent, & Dei bonitatem erga Gentes adorassent, nimirum & ipsi territi justitia Dei, confugissent ad gratiam. Postremo Judæorum murmur ortum erat ex eo quod ipsis rejectis, ad Gentes honos filiorum Dei transferretur. *Quis*, inquit, *miratur, non dicam indignatur aut expostulat, si quis meritis damnetur?* Hæc *Lutheri* verba quo tandem spectant? Nisi ut nobis persuadeat hominem immerentem damnari. Deinde, *Ubi*, inquit, *potestas figuli faciendi quod vult, si meritis & legibus subjectus, non finitur facere quod vult, sed exigitur facere quod debet?* Imo ubi immutabilis Dei justitia, si non licet illi quicquam injuste facere? Ubi nativa veritas, quam nihilo magis potest deponere quam ipsam Deitatem, si non potest fallere in promissis, de quo *Paulus* non veretur dicere, *Seipsum abnegare non potest?* Et hîc rursus urget parabolam, ubi non oportet, quæ magis ad non exquirendam Dei dispensationem in præmiis aut punitionibus erat adhibita. *Pugnat*, inquit, *respectus meritorum cum potestate ac libertate faciendi quod vult.* Deus igitur qui fidem suam obstrinxit hominibus, non facit libere quæ vult, nisi quoties volet fallat in promissis? Erit igitur & incerta vis sacramentorum. Et tamen hoc libere fit ad quod volens sese obstringit. Huc allegatur ex Euangelio paterfamilias, qui operariis de inæquali mercede murmurantibus opposuit libertatem voluntatis in suis bonis. Idem hoc fatetur Diatribe, non exigendam à Deo rationem, cur huic det decem talenta, huic quinque, huic tria, huic unum. Euangelica parabola non loquitur de electis ac rejectis, sed de Judæis prius, & Gentibus posterius vocatis, omnibus tamen idem dátur præmium. Hoc ad Dei dispensationem pertinet, nec ibi cuiquam fit injuria, tantum per similitudinem exprimitur livoris dolor ex alieno bono conceptus, qui non est in piis, sed fingitur in parabola docendi gratia, qualia sunt illic multa, quæ in collatione sunt omittenda. Debebat hîc meminisse parabolæ de invitatis ad convivium, Qui excusant, pronuntiantur indigni, & pronuntiantur fuisse priusquam vocarentur. *Non erant*, inquit, *digni.* Cur igitur vocantur? Ne justam haberent excusationem. Cur excusant? Quia liberam habent voluntatem amplectendi gratiam, & aversandi. Quid obstat quo minus amplectantur? Animus irretitus curis & voluptatibus hujus mundi. Vocavit *Petrum*, & illico sequutus est. Si similiter vocasset *Annam* & *Cajapham*, irrisissent vocantem. Vides, Lector, rem magnifice gestam: Nunc audi ducem ovantem : *Hæc*, inquit, *sunt, quæ Diatribes glossam non sinunt valere.*

Sed pergit argumentari, & disputator commodus, 173.
quod est ex Scripturarum oraculis indubitatum, fingit esse, ut Deus in damnandis respiciat merita, *Eadem*, inquit, *ratione merita spectabit & in servandis.* Primum respondi non esse parem causam in damnandis & servandis. Rex qui vitam donat mortem commerito, nulli facit injuriam, aliis non condonans, sed in hunc dicitur clemens. Itaque sensus etiam communis judicio falsum est, quod asseverat *Lutherus*, æque iniquum esse, indignos coronari, atque indignos puniri. Verùm in genere Deus & in servando & in damnando respicit hominum merita, merita, inquam, non quibus ex pari respondet præmium, sed sine quibus non dantur præmia. *Ergo*, inquit, *Deus justificat ex meritis præcedentibus.* Quid ni ? sed quæ Deo præsentia sunt, antequam nascantur homines. Verùm hîc mihi pone triplex meritorum genus, ac triplex item præmiorum genus. Vita simplicius acta, si non sine peccatis, certe sine malitia, multis interim humano more bene gestis commendabilis, habet merita quædam, quæ quadamtenus reddunt hominem dignum gratia vocationis. Sit igitur hujusmodi meritorum præmium gratia pulsans. Rursus animus non aversans pulsantem gratiam, sed simpliciter amplectens Dei donum, pro præmio imputatur, quo quodammodo meretur accipere gratiam justificantem. Denique voluntas hominis strenue gratiæ ductu per opera pia contendens ad æternæ vitæ brabium, aliquo modo meretur regnum cœlorum. Deus autem qui ab ævo destinavit his gratias suas & vitam æternam, ideo destinavit, quia præscivit in illis suam gratiam non fore sterilem. Contra quos destinavit gehennæ, ideo destinavit, quia ab æterno præscivit, qualia forent gesturi. Non tamen necesse est, ut juxta nos merita bonorum operum, hoc est, vel primi vel tertii generis præcedant gratiam justificantem. Hoc enim promisit Propheta, hoc profitetur *Christus*, se venisse, ut gratis salutem offerret omnibus, qui vellent in ipsum credere. Hîc nec *Paulus* habet respectum meritorum vitæ prioris, sed fiduciæ de promissis. Proinde ut est impudens quod *Lutherus* multis hîc verbis inculcat, paris esse iniquitatis servare immerentes, atque damnare immerentes: ita simpliciter impium est dicere, quod Deus aliquem damnet immerentem, imo neminem damnat nisi levius quam pro meritis, ut habet probabile Theologorum dogma. Quos autem *Lutherus* appellat indignos? Impios? Eos non servat Deus; Sed impios vocat ad pœnitentiam, & pœnitentes pro sua misericordia recipit in gratiam. Itaque quomodo justum sit, ut indignos coronet, etiam nunc intelligi potest. Justum est, quia promisit salutem credentibus; Alioqui clementiæ est, non justitiæ, recipere impios ad pœnitentiam. Cæterum quomodo damnet immeritos, nec creditur hîc, nec intelligitur, ne tum quidem intelligetur aut credetur, cum revelabitur filius hominis : non enim intelligitur aut creditur à piis quod falsum est. Quid autem sibi volunt ista verborum portenta, quod ait, juxta nostrum sensum æque iniquum, si *Cain* ob parricidium laudes, Regemque facias, atque si *Abel* innocentem occidas? Quis extollit sceleratos ob malefacta, aut quis punit pios ob benefacta? Hujusmodi monstris delectatur doctor hyperbolicus.

Quis tam patientis est stomachi, qui possit hujus 174.
hominis glorias, convitia, battologias ferre ? Fingit hîc Diatriben stomachabundam, conferre loca Scripturarum inter se juxta speciem pugnantia, ut ex conflictatione colligatur sensus germanus. Quid ni? An hoc Diatribes exemplum est? An non idem fit à proba-

Digitized by Google

batiſſimis Eccleſiæ Doctoribus? Quis autem dixit, Scripturam cum Scriptura pugnare? Sic Diatribe loquitur, *Et ita* Paulus *reperietur ſibi contradicere. Ita*, hoc eſt, ſi ſimplicibus verbis nos urgeas, Si per omnia quod lutum eſt figulo, id homo eſt Deo, hoc eſt, ſi nihilo plus operatur ad ſalutem aut exitium ſuum, quam lutum quod fingitur ſic aut ſic pro figuli arbitrio, quomodo *Paulus* dicit, *Si ſe emundaverit ab iſtis*, qualia loca ſunt in Scripturis permulta. Si urgeas verbis ſimplicibus excluſo tropo, ne loquitur quidem lutum figulo, cum homo loquatur luto comparatus. Et vas impurum nec ſe conſpurcavit, nec ſe poteſt expurgare. Sed quomodo hinc elabitur *Lutherus?* Prodit vetus illa ſed impudentiſſima cantio de verbis ſubjunctivis. Prodit hyperbole, quæ minimum abeſt à mendacio. Cantione regnat in tota Scriptura, invitis Diis atque hominibus: hyperbole fingit me ſumſiſſe probandum, quod liberum arbitrium nihil poſſit boni, cum hoc nuſquam profiteatur Diatriba: & ſi profiteretur, non conſequitur, ſi nihil poteſt efficaciter abſque gratiæ præſidio, nihil omnino poſſe. Sic enim perpetuo ratiocinatur doctor hyperbolus.

175. At quomodo nobis probat ſuum dogma *Lutherus*, quod verba imperandi, optandi, ſubjungendi, nihil ponunt? Grammaticis judicibus? Neſcierunt igitur Grammaticam, qui hactenus ſic interpretantur quemadmodum Diatriba, ſub cujus nomine lapidantur Eccleſiæ Doctores. Imo Dialecticorum potius aut Sophiſtarum iſthuc eſt citius quam Grammaticorum, qui ſermonem interpretantur juxta ſenſum communem. At *diliges Dominum Deum*, & *diliges proximum*, indicandi verba ſunt. *Per tropum*, inquit, *uſurpantur pro imperativis.* Atqui hic ipſe tropus indicat, aliquo modo præſtari poſſe quod præcipitur. Subauditur enim à præcipiente, Si vis eſſe ſalvus, ſi fungi vis tuo officio, facies hoc, illud vitabis, ut colligas nolle, ſi non faciat. *Sede à dextris meis, Poſtula à me, & dabo tibi gentes.* Item, *Intra in gaudium Domini tui*, quoniam ſunt verba imperandi, non intelligemus hoc eſſe factum aut fieri poſſe? Si nos ad Grammaticos provocat, ſi ſenſum communem facit arbitrum divinæ Scripturæ, hæc illi ſunt recipienda. Non credit interpretationi, non dicam Diatribes, ſed totius Eccleſiæ, niſi adferat alium locum, per quem probet quod interpretatur. Sed quid retulerit adduxiſſe ſex millia locorum, ſi *Luthero* liceat ſic interpretari, quemadmodum hactenus interpretatus eſt pleraque? Quid proclivius eſt, quam ut is qui nullius interpretationem recipit, ſi locus ad loci probationem allegetur, utcunque interpretetur ad ſui dogmatis commoditatem, præſertim ſi idem ſibi permittat quoties commodum eſt à ſeipſo diſſentire, quod compluribus locis ab aliis demonſtratum, ſatis civiliter, ne dicam ſcurriliter, diſſimulat, juxta parabolam ab ipſo prolatam, exiſtimans ſe à nemine videri, ſi cum pueris ipſe ſibi tegat oculos. Clamat totam Scripturam aliam fieri, ſi valet conſequentia, *hoc Deus præcepit, ergo fieri poteſt quod præcepit:* & nihil accidit Scripturæ, ſi credimus *Luthero*, verba præcipiendi, vetandi, minandi, hortandi, promittendi, blandiendi, terrendi, quibus undique ſcatent ſacri Libri, tantum ea ſpectare, quæ fieri nullo modo poſſunt, ſed hæc omnia dici à Deo vel inſultante noſtræ ſuperbiæ, vel oſtendere volente, nos nihil aliud poſſe quam peccare, etiamſi gratiæ præſidium acceſſerit. Et ad hoc paradoxon evincendum habet tria verba ex Paulo, *Per Legem cognitio peccati*, quæ quam torſerit ſupra demonſtratum eſt. Aſt urget Diatriben, ut ſeipſam liberet, doceatque quomodo iſta cohæreant, *liberum arbitrium nihil poteſt velle boni*, &, *ſi quis ſe emundaverit, ergo poteſt ſe emundare.* Diſſimulato mendacio quod aſſumit, expediam. Juxta meam ſententiam, liberum arbitrium vitiatum ex ſeſe nihil poteſt ad conſequendam ſalutem efficaciter, ſine gratia: Et ſi quis factus ſit vas ignominioſum, adjuvante gratia, poteſt ſe expurgare à conſortio vaſorum impurorum.

Operam militis vides, Lector, ſpecta triumphum. *Vides igitur*, inquit, *vexatum & victum ſimilitudine illa figuli, tantum hoc agere, ut illam eludat, nihil interim cogitans, quantum cauſæ ſuſceptæ noceat interpretatio, quamque ſeipſam confutet & irrideat.* Hæc triumphator. Jam docuimus toties luti & figuli ſimilitudinem, adhibitam ad retundendam Judæorum arrogantiam, nec quadrare per omnia, nec pertinere ad liberum arbitrium in negotio ſalutis æternæ, ſed ad diſpenſationem Dei, quæ peragitur in ratione rerum temporalium, ac præmiorum & pœnarum, nec ulla res me minus urget quam illa ſimilitudo.

Sui ſimilis pergit, negans ſe uſquam ſic interpretatum, *Extende manum*, id eſt, gratia extendet, *Hæc omnia*, inquit, *Diatribe fingit de nobis in commodum cauſæ ſuæ. Sed ſic diximus*, &c. Diatribe non dixit hoc ſcripſiſſe *Lutherum*, ſed *Carolſtadium* indicavit, in hoc vere ſtulta, quod in re tam ſeria crederet tantos ſymmyſtas conſentire. Nunc, ut video, *Lutherus* quid *Carolſtadius* ſcripſerit ſecurus, ſua tantum tuetur, interpretans ea ſuo commodo, ſi forte quid ipſe quoque ſcripſerit fuerit oblitus, quod arbitror illi non raro accidere in tanta battologia. Cum autem complura loca recitet Diatriba, quæ videntur prima ſpecie inter ſe pugnare, tamen ille diſſimulans unum atque alterum tantum attingit. Cumque Diatriba non omnia loca ſimili ratione redigat in concordiam, tamen *Lutherus* unicam tantum occinit cantionem, Hæc loca ſimilia ſunt. *Nunquid dicit lutum figulo ſuo?* Et Eſa. x. *Nunquid gloriabitur ſecuris adverſum eum qui ſecat in ea?* &c. His repugnare videtur, *ſi quis ſe emendaverit*, aliaque apud Diatribam recitata. Verùm iſta ſic redigit in concordiam Diatribe, ut dicat ſermonem de luto & figulo, item de ſecuri & fabro, non tollere liberum arbitrium hominis in omnibus, ſed retundere ſuperbiam hominis ſibi fidentis, ſeſeque erigentis adverſus Deum, itaque non pugnare cum cæteris locis hortantibus ad vitæ correctionem. Altera concordiæ ratio eſt, ſi meminerimus collationem à luto & figulo, à fabro & ſecuri, à percutiente & virga ſumtam, non per omnia quadrare, cum homo ſit vivum inſtrumentum, quod ſimul agat actum, quale inſtrumentum eſt jumentum agricolæ, aut ſervus hero. Quoties ergo Scriptura dicit, *Recede ab impuris*, compellat liberum hominis arbitrium: quoties dicit, *auferam cor carneum*, indicat auxiliantem gratiam. Hæc non ex ſe ſomniat ſubmerſa, ſuffocata, & corrupta Diatriba, ſed è divinis Libris juxta ſenſum communem, &, ſi id parum eſt, juxta Veterum probatiſſimorum ſententiam adducit. Jam quod eſt 1. *Corinth.* XII. *operatur omnia in omnibus*, non agit de libero arbitrio, ſed de diſpenſatione donorum Spiritus, quæ Deus partitur ſingulis, ut ipſi viſum eſt ad utilitatem corporis. Idque adeo non tollit arbitrium hominis, ut *Paulus* profiteatur Spiritus Prophetarum Prophetis eſſe ſubjectos, ſic ut altero ſurgente, prior licet afflatus tacere poſſit ſi velit. Quid autem frigidius, quod hos omnes nodos *Lutherus* diſſolvit per diſtinctionem verborum indicandi & imperandi, ſive ſubjungendi. Hoc commentum cum nullus mortalium auſus ſit inter eruditos dicere, tamen *Lutherus* oſtentat ubique veluti telum longe certiſſimum & inevitabile. Quid autem dicet ad illud Joannis, *Omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut ille ſanctus eſt?* Hîc eſt indicandi verbum, & ne confugiat ad tropum, præſentis temporis. *Qui ſe ſanctificat*, utrum agit aliquid, an non? Apud eundem legimus, *Qui ex Deo eſt, non peccat.* Qui ſe continet à peccando, nihil agit? Jam verte hæc in imperandi verba, *Qui habet hanc ſpem in eo ſanctificet ſeipſum*, Et, *qui ex Deo natus eſt, ne peccet.* Ad hunc modum omnia imperandi verba verti poſſunt in verba indicandi. An qui ex verbis imperandi colligunt poſſe fieri quod præcipitur, habent aliam Scripturam? Solus igitur cum paucis *Lutherus* habet germanam Scripturam. Et quomodo dicitur ex ſuo cerebro hoc ſomniaſſe Dia-

176.

Digitized by Google

tribe, quod est omnium & Græcorum & Latinorum & barbarorum commune? Quando desinet nobis κοκκύζειν, hæc aut nihil probant, aut pugnant cum eo,
177. quod Diatriba defendendum susceperat. Hæc proximo quoque capite versat, iterat, inculcat, repetit, infigit, ad nauseam usque, ad quorum singula si parem respondere, nullus erit voluminis finis.
178. Accedit triumphabundus ad locum Gen. VI. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Hîc cum Diatriba sequatur probatos interpretes, tamen audit, quæ nusquam non significat se Scripturas pro fabulis habere, neque mitius accipitur *Hieronymus*, qui nugator, & Scripturarum perversor dicitur. Euge *Luthere*, βάλ' ἕτως. Sic loqui solent, qui aguntur Spiritu Dei, & qui *Paulum* imitantes, placent omnibus, ne quod offendiculum præbeant Euangelio. Sed ad rem. Fortiter negat *Lutherus* ullum locum inveniri in sacris Litteris, ubi Spiritus Dei usurpatur pro indignatione, cum contra Spiritui benignitas & suavitas tribuatur. Primum demus esse verum quod sumit *Lutherus*, quid prohibet, quominus Spiritus id sonet alicubi quod sonat etiam vulgo, cum *spiritus* dicimus vehementes & impotentes affectus, unde & Græcis μέγα πνέειν dicuntur, qui elato sunt ferocique animo, præsertim cum ipse loci tenor suffragetur huic sensui. Inducitur enim illic Deus indignans sceleribus hominum cogitare de delendo mortalium genere. Male dialectice colligit, Vox hæc aliis in locis aliter usurpatur, igitur hoc loco non potest secus accipi. Jam vero non dubito, quin plus quam quindecim locis inveniri possit *spiritus* vocabulum in Scripturis usurpatum pro indignatione sive vindicta Dei, nisi *Esaiæ* XI. *Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*, non loquitur de vindicta. Apud eundem Cap. XXX. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum, labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus quasi ignis devorans, Spiritus ejus velut torrens inundans, usque ad medium colli, ad perdendas gentes.* Rursum 2. Thess. II. *Et nunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Etiam-ne hîc *spiritus* sonat benignitatem, ac non potius ultionem? Hujus generis permulta licuit adducere, sed hæc sufficiunt ad coarguendum *Lutheri* spiritum. Saltem addidisset, *quod equidem sciam:* Sed non didicit nisi hyperbolas loqui. Hoc de spiritu, *carnem* simile lemmate probat non posse accipi pro infirmitate, sed sonare vitium. Hoc non est inficiata Diatriba, sed negavit semper accipi pro impio affectu. Nam impius affectus sonat extremam malitiam, usque ad Dei contumeliam. Sed facilius ignoscuntur vitia, quæ cum errore, seu infirmitate conjuncta sunt. Tales arbitror fuisse *Corinthios* & *Galatas*, imperfectos, non impios. Imo nec adulterium *David* cum homicidio conjunctum tribuitur impiæ malitiæ, sed infirmitati carnis: casu vidit, correptus est amore, quo veluti temulentus occidit *Uriam*. At monitus quam cito resipuit! quam luxit admissum! Hinc apparebat infirmitatis fuisse lapsum. Hoc adjeci, ut etiamsi *Corinthii* laborassent gravibus vitiis, tamen adversus me non ita multum faciat. Postremo falsum hoc quoque, *carnem* semper sonare vitium, nisi naturæ imbecillitatem appellamus vitium, à qua nec ipse Dominus fuit expers, cum diceret, *Pater si fieri potest, transeat à me calix*
179. *iste.* Expositis vocabulis pro suo commodo mutat etiam publicam Ecclesiæ lectionem, pro *non permanebit*, legens, *non judicabit*, pro quo *Lyranus* indicat Hebræum quendam Rabinum vertisse, *non disceptabit*, ut sensus sit, non diutius differam ac suspendam sententiam, quia caro sunt, hoc est, suapte natura proclives ad malum, nisi reprimantur afflictionibus ac minis. Ad hæc *istos* pronomen omittit, quod tamen addit *Hieronymus*. His ita digestis aggreditur interpretationem Scripturæ, quam prædicat satis apertam, si nostra somnia mitteremus. Quid est, si nostra somnia mitteremus? Id est, si contemtis omnium Veterum interpretationibus, quicquid asseverarit *Lutherus* pro oraculo amplecteremur. Age! præbebuntur aures. *Sunt*, inquit, *verba Dei irati.* Id illi nobiscum convenit. *Causam dederant Gigantes tyrannide ac libidine sua.* Esto sane. *Ita ut diluvium cogerent accelerare iratum Deum, & vix ad centum annos differre, quod alias nunquam erat inducturus.* Quomodo cogatur Deus, ut cito faciat quod alioqui nunquam erat facturus, relinquo explicandum *Luthero*, qui tropos odit, & immutabilem voluntatem Deo tribuit. Ut omittam interim locum communem, quo rursus destomachatur in depravatores Scripturæ Sacræ, ut blasphemias in *Hieronymum*, & in omnes hunc sequentes, remque conferam in compendium: Primum negari non potest, quin hæc particula, *in æternum*, ancipitem habeat sensum, potest enim esse sensus, Spiritum Dei nullo unquam deinceps tempore mansionem habiturum in homine: & intelligi potest, mansionem Spiritus divini non fore perpetuam in homine: *Lutherus* accipit posteriorem sensum, cum verba magis exprimant priorem. Præterea remittimus illi quod *Hieronymus* annotavit ex Hebræorum traditione, donamusque *Spiritum* accipi pro affectu Dei procurantis hominum salutem, *carnem* pro affectu peccandi. Si *Lutherus* hæc interpretatur de natura totius humani generis, caro erant omnes ab *Adam* lapso, quemadmodum sunt & hodie. Cur igitur Deus tam diu siluit, ac post tot annorum periodos incipit minitari panolethriam rerum omnium? Cur post cum essent opinor homines sceleratiores in terris, sub imperio Romano, quam erant illi Gigantes, qui tantum insaniebant in fœminas, Deus effudit Spiritum suum super omnem carnem abunde, dicens, *Delitiæ meæ sunt, esse cum filiis hominum?* Si Deus noverat illos absque Spiritus sui præsidio homines non posse recte vivere, cur non impartiens Spiritus opem sic indignatur, ac destinat exitium? Ad hæc cur hoc illis imputatur, quod exemplo monitisque *Noe* justi, nihilo facti sunt correctiores? Rursus cur indulgetur centum viginti annorum spatium, ut vel tam atrocibus minis territi resipiscerent. Quod enim hos annos indulsit editis minis, erat nolentis perdere: Alioqui poterat tacitus perdere, sed ideo minatus est, ideo dedit spatium satis amplum, ut interim resipiscerent, & effugerent iram divinam. Quod si *Lutherus* non solum sentit de natura communi hominis vitiata, quam μάλα ὑπερβολικῶς ubique exaggerat, sed magis de peccatis mortalium voluntariis, quæ semper in pejus glisce-bant, dum malunt suis cupiditatibus obsequi, quam vel legi naturæ, vel monitis justi *Noe:* habemus quod imputetur libero arbitrio. Primum ob spretam naturæ legem, deinde ob contemtam gratiam per *Noe* monita vitamque pulsantem. Quibus rebus quoniam isti facti sunt etiam deteriores, vel insanabiliores, traditi sunt exitio, ne sine fine peccarent, accumulantes sibi graviorem damnationem, quod idem evenit Judæis pertinaciter Euangelio reclamantibus. Quod si Spiritus Dei non potest, ut ait *Lutherus*, durare inter homines, quia caro sunt omnes, quomodo duravit in *Noe*, ac postea effusus est in plurimos? Quis autem hic loquendi tropus est, *Spiritus Dei non potest*, cum sit omnipotens? Ita sibi permittit loqui, in nos vociferaturus, si quid excideret simile. Verùm *Luthero* pium est, quicquid facit pro adamato dogmate. Hic igitur sermo non pertinet ad universum hominum genus, sed ad illius ætatis nationem, nec tam ad naturæ corruptelam pertinet, quam ad sceleribus contaminatam vitam. Itaque locum habet liberum arbitrium, quia contemserunt naturæ legem ad meliora vocantem, contemserunt exempla monitaque justorum, quæ probabile est nullis unquam seculis defuisse, contemserunt Dei bonitatem, qui post tot seculis toleratam illorum malitiam, tamen adhuc concessit annos centum viginti, denuntiato diluvio, ne tum quidem resipuerunt, cum viderent apparari arcam. Unde tanta durities? Non aliunde quam à natura? Imo multo magis à contemtu

Digitized by Google

temtu gratiæ pulſantis, quam per liberum arbitrium poterant amplecti, reſipiſcentes ad pietatem. Et homines *Lutherus* pronuntiat immerito damnatos, quemadmodum & Judæos. Hîc, ne rurſus clamet Diatribam ſomniare, ex *Chryſoſtomo* paucula verba ſubſcribam, quibus ita Deum facit loquentem: *Sed quia etiam eos qui incurabiliter peccaverunt ſervari volo nullumque perire, idcirco vobis indulgeo tempus centum viginti annorum, ut ſi volueritis & peccata ablueritis, reſipiſcendoque & ad meliora vos convertendo virtuti ſtudueritis, pœnas & pericula effugiatis.* Hactenus *Chryſoſtomus*, in quo *Lutherus* ſtatim ridebit verba ſubjunctivi modi, ſat ſcio, ſed eam legem *Chryſoſtomus* non didicerat. Nec in hoc profero *Chryſoſtomi* teſtimonium, ut *Lutherum* redarguam, qui jam ſuo quodam jure jubet omnes eſſe anathema, qui ſecus exponunt quam ipſe Scripturas. Sed mire urget nos voce *carnis*, *carnem* exponens impios, *& ſunt*, inquit, *nihil aliud, totique ſunt caro.* Has hyperbolas ſi recipimus, ex homine faciet Diabolum. Atqui ubi homines dicuntur *caro*, nulla vitiorum mentio fit, niſi ductis uxoribus. Sic enim habet locus, *Cumque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulcræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant. Dixitque Deus, Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* *Lutherus*, qui toties clamat, in Scripturis nihil obſcurum eſſe, vel hoc caput nobis explanet, qui ſint filii Dei, quæ filiæ hominum, qui Gigantes ex filiis Dei, ac filiabus hominum prognati. Verùm his omiſſis, hîc nihil aliud intelligi poteſt, quam quod vel indulſerint libidini ductis uxoribus, ut interpretatur *Chryſoſtomus*, vel promiſcue duxerint uxores, nulla ratione propinquitatis habita, vel quod alienas ſponſas conſtuprarint, quam ultimam opinionem ſolus, quod equidem ſciam, *Lyranus* attingit. Certe *Luthero* auctore, pium eſt uxorem ducere, & juxta Theologos orthodoxos, condonabile peccatum eſt, in matrimonio nonnihil dare voluptati, nec crimen eſt, uxorem libidinis non prolis gratia cognoſcere. Ubi eſt igitur, quam *Lutherus* exaggerat, impietas, *quia caro ſunt?* Præceſſit cauſa, cur eos vocaret carnem. Carnem vocat quia carnis affectibus indulgebant, hoc eſt, voluptati potius quam rebus æternis. Verùm hic affectus progreſſu temporis poſtea profecerat ad majorem malitiam, eoque ſequitur, *Corrupta eſt terra coram Domino, & repleta eſt iniquitate.* Nec tamen ulla fit impietatis mentio, quod immolarint Dæmoniis, aut blaſphemias ejaculati ſint in Deum, libidinis & voluptatum lues erat. Cur igitur ſic incandeſcit Deus? Dicam, quia totus hic Scripturæ ſermo, per tropologiam, affectus ac verba hominum tribuit Deo, non quod vere adſint, ſed ut homines craſſi facilius agnoſcerent cognata. Inducitur itaque Deus tanquam novus Rex aut paterfamilias, qui nondum aſſuetus vitiis ſuorum, ob leviora etiam delicta graviſſime commovetur ac punit. Cæterum ubi comperit alterutrum eſſe ferendum, ut aut nullam habeat familiam, aut ferat illorum defectus, fit mitior, & aut ignoſcit commiſſis, aut certe mitius punit. Sic ante diluvium ait, *Ego diſperdam eos cum terra.* Poſt diluvium autem quanto mitius loquitur! *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines:* quoque ſint æquioribus animis, ponit Irim fœderis ſignum, in nubibus. Hæc tropologia quid ſibi velit, non eſt hujus loci diſſerere. Cum igitur Deus loquitur, *caro ſunt*, levius quiddam ſonat quam interpretatur *Lutherus*, nimirum infirmos & ad vitia proclives, ac rebus corporalibus magis quam ſpiritualibus deditos, perinde quaſi dixiſſet, homines ſunt. At ille novus paterfamilias exigebat ut Dii eſſent, ſaperentque primam originem. Sic uſus carnis vocabulo *Paulus* ſcribens *Corinthiis*, ut obiter refellam, quod *Lutherus* fortiter aſſeverat, illic *Corinthios* ob impietatem dici *carnales*, cum eodem in loco, eandem ob cauſam vocet eos parvulos in Chriſto, ac mox homines. Cæterum impii non ſunt in Chriſto, nec hominis vocabulum ſonat impietatem, ſed imperfectum quiddam. Verba *Pauli* ſic habent, *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, Nondum enim poteratis, ſed ne nunc quidem poteſtis. Adhuc enim carnales eſtis. Cum enim ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Cum enim quidam dicat, Ego ſum Pauli, alius autem, ego Apollo, nonne homines eſtis?* Talis contentio erat & inter Apoſtolos, adhuc rudes & carnales, qui tamen non erant impii. Carebant enim malitia, nec alienabat illos à Chriſto. Sic idem *Paulus* ad Romanos VI. dum non exigit id quod perfectum eſt: *Humanum*, inquit, *dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra*, &c. Et aliquando negat ſe *ſecundum hominem* loqui, cum abnegat affectus humanos. Verùm his nihil agitur, *Lutherus* confeſtim ex homine faciet Satanam, quemadmodum & antea in diſputando, nullum inter eos fecit diſcrimen, cum in homine ſint veluti duæ naturæ, corporis terreni, & animi cœleſtis. Volentibus ſeſe ad cœlum erigere non deeſt gratia, adverſus eam partem quæ vergit ad terrena. Nihil autem hîc detrahitur, neque voluntatis divinæ libertati, neque gloriæ gratiæ. Hoc voluit divina providentia, ut in homine reſideret, quod ſe præberet pulſanti gratiæ, & ita hîc quoque fit illius voluntas, & hoc ipſum quod homo poteſt naturæ viribus, Dei donum eſt, quod toties à Diatriba repetitum conſtanter negligit *Lutherus*. Poſtremo donemus affectum humanum ſive carnalem, non ſapere ea quæ ſunt ſpiritus, qui ſcrutatur etiam profunda Dei, ſunt tamen elementa, ſunt gradus ad ſpiritus perfectionem provehentes. Naſcitur homo denuo, ſed hic partus non ſemper eſt ſubitus, & habet ſuam infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, ac maturam ætatem, gratia Dei humanam imbecillitatem ſenſim ad meliora provehente. Proinde ut donemus hoc quod dictum eſt de corrupto *Noe* ſeculo, ad omnes pertinere, quod nec veriſimile eſt, nec verum eſſe credo, tamen hæc ſententia non excludit liberum arbitrium; quando *Pharaoni* quoque divus *Auguſtinus* adſcribit liberum arbitrium, cujus hoc minor erat in eo vis, quo magis erat ſceleribus induratus: & tamen hoc ipſum quantulumcunque ſi non avertiſſet à Deo provocante ad pœnitentiam, ſalvus eſſet. Et ſi cui ſeſe ſubducit gratia, ob præcedentia merita facit.

180. Tuetur locum ex Gen. VIII. *Senſus & cogitatio cordis humani prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua.* Et VI. *Cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum omni tempore.* Miratur hîc Diatribam ita loqui: *Proclivitas ad malum, quæ eſt in pleriſque hominibus, non adimit in totum libertatem arbitrii*, quaſi non ſit in omnibus. In matre Chriſti non arbitror fuiſſe, quemadmodum nec in Chriſto, & fortaſſe plures ſunt nobis ignoti, quibus hoc munus indulſit gratia divina. At Deus in genere loquitur. Eſto, At ſermo generalis non obſtat prærogativis paucorum. Quod autem Hebraiſmum nobis citat, qui nec cum Græcis, nec cum interpretatione *Hieronymi* conſentit, nec ab ullo probatorum interpretum annotatur, reſpondere poſſum, aut *Lutherum* non intelligere vim Hebræi ſermonis, aut codicem habere corruptum. Sed ex abundanti donemus, totum eſſe malum quod homo ex ſe cogitat, habet tamen indolem Spiritui habilem, qui nulli deeſt niſi volenti. Quin iſti Hebraiſmo reclamat ſenſus communis. Quæ virtutum ſemina videmus fuiſſe in Ethnicis, imo quam eximias virtutes præſtiterunt ſine Chriſto? Non igitur totum malum eſt quicquid cogitat homo, niſi malum dixeris quicquid non juſtificat perfecte. *Auguſtinus* ſcribit *Romanis* ob quædam pie ſanctequeque geſta donatam imperii gloriam. Nemo malum coronat ſanus. Male habet *Lutherum*, quod Diatriba non tantum exaggerat pronitatem ad malum, quantum ipſi commodum eſt. Fateor in quibuſdam ingeniis bene natis ac bene educatis minimum eſſe pronitatis. Maxima

Digitized by Google

ma proclivitatis pars est non ex natura, sed ex corrupta institutione, ex improbo convictu, ex assuetudine peccandi malitiaque voluntatis. Et Scriptura Gen. VI. non proprie loquitur de natura hominis, sed de corruptis affectibus, & in genere loquitur. Neque enim arbitror hæc in *Noe* & in hujus familiam congruere. Verùm hoc *Luthero* displicere mirum non est, cum ille tantum exaggeret hunc raptum & impetum ad malum, ut nec Spiritu in homine operante, possit aliud agere quam malum. Præstat igitur in medio consistere, quam aut nihil tribuere proclivitati naturæ, aut tantum tribuere, quantum nemo pius potest ferre. Jam illud argumentum, Si nulla pars resipiscentiæ pendet ab arbitrio, cur datum est spatium pœnitentiæ? Hîc litem lite dissolvens, respondet, cur tot præcepta dedit, quæ servari non possunt? Imo in hoc præcepta dedit, ut horum obstinati contemtores intelligerentur justo Dei judicio perire, fierentque cæteris exemplum, ne similia auderent. Deus pro sua bonitate tolerarat quingentis, opinor, annis genus hominum, nimium referens suos progenitores: cumque semper in pejus degenerarent, promulgata sententia terrorem incutere studuit, sed interim dato satis longo pœnitendi spatio, ut cum nec lenitate tanta, nec tam sævis minis Dei permoverentur ad meliorem frugem, velut insanabiles suo merito constaret exstinctos, aliis exemplo futuros. Hoc responsum quanto Scripturis, sensuique communi congruentius, quam quod adfert *Lutherus*.

182. Tuetur quod velut invictum telum protulerat ex *Esa.* XL. *Suscepit de manu Domini pro omnibus peccatis suis*. Atque hîc rursus vapulat *Hieronymus* cum Hebræis: Quanto magis debacchaturus erat in me, si mei capitis commentum protulissem? Quid huic faciemus, qui præter Scripturam nihil recipit, sed ipso interprete. Atqui in assertionibus suis quoties illi valet *Augustinus* & *Gregorius*? Verùm ut ex ipso tenore sensum eliciamus, negari non potest, quin hîc *Esaias* agat de Hebræis per *Cyrum* è captivitate *Babylonica* liberandis. Hoc substraro fundamento, facilior erit allegoriæ pervestigatio. Ob peccata sua deducti sunt in *Babylonem*, illic septuaginta annis longas pariter ac graves dedere pœnas. Quorum tandem misertus Deus, ex irato factus propitius, post tolerata tristia subjungit consolationem misericordiæ, qui fere tenor est omnium Prophetarum, in quibus post minas & plagas terribiles succedit blanda consolatio. Verba Prophetæ sic habent: *Loquimini ad cor Hierusalem & advocate eam, quoniam completa est militia ejus, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*. Hæc si ad mores transferas, quid aliud accipere possis, quam Deum post inflictam pœnam si peccator resipiscat, largiter effundere consolationis gratiam. Post asperitatem enim pœnitentiæ sequitur hilaritas bonæ conscientiæ. Quod autem dixit *duplicia*, congruit affectui miserentis, velut in diversum verso. Loquitur enim creberrime Scriptura de Deo tropis humanis, perinde quasi patrem, cui jam cæso filio pietas excussit iram, pœniteat sumti de nato supplicii, nimiumque videatur propitio, quod irato videbatur infra meritum. Jam si prophetiam conferas ad Legem & Euangelium, *Babylonica* captivitas erat regnum peccati, quod & Judæos oppresserat in Lege *Mosaica*, & Gentes sub Lege naturæ. *Hierusalem* erat Ecclesia complectens utramque Gentem, unde *Hieronymus* vertit, *advocate eam*, & inferius habetur, *Et videbit omnis caro pariter quod os Domini loquutum est*. Sit consolatio remissio peccatorum, & uberioris gratiæ promissio. Sit duplicium receptio, calamitates inflictæ divinitus, & angores infelicis conscientiæ, versi in gaudium & quietem. Hæc interpretatio quanto mollior est *Lutherana*, qui *Hierusalem* interpretatur populum Judæorum oppressum tyrannide Legis plurima præscribentis, quorum nihil servari poterat, *Cyrum* gratiam, quæ pro male factis quod inauditum est, reddidit amplissima beneficia. Et quod Propheta scribit, eas calamitates immissas à Deo, tametsi per homines inflictas, interpretatur, remissionem peccatorum gratis à Deo donatam pro malis etiam meritis, quasi malefactorum præmium esset condonatio peccatorum: & hoc admirabili commento, quod nulli mortalium unquam venit in mentem, præterquam *Luthero*, stat invictum *Esaiæ* testimonium adversus liberum arbitrium. Atque interim quam multa sibi sumit parum pudenter. Primùm *militiam* esse legendum, non *malitiam*, cum hujus rei non meminerit *Hieronymus*: Et LXX. verterunt ταπείνωσιν, id est, *humiliationem*, ut idem sit sensus utriusque translationis: nam & *afflicti* dicuntur *humiliari*, & *malitia* dicitur *afflictio*. Jam ut demus Hebræis haberi *militiam*, probabilius est significari duram illam ac fœdam Satanæ militiam, cujus stipendium, ut ait *Paulus*, mors est. Deinde quod hanc militiam interpretatur Legem, ut pro Deo supponat *Nabugodonosor*, qui legem imposuit servilem. Præterea quod duplicia recepta pro datis pœnis, quæ misericordi Domino videbantur ingentes, interpretatur pro peccatis & non servata Lege præmii loco donatam à Deo gratiam. Sic enim loquitur *Lutherus* in assertione, *Quid hîc dicent? Gratiam dicit à Domino non dari, nisi pro peccatis, scilicet pro malis*. Tolerabilius erat si dixisset, peccata fuisse commutata justitia, & in malitiæ locum successisse per gratiam pietatem. Ad hæc sumit Deum coactum fuisse tollere Legem, quam servare nemo poterat, cum Euangelium consummet Legem, non tollat. Nam pro *non occides*, dicit, *ne irascaris*. Et pro *ne pejeraris*, dicit, *noli omnino jurare*. Simul & illud, sub Lege non fuisse gratiam, neque quenquam eam servasse. Jam ut demus accipi posse duplicia reddita à Deo, non pœnas, sed gratiam & innocentiam, idque gratuito per fidem Euangelicam & baptismum, non tamen hæc pugnant adversus liberum arbitrium. Nec Diatriba negat Deum aliquoties dare gratiam, non ob merita præcedentia, sed ob sequutura, nimirum his in quibus scit gratiam suam non fore fustraneam: Postremo in amplectenda gratia dum pulsat, nonnihil agit liberum arbitrium: Item dum volens cooperatur, dum se non avertit. 183.

Arripit hoc quod obiter addidit Diatriba, *quamvis verum est, ubi abundavit peccatum illic superabundare gratiam, non tamen hinc sequi, quod homo ante gratiam gratum facientem, adjutus auxilio Dei, non possit se per opera moraliter bona præparare favori divino. Mirum*, inquit, *si è suo capite loquitur, ac non ex aliqua charta aliunde missa vel accepta decerpserit, libroque suo inseruerit Diatribe. Neque enim videt, neque audit, quid sua verba sonent*. Euge ut constanter sui similis est noster hyperbolus! Et pergit argutari, *Si per Legem abundat peccatum, quomodo per opera moraliter bona potest homo se præparare? Quomodo opera prosunt, cum Lex non prosit, aut quid est aliud per Legem abundare peccatum, quam opera secundum Legem facta esse peccata?* Primum Diatriba nullam ibi mentionem Legis facit, sed *Pauli* verbis abutitur ad generalem sententiam, concedens interim illorum interpretationem, qui *duplicia recepta* exponunt, innocentiam gratia conduplicatam, hoc est, non solum condonata peccata, verum etiam per *Christum* donatam justitiam. Nam ibi me non proprie de Judæis loqui declarat exemplum, quod sequitur de *Cornelio* Centurione, qui Judaicæ Gentis non erat. Et sæpe fit, ut qui fuerant insigniter peccatores, veluti Gentes idololatræ, publicani & meretrices, magis illustrent Dei gratiam. Id tamen non obstat, quo minus alii se præparent gratiæ justificanti, quemadmodum legimus de *Cornelio*. Hoc sensit Diatribe, quæ neque videt neque audit. Quod autem objicit de missa charta, utinam tam felix essem, ut eruditorum opera possim in hoc negotio juvari! Nam ea res cumprimis me deterret à scribendo, quod plusquam solus hoc negotium sustinere cogor. Quid videt aut audit *Lutherus*? Non prodest Lex? Multa sunt igitur mendacia in uno Psalmo, *Beati immaculati in via*. Rebellibus autem 184.

&

Digitized by Google

& insanabilibus, non solum * prodest, verum etiam officit. Quid autem sibi vult ænigma novum, *opera secundum Legem facta esse peccata?* Quo nomine igitur donabit contra Legem facta? An opera secundum Legem fieri possunt absque gratia? Porro offensus quod adjunxeram, *auxilio divino*, clamat, *Disputamus de divino auxilio, an de libero arbitrio? Quid enim non sit possibile divino auxilio?* Quis ferat hunc disputatorem ad singula verba conspuentem os contra differentis? Nam hîc quoque Diatriba contemnit causam quam agit, ideo stertit & oscitat. Si *Lutherus* fideret causæ suæ, quam vult videri optimam, non toties eam interrumperet plusquam scurrilibus convitiis. Quomodo possumus disputare de libero arbitrio, nisi juncta mentione gratiæ, per quam & quicum operatur? Quomodo disputat *Augustinus?* An non eodem modo sermonem temperat? Imo hoc ipsum habet *Augustinus*, quod Diatriba stertens & oscitans loquitur. Facit enim statum quendam medium inter injustitiam, & perfectam justitiam, cum homo bonis operibus velut ambit gratiam justificantem, & huc ipsum exemplum Centurionis adducit, quod hic irridet. *Scoti* sodales dicunt absque ulla gratia peculiari huc perveniri, qua sententia mihi liberum est uti si velim, nec eam damnavi. *Augustinus* mavult & in hoc transitu adesse gratiam præparantem duntaxat, non justificantem. Proinde quod *Lutherus* contendit *Cornelium* fuisse vere justum ante baptismum & acceptum Spiritum Sanctum, cum *Augustino* rixetur potius quam cum Diatriba. Sed ubi legit *Lutherus Cornelium* justum ac timentem Dei dictum? Actor. x. dicitur religiosus ac timens Deum. Ita citat qui nusquam stertit. Est autem & vana religio, & timor non semper est junctus caritati. Religiosus ac timens Deum erat *Paulus* dum persequeretur Ecclesiam Dei. Quis autem dixit *Cornelium* justum sine Spiritu Sancto? Quanquam est & humana justitia, quæ ad Euangelii jubar fit injustitia. Qui gratiam illi tribuit præparantem, num adimit illi Spiritum Sanctum? Utrum est absurdius facere justum sine Spiritu, an facere justum sine *Christo?* Reverebatur Deum & orabat. De *Christo* nihil audierat. Nec *Judæi* justificabantur, nisi fide in *Christum*. Quid autem sibi vult illa visio? *Cornelium* esse vere justum? An ea visio ad solum *Cornelium* pertinet, an potius ad omnes Gentes? Itane omnes Gentes significabantur jam esse mundæ, an potius à Deo destinatæ ut reciperentur in gratiam Euangelicam? Nam *Judæi* vocant *immundum*, non quod est inquinatum peccato, sed quod ducunt abominandum, veluti cibum vetitum appellant immundum, & quod tangere nefas est, vocant immundum, & mulierem in menstruo profluvio vocant immundam, etiamsi pia sit. Nonne pulchre hæc confutavit *Lutherus*, etiamsi nulla intercederet *Augustini* auctoritas?

185. Multa sciens prætereo, ne nullus sit disputandi finis, seu rixandi potius. Ventum est ad eum locum, *Omnis caro fœnum*, & cætera. Hîc iterum conspuitur *Hieronymus*, ac declamatur locus communis de tædio, cum ipse postulet à nobis, ut bono stomacho devoremus tam impotentes Scripturarum torturas, tot paradoxa lemmata, tot parerga, tot ecbases, tot sannas, tot convitia, quibus intolerabilis est etiam suis applausoribus. Sed ad fœnum redeamus, audituri Sophistam nugacissime nugantem. *Hieronymus* interpretatur *carnem* infirmam hominis conditionem, *spiritum* indignationem divinam. Hæc vere dixit Diatribe. Nunc audi Sophistam mire facetum: *Nihil-ne*, inquit, *igitur aliud habet indignatio divina, quod exsiccet, quam miseram illam & infirmam hominis conditionem, quam potius debebat erigere?* Ubi sunt hîc applausores hujus fabulæ? Nonne lepide lauteque noster miles? Dissimulat quod addidit Diatriba, *quæ nihil valet adversus Deum*, significans hominem naturæ dotibus inflatum erigere se adversus Deum, *& hanc elationem exsiccat Dei virtus, quemadmodum Auster exsiccat fœnum aut flores.* An non hoc eximie facetum? Mane dum addit quidam facetius. *Sed illud*, inquit, *pulchrius, flos fœni est gloria quæ nascitur ex felicitate rerum corporalium.* Judæi *gloriabantur templo, circumcisione, victimis*, Græci *sapientia: igitur flos fœni, & gloria carnis est justitia operum, & sapientia mundi. Quomodo igitur justitia & sapientia dicuntur res corporales apud Diatriben?* Habes alteram facetiam. Sed interim conjungit meam opinionem cum recitatione *Hieronymiana*. Hactenus recenseo Hieronymianam, *Siquidem hoc loco spiritum accipit* Hieronymus *pro indignatione divina, carnem pro infirma hominis conditione, quæ nihil valet adversus Deum, florem pro gloria, quæ nascitur ex felicitate rerum corporalium.* Huic Hieronymianæ sententiæ adjicio meam illi finitimam, de fiducia victimarum & Philosophiæ. Quod autem *Hieronymus* sentit de corporalibus bonis declarant illius verba, quæ sunt, *Et re vera si quis carnis fragilitatem adspiciat, & quod per horarum momenta crescimus atque decrescimus*, & cætera. Ac mox, *Quod dudum infans, subito puer, qui puer repente juvenis*, & cætera his consimilia. Quibus Diatriba adjicit quiddam altius, nec pugnans cum his, nec omnino idem, sed gradu distans potius quam genere. Quis enim nescit Judæorum observationes esse corporales, & justitiam hinc natam esse carnalem? Talis est & Philosophorum fiducia, quæ nititur humanis rationibus, ignara Spiritus cœlestis. Hîc quo sit locus calumniæ, templum, præputium & victimas vertit in justitiam operum, & indignatur hanc justitiam ac mundi sapientiam dici corporalem, etiamsi hoc non dixi, cum ipse fateatur totum hominem, & quod in eo est maxime spirituale, nil nisi carnem esse, cum *Paulus* toties appellet sapientiam carnis, humanam sapientiam, & justitiam carnis, observationem rerum corporalium. *Romanorum* VIII. *Sapientia*, inquit, *carnis inimica est Deo.* Et secunda ad *Corinthios* I. *Non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.* Hanc sapientiam alias vocat *sapientiam hujus mundi:* Et *Jacobus* vocat *animalem*, distinguens à spirituali. Et justitiarum carnis meminit scribens ad Hebræos. Reliqua sunt insulsiora, quam ut vel referenda sint. Nunc audiamus doctorem hyperbolicum, *Fœnum est populus, flos fœni est gloria populi. Cum confert populum Deo, hoc est, totum genus humanum, nonne significat infirmos & imbecilles, frustraque gloriantes adversus Deum?* Dic Sophista, Quid interest inter infirmam hominis conditionem, & hominem infirmum? Verùm ne nugis hujusmodi teramus tempus, donemus universos homines esse fœnum sive gramen, hujus florem esse, quicquid adest homini naturæ viribus, quid efficiet? Impium igitur affectum esse quicquid est in homine: nam hoc negat Diatribe, nec tamen suggillat *Philippum*, quem non nominat, & si suggillaret, quid erat periculi? Non est fas à *Philippo* dissentire? Vide tamen quam hoc ipsum verbis modestis significo: *Si quis contendat, id quod in hominis natura præstantissimum est, nihil aliud quam carnem, id est, affectum impium esse, huic facile assentiar, si id, quod asseverat, Scripturæ sacræ testimoniis doceat.* Atque id quidem tam modeste, suppresso etiam nomine dictum, ferre non potuit *Lutheri* stomachus: adeo gloriatur quod illud ingenium sibi δεδιδάχθαι, qua de re plurimi non mediocriter idque non sine causa dolent. Utinam felicem illam indolem optimis disciplinis natam non involvisset suæ tragœdiæ! Assentior quod est in homine præstantissimum, exarescere si contendat cum verbo Dei, cui si se submittat, efflorescet in vitam æternam. Et *Petrus* explicat Prophetæ sermonem esse parabolicum, sic referens, *omnis caro ut fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni.* Nec tam interpretatur de quibuslibet hominis partibus, quam de corruptis affectibus. Præcedit enim, *animas vestras castificantes in obedientia caritatis.* Et sequitur.

* Legendum videtur, *non prodest.*

Digitized by Google

Deponentes igitur omnem malitiam & omnem dolum, & cætera. Si *Lutherus* misotropos gaudet quam minimum à simplicibus verbis discedere, approbare debet hunc sensum. *Omnis caro*, id est, omnis homo, nondum renatus cœlitus, *est fœnum*, id est, res terrena, vilis, momentaneaque: *exaruit gramen*, afflatu divini Spiritus, vel immisso morbo, vel senio, vel alia calamitate, aut, si *Lutherus* patitur, vindicta: neque enim hîc urgebo aheneam regulam, qua nos docuit, *spiritus* vocabulum, quoties confertur ad Deum, sonare benignitatem, nisi forte Dei benignitas exsiccat hominem. Arefacto gramine, *flos*, id est, gloria, si qua est, levis & momentanea *decidit*. Verùm si gramen hoc inseratur *Christo*, fit arbor frugifera, nunquam marcescens, eo quod verbum Domini manet in æternum. Indicat hoc *Petrus* cum ait, *Renati non ex semine mortali, sed ex immortali per verbum Dei vivi & permanentis in æternum*. Et hujus arboris fructus attigerat ante, puritatem, obedientiam, caritatem, fraternum amorem, cordis simplicitatem. Quis igitur ferat eos, qui *carnis* vocabulum tribuunt homini quamlibet per gratiam purificato, & *carnem* interpretantur impium affectum. Taceo de Virgine matre, quam credimus ab omni carnis affectu fuisse immunem, de Prophetis, de *Johanne* Baptista, arbitror & hodie vivere quam plurimos, qui carent impio affectu. Aliud enim est odisse Deum, aliud minus quam oportet amare Deum: illud impietatis est, hoc infirmitatis humanæ. Jam ut demus hîc aliquem locum peccato originis, & ex hoc relictæ ad malum pronitati, aut naturæ incommodis, certe *Petrus* mali graminis fructus commemorat, jubens abjicere omnem malitiam, dolum, simulationes, invidiam ac detractionem. His vitiis ut maxima pars hominum ante gratiam fuit inquinata, ita non arbitror omnes æque fuisse corruptos. Alioqui si omnis homo habet impium affectum, habebat & is qui hæc vociferatur impium affectum. Dicet se sentire hominem Spiritu vacuum. Imo docet nos in hoc libro, cui respondeo, in non renatis impune regnare Satanam, in renatis esse regnum Satanæ sub regno Spiritus, eo quod caro etiam in sanctis concupiscit adversus spiritum. Si *caro* sonat impium affectum, & impietas est contumelia in Deum, nonne sequitur & in renatis esse impium affectum? Quod si pronitas ad peccandum est impietas, pietas erit propensio ad bene agendum. Ponemus igitur & in adultis non baptizatis pietatem, eo quod habent nativam propensionem indolis ad virtutem. Nam quod Gentes colebant *Jovem*, quem optimum maximumque vocabant, ex insitis à natura Religionis seminariis proficiscebatur, licet errarent in delectu personæ, rituque colendi. Proinde *caro*, quoties absque tropo sumitur, significat eam corporis partem, quæ mollior convestit ossa nervosque, per synecdochen accipitur pro toto corpore, ita dicuntur *in carne vivere*, qui supersunt corpore. Rursum per synecdochen sumitur pro toto homine, *& videbit omnis caro salutare Dei*. Et, *verbum caro factum est*: Item hoc loco, *omnis caro fœnum*. Eadem autem figura Hebræi *carnem* appellant hominem, qua Latini pro hominibus dicunt *mortales*, & Scriptura pro omnibus hominibus dicit *omni creaturæ*. Nam abusus generis pro specie addit epitasim orationi. Interdum sonat imbecillitatem aut affectum humanum, qui nonnunquam mere naturalis est, nonnunquam ad vitium inclinat, sed nec omne vitium impietas est, nec omnis ad impietatem proclivitas, dici potest impietas. *Habes*, inquit, *Scripturam quam exigis*. Quam? *Esaias magna voce clamat populum Spiritu Domini vacuum, carnem esse*. Audio. Sed impium affectum omnibus adesse non audio, nec audio Spiritu vacuum. Jam enim præcesserat, peccata illius esse condonata. Imo Propheta nihil excipit, sed *carnis* vocabulo signat hominem, & hanc sententiam in universos homines pronuntiat, eos nihil esse collatos ad Deum, ut mox docebimus. At ipse nego quod profiteor. Quid profiteor? Philosophorum gloriam esse florem fœni. Quid ni? Carnalis est illorum sapientia, non mirum si gloria similis est flori graminis, si conferatur cum verbo Dei. Quare carnalis? Quia animalis, insincera, in plerisque corrupta malis affectibus. Et tamen in his corruptis est summa quædam animi pars, quæ ipsos redarguit, eam appello τὸ ἡγεμονικὸν, id est, principalem. *Paulus* autem dividit hominem in tres partes, corpus, animam & spiritum: spiritum appellans quod Philosophi dicunt τὸ ἡγεμονικόν. Constat autem in Scripturis *carnis* vocabulum variis usurpari modis, ut modo demonstravimus. Hæc obiter attigit Diatribe, ut excluderet totum hominem nihil aliud esse quam carnem, etiam post acceptam gratiam. Quid porro facit adversum me *Joannes*? Dicit homines ex Deo natos fieri filios Dei, dicit quod natum est ex carne carnem esse, quod ex spiritu natum est, spiritum esse: & *Paulus* distinguit hominem carnalem à spirituali, & in *Christo* renatos appellat novam creaturam. Cur hæc refert Diatribe? Nimirum ut refellat improbum dogma, hominem etiam post gratiam nihil aliud esse quam carnem, hoc est, impii affectus. Nec statim fateor principalem hominis partem esse carnem, si plurimi gloria cæterisque cupiditatibus corrupti dilexerunt ea quæ carnis sunt. Sed *Johannes* dividit hominem in duas partes, in carnem & spiritum, imo vertit totum hominem à carne in spiritum. Alioqui quid est renasci, aut fieri novam creaturam? Et *Lutherus* committit duo regna, *Christi* & *Belial*. Verùm hæc omnia cum tropo dicta sint, non magnopere urgent in seria quæstione, cum allegoria plerunque sit incerta, nec undiquaque congruat. Verùm ubi est ille spiritus in homine qui non sapit carnem, cum *Lutherus* doceat totum hominem etiam post datam gratiam justificantem, nihil adhuc aliud esse quam carnem, nec aliud posse quam peccare, adeo ut cum Deus non aliter operetur in illo, quam faber in officina materiave, tamen non possit ullum opus bonum facere. Sed quod ex spiritu natum non est, caro est. Fateor. Ergo nihil aliud quam caro, ergo totus impius? Non assentior. Si concedit carnem sonare quiddam imperfectum & ad malum proclive, fatebor totum hominem esse carnem, non quod omnis hominis affectus sint vitiosi, sed quod nulla pars sit hominis quæ non egeat auxilio gratiæ, videlicet, ratio, voluntas, memoria, appetitus sensitivus. Non tamen illico quicquid ratio percipit, error est, nec quicquid voluntas eligit, impietas est, nec quicquid horret appetitve vis sensibilis, crimen est.

Hîc exspatiatur rursus in locum communem, debac- 187.
chans in me simul & omnes quos hic locus non convincit, ut fateantur nullum esse liberum arbitrium: ac nobis impingit dissimulationem vafram, qui fingamus nos velle doceri per Scripturas, cum nihil velimus minus. Obsecro qua de re postulavit edoceri Diatribe? Num an homo nondum renatus sit caro, & renatus an sit spiritus? Imo hæc & his similia loca produxit adversus *Lutheri* dogma, quo docet hominem quamvis renatum nihil aliud quam peccare. Verba Diatribes sic habent: *Si totus homo etiam renatus per fidem, nihil aliud est quam caro, & caro sonat, ut ipse vult, peccatum, ubi spiritus è spiritu natus, ubi filius Dei, ubi nova creatura?* Super his doceri velim. Quæ tandem est in his verbis dissimulatio? An mihi persuasam existimat sententiam tam absurdam, in qua sibi non constat ipse, nonnunquam dicens populum sine spiritu carnem esse, id est, impii affectus, interdum asseverans hominem quantumvis justificatum nihil aliud quam carnem esse, nec aliud posse velle quam peccare. Si caro peccat, & spiritus carni cohærens, quid est illud in homine renato quod dicitur spiritus? Si non est pars hominis, quomodo dicitur homo renatus? Hoc erat quod Diatriba cupiebat doceri testimonio Scripturarum. Proinde quis hic erat locus his quæ declamat adversus Judæos, negantes probari Scripturis, quæ *Christus* & Apostoli, & tota Ecclesia docuerunt, adversus hæreticos, qui nihil doceri possunt, adversus

Pa-

Digitized by Google

Papiſtas ſophiſtas & *Arianos*, *Proteos* & *Vertumnos*, adverſus eos, qui relicto quod eſt in manibus diſſerunt de Bello *Trojano*, niſi quod hujuſmodi convitiis ſagi-
188. natur. Urget, quod negavi τὸ ἡγεμονικὸν eſſe carnem. Etiamnum nego, hoc quidem ſenſu quo *Lutherus* carnem appellat. Atqui hoc quod anxie probat, ego propemodum conceſſeram. Quod urgebam non probat, ſed tantum aſſeverat. Verùm paſſis velis invehitur in Philoſophos, qui nec Deum noverint, mentiente *Paulo*, qui ſcribit contrarium, nec ullum habuerint ad honeſta nixum, cum tam multa ſanctiſſima præcepta tradiderint, ſolam turpitudinem eſſe malum, ſolam virtutem eſſe bonum, non eſſe boni viri injuriam injuria penſare, honeſtum propter ſe expetendum: quique de natura Dei, de præmiis ac pœnis piorum & impiorum tam multa prodiderunt Chriſtianorum dogmatibus conſentanea. Hîc rurſum nihil credo, & accerſitur *Lucianus* ἄθεος. Quis hæc non rideat? *Eraſmus* cum Orthodoxis, cum Eccleſia, cum ſacris Eccleſiæ Doctoribus, ſi non magnifice, certe ſimpliciter ſentiens, nihil credit & ἄθεος eſt, & *Lutherus* intelligit ac reveretur Scripturas, quas ſic torquet ad improbata dogmata. Exigit à me quis præſtiterit quicquam horum quæ propoſui. Aut ſi præſtiterunt, gloriæ cauſa præſtiterunt. Certe in *Socratem* nulla unquam gloriæ cecidit ſuſpicio, nec in *Epictetum*, nec in *Ariſtidem*, nec in *Catonem Uticenſem*. Et fieri poteſt, ut alii fuerint *Socrate* cæteriſque, quos recenſui, meliores. Verùm ne ſimus prolixiores, fingamus neminem præſtitiſſe, quod ego non ſumſeram, hoc ipſum tamen videre, quid ſit expetendum, deque eo tam accurate non ſine affectu ſcribere, id quod fecit *Seneca*, declarat in illis aliquam fuiſſe tum cognitionem, tum propenſionem ad honeſta. Quod ſi caro eſt proclivitas ad turpitudinem, certe hæc animi pars, qua iſta perſpiciebant, & expetenda judicabant, & aliqua ex parte expetebant, caro dici non poterat. Quanquam non patiar ullas Philoſophorum dotes conferri cum dotibus ſpiritus Chriſtiani. Et tamen hoc ipſum boni, quod erat in Philoſophis, Dei donum erat, dicente Paulo, *Deus enim illis revelavit*: & fortaſſe nonullis haud deerat gratia peculiaris ad juſtitiam. *Romani*, inquit, *gloriæ cauſa gerebant, ſi quid recte gerebant.* In *M. Antonino* Philoſopho nulla erat gloriæ ſuſpicio, ne in *Ariſtide* quidem, ut modo dictum eſt, aut *Phocione*, aut *Epaminonda*, aut *Catone Uticenſi*, aut *Bruto*. Sed eſto, non caruerunt omnino cupidine laudis. Ea res non officit virtuti. Nonne Theologi probant ejuſdem actionis honeſtæ, duos fines, alterum principalem, alterum ſecundarium, veluti dum concionator ſalario conductus, ſuſcipit aſſiduos labores in docendo populo. Si quis hos fines invertit, is peccat. Jam poteſt quis laudem cum laude petere. Quod genus ſit, ſi paſtor integritate vitæ factis ac dictis comparare ſibi ſtudeat bonam opinionem, gratiam & auctoritatem apud homines, non ob aliud niſi ut majore fructu fungatur ſuo munere. Sic arbitror multos Ethnicos multa præclara geſſiſſe tum privatim tum publice, primum quia judicabant hoc eſſe honeſtum, eadem facturi, etiamſi nullæ ſtatuæ titulive contigiſſent, & huc tamen ſpectaſſe, quo ſimul & ſuis relinquerent domeſtica virtutum exempla, & alios ad æmulationem recte factorum provocarent. Jam qui docuerunt, archetypum omnis honeſti proficiſci à mente Dei, quem quocunque nomine, ſummum bonum, & omnium bonorum parentem intelligebant, dum fatentur honeſtum propter ſe expetendum, utique Deo benefactorum gloriam tribuebant, non ſibi vindicabant. Verùm facile patiemur, illum debacchari in Philoſophos, niſi eadem prædicaret de iis qui per Spiritum renati ſunt. Id ni eſt quomodo peccat, etiam cum quod eſt optimum facit? Imo cum peccatum ſit quicquid in illo agit Spiritus juſtificans, & peccatum capitale ni ſuccurreret Dei miſericordia? Velim igitur & illud nobis expediat *Lutherus*, quî cohæreant inter ſeſe, quæ docet, nullum omnino bonum eſſe opus hominis, ſed juſtum in omni opere quantumvis bono peccare, & hominem per Spiritum renatum implere omnia præcepta Dei, atque adeo nihil non poſſe. Nam hoc poſterius tradit in hoc libro, ridens Diatriben, quæ ſola neſcierit, quod omnibus eſſet notiſſimum.

Nec erat opus nobis explicare tropum, quo caro 189.
dicitur carnalis, & Spiritus ſpiritualis. Carnalem imperfectum & infirmum dici nonnunquam conſtat, ut jam docuimus Apoſtolorum teſtimonio & *Corinthiorum* exemplo. *Lutherus* tamen aſſeverat, impium dici, quiſquis ſine ſpiritu Dei fuerit. Nam ideo dicit Scriptura donari ſpiritum, ut impium juſtificet. Ergo cum Apoſtoli die Pentecoſtes acciperent Spiritum Sanctum, ex impiis fiebant juſti? Sed ante inſufflaverat illis Spiritum, & priuſquam id quoque faceret, dicebat illos mundos propter ſermonem quem audierant. Sunt igitur juſtitiæ gradus, & variis modis agit in homine Spiritus. Sed *Lutherus* nuſquam recedit ab extremis. Quod ſi Spiritus excludit carnem, velut ignis aquam, redditque hominem ſpiritualem, quomodo ſpiritus fit juſtificatus homo, cum nihil adhuc aliud ſit quam caro, adeo ut non poſſit non odiſſe Deum, ac proximum, nec breviter aliud quam peccare? Si totus homo nondum juſtificatus caro eſt, hoc eſt, impius, igitur totus homo renatus ſpiritus erit, & nihil habebit impietatis, id quod negant *Lutheri* dogmata. Sed caro regnum Dei videre non poteſt. Si carnem accipis pro impio, fateor: ſi pro craſſo & imperfecto, nego. Apoſtoli carnales erant, & tamen in Judaiſmo probi. Si *Chriſtus* multo poſt fuiſſet natus, fuiſſent-ne illi alieni à regno Dei? Non arbitror, & tales erant plerique *Judæi*, quos tamen Dei benignitas recepit ad vitam æternam. Idem ſentiendum opinor de diſcipulis, quos *Paulus* reperit *Epheſi* baptizatos baptiſmo *Joannis*, juſſoſque credere in *Jeſum*, cum omnino neſcirent eſſet-ne Spiritus Sanctus. Hos ſi nemo docuiſſet ulterius, ſimplicem illorum fidem arbitror Deum boni conſulturum fuiſſe. Verùm *Chriſtus* adveniens attulit ſublimiorem quandam doctrinam, quam homines vel occupati pravis affectibus, vel rudes quidem, ſed nondum illuſtrati dono fidei, non capiebant, Euangelicam enim doctrinam appellat regnum Dei. Atque ut tales homines craſſos, qualis fortaſſis erat *Nicodemus*, carnales dici patiar; ita ſub regno Satanæ eſſe negarim. *Eſt-ne igitur*, inquit, *medium aliquid inter regnum Satanæ & regnum Dei?* Quid ni? Quandoquidem Satanas regnat in egregie malis, Spiritus regnat in perfectis: In medio ſunt, nutantes, incipientes, ac ad defectionem ſpectantes. Alioqui ſi regnat Satanas ubicunque peccatum eſt, *Joannes* Euangeliſta de piis loquens, negat quenquam immunem eſſe à peccato. Et à doctis annotatum eſt, quod *Paulus* non dixerit, *ne ſit peccatum in veſtro mortali corpore*, ſed *ne regnet peccatum.*

Nondum ſtatui utrum ineptior adverſarius, qui nu- 190.
gis hujuſmodi perdit & ſuum & aliorum otium, an ego ſtultior, qui tales nænias digner reſponſione. Audi pluſquam ſophiſticum nugamentum: *Donat Diatriba non omnem affectum hominis eſſe carnem, id eſt, impium, ſed exigit ut fateamur huic diverſam partem, quam rationem appellant Philoſophi, ipſe ſpiritum vocat, eſſe ſanam & honeſtam. Verùm hinc ô quanta*, inquit, *malorum tragœdia naſcitur, ut vilem faciamus Chriſti ſanguinem, quo tantum infima pars hominis ſit redemta, ſumma pars per ſe valeat, nec opus habeat Redemtore: ut Chriſtum*, inquit, *deinceps prædicemus Redemtorem, non totius hominis, ſed partis viliſſimæ ſcilicet carnis, hominem vero ipſummet ſui redemtorem in potiore ſui parte*, & cætera his affinia. Quis non malit audire rudentem aſinum, quam hunc diſputantem, ſi tamen hoc diſputare eſt? Quis dixit rationem ſimpliciter eſſe ſanam & honeſtam? At negavi hac parte cunctos homines totos eſſe impios. Alioqui per errorem ſæpe perperam judicat ratio. Non enim aſſuetudine vitiorum ſic ob-

Digitized by Google

ruta est, ut videatur prorsus exstincta, quod accidit his quos Deus tradidit in reprobum sensum. An non hæc in initio disseruit & hoc ipso loco dicit, nonne interjecit his hæc verba Diatribe, *Quanquam sæpe corrupta ratio male judicat, nec caligat solum, verum etiam frequenter est imbecillior, quam ut possit imperare cupiditatibus, & videns meliora, sequitur deteriora.* Hæc surdo *Luthero* cecinit Diatriba. Quantulum autem hoc bonum quod habet humana ratio, si conferatur ad *Christi* Spiritum? Sed *Lutherus* non novit aliam rationem exaggerandi Redemtoris gloriam, nisi ex homine faciat Satanam, aut si quid est Satana magis impium: nec meminit hoc ipsum, quod in homine residet boni, esse donum *Christi*, cujus tanta est benignitas, ut ingratis etiam & impiis non invideat sua munera. Abunde multum homo debet Redemtori, per quem liberatur à gehenna, per quem illustratur lumine fidei, accenditur igne caritatis, transformatur in filium Dei. Hoc quod reperit boni perficit, non exstinguit, & naturam absolvit, non destruit, quod sopitum est excitans, quod depravatum est corrigens, quod diminutum est explens. Si ratio pugnat cum affectibus, ad inhonesta proclivibus, necesse est ut aliquousque prospiciat, probetque quod sit honestum. Hanc partem Scholastici haud scio unde hausto vocabulo *synderesim* appellant, quæ manet etiam in sceleratissimis. Unde alioqui, quod qui nondum venerunt in profundum malorum, ut exsultent in rebus pessimis, sic sibi displicent admisso flagitio? Unde rubor in adolescentibus deprehensis? Unde sensus ille voluptatis in eo qui servavit periturum, aut insigni quopiam beneficio juvit proximum? Hæc enim litteris prodita sunt & ab Ethnicis, hodieque in se sentiunt etiam mundo dediti homines. In comœdia displicet sibi *Phædria* ratione pugnans cum morbo suo, in hunc loquens modum, *Vivens, sciens, prudensque pereo. Ejicienda est hæc mollities animo, Nimis mihi indulgeo.* Audis scintillam rationis. Item in tragœdiis cum *Medea* aut *Procne* parat jugulare liberos, aliud loquitur naturæ pietas, aliud ira. Quibus autem verbis *Myrrha* & *Byblis* adversus incestas animi flammas litigant? Quod idem videmus in *Didone*, in qua ratio dicit: *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat*, &c. *Ante pudor quam te violem & tua jura resolvam.* Hæc apud Poetas tam multa reperiuntur, qui penitissime noverunt, ac scitissime depinxerunt affectus hominis. Unde in Ethnicorum theatris illi faventes applausus & acclamationes, quoties repræsentatur exemplum, aut pronuntiatur sententia, declarans insignem pietatem in parentes aut patriam, pudicitiam inexpugnabilem, fidem incorruptam. Unde tumultus in illum qui versibus aliquot prædicabat aurum, ut explodendus fuerit histrio, nisi Poeta assurgens commonuisset populum, ut exspectaret, quem exitum habiturus esset ille auri admirator. Dices, facile est applaudere aut obsibilare. Sed unde lachrymæ, quas viris etiam excutiunt insignia virtutum exempla? An non ista declarant homini penitus insita virtutum semina, quæ per occasionem mota vim suam exserunt? Huc spectat illud *Platonis* ænigma, de animabus è cœlo in corpora delapsis, quæ per sensibiles pulcri imagines, ad illius summæ pulcritudinis recordationem expergiscuntur. Et si Peripateticis credimus, affectus, quos Stoici morbos appellant, in hoc dati sunt à natura, ut in his, in quibus nondum absoluta est ratio, stimuli sint ad virtutem: velut ira calcar addit ad fortitudinem ac justitiam, invidia ad æmulationem recte factorum, misericordia ad subveniendum oppressis, caritas erga liberos ad liberalem educationem. Quid igitur est illud quod excitatum adeo gliscit, nisi summa rationis pars penitus insita cunctis hominibus? Hæc scintilla manet etiam in depravatissimis. Optat *Balaam* exitum Israelitarum, *Judas* agnoscit admissum prodito Domino, ac de se sumit pœnas: In tanta impietate vivebat adhuc naturæ ratio. Est igitur aliquid in homine, quod non omnino careat sensu honesti. Nunc mihi vide *Lutheranas* hyperbolas, atque etiam technas. Diatriba primum agens de Philosophis, hoc est, Ethnicis, docet rationi, hoc est, animæ parti principali, inesse nixus quosdam ad honesta. Cæterum quod Philosophi vocant rationem sive τὸ ἡγεμονικὸν, *Paulus* appellat *spiritum*, & quod illi vocant πάθη sive *morbos*, *Paulus* appellat *carnem*, medios affectus, hoc est, mere naturales appellat animam 1. *Thessal.* v. *ut integer spiritus vester, & anima & corpus sine querela*, &c. Spiritus amat quæ Deo grata novit, Caro quærit vindictam, voluptates & honores hujus mundi, Anima in medio posita utrocunque se flectit, in hoc vertitur, cui semet applicuit. Diligere uxorem, curare liberos, est nobis cum brutis quoque commune, non modo cum Ethnicis. Si hunc affectum temperamus ex voluntate Dei, fit spiritus. Si caritate uxoris aut liberorum negligimus præcepta Dei, fit caro. Hæc *Lutherus* commiscuit. Neque enim Philosophi vocant summam animi partem spiritum, sed mentem aut rationem. Neque *Paulus* appellat quamvis rationem spiritum, sed eam quæ jam afflata est gratia. Quoties enim de malis loquitur Scriptura, spiritum accipit pro carnis affectu. Habes technam: Nunc hyperbolas accipe. Diatribe dixit etiam in Ethnicis inesse nisum quendam ad honesta, iste interpretatur in Ethnicis esse partem, quæ tota sana sit, nec egeat Redemtore, quasi nixus hic naturæ sit absolutus, possitque quicquid alioqui præstat gratia *Christi*, ut homo supra *Christum* ac Diabolum extollatur, hoc est, fiat Deus Deorum & Dominus dominantium. Hujusmodi portenta nobis gignit suis hyperbolis. Nam si ratio per peccatum originis obscurata, perspicit tamen adhuc aliquid ceu per nebulam, & nonnullos habet nisus, licet inefficaces, ad honesta: deinde cupiditatibus aggravata, plerunque succumbere cogitur, protinus tota hominis ratio non eget *Christo?* Hæc à me differta in initio dissimulat. Insunt hominis menti semina virtutum licet corrupta, ergo ne tota hominis mens undique sana est, perspicax, libera, omnipotens ad judicandum, eligendum, efficiendum quicquid velit? Talibus enthymematibus vincit *Lutherus*. *Et ubi est probabilis*, inquit, *opinio, liberum arbitrium nihil posse velle bonum?* Nihil hîc diversum adfero, Tota Diatriba sequor opinionem illorum, qui dicunt voluntatem hominis inefficacem esse ad consequendam salutem absque gratia. Idem nunc fateor nisum ad honesta, seminaque virtutum in homine relicta, egere auxilio gratiæ divinæ. Quanquam illa ipsa semina manant à dono Dei, unde est totus homo. Eat nunc & tragicis vocibus intonet lymphato similis. Et adjicit quiddam ridiculum. *Hoc dico*, inquit, *ut iterum videas, quanti periculi res sit, sacra ac divina tentare sine Spiritu Dei, temeritate rationis humanæ.* Omnes Ecclesiæ Doctores temeritate rationis humanæ feruntur, *Lutherus* agitur Spiritu Dei. *Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.* Post hæc tam nugalia triumphat, *Igitur*, inquit, *si* Christus *est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, mundum totum sub peccato, damnatione, & Diabolo esse sequitur, nihilque prodest distinctio partium principalium & non principalium. Mundus enim significat homines mundana sapientes partibus omnibus.* Quid hîc aliud quam fortiter affeverat? Fatemur in hominibus hujus mundi nihil esse quod non egeat gratia, sed impium esse quicquid homo vult, aut agit naturæ viribus, fortiter negamus. Quicquid autem impium est, mortiferum est: at non quicquid mortuum est, statim & mortiferum est. Fatemur & illud, hominem nihil habere puri, si ad Dei puritatem conferas, nihil sapere, nihil posse, nihil esse. Hac professione contenta est Ecclesia, quæ *Luthero* non est satis.

Is quo vehementer attolleret gratiæ magnitudinem, ex homine propemodum fecit Satanam, non alia arte, quam qua pictores imperiti quo lucem addant quibusdam, adjungunt in proximo umbram, non intelligens in- 191.

Digitized by Google

interim, quod dum hac exaggerat Dei gratiam, altera ex parte elevat. Nam & quicquid in homine reſidet ex natura condita, (reſident autem magnificæ dotes, id quod tot diſciplinarum inventio perfectioque, tot rerum pulcerrime geſtarum exempla, tot de recte vivendo præcepta docent) divinæ benignitatis eſt. Cum igitur hominem nondum renatum totum faciat carnem, hoc eſt, impium, ſequitur ut renatus ex Spiritu, totus fiat ſpiritus. Nunc *Lutherus* etiam renatum nihil aliud propemodum facit, quam carnem. Super hac re Diatribam poſtulantem doceri, qui fiat, ut qui ſpiritus natus ſit ex ſpiritu, etiamnum maneat caro, ſatis proeaciter deridet, negans hoc in ipſius dogmatibus inveniri. Atqui cum docet quamlibet juſtum in omni opere quamlibet bono nihil aliud quam peccare, & quidem damnabiliter, niſi miſericordia crimen verteret in venialem culpam, nonne docet hominem etiam renatum, hoc eſt, juſtum, nihil aliud eſſe quam carnem, ſemper peccantem, & adeo carnem, ut Spiritus Sanctus in eo operans, nihil aliud efficere poſſit, quam peccatum, ob materiæ malitiam. Veluti peritus faber mala ſecuri facit malum opus, aut ex putri materia vas inutile. Itaque quod attinet ad ipſum hominem quamvis renatum, totus eſt caro, nec aliud quam peccat. Unde ſequitur, totum eſſe carnem, & in eodem homine regnare Spiritum & Satanam, ſed Satanam eſſe ſuperiorem, per quem non licet Spiritui per ſuum organum quicquam boni operis facere. Quid quod idem propemodum fatetur hoc ipſo loco, loquens hunc in modum, *Deinde renatum non amplius carnem eſſe dicimus, quam ſecundum reliquias carnis, quæ adverſantur primitiis accepti Spiritus.* Si reliquiæ tantum valent etiam poſt acceptum Spiritum, ut homo in opere quantumvis bono, totis viribus adlaborans ut bene faciat, peccet, etiam capitaliter quod quidem in ipſo eſt, nonne fatetur totum hominem nil niſi carnem eſſe? Quæ ſunt fructus carnis, niſi peccata? Quid igitur aliud eſt quam caro, unde præter peccata nihil proficiſcitur? Eat nunc & objiciat nobis vel profundam rerum ignorantiam, vel pondere rerum ſic preſſum & confuſum animum, ut parum meminerit, quid vel pro me, vel adverſus iſtos loquatur. Et hæc nobis ingerit, qui toties ipſe ſui oblitus ſecum pugnat in ſcriptis ſuis, nonnunquam & in eodem articulo, quod à tam multis oſtenſum etiam editis libris, perquam facete diſſimulat, & otioſis ſalibus ludit in alios. Jam & illud male habet hominem, quod in Diatriba teſtatus ſum me Veterum auctoritate velle abuti, ut credam inſita mortalium animis virtutum ſemina, donec aliquis doceat certiora. Ac videor illi nullam habere curam Religionis, qui credam hominibus. Ita-ne qui credit probatis Eccleſiæ Doctoribus, credit hominibus, qui *Lutherum* ac *Wiclephum* ſequitur, Deum habet ducem? Et quod illi Veteres citant ex Scripturis ſomnium eſt, quod interpretatur *Lutherus* oraculum eſt? Nonne hæc ſunt egregie ſuavis cujuſdam philautiæ? Deinde cum Eccleſiæ Religio tot ſeculis conſtiterit, adorans & glorificans *Chriſtum* principem ſuum, hic demum in fine ſeculorum injiciet nobis curam Religionis? Sed priuſquam ab hoc loco digrediar, admonendus eſt lector quicquid hîc diſſertum eſt de carne & ſpiritu hominis, propemodum extra cauſæ ſepta diſſertum eſſe. Conſtat enim apud *Eſaiam* clamantem, *Omnis caro fœnum*, carnem ſimpliciter pro homine poni, quemadmodum ſuperius in eodem Capite, *Et videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum eſt: fœnum* pro creatura infirma temporariaque, quæ nihil valeat adverſus Deum creatorem, etiamſi totis viribus nitatur, potentia, ſapientia, falſa religione, magicis artibus. Unde ſimul & conſolatur populum ſuum, ne quid metuat idola aut Reges Gentium, minitantes acerbiora, quaſi futuros impedimento, quo minus Deus liberet populum ſuum, modo Deum habeant propitium: nihil enim illas valituras, ſi Deus nolit: Et deterret Gentes, ne fruſtra Deo rebellent, qui condidit ac moderatur nutu omnia, neque fidant ſuis Diis factitiis, ſed illum metuant, qui nutu ſolo poteſt univerſa quamvis fortia in nihilum redigere. *Fœni* vero *florem* appellat fiduciam alibi quam in Deo collocatam, *Spiritum inſufflatum*, exſertam Dei potentiam ſive vindictam. Explicat enim mox quod hîc per ſimilitudinem dixerat: *Et quidem neque ſatus, neque plantatus, neque radicatus in terra truncus eorum. Repente flavit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos.* In Cap. xxxix. Dominus per *Eſaiam* prædixerat futurum, ut opes *Ezechiæ* Regis transferrentur in *Babylonem*, id factum eſt, fruſtra obnitentibus *Judæis*. Hic prædicit reditum ex *Babylone*, ac Templi ſimul & Urbis inſtaurationem, quam multi ſunt impedire conati. Et hoc argumentum perpetuo tenore, multis tractatur Capitibus, in quo tamen vaticinium eſt, de adventu *Chriſti* & Eccleſia per eum innovanda. Sed quid hæc adverſus liberum arbitrium? *Tribuitur*, inquit, *aliquid homini, quo glorietur:* Imo tribuitur de quo gratias agat, quando quicquid habet homo, Dei munus eſt. Alioqui poteſt qui ſtultus & impius eſt de cæteris naturæ dotibus gloriari, forma, valetudine, viribus, ingenio, memoria. Quanquam & de his licet & in Domino gloriari. Sic autem gloriari eſt illi pro ſua largitate gratias agere. Hunc in modum de libero arbitrio gloriati ſunt orthodoxi Patres, quiddam in homine relictum à Deo, quod vel gratiæ capax eſſe, vel gratiam emereri queat, non ignorantes interim, totum hominem eſſe in manu Dei. Quorſum autem attinet tollere liberum arbitrium, ne qua ſit materia gloriandi, cum de gratia quoque poſſint & ſoleant homines inſoleſcere. Ad hanc inſolentiam vitandam, non erant docendi nullum eſſe liberum arbitrium, quemadmodum ingenio felici præditis non perſuademus nullum illis eſſe ingenium, ſed monendi potius, liberum arbitrium eſſe Dei munus, quo niſi recte utantur, imputandum ad damnationem æternam.

Tuetur locum *Hieremiæ* x. *Scio Domine quoniam non* 192.
eſt hominis via ejus, &c. Hîc bene habet quod citaram *Hieronymum*, alioqui vapulaſſem, taxat tamen abſque nomine neſcio quem magnæ auctoritatis virum. Et ego tamen audio, *Sat eſt*, Eraſmus *dicit, ergo ſic eſt.* Poſtulat autem ex ſerie ſermonis doceri ſenſum Prophetæ. Id itaque fiet, ſi dignabitur auſcultare. Oſtenderat non eſſe metuendum à Diis gentium ſaxeis ac ligneis, ne recederent à cultu Dei vivi, quem hactenus eſſent profeſſi, hoc certe meliores Gentibus, quanquam alioqui variis peccatis commeruerant iram Dei, per quam affligebantur à *Babyloniis*, & videbantur majora imminere mala. Præcipuam autem mali cauſam fatetur eſſe Paſtorum, id eſt, Principum impietatem, qui fiduciam ſuam non poſuerant in Deo, ſed in falſis Prophetis, ſortilegiis & viribus ſuis; ita factum, ut & populus afflictus ſit. Agnoſcens igitur *Hieroſolyma* magnitudinem culpæ ſuæ, metuenſque extremum exitium, abjicit eam fiduciam, confugiens ad Domini miſericordiam, dicens: *Scio Domine, quoniam non eſt hominis via ejus, nec eſt viri, ut ambulet & dirigat greſſus ſuos*, hoc eſt, non eſt in manu noſtra vel cavere ne incidamus in afflictiones, vel ab iis ad res proſperas emergere: hoc tibi in manu eſt, Domine, qui noſti quid expediat homini. Agnoſcimus culpam, nec recuſamus ferre manum caſtigantis, tantum hoc oramus, ut juſtam iram tuam miſericordia temperes, ne forte ad nihilum redigas nos. Habet gloſſam non diſtortam, ſed ex ipſo ſermonis tenore natam. Divus *Hieronymus* videtur hæc verba ad *Babylonios* referre, ſubjiciens hoc commentum: *quod à* Babyloniis *ſuſtinemus, non eſt eorum fortitudinis, ſed noſtri meriti & indignationis tuæ.* Confer lector noſtram interpretationem cum Cap. x. videbis ad unguem quadrare: confer *Lutheranam*, videbis violentam prorſus ac ferream. Verùm donans, ut ad rerum lætarum ac triſtium eventus pertineat, ſic argumentatur, *Si eventus rerum temporalium, quarum dominium homini traditum eſt* Gen. i. *non eſt in manu noſtra, quomodo eris*

Digitized by Google

in manu noſtra res illa cœleſtis gratia Dei? Atque hîc exſpatiatur in locum communem, proferens etiam *Codrum* in medium. Ut rem in pauca conferam: Non hîc tantum ſpectatur magnitudo rei, ſed ratio. Ab externis eventibus non pendet ſalus hominis, imo triſtia ſæpenumero ſunt utiliora jucundis, ſecus eſt de his, unde pendet æterna ſalus hominis. Multos innocentes diſcruciatos & occiſos legimus ita volente Deo, ſed immeritos conjici in gehennam ab uno *Luthero* didicimus. Ad hæc hominum conatus aliorſum exiſſe, quam illi deſtinarant crebro legimus in Scripturis, veluti de *Joſeph* & *Pharaone*, de *Judæis* conantibus abolere nomen *Jeſu*: ſed in iiſdem legimus accuſari voluntatem impiorum, ſua ſponte pereuntium, neceſſitatem *Lutheranam* non legimus. Quis autem dixit, Dei gratiam eſſe in manu noſtra? Ipſe diſpenſator eſt ſuorum munerum, ut ait *Paulus*, diſtribuit cuique prout vult: ſed eam dicimus eſſe Domini bonitatem erga genus humanum, ut nulli velit deeſſe gratiam ſuam, modo ne averſetur ipſe. Atque hoc ipſum quod homo poteſt naturæ viribus, gratia eſt. Ut omnia diſputator hic trahit ad hyperbolas. Homo poteſt conſequi gratiam, ſi per liberum arbitrium ſe præbeat pulſanti gratiæ. Ergo, inquit, Dei gratiam habet in manu. Imo ergo Deus benignus eſt ac juſtus, nec damnat niſi commeritum. Similis hyperboles eſt illud, *Minor*, inquit, *Diatriben*, *quæ illud* Wiclephi, *omnia neceſſario fieri, adeo perſequuta hactenus, nunc ipſamet concedit eventa eſſe neceſſaria nobis*. Quantum tædii diſputare cum hujuſmodi ſpermologo. Si quis ingurgitet ſe multo mero, huic in manu eſt, ut inebrietur. Si quis profundat ſua, huic in manu eſt, ut egeat. Verùm negavi ſemper evenire quod homo deſtinavit, & iſte colligit nihil evenire. Sed finge in hoc rerum genere nullum eſſe noſtrum arbitrium, quid hoc ad præſens argumentum, à quo rerum eventa ſeparavimus?

193. Divus *Hieronymus* ex hoc *Hieremiæ* loco rejicit eos, qui cum *Pelagio* ſentiebant. *Erubeſcant*, inquit, *novi prædicatores, qui ajunt unumquenque ſuo arbitrio regi.* Ergo donavimus quidem, ut Prophetæ verba interpretemur de libero arbitrio, negantes tamen hinc probari neceſſitatem, cum id nemo non fateatur, hominem abſque Dei gratia non poſſe tenere rectum vitæ curſum. Nam & oramus quotidie, *Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam*, nihilo ſecius tamen annitimur interim & ipſi pro viribus. Oramus, *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua*. Qui petit auxilium, non deponit conatum. Hîc cum *Lutherus* ſimpliciter non intelligat quid agat Diatriba, tamen valde ſcurriliter geſticulatur. *Obſecro*, inquit, *an nos irridet, an luaificatur Papiſtas?* Non eſt mirum hominem ſic ineptire, ſed ineptiis hujuſmodi nunquam ſatiari mirum eſt. Diatriba ſentit illic de homine jam illuminato, qui non poteſt tenere rectum vitæ curſum, niſi auxilio gratiæ, & ideo præſidium hujus aſſidue implorat, annitens interim & ipſe pro viribus, utique per liberum arbitrium. Quod ſi homo juſtificatus non poteſt perſeverare ſeu perficere abſque gratia, nec tamen interim ceſſat liberum arbitrium, conſequitur *Hieremia* verba non excludere liberum arbitrium. Nam *dirigendi* verbum auxiliantis eſt, non neceſſitatis. Et *non eſſe in manu noſtra*, declarat gratiam noſtræ voluntati cooperantem. *Probandum*, inquit, *fuit, an nos viribus noſtris nitamur, & probat quod orans aliquid conatur.* An hoc novum eſt, ut laborans imploret auxilium Numinis? Nauclerus moderatur velum & clavum, optans interim à Deo ventos, quos in manu non habet, quod in ipſius eſt poteſtate ſedulo confert. Diſſimulo interim novum dogma quod hic admiſcet, ſpiritum orare in nobis, non nos. Fingamus Diatriben loquutam de homine vacuo gratia, an non orant frequenter, qui tamen adhuc ſunt in affectu peccandi? Et an non conatur, qui eleemoſynis, lectione ſacra velut ambit Dei gratiam, vel ſolis naturæ viribus, ſi Scholaſticis credimus, quam opinionem nunquam rejeci, citius eam amplexurus, quam *Lutheranam*, auxiliante gratia pulſante, juxta eos qui propenſiores ſunt ad exaggerandam Dei gratiam: quanquam ſi quis poſita contentione rem propius inſpiciat, minimum intereſt inter has duas opiniones.

Quod eſt Proverbiorum XVI. *Hominis eſt præparare* 194.
cor, &c. Diatribe reſponderat & hoc ad eventa pertinere: Hic requirit auctorem, & ſi quando nomino auctorem, flagellat eum convitiis. Verùm hoc quod adfero ſermonis tenor approbat, *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Agit enim illic, ne homo ſuis fretus viribus, negligat auxilium gratiæ, ſine qua nihil poteſt homo perficere. Velut Apoſtoli cum dicerent cauſam apud Præſides, animum promtum exhibebant gratiæ, Dominus gubernabat linguam. In præparando locus eſt libero arbitrio, quia non avertit ſeſe à gratia, dictionis eventum moderatur ſuo conſilio Deus. Hoc quod partim in nobis ſitum eſt, exigit à nobis Deus, eventum ſibi vult relinqui. Quod ſi animus ſit bonus, eventus quiſquis erit, infelix eſſe non poterit: Sin malus, fallet ſeipſam impietas. Eoque ſequitur, *Omnes via hominum patent oculis ejus. Spirituum ponderator eſt Dominus.* Talis igitur erit eventus, qualis eſt animus. Ideoque monet, ſi velis exitum eſſe felicem, exhibe Domino ſincerum animum, ac velut illo teſte fac quicquid facis. *Revela*, inquit, *Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* Quod ante dixit, *præparare animum*, hîc appellat *revelare cogitationes*. Habet *Lutherus* quod unum recipit, ex ſerie ſermonis expromtam ſententiam. Quid autem agas cum hoc diſputatore? Si cites auctorem, arripit occaſionem blaſphemiæ: ſi nullum cites, ridet ſomnium noſtri capitis. Deinde magna cum auctoritate ſuam profert interpretationem, pro ſua libidine contortam. Hîc iterum triumphat tali ſyllogiſmo: *Si libertas*, inquit, *arbitrii in rebus & operibus noſtris nulla eſt, multo magis nulla eſt in rebus & operibus divinis.* Quis, obſecro, dixit in operibus humanis nullam eſſe libertatem arbitrii? Dixi rerum exitus non ſemper pendere ex noſtro arbitrio. An Medicus ideo caret libero arbitrio in medendo, quia moritur quem ſperabat revaliturum? Et hic diſputator ridet perpetuo Diatribes acumen. Dixerat, *Quomodo eſt hominis præparare animum, cum* Lutherus *affirmet omnia neceſſitate geri?* Reſpondet homo acutus, *cum eventa rerum non ſint in noſtra poteſtate, quomodo eſt hominis res gerere?* Reſpondeo viciſſim, quando rixandum eſt, qui dat pecuniam filio, ut emat Euangelicum codicem, cum ille commercetur ſcortum, utrum libero arbitrio dedit, an non? Fatebitur dediſſe. Nam in his rebus concedit liberum arbitrium, & tamen fefellit eventus. Quomodo igitur dare pecuniam fuit in illius arbitrio? Tam eſt acutus, ut non diſcernat actionem rei gerendæ ab eventu. At ſi *præparare cor*, eſt hominis, conſequitur aliquam hujus rei partem eſſe ſitam in arbitrio hominis. Quod ſi neceſſario Deus præparat animum, & gubernat linguam, dixiſſet, *Dei eſt & præparare animum & gubernare linguam.* Hîc exſpatiatur in locum communem, tanto attentius nobis adlaborandum, quod rerum eventus ſit incertus, quaſi nos aliud ſuaſerimus. Quod ſi loquitur de eventu ſalutis æternæ, extra oleas currit, cum Diatriba de hac non agat. Quanquam equidem citius tribuerim pio viro fiduciam bonam, quam certitudinem. Citat Eccleſiaſten, *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſes*, &c. Sed interim utitur verbis imperandi, quæ in Scripturis nihil ponunt. Quid autem hortatur hominem ad operandum, qui nihil agit, ſed tantum patitur? Cur colligit ex hoc verbo *ſemina*, homini operandum eſſe, cum imperandi verba nihil aliud declarent, quam non poſſe fieri quod præcipitur? Videtur autem ſibi belle rem moderatus hac diſtinctione: *Nobis*, inquit, *ſunt incerta cognitione, ſed neceſſaria eventu. Neceſſitas nobis timorem Dei incutit, ne præſumamus & ſecuri ſimus, Incertitudo vero fiduciam parit ne deſperemus. Qui maxime ſtatuunt liberum arbitrium, fatentur neceſſe ut alter-*

Digitized by Google

terutrum eveniat, nimirum ut homo vel ſervetur, vel pereat. Id igitur ad incutiendum terrorem ſatis eſt, etiam poſito libero arbitrio. Quis autem unquam dixit, incertitudinem parere fiduciam? Fortaſſis adimit extremam deſperationem. Etiamſi *Paulus* certus eſt, ipſi repoſitam juſtitiæ coronam, ut hîc obiter notem *Lutheranorum* inconſtantiam. Sed uter futurus eſt ad agendum alacrior, is-ne cui perſuaſum eſt, ſive ſerat, ſive non ſerat, proventuram meſſem, ſi Deus voluerit: an qui credit, citra ipſius operam nihil proventurum, ſed laboranti non defuturum cœli favorem? Rurſus uter ſtudioſius ambiet dignitatem, is-ne qui ſcit Regem eam alterutri deſtinaſſe, ſive mereatur, ſive non mereatur: an qui credit Regem ei daturum, qui ſe maxime dignum præbere ſtuduerit ipſius favore. Reliqua ſtolidiora ſunt, quam ut recenſere libeat. Et properandum
195. eſt, ne tædio lectorem enecem. Jam illud ex eodem Capite, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, &c. defendens, miror cur tantopere horreat fateri, Deum creare impium, cum ante ſit ingenue faſſus, Deum quotidie gignere impios homines: ſed ſenſit, opinor, de Dei operatione aſſidua in rebus propagandis. Sic igitur interpretabimur, *Operatus eſt impium*, id eſt, operatus in impio ad diem malum, aut operatus eſt impietatem ad diem malum. At quanto ſimplicius eſt, quod exponit Diatriba? Antea dixerat, *Revela Domino viam tuam, & dirigentur cogitationes tuæ*, hoc eſt, eſto ſincero animo coram Deo, & ille dabit bonum exitum. Hoc ad pios pertinet: Ad impios autem pertinet quod ſequitur, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Ut prior illa pars pertineat ad naturas rerum & ad bona, poſterior ad impios, qui non revelant Domino viam ſuam, ſed credunt ſe ſuis conſiliis eo perventuros quo volunt. Verùm hos manet infelix exitus, ita Domino moderante rerum eventus, ut impiorum etiam malitiam vertat in gloriam ſuæ bonitatis ac juſtitiæ, ſimulque in bonum electorum, quos alieno ſupplicio reddit cautiores. *Malum* enim *diem* vocat infelicem exitum. Et hanc habet interpretationem ex ipſo ſermonis tenore nullo auctoris nomine, ne provocetur ad blaſphemiam. Quid igitur hic locus facit adverſus liberum arbitrium? Conſilia impiorum habent infelicem exitum, an ideo nihil agunt per liberum arbitrium?

196. Proximo Capite dum tuetur illud Prov. xxi. *Cor Regis in manu Domini*, tantum aſſeverat, ſed offenditur coactionis verbo, quod toties objicit Diatribæ, recinens illam diſtinctionem, de neceſſitate coactionis & immutabilitatis, cum ea apud nullum legatur Theologum, ut antea declaravimus. Atqui ipſe in aſſertione ſua, non horruit hanc vocem coactionis, dum ſic loquitur, *Quis audet negare, ſe etiam in malis operibus ſæpius coactum aliud facere quam cogitavit?* Et hîc ubi fatetur, cor Regis violento impetu ſic rapi ad hoc aut illud agendum, ut non poſſit ſeſe alio deflectere, non fert verbum coactionis, præſertim cum adducat exemplum de *Balaam*, qui diverſa compulſus eſt dicere quam volebat. Quod exemplum cum ſit ſingulare, niſi patiamur ad omnes pertinere, negat ulla exempla in Scripturis poſſe ſubſiſtere. Ad hæc male habet hominem quod Diatriba dixerit, hujus generis teſtimonia permulta colligi poſſe ex ſacris Litteris, præſertim gnomologiis, quæ commoda interpretatione huc aut illuc deflecti poſſint.

197. Hic protinus aperit ſe campus debacchandi in Rhetores, qui doceant artem depravandi ſacras Litteras, cum nullus adhuc exſtiterit, qui violentius tractarit eas quam ipſe. Subeſt & nonnihil vel ſtomachi, vel emphaſeos in nomine *Lutheri*, quod toties repetit μιμητικῶς, quaſi non oporteat *Lutherum* abſque præfatione honoris nominare. Si indignatur nominari *Lutherus*, quid faceret ſi deſignaſſem eum iis titulis quibus deſignant alii? Niſi forte placet *Eccius*, qui *Lutherum* vertit in *Ludderum*. Cum ipſe toties ſcurretur in dominam Diatribam, non fert ſimpliciter appellari *Lutherus*. O delicatum animum! Atqui quoniam in Diatribæ perſonis tam inſigniter erravit, coactus ſum ipſa re ſubinde *Lutheri* nomen inculcare, ne quod ipſius eſt adſcriberet *Paulo*. Negat me hactenus ullum gregarium militem ſuperaſſe, cum præter duo triave loca, vix ulla fuerint reſponſione digna. Sed quis unquam mortalium refellit vel unam *Lutheri* ſententiam, quam vel ludens effutierit, tanta eſt oraculorum majeſtas. Ventum eſt igitur tandem ad *Achillem Lutheri*, quo mire ſe venditat in aſſertione. Hîc primum impingit Diatribæ, quod ſtuduerit ſibi vindicare gloriam, quaſi prima docuerit, *nihil*, accipi pro eo quod eſt, nullius per ſe momenti. Unde id colligit? quia non nomino auctorem? Atqui id *Lutherus* non fert: Ex locis igitur Scripturarum doceo quod ajo, nam hoc exigit ipſe. Etſi nihil tale legiſſem apud alios, quid magni erat id ex ſacris Libris decerpere, cum tropum etiam habeat popularis ſermo? Pudet referre manifeſtum hominis mendacium, quo fingit Diatriben hoc unice agere, ut Scripturæ Dei ſint ubique ambiguæ, ne illis cogatur uti, auctoritas vero Veterum certa, ut illis liceat uti, mira ſane religione, ut verba Dei ſint inutilia, hominum verba ſint utilia. Quantam hîc mendaciorum congeſſit farraginem? Non ſaltem vereri, ne qui legerunt meam Diatribam ſtatim intelligant homini nullam eſſe frontem. Reliquas nænias & ineptias prætermitto, quanquam à næniis ad nænias eundum: nihil enim aliud agit toto hoc opere.

Jam Diatriba ſibi non conſtat. Quî ſic? Quia fate- 198.
tur *nihil* pro modico accipi poſſe & imperfecto. Nec modici nec imperfecti vox eſt in mea Diatriba, ſed has voces affingit ſannio, quo locus eſſet aliquot ſcurrilibus facetiis. Sic habent verba Diatribæ: *Atqui mea ſententia poteſt ad hoc non uno modo reſponderi. Primum vulgo* nihil agere *dicitur, qui non aſſequitur id quod expetit, & tamen frequenter aliquouſque promovit, qui conatur. In hoc ſenſu veriſimum eſt*, nos ſine Chriſto nihil poſſe. *Loquitur enim illic de fructu Euangelico, qui non contingit niſi manentibus in vite, qui eſt Chriſtus Jeſus.* Hactenus Diatriba. Fructum Euangelicum appello prædicationem Apoſtolicam, qua mundum *Chriſto* ſubegerunt. Dominus ſe dixerat vitem, diſcipulos palmites, late propagaturos Spiritum Euangelicum. Hoc Euangelii verba ſonant, *Ut eatis ut fructum adferatis, & fructus veſter maneat.* Palmitum propagatio eſt Apoſtolorum diſcurſus, primum *Hieroſolymæ*, mox in *Samaria*, lociſque proximis, mox per omnes Mundi plagas proferentium quod hauſerant è ſtirpe. Erant autem qui inſincere prædicabant Euangelium, ad gloriam & quæſtum, non manentes in vite, eoque doctrina eorum non adferebat fructum copioſum. Fuiſſe tales, declarat *Paulus* Phil. i. *Quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant non ſincere*, &c. Scopus autem Apoſtolicæ prædicationis erat univerſum orbem ad Euangelium pertrahere. Hunc ſcopum non potuiſſent attingere niſi manſiſſent in vite. Nihil interim dicam de hæreticis doctrinam Euangelicam vitiantibus, à quorum exemplo deterret ſuos Dominus. Nihil igitur poſſe facere dicuntur, qui non pertingunt ad ſcopum. Jam pari ſcurrilitate interpretatur nobis *non*, ut ſignificet fructum Euangelicum extra *Chriſtum*, & hinc colligit portentoſa quædam, plane reſipientia ſpiritum quem habet in pectore, cum tam abſurda ſint ut me pudeat referre. Riderem ſi tantum me læderent. Nunc video quanta ſit mortalium pernicies, qui tali ſpiritui credant animas ſuas, quantaque Scripturarum contumelia ab homine tam effrenis animi linguæque tractari. Nam mihi cum primis gloriæ duco à tali viro talibus tractari modis. Hoc dolet quod pus illud tam diu diſſimularit, nam & me liberaſſet gravi invidia, & pauciores, opinor, hic tumultus involviſſet. Sed ne videar hæc fruſtra dicere, referam unam facetiam. *Si* nihil, inquit, *&* non, *ſignificat modicum & imperfectum, ſic interpretabimur & illud:* Sine ipſo factum eſt nihil, *id eſt, modicum.* Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt

Deus

Digitized by Google

Deus, *id est, imperfectus est Deus.* Ipse fecit nos, & non ipsi nos, *id est, modicum fecimus nos.* An non ista sunt otiose ludibundi, sed mali spiritus? Quanquam, ut dixi, *modicum & imperfectum*, non habet mea Diatriba, tantum dixit vulgato more loquendi, eum nihil facere, qui non efficit quod destinatum est: veluti legatus qui petit inducias, si non impetrat nihil egisse dicitur, & tamen omnia fecit ut impetraret. Rodit ac ridet & illud, quod modestiæ causa sic propono responsionem: *Mea sententia, potest ad hoc non uno modo responderi. Probandum*, inquit, *erat sic debere accipi.* Non mirum si *Luthero* displicet modestus sermo, qui asseverat omnia. Cæterum an ideo minus verum est quod adfertur, si modestis verbis adfertur? Et ideo verum est quicquid dicit *Lutherus*, quoniam tam arrogantes habet asseverationes, nihil deferens aliorum judicio, nec post ipsum surgenti Prophetæ loquendi faciens locum? Ad hæc multum sibi falsus videtur, irrisione commodæ interpretationis, cum hoc in ipsum dixerit Diatriba, qui non solum commode, sed impudentissime quidvis detorquet ad suæ causæ victoriam. Nam ipse si quid in Litteris sacris non assequor, soleo Veterum sententias amplecti, quod *Lutherus* clamat esse sacrilegum, cum ipse in pugna non solum *Gregorium* magna cum auctoritate citet, verum etiam ex Poetarum testimonio probet rerum omnium necessitatem, ob id Philosophis iniquior, quod asserunt hominis liberum arbitrium. Vociferatur si quando refero *Hieronymi* commentum, & sibi ignoscit cum ex fabulosis auctoribus probat quod asserit, veluti si ex *Virgilii* versu, *O* Melibœe *Deus nobis hæc otia fecit*, probet omnia necessario evenire. Repetit illud ex acervo mendaciorum, quem indicavi paulo ante, me certitudinem Scripturæ susque deque facere, cum ipse interim conspuens Orthodoxorum interpretationes, irridens Scholarum opiniones, Ecclesiæ placita, Conciliorum decreta, quamvis veterum, pili non faciens, sed sibi uni vindicans auctoritatem interpretandi, stabiliat conscientias hominum. Res ipsa nimirum indicat, quomodo stabiliat conscientias hominum, tot quotidie novis Sectis suppululantibus, plerisque mortalium nutantibus undique quid cui credant. Ita videlicet habebimus Scripturam certam, si, quicquid attulerit nobis *Lutherus*, amplectamur pro oraculo, nihil offensi, quod toties ipse sibi non constat. Alias vult Scripturam adeo dilucidam esse, ut ad intelligentiam non alia re sit opus, quam Grammatica & sensu communi. Alias clamat omnes retro Doctores una cum Ecclesia cæcutisse. Sciebant Grammaticam, non carebant sensu communi, quid obstitit? Quid nisi Spiritus Satanæ, qui non audet tentare *Lutherum*? Crede mihi, alia est Spiritus Sancti lingua quam hic habet. Si corvus rauca crassaque voce diceret se esse lusciniam, quis illi crederet? Et alicubi negat me, si roget, quid sit Spiritus, quid sit miraculum, ne syllabam quidem habiturum quam respondeam, cum hæc verba sint in Litteris sacris, & arbitror me nec Grammatices, nec sensus communis expertem esse. Sed nimis immoror hisce quisquiliis, præsertim cum Orbis jam nimium norit hominis ingenium. Jam ad probabilis sententiæ jocum toties iteratum satis responsum est. Reliqua quæ *Lutherus* hîc magna vehementia differit, nihil ad rem faciunt, cum mea sententia loquatur de Euangelio propagando, hîc agat de gratia per liberum arbitrium paranda: Deinde *modicum & imperfectum*, ipsius verba sunt, non mea. Ad hæc constat etiam insinceros Doctores aliquousque profuisse Euangelio, licet sibi non profuerint. Dominus autem hîc loquitur iis qui jam erant in vite, quos hortatur ut maneant, *Judam* subnotans, qui paulo ante hunc sermonem accepta buccella exierat. Idem minitatur omnibus eventurum nisi in vite manserint. Idem arbitror & ad hæreticos pertinere, qui se subducunt à corpore *Christi*, quod est Ecclesia. At *Lutherus* in assertione locum hunc in hoc adducit, ut probet liberum arbitrium non parare gratiam per opera moraliter bona. Ast ego istam opinionem proposui duntaxat in Diatriba, nec probans, nec improbans. Illud igitur indicabit Diatriba, locum *Joannis* à *Luthero* non apte citatum, cum *Christus* loquatur iis qui erant in vite, excepto *Juda*, quod ipsum tamen latebat discipulos, & *Lutherus* accommodat ad hominem qui cupiat inseri in vitem per gratiam. Quicquid igitur hîc convitiorum jactatur, absque scopo jactatur, videlicet de regno *Christi*, de regno Satanæ, quod ubique supra modum exaggerat, non distinguens inter soli peccato originis obnoxios, & suis etiam sceleribus contaminatos, nec inter simpliciter per infirmitatem peccantes, & inter induratos malitia. Quod addit me liberum arbitrium sic in medio ponere, quasi nec Deus adsit, nec Diabolus, ut verbo respondeam, manifestum est mendacium, & hîc agebam de iis qui sunt in regno gratiæ. Quoniam autem polliceor illic responsionem variam, si hæc minus satisfaciebat, licebat aliam amplecti, eoque dixi, *mea quidem sententia.* At *Lutherus* qui aberrat à scopo, tamen sic tumultuatur circa hanc, ac si solam asseverassem.

Verùm donemus hæc verba pertinere ad eos qui sunt sub regno Satanæ, *Sine me nihil potestis facere*, ponamus mihi tuendam sententiam *Scoti*, quam non suscepi tuendam, non excluditur his Euangelistæ verbis liberum arbitrium. Non enim sequitur, liberum arbitrium nihil potest absque *Christo*, igitur nihil potest. Nam *Christum* hîc accipio *Christi* gratiam, & hoc ipsum, quod potest homo naturæ influxu, *Christi* gratia est, sine qua nec vivimus nec sumus. Fingamus rursus hunc sermonem pertinere ad pios, *sine me nihil potestis facere*, nihil adversus liberum arbitrium facit, quod principalis gratiæ auxilio facit, quicquid facit, & tanto magis aliquid agit, quia sine gratia nihil agit. Tandem scurrante *Luthero*, etiam Diatriba vertitur in nihil. *Vulgo*, inquit Diatriba, *nihil agere dicitur, qui non assequitur id quod expetit, & tamen frequenter aliquousque promovet qui conatur.* Respondet *Lutherus: Nunquam audivi vulgo sic dici, tu ita fingis pro libertate tua.* Sic respondent qui nihil relinquunt incertum. Quomodo *Saxones* vulgo loquantur nescio, Latine loquentes apud nos sic loquuntur, ut cum redeunt oratores ab irrita legatione, dicant eos *nihil egisse:* & qui rogantur, quod decreverunt non concedere, solent dicere, *Desine rogare, nihil egeris.* Id supra docuimus esse verum per auctores, qui si parum illi graves sunt, vel *Philippum* suum consulat: Fatebitur, ni fallor, esse verum quod dixi. Quis dixit conatum esse nihil? Nam hoc objicit *Lutherus*, qui *nihil* interpretatur *modicum*, non Diatribe. Non enim illa exponit, quid sit *nihil*, sed quo tropo dicatur *nihil agere*, qui non efficit quod vult. Tropus autem non esset, si de otioso diceretur, *nihil agit.* Quam multa hîc delirat *Lutherus*, sine mente fundens verba! Verùm donat valere quod adfero, *tamen id*, inquit, *facit adversus liberum arbitrium, quod multa agat, quæ coram Deo nihil sunt.* Rursus multa agit liberum arbitrium, cum in assertione pronuntiarit, liberum arbitrium nihil esse in rerum natura. *Quid profuerit*, inquit, *illi conatus, si non assequitur quod expetit?* Ohe! Juxta quosdam tantum prodest, ut suo conatu perveniat ad gratiam: Juxta alios ut si suum conatum accommodet gratiæ præparanti, perveniat ad gratiam justificantem: Et si sit sub regno gratiæ, ut perseveret ac proficiat ad uberiorem gratiam. Sin se avertat, perdat etiam hoc quod donatum est. Quin & illud *Pauli* infeliciter adduxit Diatribe, *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid.* Quis enim unquam citavit feliciter Scripturam adversus *Lutherum?* Quod minimi momenti est, ac per se inutile, Diatribe *nihil* appellat. Hîc *Lutherus: Quid? Tu Diatriba ministerium verbi per se inutile & minimi momenti esse dictitas, quod tantis laudibus* Paulus *cum ubique, tum maxime* 2. *Cor.* III. *vehit, ubi ministrationem vitæ & gloriæ appellat?* Imo tu, *Luthere*, doces nos vocem Euangelistæ esse alicujus momenti, si desit *Chri-*

199. 200. 201.

Digitized by Google

Christi Spiritus? Tecum igitur ipse pugnas. Opinor enim intelligere te, quid sonat *per se*, hoc est, solitarium ac sine accessione Spiritus, veluti cum dicimus, *genus per se nihil esse, nisi accesserit vita genere digna:* & *corpus per se nihil esse, nisi adsit anima.* Non hîc excutio, quod argutia cavillandi plantatorem mutat in ministerium Euangelicum. Ipse *Christus* fuit minister Euangelii, & ministratio Spiritus est ipsa vis Euangelii per *Christum* exhibita primum, mox per Apostolos, quorum opera nihil est, si conferatur ad Deum operantem in illis. Quod si qui præstat hîc operam, est aliquid magni, cur *Paulus* dicit esse *nihil?* Hîc *Lutherus* adfert è contemtissimis Scholæ proverbiis, *Sermonem intelligendum secundum materiam subjectam*, quod à Diatriba sæpe negat fieri. Audiamus igitur oraculum *Lutheri: Ad incrementum*, inquit, *dandum, plantator & rigator nihil est, sed ad plantandum & rigandum nonnihil est, cum sit opus summum in Ecclesia Dei docere & exhortari.* Quid novi dixit noster Sophista? Qui plantat & rigat, præbet operam docendi & exhortandi, & hac functione præstat honestum munus, fatemur: Sed hoc, quod est hujus rei caput, præstare non possunt, & ideo per se nihil agunt, quia frustra laborant, nisi Deus det incrementum. An non toto hoc volumine sic argumentatus est *Lutherus*, Liberum arbitrium nihil potest absque gratia, ergo nihil est. Et voluntas hominis per se res est ineffícax, ergo nihil est. Addit asseverationem, *Hoc vult* Paulus, *hoc & verba satis aperte tradunt, Hoc est fignaculum Spiritus.* Verùm hîc rursus donat, ut valeat ineptum exemplum homo commodus & facilis, nihilo minus exemplum pro ipso facit. Nam hoc ipsum agimus, quod liberum arbitrium sit nihil, id est, inutile per sese, ut tu exponis, coram Deo, non ignari quod voluntas sit aliquid & non merum nihil. Dispeream ni *Lutherus* hæc scripsit à cœna, nisi quod hîc obiter aperit aliam rimam, de genere essendi coram Deo. Atqui posteaquam semel professus est omnium rerum & summarum & infimarum necessitatem, eoque liberum arbitrium nihil esse in rerum natura, sed tantum inanem titulum, frustra nobis hîc distinguit *Empusa*, esse naturale, & esse coram Deo, sicut distinxit dominium in rebus inferioribus & superioribus. Si ex animo probat dogma *Wiclevi*, sibi constet oportet in omnibus, ne cogar ipsi toties ostendere statum, cujus non subinde sed perpetuo obliviscitur. Sed age, sit liberum arbitrium per se nihil, quid hoc ad probabilem opinionem? Nonne hoc in calce Diatribes fateor juxta probabilem opinionem, quæ plurimum tribuit gratiæ? Sic & homo totus, imo mundus universus per se nihil est, cui si se subduceret vis Numinis omnia servantis, collaberetur.

202. Exagitat exemplum quod adduxeram ex Paulo, *Si caritatem non habeam, nihil sum*, admirans in quem usum hoc adduxerim. Dicam paucis: Ut ostenderem hominem inutilem dici *nihil*, sicut *nihil agere* dicitur, qui nihil efficit. Atque hîc ingenue fatetur liberum arbitrium valere agereque in rebus vulgaribus, sive naturalibus, edendo, bibendo, & similibus. Item valere ad peccandum, cum toties affirmaverit omnium rerum absolutam esse necessitatem, liberum arbitrium titulum esse sine re, tum ad bona, tum ad mala. Sic constat sibi *Lutherus*, qui negat me usquam mihi constare, ne hoc quidem loco. Quî sic? Quia non somniaram eum hîc commentaturum duplex esse, naturæ & gratiæ. Nec interim intelligit, quid dixerim de fructu Euangelico. Ast aliquem fructum faciunt etiam ii, qui insincere docent Euangelium, cum interim non sint in vite. Quid autem novi docet nos *Lutherus*, si monstret gratiam Dei à Deo proficisci? Illis erat respondendum, qui asseverant hominem absque peculiari gratia posse per opera moraliter bona, pervenire ad gratiam justificantem. Hanc opinionem inter cæteras proposui, nec unquam improbavi. Aut quid adfert novi, si docet opus, quod non est profectum ex gratia, vacare gratia? Nihil enim aliud docet istis verborum turbis. *Quod natura est*, inquit, *nihil est in genere essendi, de quo nos agimus.* Sed ubi dormit interim absoluta necessitas? Ac rursum exigit exemplum, quo doceam *nihil* accipi pro modico. Hoc ipse doceat qui fingit, Ego quod posui docui, *nihil* dici, quæ per se nihil efficiunt. Itaque *nihil agere* dicitur, qui frustra fidit suis viribus, contemnens Dei gratiam. Et quia non docui, *nihil* accipi pro modico, quod hactenus ne somniavi quidem, pronuntiat me nihil intelligere aut curare, quid sit *Christus* aut gratia, aut quomodo aliud sit gratia quam natura. Quod tamen etiam rudissimi Sophistæ noverunt, & usu vulgatissimo hoc discrimen in suis Scholis definiverunt. Quid faciemus huic rabulæ, quem nihil pudet in quemvis dicere? An non satis aperte Diatriba distinxit naturalem influxum omnibus communem, à gratia, & an non gratiarum effectus discrevit? Et hic nescit quid significat *Christus.* Nec hoc videt cæca Diatriba, quod omnia hæc exempla faciunt pro ipso. Quo pacto? Hoc enim facit evincere verbum *Joannis* Baptistæ, quod homo nihil potest accipere, nisi donatum fuerit ei è cœlo, ut liberum arbitrium nihil sit. Audis mirabile enthymema. Quod accipitur fatetur esse gratiam justificantem. Neque enim videtur agnoscere gratiam præparantem. Demus igitur gratiam immitti cuipiam è cœlo, quid prohibet, quo minus voluntas amplectens gratiam simul agat cum illa? Et si potest homo sua culpa Dei gratiam amittere, nonne sequitur esse liberum arbitrium, & quod gratiæ cooperatur, & à gratia semet avertit? Ac rebus adeo misere gestis, tamen ipse sibi canit encomium. *Sic*, inquit, *vincitur meus Achilles*, cum ei per Diatriben arma porriguntur, quo ipsa nuda & imbellis convincatur. Sic uno verbo Scripturæ solvuntur, quibus urget *Lutherus* pervicax ille assertor. En stomachum generosi ducis, non potest concoquere quod alicubi tribuerim ipsi pervicaciam! Aliis aliis elogiis ornaris, ô bone, ab iis qui melius norunt rebus sua dare vocabula. Magnifica sane victoria, cum interpreteris voces tuo arbitrio, cum etiam affingas quodlibet tuo commodo, cum rejicias omnium Orthodoxorum, Scholarum & Conciliorum judicata, cum tecum ipse pugnans nunc arripis hanc sententiam, nunc illam, cum ex animi tui sententia doceas Scripturam loqui, quod tibi conducit, crebro torquens eam insigni impudentia, triumphum agis *Achilles.* Nihilo deteriore fronte docere poteras nullum esse liberum arbitrium ex Precatione Dominica, ex salutatione Angelica, & si libet, ex Eclogis *Virgilii*, aut transformationibus *Ovidii. Pater noster:* audis? Filii sunt in potestate patris, non contra. Nullum est igitur liberum arbitrium. *Qui es in cœlis:* Auscultа, Cœlestia agunt in inferiora, non contra. Nostra igitur voluntas nihil agit, sed tantum patitur. *Sanctificetur nomen tuum:* Quid apertius? Si liberum arbitrium esset aliquid, tum gloria esset hominum, non Dei. *Adveniat regnum tuum:* Sol meridianus non est lucidior. Nos non venimus ad regnum gratiæ per opera moraliter bona, sed regnum venit ad nos. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra:* Partem hanc jam ipse serio citavit. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* Audin'? Semper egemus nihil habentes in nobis boni, sed quotidie gratiæ imploramus opem. Ubi igitur liberum arbitrium? *Et dimitte nobis debita nostra:* Habes ad quid valeat liberum arbitrium, nimirum ad peccandum. *Et ne nos inducas in tentationem:* Quid quæris? Deus & bona & mala operatur in nobis. Nullus igitur arbitrio locus. *Sed libera nos à malo:* Hinc liquet liberum arbitrium nihil aliud quam peccare. Nam hæc dicuntur à justificatis, qui tamen erant damnandi propter omnia bona mala opera, nisi Dei misericordia liberarentur. Hæc sunt nuda rerum capita, quibus si accederent asseverationes, confictæ voces, locupletationes, prosopopœiæ, sannæ, convitia, nonne res esset plane palmaria? *Ave gratia plena:* Ubi estis *Pelagiani?* Non auditis? Angelus deferens gratiam dicit, *ave*, non dicit

Digitized by Google

para te gratia, ſed de dono gratuito jubet gaudere. Et *plenam* dicit, ne locus eſſe poſſit vacuus libero arbitrio. *Dominus tecum*, ſine quo nihil potes facere. Et ab *Eliſabeth* ſalutatur, *Benedicta inter mulieres*: Ubi benedictio, ibi non eſt liberum arbitrium. *Troja qui primus ab oris Italiam fato profugus*: Audis rerum inevitabilem neceſſitatem, Non profugit conſilio, ſed mera neceſſitate. *O* Melibœe *Deus nobis hæc otia fecit*: Animadvertis, alterum ejectum agris, altero fruente ſuis rebus. Unde? Ex merito? Non, Sed Deus fecit, quia ſic illi libuit.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora:

Audis non liberam voluntatem, ſed animi raptum. Hæc videntur, ut ſunt, ridicula: At multa citantur à *Lutheto*, longe durius detorta ad ſubvertendum liberum arbitrium, quam hæc detorſimus. Sed quod illi bonum atque commodum eſt, ipſe ſaltat fabulam & applaudit ſibi, ipſe decertat, & addicit brabium: ipſe narrat ſuas res geſtas, & decernit triumphum. Sed hoc commento ſibi cum primis plaudit, quod Diatribam ſibi veluti ſtultam mulierculam finxerit, in quam declararet quid poſſet facetiis homo gratiis ac leporibus natus, adeo feſtivus, ut etiam blandiens ſit amarulentus, adeo non putidus, ut illic etiam ſit glorioſus, ubi ſeſe maxime dejicit, cum in Diatriba nihil fere ſit quod non hauſerim ex probatis ac vetuſtis Eccleſiæ Doctoribus, in quos omnes recidunt iſtæ pluſquam ſcurriles facetiæ verius quam in me. Quod ſi tantopere contemnebat Diatriben, cur non congreſſus eſt cum *Joanne* Epiſcopo *Roffenſi*, cujus eruditionem, ni fallor, haud contemnit, cujuſque auctoritate longe magis premitur, quam Diatribes, præſertim cum ille non contulerit, quemadmodum ego, nec *Lutherum* tantum appellet pervicacem, quod à me non poteſt concoquere, ſed legitimis præconiis illum exornet. Ad hæc connivens homo facetus, tot otioſis nugis luſit in Diatribam, ſub hujus nominis fuco blaſphemiis petulantiſſimis debacchans in ſacros Eccleſiæ Doctores.

208. Tandem veluti delaſſatus tranſilit plurima loca, quibus Diatriba declaravit, hominis voluntatem aliquid agere cum auxiliante gratia. *Quid hoc*, inquit, *ad me?* Imo hoc ad eas opiniones quas propoſueram. Harum una fuit, quæ dicebat liberum arbitrium hominis in bono, nihil aliud quam pati ab agente gratia: nec gratiam agere per liberum arbitrium, ſed in libero arbitrio. Nam hanc ideo propoſuit Diatriba, ut refelleret. Quod ſi *Lutherus* fatetur voluntatem hominis cooperari gratiæ, ſinat *Carolſtadium* ſuum dogma defendere. Quid autem inſolentius, quam toties objicere Diatribæ, quod aberret à ſtatu cauſæ, cum ipſe non intelligat, quos ſcopos propoſuerim? Sed mire falſus ſibi videtur in deridenda ſimilitudine de navita & agricola, de medico, de ædificatore & cuſtode civitatis, cum eas hauſerim ex probatiſſimis Auctoribus, quos hîc meretricia procacitate deridet. *Primum*, inquit, *ſimilitudo diverſum opus tribuit nautæ, diverſum Deo*, quaſi ſimilitudo debeat per omnia quadrare. Quanquam hoc quod ait falſum eſt. Nam in ſervanda nave, fingo duos ſimul operantes, Deum & nauclerum. Verùm quoniam principale opus eſt Dei, totum illi tribuitur, diciturque ſervaſſe navem, ſine quo non fuiſſet ſalva. Simili modo fingo unicum opus parandi fruges, quod totum tamen adſcribitur Deo, ſine cujus ope fruſtra laboraſſet agricola. Ita reſtitutus ægrotus, dicit, Deus me reſtituit ſanitati, eo quod illius auxilium medico adfuerit. Atqui ut ſannis aliquot locum faceret, homo natus ad maledicentiam, depravat verba Diatribes: *Ut Deus quidem ſervat*, inquit, *navita tamen deducit ad portum, quare nonnihil agit navita.* Diatribes verba ſunt hæc: *Quemadmodum navita, qui navim in portum deduxit è gravi tempeſtate incolumem, non dicit, ego ſervavi navim, ſed Deus ſervavit, ſed tamen illius ars & induſtria non fuit otioſa.* Quicquid factum eſt in ſervanda nave, pro uno opere ponens, in quo junctа fuit Dei auxiliantis gratia cum hominis adnitentis induſtria. Qui perduxit incolumem, ſervavit, uterque ſervavit, uterque perduxit. Et ſi eſſent diverſæ operationes in ſumma operis, ſimilitudo tamen valet ad explicandum quod agitur. Commemoret igitur ſi lubet, quam multa faciat opera nauclerus, priuſquam ſtatuat navim in portu, quam multas operas ſumat agricola, priuſquam agri proventum convehat in horrea. Atque hæc tam ſtolida, tam ebria, tam inſana ſimilitudo eſt *Origenis* & *Hieronymi*, imo Scripturæ divinæ. Quidquid enim ſannarum in hanc evomit *Lutherus*, evomere poteſt & in illam, *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Cur hîc non clamat, aliud opus tribui Deo, aliud homini, & excubandi opus totum tribui homini, cuſtodiendi totum Deo? Hæc eſt Sancti Spiritus comparatio, ſimillima illis quas adduxi, Fruſtra laborat nauclerus, ut ſervet navim, niſi Dominus ſervaverit, Fruſtra laborat agricola, niſi Dominus laborantem adjuvet, Fruſtra faber ædificat domum, niſi Dominus adjuvans ædificaverit, Fruſtra vigiles cuſtodiunt civitatem, niſi ſimul & Dominus cuſtodierit. Ibi ſervandæ navis opera communicata eſt Deo & nauclero, Agricolatio communis eſt colono & Deo. Hîc ſtructura civitatis communis eſt Deo cum fabris, cuſtodia communis eſt excubitoribus & Deo, Utrique dicuntur ædificare, utrique cuſtodire. Qui deridet priores ſimilitudines, & has deridet. Quid enim aliud ſupereſt illi, qui jam ſibi permiſit in omnes Eccleſiæ Doctores digna atque indigna dicere? Scilicet *Origenes* homo diſciplinarum rudis neſcivit conferre ſimilitudines, Ipſe ſolus novit conferre Deum cum bono fabro malum opus fabricante mala ſecuri, bono equiti agenti equum tripedem. Euge! tales parabolæ docent pietatem, videlicet Deum eſſe malorum omnium quæ fiunt auctorem. Ipſe nobis adfert ſua exempla, de *Paulo* docente, & *Paulo* loquente in ſpiritu. An *Paulus* cum doceret non loquebatur in ſpiritu? Et dum hujus vox afficit animos auditorum, nonne cooperatur gratia principalis? Et hic ponit diverſum opus. Cum loquitur in ſpiritu, facit unum opus. *Paulus* appellat *loqui in ſpiritu*, ſonare voce tantum, *Lutherus* fortaſſe accipit *loqui in ſpiritu*, rapi mente. Atqui ponere idem cum eo quod docere cupis, non eſt conferre ſimilitudines. Hujuſmodi ſophiſticis cavillis remoratur lectorem. Sed remittit homo facilis, ut ſit idem amborum opus. *Quid hoc*, inquit, *ad rem? Non agimus*, inquit, *de cooperatione, ſed de propria vi & operatione liberi arbitrii.* Si propriam vim accipit, quæ vacat gratia, demiror quid ſibi velit. An hic erat Diatribes ſcopus unicus, oſtendere quid liberum arbitrium poſſit abſque gratia? Erat quidem & illa propoſita opinio, quæ prædicat liberum arbitrium per opera moraliter bona, poſſe de congruo promereri gratiam juſtificantem. Verùm hanc Diatriba nec admodum tuetur, nec improbat, verùm in hoc magis confert omnem diſputationem, ut oſtendat voluntatem hominis poſſe præbere ſe gratiæ pulſanti, poſſe avertere, Item cooperari gratiæ operanti, & ab hac ſe poſſe ſubducere. Si vim propriam quæris, in bonum & in malum, & propriam habes & communem. Id cum conſtanter agat Diatriba, quonam fugit ille rhetor, qui dicturus de palma, nihil dicit niſi de cucurbita, & orſus amphoram, abſolvit urceum? Hujuſmodi facetiis deliciatur, qui nondum intelligit, quas opiniones propoſuerim, quaſque potiſſimum oppugnet Diatribe. Sed bene habet, indicat ſcopum, Fatetur Deum omnipotenti motu, quo gignit & agit omnia, cooperari & pia & impia patrantibus, & hoc confitens Deum facit auctorem malorum operum, quatenus mala ſunt, quemadmodum ante demonſtratum eſt, & fatetur hominem immerentem damnari, æque atque immerentem ſervari. *Sed nunc*, inquit, *non erat hic locus.* Veriſſime: neque enim Diatriba illic agit de naturali influxu primæ cauſæ, ſed adhibitis exemplis docet

cet agente in nobis gratia peculiari, voluntatem hominis non esse otiosam, id quod negat *Carolstadius*, cujus opinionem recenset Diatriba. *Quid igitur quærebatur? An*, inquit, *jam creati ex nihilo, aliquid nos faciamus vel conemur illo generali motu omnipotenti, ut paremur ad novam creaturam Spiritus? Hic*, inquit, *respondendum erat, non alio divertendum.* Primum quid appellat *creari ex nihilo?* Prodire opinor in hunc mundum: Nisi forte, juxta *Platonis* sententiam, corpus malit esse domicilium animi, quam partem hominis: nam divinandum est, quid velit hominis sermo propheticus. Novam creaturam, nisi fallor, appellat gratiam justificantem. Hìc igitur jubet responderi, quid ad eam gratiam possit homo. At quoties ad hoc respondit Diatribe? juxta varias opiniones, quarum nulla tamen damnata est ab Ecclesia, & omnium oblitus exigit ut respondeam. Opinio Scholastica quid tribuat viribus liberi arbitrii, toties dictum est; Quid *Augustinus*, modo recensuimus. Et hoc idem hîc agimus per similitudines. Quod igitur diverticulum narrat nobis *Lutherus?* Non est sobrius, ut paucis dicam, non vino fortassis aut cervisia, sed philauria, & dulcedine quadam maledicendi, qua nunquam satiatur, quantumvis sese ingurgitaverit. Audi nunc ipsius responsum, quandoquidem quod respondeat Diatriba non habet. *Sicut homo*, inquit, *antequam creatur, ut sit homo nihil facit aut conatur, quo fiat creatura, deinde factus aut creatus nihil facit aut conatur, quo perseveret creatura, sed utrumque fit sola voluntate omnipotentis virtutis & bonitatis Dei, nos sine nobis creantis & conservantis: sed non operatur in nobis sine nobis, ut quos ad hoc creavit & servavit, ut in nobis operaretur, & nos ei cooperaremur, sive hoc fiat extra regnum suum generali omnipotentia, sive intra regnum suum singulari virtute Spiritus sui.* Hæc ille. Mire sibi placet hoc sophismate generalis omnipotentiæ, quod tamen inter eruditos non convenit. Deus, juxta quosdam, semel data vi gignendi & agendi causæ secundariæ, videlicet naturæ, non agit, nisi cum ex causis singularibus impedit communem naturæ actionem. Verùm ut hac de re non contendamus, illud falsum est quod assumit, hominem creatum nihil agere ad sui conservationem, cum nihil prius insitum à natura sit animanti, quam conservatio sui. Quod si verum iste prædicat, multa sollicitudine levavit matres & nutrices, medicos & pædagogos, atque ipsum adeo hominem, cui tam multa facienda sunt, ut quod natum est vitet casus & morbos, utque à morbo liberetur. Jam ante diem perire dicuntur, qui sibi mortem consciscunt vitæ tædio. Illud ænigmatis instar est, *non operatur in nobis sine nobis, sed ideo nos creavit & servavit, ut in nobis operaretur, & nos ei cooperaremur.* An qui curat valetudinem, nihil operatur? Quomodo igitur servat nos sine nobis, & operatur non sine nobis? Verùm si Deus generali omnipotentia movens universa, sic operatur in homine, ut non impediat illius liberum arbitrium, id quod profitetur *Lutherus*, ad malum duntaxat, & in rebus humilioribus, cur hoc axioma profert ad destruendum liberum arbitrium? Pergit oraculum absolvere. *Sic deinceps*, inquit, *dicimus, Homo antequam renovetur in novam creaturam, regni Spiritus, nihil facit, nihil conatur, quo paretur ad eam renovationem & regnum. Deinde recreatus, nihil facit, nihil conatur, quo perseveret in eo regno, sed utrumque facit solus Spiritus in nobis, nos sine nobis recreans, & conservans recreatos, ut &* Jacobus *dicit*, voluntarie genuit nos verbo virtutis suæ, ut essemus initium aliquod creaturæ ejus: *loquitur de renovata creatura. Sed non operatur in nobis sine nobis, ut quos in hoc recrearit & conservet, ut operaretur in nobis, & nos ei cooperaremur. Sic per nos prædicat, miseretur pauperibus, consolatur afflictos. Verùm quid hinc libero arbitrio tribuitur? Imo quid ei relinquitur, nisi nihil & vere nihil?* Habes oraculum dogmatis magnificis sane planeque tragicis verbis phaleratum, verùm hinc nihilo verius. Hominem nihil agere quo nascatur ut verum est, ita mirum non est, si nihil agit qui nondum est, aut si infans, in quo sepulta est vis animi, plantulæ in modum, citra suam operam servatur, præter naturæ sensum nihil habens; sed falsum est, hominem simpliciter agere nihil ad sui conservationem, cum eam curam, à natura insitam, primum omnium absolvat ratio, priusquam contingat honesti & inhonesti discrimen. Nec est necesse ut, si qui ex impio fit pius, dicitur renasci, & juxta *Paulum* fieri nova creatura, quoniam per metaphoram dicuntur, per omnia quadret similitudo. Tropus enim indicat vehementem & insignem mutationem, quemadmodum vulgo quoque qui moribus sit in diversum commutatis, eum alium hominem factum dicimus. Itaque nec renascimur sine opera nostra, nec recreamur, nec conservamur: etiamsi fatemur, quod hic nostrum est, adeo pusillum esse, ut in supputatione summæ, totum Dei gratiæ sit adscribendum: præsertim cum hoc ipsum sit divinæ beneficentiæ, quod natura nostrum est, aut etiam humana partum industria. Homo velit nolit nascitur, Quis autem dicitur renasci velit nolit? Qui nascitur, quatenus licet vult nasci, dum se naturæ vi movet & inflectit ad exitum. At in renascentia adest voluntas, quæ potest velle aut nolle renasci. Sic *Adam* nihil egit cum crearetur: non enim erat qui posset agere. At homo qui recreatur habet voluntatem, quæ se poterat præbere gratiæ refingenti, aut reluctari gratiæ. Et jam recreatus habet liberam voluntatem, qua possit agnoscens datam gratiam efficere, ut magis proficiat in gratia, possit rursus efficere, ut amittat donum quod acceperat? Quod multis accidisse legimus, eo quod abuterentur Dei gratia. Porro si quis urgeat similitudine, nemo bis nascitur. Hìc iterum atque iterum renascitur homo. Nam *Paulus* iterum parturit *Galatas*, donec in eis formaretur *Christus*. Quanquam autem Deus subito potest hominem alium reddere, tamen imitans naturam paulatim fingit formatque novam Spiritus creaturam: quemadmodum hominis rudimentum primum nihil aliud est, quam coagulum, mox ritu plantarum vegetatur & augescit, accedit deinsentiendi vis, tandem inditur anima rationalis. His peractis quantum adhuc temporis intercedit, priusquam ingrediatur, loquatur, sapiat? Ac de Spiritu renatis loquens *Paulus* dicit interiorem hominem in eis renovari de die in diem. Et Scripturæ quod interdum appellant renascentiam & novam creaturam, alias vocant reformationem, renovationem, instaurationem, reparationem: interdum & reviviscentiam. Ineptum vero sit has metaphoras ex omnibus urgere partibus. Non reformatur quod non est, sed quod vitiatum erat. Erat igitur liberum arbitrium quod per gratiam instauratur. Quoties autem reparatur id quod natura vim habet agendi, non mirum si in renascentia & conservatione sui nonnihil agat cum agente gratia. Quod autem *Jacobus* dicit, *voluntarie nos genuit verbo virtutis suæ*, non excludit in totum vim liberi arbitrii, sed excludit obligationem Dei. *Judæi* judicabant salutem hanc suis deberi meritis, *Jacobus* imputat benignitati divinæ, qui peccatores & aversos per Euangelii gratiam vocavit ad justitiam. Sed quæ tandem illa sunt in quibus nos cooperamur Dei gratiæ? Opera caritatis. Hoc opinor sentit, quando dicit, *Sic per nos prædicat, miseretur pauperibus.* Jam primum fatetur falsam esse *Carolstadii* opinionem, qui docuit hominis voluntatem in bonis operibus nihil aliud quam pati: Quod si gratia per arrogantiam ac negligentiam hominis amittitur, utique per contraria servatur. At in his, ut ostendimus, nonnihil agit liberum arbitrium, eoque *Paulus* hortatur *Corinthios*, ne in vacuum gratiam Dei reciperent, ac de se gloriatur, quod in ipso gratia Dei non fuerit vacua. In vacuum autem recipiunt, qui desunt ipsi, gratiæ, vel dum aversantur oblatam, vel dum male utendo repellunt. Nihil hic moror stultam *Lutheri* cantionem, verba hortandi nihil ponunt.

Digitized by Google

Falsum est igitur hominem nihilo plus agere in conservatione sui, quam in creatione sui. Præterea ridicule imaginatur *Lutherus*, Deum sic recreasse per Spiritum hominem, quemadmodum faber exstruit sibi domum aut officinam, in qua exerceat artem, cum Deus in hoc præparet hominem, ut agat non solum in eo, sed per eum potius: quemadmodum Princeps adolescentem magnæ spei curat diligenter erudiendum politicis disciplinis, ut per eum administret Rempublicam. Postremo quid est hoc quod in homine cooperatur operanti gratiæ? Nonne voluntas hominis? Atqui hæc est quam nos dicimus liberum arbitrium. Voluntas enim voluntas non est, si libera non est: Et si quando impeditur, natura tamen est libera. At *Lutherus* docuit liberum arbitrium esse nomen sine re. Præbet se gratiæ, cooperatur gratiæ, subducit se gratiæ. Sed hæc negat adversarius. Hoc igitur docere debuit, non asseverare. Hactenus præter fortissimas asseverationes nihil audimus.

204. Hanc autem collectionem terque quaterque putat insanam, *Gratia cooperans auxiliatur homini conanti, ergo nonnihil agit hominis voluntas*, quod negat *Carolstadius*. Nullus enim dicitur auxiliari securi aut serræ quam agit. Et ut hanc consequentiam existimat absurdissimam, ita putat omnes similitudines, quas in hoc docendum profert Diatribe, æque absurdas esse. Ac violentus disputator argumentorum tela retorquet in miseram Diatriben, sic colligens, Gratia auxiliatur homini ad opus bonum, ergo nullum est hominis bonum opus. Non patitur idem opus dici Dei & hominis, sed aut totum vult esse gratiæ, aut totum hominis, cum tamen ipse fateatur hominem gratiæ cooperari in bono opere. Si Latinis adjuvat qui fert opem nitenti quidem, sed viribus haud sufficientibus, quoties in Litteris sacris mentio fit adjutorii divini, toties colligitur hominem suis quoque viribus aliquid agere, nisi forte *Lutherus* proferet nobis novam auxilii definitionem. Antea dixit, hoc hominem esse gratiæ, quod lutum figulo. Quæro an unquam fando auditum sit, figulum auxiliari luto? Et hîc fatetur, hominem cooperari gratiæ. An lutum cooperatur figulo? Si idem ac totum opus commune est operantis & cooperantis, quæ tandem ista collectio; Ubicunque est auxilium gratiæ, ibi nihil est liberum arbitrium? Fatetur & illud, Omnia opera hominis posse esse bona, si fiant auxiliante Dei gratia. Ad hæc, hominem nihil non posse auxiliante Dei gratia. Sed ubi interim illud dogma, justum in omni opere quamvis bono peccare, Et omnia hominis opera esse mala, etiam justificati per fidem? Si homo per liberum arbitrium cooperatur auxilianti gratiæ, nimirum est aliquid, & operatur aliquid: cadit igitur illud dogma *Lutheri*, qui negat liberum arbitrium esse in rerum natura. Nec meminit interim, quod hanc insanam argumentationem nos docuit D. *Augustinus*, cujus verba sunt Libro *de gratia & libero arbitrio* ad *Valentinum* Cap. IV. *Ergo & victoria, qua peccatum vincitur, nihil aliud est, quam donum Dei, in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium.* Mox ita claudit, *Hoc ergo*, scil. liberum arbitrium, *gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur.* Idem *de correptione & gratia* Cap. II. *Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant: & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant*, &c. Hujusmodi multa *Augustinus* in his libris; in quibus minimum tribuit libero arbitrio, atque adeo pene nihil: Tribuit tamen actionem boni operis, & liberum arbitrium appellat. Ubi igitur non constat sibi Diatriba? *Cœpit*, inquit, *de liberi arbitrii vi scribere, & scribis de vi gratiæ Dei.* An hoc professus sum, me de libero arbitrio scripturum absque mentione gratiæ? Quonam pacto id facias, cum id ipse *Lutherus* non possit, qui fatetur liberum arbitrium cooperari gratiæ. Ante gratiam quid ex se possit liberum arbitrium declaravi, cui plus tribuunt Scholastici, quorum opinionem præter alios satis, ni fallor, propugnavit Episcopus *Roffensis*. Ille demonstravit liberum arbitrium aliquid posse meris naturæ viribus. Id quoniam Diatriba non suscepit defendendum, impudenter à me exigit *Lutherus*: illos lacessat, & inveniet qui respondeant: Ego nihil tribui libero arbitrio nisi quod se præbet gratiæ pulsanti, quod cooperatur gratiæ operanti, & quod ab utraque se potest avertere: semper excipio singularem Dei voluntatem, qui potest ex causis incognitis vi rapere voluntatem hominis quocunque velit. Hæc eadem fatetur *Augustinus*, & tamen ponit liberum arbitrium & illi tribuit actionem. Idem fatetur *Lutherus*. At ego pugno adversus illud dogma, cujus toties obliviscitur, quod in *Wiclevo* damnatum probat, liberum arbitrium esse titulum sine re: quodque toties repetit, hominem vel in bonis vel in malis nihilo plus agere, quam agat securis in manu fabri. Diatriba sibi nusquam constat, *Lutherus* sibi constat, qui de eadem re toties mutat dogma suum. Initio liberum arbitrium nihil valebat nisi ad peccandum, in progressu nihil est omnino liberum arbitrium, sed Deus mera necessitate operatur & bona & mala in omnibus: & in eadem assertione, liberum arbitrium dominatur in rebus duntaxat inferioribus. Hic rursus veluti renatum liberum arbitrium cooperatur gratiæ in bonis operibus, & illa auxiliante potest omnia. Hæc est illius constantia, cui semper alio divertit Diatriba. Si non est absurdum dicere figulum opitulari luto, ut fiat olla, & si puer adjutus ab alio movens navim nihil agit, clamet *Lutherus* hæc truncis ac lapidibus esse dicenda, non hominibus, & eruditis persuadeat hanc esse collectionem inevitabilem; Est gratia auxilians hominis imbecillitati, igitur liberum arbitrium est nomen sine re. Bella vero est ratio quam adducit! *Ad quid*, inquit, *confertur gratia? An ad hoc, ut superbia liberi arbitrii, per se satis robusti, gratia velut superfluo ornamento diebus bacchanalibus gestiat ac ludat?* Mira vero facetia. Si homo nihil habet boni, quod non accepit à Deo, si liberi arbitrii vires sunt inefficaces, sine auxilio gratiæ, si hoc ipsum quod potest, est Dei donum, unde tollet cervicem adversus Deum? Quod si sublato libero arbitrio premitur hominis arrogantia, unde tanta insolentia in quibusdam, qui fingunt se nihil tribuere libero arbitrio? Et si nullum est liberum arbitrium, quomodo hîc dicitur satis robustum? An gratia accedens libero arbitrio superfluum erit ornamentum? Sed hujusmodi facetiis *Lutherus* reficit stomachum suum. Si quærat, cur Deus voluerit liberum arbitrium gratiæ cooperari, satis copiose causas exposuit Diatriba. Quoties prædicatur auxilium gratiæ, simul prædicatur impotentia liberi arbitrii, fateor, sed non continuo nihil est, quod sibi non sufficit: nec otiosum est, quod licet actum agit. *Lutherus* perpetuo sic ratiocinatur, non potest totum, ergo nihil potest: non agit nisi cum auxilio, ergo nihil agit. Et hæc est, ut ait, consequentia, quam nec inferorum portæ subvertent. O virum fortem!

205. His ita dissertis, quemadmodum ante sannis & convitiis delassatus transiliit multa testimonia, quæ ex *Paulo* potissimum protulerat Diatriba, sic & nunc hujusmodi multa transilit, pauca scommata jaculans in Diatribæ similitudines, quasi eas omnes ex se commenta sit Diatriba, ac non potius ex probatissimis Scriptoribus, sacrisque Voluminibus hauserit. Quanto supercilio risit id quod citaram ex Propheta *Zacharia*, *Convertimini ad me, & convertar ad vos*, cum ex hujusmodi locis *Augustinus* fateatur statui liberum arbitrium, in tantum ut periclitetur, ne is locus faciat pro *Pelagio*. Quibus ludibriis incessit verba imperandi? Et ex his congestis *Augustinus* serio colligit liberum arbitrium. Quam deliciatus est in verbis subjunctivis, Si quæsieris, si volueris? At ille vir tantus ex his serio fatetur declarari voluntatis arbitrium. Et Diatriba eadem proferens aliquanto nervosius, ni fallor, ineptit, insanit, temulenta est: Nec tamen ignorabat *Lutherus*, unde hæc hausisset Diatriba. Tandem præter na- 206.

turam

Digitized by Google

turam conatur tria bona verba dicere. Credit me bono animo consulere, ut vel pauxillum relinquatur libero arbitrio, quo Scripturæ pugnantes, ut apparet, in concordiam redigantur. Si hoc bono animo consulo, ubi ille animus atheos, *Lucianicus*, irrisor sacrarum Scripturarum, quem toto hoc opere toties exprobravit? Hîc à me requirit, ubi diversa docuerit de libero arbitrio, Non circumagam illum per diversas lucubrationes, hoc SERVVM ARBITRIVM & ASSERTIO declarant quod dico. ASSERTIONEM sic ingreditur, *Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit quod in se est peccat mortaliter.* Hîc tribuit libero arbitrio vim ad peccandum. In progressu scribit: *Quomodo potest sese ad bonum præparare, cum nec in potestate sua sit vias suas malas facere?* Sed apertius etiam aliquanto post: *Unde & hunc articulum necesse est revocare, Male enim dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia de necessitate absoluta eveniunt.* Rursus in eadem assertione, revocat liberum arbitrium ita loquens: *Ex supradictis abunde cognovimus, etiam justos magno certamine contra suam carnem laborare ut faciant bonum, resistisque eis liberum eorum arbitrium.* En tibi restitutum liberum arbitrium ad male agendum potens, quod ante negarat. Hæc in unica ASSERTIONE. Jam in SERVO ARBITRIO, quoties asseverat nullum esse liberum arbitrium, sed absoluta necessitate fieri omnia tum bona tum mala, hoc potissimum argumento, quod præscientia Dei falli non possit? Et tamen concedit liberum arbitrium in rebus inferioribus, quasi quicquam omnino sit quod Dei fugiat præscientiam. Alicubi docet liberum arbitrium nihilo plus agere, quam agat securis in manu fabri, aut lutum in manu figuli: rursus hîc confitetur liberum arbitrium omnia posse auxiliante gratia. Alibi docuit, nullum esse opus hominis bonum quantumvis justi: Hîc fatetur omnia opera hominis posse esse bona auxiliante gratia. Alias docuit omnes res creatas esse contingentes si referantur ad Deum, rursus idem docet omnia necessario fieri, eo quod Deus ea operatur. Itaque ex eodem fonte colligit omnium rerum contingentiam & necessitatem. Sic enim habet assertio: *Nobis enim ad inferna spectantibus res apparent arbitraria & fortuita, sed ad superna spectantibus omnia sunt necessaria.* Quod si omnia pendent à voluntate Dei maxima pariter ac minima, ubi liberum arbitrium quod homini tribuit in rebus inferioribus? Et hîc audio, *mi Erasme*, quæ verba blandientis sint an deridentis mauum non verterim. Nec enim tam delicati sum animi, ut hujus ronchos pati non queam, cum id mihi sit cum probatissimis Ecclesiæ Doctoribus & Orbis Monarchis commune. Nec tam puerilis sum ingenii, ut toto libro tot agitatus convitiis, quot nullus unquam scurra jaculatus est in scurram, tribus verbis deliniar. Non agitur hîc privatum negotium. Alioqui nihil esset facilius, quam famas ac dicteria regerere. In publica fidei causa seponendi sunt affectus privati, à quibus hîc eo magis mihi temperandum est, ne videar ulcisci dolorem meum potius quam Ecclesiæ causam agere. Tum *Lutherus* me suum vocet, si effecerit ut ipsum Ecclesia Catholica possit suum dicere.

Verùm operæ pretium est videre, quantus sibi sit assentator. Decrevit agnoscere culpam, sed sic agnoscit ut culpa vertatur in summam gloriam, adeo nusquam potest sibi displicere. *Quod autem vehementius egerim*, inquit, *agnosco culpam.* Qui tantis convitiis debacchatur in caput hominis à quo nunquam fuit læsus, vix agnoscit, quod paulo vehementius egerit. Verùm hoc quoque modestiæ putat esse nimium, eoque mox corrigit: *Si culpa est*, inquit, *imo testimonium hoc mihi in mundo reddi in causa Dei mirifice gaudeo. Atque utinam & ipse Deus id testimonii in novissimo die confirmaret! Quis enim tum beatior* Luthero, *qui tanto sæculi testimonio commendatur, quod veritatis causam non segniter nec fraudulenter, sed vehementer satis vel potius nimio egerit. Tum illud* Hieremiæ *feliciter evaserim*, Maledictus qui facit opus Domini negligenter. Hactenus ille. Hæc est culpæ confessio, qua quid esse potest glorioſius? Quod testimonium habeat in mundo, norunt omnes. Si mihi persuasum esset illum Dei causam agere, nullus est in Orbe tam potens Monarcha, qui me perpelleret, ut vel tria verba scriberem adversus eum, citius abirem in ignem. Et fieri potest, ut ego vel ob eruditionis inopiam, vel ob ingenii tarditatem parum subtiliter judicem de dogmatibus, verùm hoc me docet certe sensus communis, fieri non posse, ut sincero pectore causam Dei tractet, qui concitatis tantis in Orbe tumultibus, ludit ac deliciatur sannis ac dicteriis, nec unquam expletur: Nec stultitia carere potest tanta insolentia, quantam adhuc in alio vidimus nemine, nec cum Apostolico spiritu congruit tam scurrilis petulantia. Imo hoc ipsum est Dei causam negligenter agere, ineptis dicteriis irritare Principes, ac doctos indecora voce *trotz*. Ista diligentia summa fuit negligentia. Si vere diligens esse cupiebat in opere Dei, *Paulum* oportuit imitari, qui cum esset in omnibus liber, omnium se servum fecit, qui omnia fiebat omnibus, qui per omnia placebat omnibus, qui non quærebat quæ sua sunt, sed quæ *Jesu Christi*, qui non sequebatur quod licebat, sed quod expediebat, qui abstinere jubet ab omni specie mala, hortans ut Christianorum modestia nota sit omnibus hominibus, qui cum sciret idolum nihil esse, nec idolothytum quicquam esse, tamen satius judicavit nullas unquam gustare carnes, quam ut offendiculum daret Euangelio. Idem totondit caput in *Cenchreis* suscepto voto, peregit ritus solemnes, circumcidit *Timotheum*, remisit *Onesimum* hero suo, vetuit ne uxor à marito, ne servus ab hero Ethnico discederet Christianus: Jubet Ethnicis Magistratibus solvi tributum, vectigal, honorem, & si quid aliud deberi videbatur. Præcipit beneficentiam in omnes homines, præcipit Episcopum διδακτικὸν esse, non πλήκτην, eumque vult adeo esse ἀνέγκλητον, ut bonum habeat testimonium, etiam apud alienos: Uxorem vertit in sororem, cum liceret & habere & circumducere. Laborabat manibus, cum liceret de Euangelio vivere, nefas esse judicavit hominibus eloqui quæ didicerat raptus in tertium cœlum, sapientiam arcanam loquebatur inter perfectos, inter cæteros nihil sciebat nisi *Jesum Christum* & hunc crucifixum: breviter apud omnes Euangelium suum temperabat pro captu auditorum. Denique nihil non facit, ut currat Euangelium. Hæc est Apostolica diligentia in opere Domini: quam si *Lutherus* voluisset æmulari, posteaquam negotium tam arduum susceperat, in primis circumspicere debebat, ne quid affectus humani resideret in animo, ne usquam dimoveret oculos à *Christo*. Tum cautum oportuit, ne vel species ulla mali præberet offendiculum infirmis, aut quenquam alienaret à causa pietatis: interim erat & à licitis abstinendum, & veritas erat pro ratione temporum & animorum capacitate dispensanda, ut quod paulatim irrepserat in mores hominum, sensim eximeret, quemadmodum antiquata est Lex *Mosaica*, atque interim quod prima specie durum erat, verbis erat molliendum. Ante omnia vero curandum erat, ne quem in hujus negotii consortium reciperet, cujus mores invitarent quenquam ad Euangelii blasphemiam. Si ex ipsius doctrina maritus comperisset uxorem magis sobriam, magis pudicam, magis morigeram: Si herus famulum emendatiorem, fideliorem, dicto magis audientem, si locator fabrum, vestiarium aut aurificem minus furacem, si conductor mercenarium in præstanda opera sinceriorem, si emtor negotiatorem veraciorem, minusque fucodolum, si creditor debitorem, si depositor depositarium melioris fidei, si amicus amicum in omnibus integriorem, si Magistratus civem legibus obsequentiorem, si præceptor discipulum magis

tractabilem, magnum argumentum erat futurum mei similibus imperitis doctrinam istam à Spiritu Dei proficisci. *Simoni* dixit *Petrus*, *non est tibi pars in sermone hoc.* Quale est Euangelium quod recipit tales, quales nimium multos novimus, quod agnoscit decoctorem, scortis, alea, comessationibus, otio luxuque perditum, nihilque sibi non permittentem, modo sibi nomen equitis possit affingere: & hujus tituli jus esse putat, deludere creditorem, & si repetat mutuum pro hoste ducere, & quoties urget inopia, huic aut illi unde spes est prædæ bellum indicere, publicumque latrocinium belli nomine fucare. Principi jus non est indicere bellum, nisi consilio adhibito. Et is qui pedem ubi ponat non habet, bellum indicit cuilibet. Ac talibus est locus in novo Euangelio, quibus apud Ethnicos in civitate moderata locus non esset. Hoc satis est, approbat mea dogmata: Quid refert de factis, modo adsit fides? Fateor olim & tales recipiebat Euangelium, sed resipiscentes, sed transformatos. Nunc quidam adeo non corriguntur per Euangelium, ut potius videantur deteriores, nec fit ut peccare desinant, sed ut peccent impunitius. Jam si quid erat corrigendum in moribus, aut immutandum in ritibus, id agendum erat ex auctoritate magnatum aut certe ex consensu plurimorum, denique paulatim, neque quicquam submovendum, ni prius paratum esset melius aliquid, quod in illius locum succederet. Nunc quidam sic rem aggrediuntur, quasi possint repente novum Orbem derepente condere. Nihil non displicet, constitutiones, ordines Ecclesiæ, oleum, rasura, missa, cantus, templa, imagines, vestes, scholæ, ceremoniæ, studia, litteræ. Quid autem pulchri vidimus succedere? Nunquam tam bene fuit actum cum rebus humanis, nec unquam agetur in hoc seculo, quin multa sint digna correctione: Verùm ad quædam præstat connivere, quædam condonanda sunt simplicium affectibus: quæ ferri non possunt, aut tolerari debent, si plus habitura videtur discriminis tentata curatio, quam habet ipse morbus, aut arte sensimque corrigenda, sic ut non abjici, sed meliorum successione protrudi videantur. Hanc moderationem si *Lutherus* adhibuisset, habuisset & Principes, & Episcopos, & ex Monachis ac Theologis, quos nunc habet infensissimos, optimum quemque sibi faventem: Hæc loquor fingens causam esse per omnia talem, qualem videri vult *Lutherus*. Profitebatur enim sese Ecclesiæ collapsos mores, ac nonnulla dogmata magis ad commoditates hominum quam ad *Christi* gloriam facientia revocaturum ad sinceritatem. Hoc negotium jam olim suspirabant optimi quique, sed quoniam perspiciebant nisi Deus afflasset animos Principum, sine gravi publicæ tranquillitatis concussione tentari non posse, optabant potius quam sperabant: quod summo quidem Orbis applausu *Lutherus* aggressus est, sed ita se gessit, quasi seditionem, quam in primis vitatam oportuit, affectasse videatur. Nunc non libet commemorare quales habeat plerosque discipulos, illi satis est, quales quales sunt, quod approbant ipsius dogmata. At *Paulus* ne cibum quidem capi vult cum fratre, qui nominatur avarus, aut scortator, aut maledicus. Certe istorum multi ad publicam tranquillitatem adeo sunt inutiles, ut *Turca* quoque feratur *Lutheranorum* nomen exsecrari, seditionis odio, cum Christianos toleret, ab ipsius dogmatibus alienos. Quid hîc commemorem, quanta inter Euangelistas, sic enim ipsi se vocant, dissensio, quam atrox odium, quam amarulenta contentio, imo quanta inconstantia, cum ipse *Lutherus* toties mutarit sua placita, & subinde nova paradoxa suppullulent. Post prophetas Anabaptistas, exorti dicuntur apud *Bohemos*, ad quorum comparationem horum opinio pia videri queat. Nec ullus est finis, semper posterioribus, contra quam habet Græcorum proverbium, deterioribus. Adde nunc in docendo, molestiam, incivilitatem, arrogantiam, amarulentiam. Si vera sunt quæ scribit *Augustinus* de libero arbitrio, minimum est quod potest. Ast hoc quod ab *Augustino* dictum Ecclesia cum fructu legit, *Lutherus* verbis atrocibus & hyperbolis reddidit odiosum. *Nomen sine re*, *Necessitas absoluta rerum omnium. Cacutierunt omnes Ecclesiæ Doctores*, & quasi hîc parum sit odii, addit & inculcat damnata nomina, *Wiclevi*, & *Hussi*: cum *Ambrosius*, *Chrysostomus* & *Hilarius* ab *Origenis*, *Didymi* & *Apollinaris* nominibus temperent, quod non carerent invidia. Mitto interim, sannas, ronchos & dicteria plusquam scurrilia, etiam in Orbis Monarchas. Fingamus esse pium eorum imbecillitati succurrere, qui vel in sacerdotio vel in monachismo continere non possunt, præsertim si quos adolescentes ac rerum imperitos, vel parentum aut tutorum improbitas, vel vis aliqua, vel alius quispiam casus in hoc vitæ genus detrusit verius, quam induxit animi voluntas. Primum is qui hoc docere parabat, debuit ab eo temperare, quod aliis indulgendum putabat: deinde summa circumspectione res erat tractanda, ne dum paucis auxilio dignis subvenire conatur, multos multasque stantes pertraheret in ruinam. Tam prona est hominum ad ea quæ carnis sunt proclivitas. Si *Lutherus* nihil nisi pium docuisset, idque fecisset constanter & graviter, cum Apostolica mansuetudine, nusquam in scriptis dans animi carnis affectibus corrupti significationem, suosque discipulos sic instituisset, ut illorum moribus doctrina commendaretur omnibus, tum poterat nobis prædicare suam in opere Domini diligentiam. Verùm est natura vehementior. Si vehemens esse volebat, habebat *Paulum* tonantem ac fulminantem: Iste deliciatur ac ludit, crebro scurriliter, semper gloriose. Ad quid valet ista petulantia? ut etiam si qua recta sunt, fidem non inveniant, & bona sententia secus quam oportet prolata displiceat. Ne quid interim loquar de versuta quadam vafritie, quam aliquoties scripta hominis resipiunt.

Postremo qualis est hominis animus, talem videmus successum: Omnia spectant ad cruentos tumultus, & interim ille velut otiosus ludit facetiis. Jam petulantia, qua debacchatus est in Diatribam, displicet etiam illis quos habet juratissimos. Et sane modestus homo culpam agnoscit, sed mire extenuans. *Si vero*, inquit, *& in tuam Diatribam acerbior videbor, ignosces.* Primum dubitat an videatur acerbus, imo acerbior, hoc quoque ἀσυνοείζων, cum hactenus in neminem debacchatus sit effrenatius. Sed commovit hominem gravis causa. Quæ? Quod Diatriba vehementer premebat causam *Christi*, non eruditione, quæ nulla est, sed auctoritate. Rideo prætextum auctoritatis, quam ego nullam agnosco. Ergo ut mihi detraheret auctoritatem, ipse scurræ personam sibi sumendam existimavit. Atqui rectius consuluisset & causæ & auctoritati suæ, si rem seriis argumentis tractasset: Nunc si ronchos, convitia, glorias operi demas, vix quarta voluminis pars remanserit. Apud quos autem volebat mihi detrahere convitiis auctoritatem? Apud suos? Eam jam olim æquo posui animo. Apud graves & eruditos viros? Apud hos auctoritatem mei nominis, si qua unquam fuit, auxit. Si gravatur auctoritate, cur obmutuit Academiæ *Parisiensi*, quæ publica auctoritate damnavit ipsius dogmata? Cur mutus est in *Roffensem* Episcopum, cui plus auctoritatis conciliat vitæ sanctimonia, quam vel eruditio vel muneris dignitas? Unius Diatribes auctoritatem ferre non poterat. Quam hæc nullam habent veri faciem! Sed obsequendum erat *Thrasybulo* perfidissimo amicitiæ proditori, & ipsius simillimo *Aslæo*. Nec erat difficile tale plaustrum percellere, quo natura propensissimum est. Cæterum cum insectans alios, ex musca soleat Elephantem reddere, miris delitiis omnia sua ἀσυνοείζη mala, si quid tamen est mali, ac non potius summa virtus. *Quis*, inquit, *sic temperet stylum ubique, ut non alicubi ferveat? Tu qui præ modestiæ studio pene friges in tuo libro, tamen non raro ignita & amarulenta tela jacularis, ut nisi lector multum æquus ac favens sit, virulentus videaris.*

Digitized by Google

ris. Sed hæc nihil ad causam, qui invicem libenter condonare debemus, ut sumus homines, & humani alienum in nobis nihil est. Hæc ille. Cum nemo rabiosius scripserit *Luthero*, vult tamen hoc sibi cum omnibus Scriptoribus esse commune, quod alicubi parum temperarit stylo, sed tamen hoc ipsum proficiscitur à simplicitate ingenii & zelo causæ divinæ, cui mire affectus est. Deinde cum in Diatriba tanta sim usus moderatione, ut plerique judicarent esse collusionem non conflictationem, tamen ait inesse tela quædam, ut virulentus etiam videri possim, ni *Lutherus* esset vehementer æquus ac favens, qui boni consuluerit omnia, videlicet hoc agens, ut agam etiam gratias, quod tam placide tamque amice tractarit Diatribam. Quod ni fuisset homo candidus ac favens, immane quantam convitiorum lernam effudisset, cum nunc favens & candidus & ex animo amicus toto hoc libro tribuat mihi summam omnium rerum inscitiam, stuporem ingenii summum, oblivionem, incogitantiam, oscitantiam, ebrietatem, lethargum, insaniam, levia sunt ista, *Epicureum* animum, *Lucianicum*, hoc est, ἄθεον, qui credat nullum esse Deum, irrisorem divinarum Scripturarum, blasphemum in Deum, & hæc subinde recinuntur, usque ad tædium etiam ipsius, nisi quod mox revigescit maledicendi libido. In Diatriba non video quid possit offendere, nisi quod de miraculis agens, negat quenquam istorum adhuc exstitisse, qui sanarit equum claudum, nec hoc tamen dictum est in *Lutherum* proprie, sed in quosvis ejus conspirationis. O delicatum ingenium, quod tantillum joci ferre non potest, ac vix bene pensatum existimat, tot maledictis, tot irrisionibus, quibus totus illius scatet liber! *Condonemus*, inquit, *nobis vicissim*. Quid hac philautia suavius? Perinde quasi si qui eum, à quo conspersus fuerit aqua, in cœnum provolverit, fustibus contuderit, vulneribus enecarit, satiatus vindicta dicat, *Condonemus nobis invicem, humani nihil alienum est a nobis*. Et hîc demum incipit agnoscere hominem, cum alias agatur Spiritu Dei, quem nusquam orat ut accipiat, sed ut uberius accipiat, nobis precans ut illuminemur, fiamusque vasculum honorificum. At si tanta est animi teneritudo, ut equi claudi dictum ferre non possit, unde tanta lenitas in alios, à quibus aliis tractatur modis, aliis ornatur titulis? Et si Diatribam modestiæ studio frigentem ferre non potest, quomodo tulisset suos proferentem aculeos? Sed fratres illi persuaserant *Erasmum* esse homunculum tenui spiritu, formidolosum, mox emoriturum ad ista convitiorum tonitrua. Nisi me publicæ tranquillitatis respectus cohiberet, sentiret quam timidum homunculum provocasset. Promittit sibi mirificam apud posteros memoriam. At ego potius auguror futurum, ut nullum nomen sub Sole fuerit unquam exsecrabilius *Lutheri* nomine, & apud Papistas & apud Antipapistas. Mundi Principes huic mundo deditos irritavit, causam emendandæ disciplinæ Ecclesiasticæ, cui favebant optimi quique, sic exulceravit, ut & adversariorum vires auxerit, & malum reddiderit immedicabile, quod ni Deus velut è machina succurrerit nunquam sopietur, nisi maxima Christiani sanguinis effusione. Primitias jam vidimus in rusticis. Et hoc statu rerum ille ludit dicteriis in quos lubitum est.

Erat aliud quod illi movit stomachum in Diatriba. Quid? Quod *Philippi* sententiam ipsius suppresso nomine taxarim. O non ferendam virulentiam! Nunc Libellis Germanice scriptis objicit ingratitudinem quod taxarim *Wilhelmum*. Est-ne quisquam hoc nomine? Si nullus est nec fuit, nullius est à me nomen proditum, & tamen illi quisquis fuit nihil debeo, multum ille mihi. Fuit amicus, sed illius unius amicitia plus attulit mihi malorum quam multorum inimicitia. Hoc satis est de mortuo. Puto *Jonam* non esse tam improbum, ut jactet sua in me officia. Visus est olim mihi vir sano placidoque ingenio, priusquam *Lutheri* spiritu esset afflatus, qualis nunc sit nescio. Nec aliud queri de me potest, nisi quod eum dissentientem adversus *Fabrum Lutheri* exemplo nimium admiscuisse convitiorum scripsi. Hoc etiamsi tacuissem, liber editus arguebat. Hæc admonitio erat, non insectatio. Quod autem habet argumentum querimoniæ? Nimirum grave seriumque sit oportet, quod ingenium tam mansuetum exacerbarit. Cum Diatribe prodisset, adeo non aculeata, ut ipse *Lutherus* fateatur eam præ modestiæ studio frigere: Et tamen ille dira spirans apparabat cruentum calamum, suo more tractaturus *Erasmum*, ni duo, quibus plurimum tribuebat, restinxissent hoc incendium, *Wilhelmus*, & doctor *Jonas*, quorum uterque magnis precibus agebat, ut moderate placideque responderet, allegantes caniciem ac senectutem meam honorificam ac veneratione dignam, meque laudibus prorsum Angelicis in cœlum vehentes. Hæc, ut ait, cogebatur non audire modo, verum etiam credere, cum longe aliud illi loqueretur Apologia, qua respondi *Fabro Stapulensi*: nam hoc ulcus jam olim obductum refricare conatur, cum incolumi amicitia inter *Fabrum* ac me constiterit illa concertatio. Sed aliquis illi lætum sed vanum nuntium attulit, *Fabrum* ab ipso stare. Hinc illæ lacrymæ! Hominis humanitatem specta, tantum tribuit duobus amicissimis *Wilhelmo* & *Jonæ*, ut Diatribæ, quæ nihil aliud quam conferebat, tanta modestia tantaque mansuetudine responderit, quantam videmus in hoc libro cui nunc respondeo. Non est meæ civilitatis hîc recitare litteras, quas mox edito libro privatim ad me scripsit, in quibus hoc agit, ut ipsi gratias agam, quod tam amice candideque me tractasset, longe aliter scripturus, si cum hoste fuisset res. Quod unquam ingenium sic sibi placuit? Et hæc rursus admiscet, redditurus rationem quare scripserit Regi *Anglorum*, offensam deprecans. Hoc imputat *Christierno* Regi *Daniæ*, alterum *Wilhelmo* & *Jonæ*. Bella comparatio! Esto, fuerit *Danorum* Rex auctor, ut litteris placaret Regis animum, in cujus nomen tam scurriliter fuerat debacchatus: Num etiam hoc suaserat, ut sic tractaret eum quem sciebat Regi cariissimum esse? Hîc non solum Christianam modestiam, verum etiam prudentiam vulgarem in *Luthero* desiderare cogimur: Et hæc *Lutherus* Germanico sermone spargit per Orbem, tametsi levius commoveor his insectationibus, quam invidiosis laudibus. Quæ res hortabatur, ut ejusdem libelli initio, meam eruditionem partibus infinitis præferat eruditioni Regis *Angliæ*, cum omnibus ipsius sciolis? Sic enim ille loquitur. Quid hîc, inquam, erat causæ, ut me conferret Regi ac doctis *Angliæ*, potius quam *Bilibaldum*, aut *Budæum*, aut *Leonicenum*, aut alium quemvis è turba Scriptorum? Rex Latine scripserat, nec illic ulla syllaba fiebat mei mentio, nec quicquam erat quod ad me pertineret, illi respondendum erat Latine: & hîc omisso Rege concionatur Saxonice, ex abrupto miscens *Erasmi* nomen, *in lente*, ut ajunt, *unguentum*, ἐς δέον πρὸς τὸν Διόγνητον. Non enim puto hominem esse tam stultum, ut existimet me talibus laudibus delectari. Verùm illud affectavit ut mihi apud *Britannos*, apud quos habeo constantissimos ac sincerissimos amicos, conflet invidiam. Quid Rex possit eruditione, libris editis declaravit. Quod attinet ad sciolos, non arbitror ullam esse provinciam, ex animo loquor, quæ pluribus insigniter eruditis viris abundet in omni litterarum genere, quanquam pauci suas evulgant lucubrationes. In hoc numero neminem novi tam mediocrem, cui merito possim eruditione conferri. Verùm his de rebus nimium. Ob hæc id potissimum attigi, ut intelligant qui pro oraculo ducunt quicquid scripserit *Lutherus*, cui spiritui credant salutem animarum suarum.

Post hæc instaurat triumphum, jacet prostrata Diatriba, tot confossa vulneribus, nec solum saucia telis hostilibus, verum etiam omnia tela, quæ miserat in hostem, in ipsius vitalia retorta sunt. Et tamen victor producit alteram aciem, sed ad triumphum verius quam ad pugnam. Quis enim pugnare dignetur adversus cadaver exanime? Non producit tamen totam aciem. * Infiniunt 207.

* Forsan, *Infinitum*.

finiunt id quidem, cum ſinguli apices & litteræ ſtent pro ipſius dogmate. Agnoſcis lector hyperbolen. *Paulum* duntaxat & *Joannem* Euangeliſtam producit, in quibus declarabit, quantum valeat in torquendis Scripturis, ſi in cæteris quoque vires ſuas oſtentare voluiſſet. Verùm an his reſpondere meum ſit neſcio. Nam Diatriba potiſſimum ſuſceperat certamen cum duabus opinionibus, quarum altera dicebat liberum arbitrium per ſe nihil poſſe niſi in malum, in bono opere nihil agere, ſed tantum pati, altera, quæ erat *Lutheri*, dicebat, inane nomen eſſe liberum arbitrium, nec in bonum quicquam poſſe nec in malum. Jam ſæpius teſtatus ſum Scholaſticorum opinionem, quod liberum arbitrium ſuis viribus poſſit promereri, ſaltem de congruo, gratiam juſtificantem, me nec probare nec improbare: proclivior tamen ad probandum quam ad improbandum. *Auguſtini* ſententiam defendi, quæ docet liberum arbitrium eſſe quidem in homine, ſed ob peccatum inefficax ad gratiam juſtificantem, niſi gratiæ præſidio juvetur. Verùm idem ponit in homine voluntatem & conatum, ſed inefficacem, ponit gratiam pulſantem, quæ nondum juſtificat, & ex conſequenti ponit ſtatum hominis medium, quaſique tranſitum, quo jam nec inter impios, nec inter juſtos numerari poteſt, ſed verſatur adhuc, ut ita loquar, inter gratiæ materiam macerantis manus. Ait enim, deſiderare gratiam, initium eſt gratiæ, At multi deſiderant gratiam, qui vivunt in peccatis. Hoc autem tribuit libero arbitrio, quod ſe poteſt ab oblata gratia avertere, poteſt ſeſe illi præbere, poteſt ſe jam adeptæ ſubducere vel negligentia, ſi non agnoſcat donum, quod in uſuram accepit, vel arrogantia, ſi ſibi tribuat quod Dei eſt. Non enim patitur *Auguſtinus*, ut ex bonis ullam ſibi portiunculam arroget homo, cum hoc ipſum, quod poteſt liberum arbitrium, ſit Dei donum: Bonum appellat, opinor, quod reddit hominem beatum. Sunt enim varia bonorum genera. Exiſtimat autem hominis voluntatem actam agere in bono opere, hoc eſt, gratiæ cooperari. Jam ſi *Lutherus* dirigit aciem in eos, qui docent liberum arbitrium meris naturæ viribus pertingere ad gratiam juſtificantem, cum aliis illi res eſt, non mecum. Sed ſpectemus hanc aciem: *Paulus*, inquit, *ad* Romanos *ſcribens ſic ingreditur adverſus liberum arbitrium pro gratia Dei*. Statim quod ſumit falſum eſſe docuimus. Aliud enim illic agit *Paulus*, nimirum ut retundat Philoſophorum arrogantiam, qui veluti perfecti contemnebant Dei gratiam. Quod ſi *Lutherus*, qui toties dixit nullum eſſe liberum arbitrium, ſed abſoluta neceſſitate fieri omnia, hîc perſuadere nititur, liberum arbitrium abſque gratia non ſufficere ad ſalutem, me quidem habet aſſentientem. Neque enim gratia pugnat cum libero arbitrio, ſed adjuvat imbecille, & ex utcunque libero facit liberius. Sed age, quid tandem ait *Paulus? Revelatur ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent*. Hunc ſermonem vult hîc eſſe generalem vel univerſalem potius, Primum ut ad omnes homines pertineat: deinde ut accipiamus, quicquid egerunt vel Gentes vel *Judæi* abſque fide in *Chriſtum*, fuiſſe impium ac damnabile, cum ea quæ ſequuntur apud *Paulum* declarent hæc ad Gentes pertinere: *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Inviſibilia enim illius à creatura mundi*, &c. Verùm hoc non ita magni refert. Quanquam ante docuimus, hæc crimina, quæ *Paulus* refert, non competere in omnes Gentes, ſed genus hominum accuſari, non ſingulos homines, & pleroſque tales fuiſſe, ut paucorum exceptio non impediat generale proloquium, quod frequenter accidere in Scripturis, multis exemplis docent *Origenes*, *Ambroſius* & *Auguſtinus*. De altero mox videbimus. Interim nullum non movet lapidem, ut ex propoſitione indefinita faciat univerſalem. *Hîc*, inquit, *ego dico apud* Paulum *idem valere, ſi dixeris*, ſuper omnem impietatem omnium hominum. *Hebraicatur enim* Paulus *fere ubique*. Hoc dicit *Lutherus*, ſed ſolus. Vide vero unde petat ſuppetias, ab idiomate Hebræorum! Et Latini nonnunquam ponunt hominem pro omni homine, ut cum dicunt, *homo eſt animal rationale mortale*. Verùm quoniam id nec apud Hebræos nec apud nos perpetuum eſt, infirmum eſt argumentum *Lutheri*. Sed finge *Paulum* dixiſſe, *omnium hominum*, quid hoc ad univerſalem propoſitionem, cum adſtringat illam id quod ſequitur, *eorum qui detinent veritatem Dei in injuſtitia*. Hoc tametſi quadrat in Philoſophos turpiter viventes, non tamen quadrat in omnes Ethnicos, quorum multi ſimpliciter errabant, ignari veritatis, quam noverant Philoſophi. Alteras ſuppetias petit ab articulo Græco. *Non eſt*, inquit, *Græce*, eorum qui detinent, *ſed* hominum detinentium, *ut hoc ſit velut epitheton* omnium hominum, *ſicut cum dicitur*, Pater noſter qui es in cœlis. Hæc ille. Si articulus Græcus ſeparat patrem cœleſtem à patre terreſtri, & hîc τῶν κατεχόντων diſcernit eos Philoſophos, qui veritatem cognitam detinent in injuſtitia, ab his qui non detinent, quod annotavit *Origenes*, ubi eſt igitur proloquium univerſale? Probabile eſt à morte *Chriſti* multos *Judæos* fuiſſe ſervatos, qui non expreſſe credebant *Chriſtum* Deum & hominem natum ex Virgine, ſedere ad dextram Patris, cum hæc nondum eſſent ſatis prædicata. Sufficiebat illis illa qualiſcunque pro tempore fides. Quid ſi inter Gentes quoque fuerunt, quorum fidem approbarit Deus? Credebant enim quidam Deum eſſe mentem ſummam, æternam, omnipotentem, incomprehenſibilem, qua nihil melius majuſve poſſit cogitari, creatricem, & gubernatricem rerum omnium, remuneratricem pietatis, ultricem impietatis. Nec enim refert, quo nomine illam appellarint, mundum, naturam, *Jovem*, aut alio quocunque nomine, ut Dei bonitas ſupplerit quod naturæ viribus erat diminutum. Hoc interim diſputandi gratia duntaxat dictum eſſe volo: tametſi Divus *Ambroſius* in libris *de vocatione Gentium* non ſemel arbitratur, Dei providentiam nulli ætati, nulli genti, nulli hominum defuiſſe ad ſalutem. Quod autem ira Dei dicitur revelari, non huc pertinet, quod nullus ante Euangelium noverit Deum ultorem malefactorum, cum Apoſtolus de Philoſophis ſcribat, *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent*, &c. ſed quod oblata cunctis gratia jam apparerent inexcuſabiles, qui tantum donum oblatum contemnerent. Ridiculum eſt autem quod colligit *Lutherus*, revelatur ira, ergo nemo noverat ſe dignum ultione. Revelatur prædicatione clariſſima per univerſum Orbem, revelatur ademta omni excuſatione, vel ignorantiæ vel deſperationis, cum antea complures ignorarent ſe peccare, nonnulli crederent non eſſe Deum, nec animas ſupereſſe corporibus.

Jam ut hæc ad omnes pertineant qui non credebant 210.
Euangelio, non ſtatim ſequitur, quod in homine præſtantiſſimum eſt, eſſe impietatem. Ut enim demus morales virtutes non ſufficere ad Euangelicam juſtitiam abſque fide; non tamen impie faciebant honorando parentes, diligentes liberos & uxores, ſublevando pauperes, ægrotos & afflictos, quod multi non ob aliud faciebant, niſi quia per ſe erat bono viro dignum, & ſibi vellent eadem fieri, ſi ſimilis incidiſſet caſus. Hos citius inveniſſes apud idiotas, quam apud Philoſophos, ſi Satyris illorum credimus. Jam non ideo ſumma vis animi, qua Deum noverunt, quaque quid honeſtum eſſet perſpexerunt & appetierunt, erat impia, ſi plerique corrupti carnis affectibus, prolapſi ſunt ad turpitudinem. Nec ideo caruerunt libero arbitrio, quia abuſi ſunt libero arbitrio. Largiamur autem quod affectat *Lutherus*, omnes & *Judæos* & Gentes fuiſſe impios priuſquam crederent Euangelio, quod eſt falſiſſimum, quid hoc adverſus noſtram opinionem? An ubicunque peccatum eſt, ibi nullum eſt liberum arbitrium? cum *Auguſtinus* etiam *Pharaoni* non adimat liberum arbitrium. Sin hoc agit ut doceat liberi arbitrii vires non ſufficere ad ſalutem abſque præſidio gratiæ, me quidem, ut dixi, habet aſſentientem. Verùm ante ſufficienter præ-

Digitized by Google

prædicatam Euangelii gratiam ſufficiebat *Judæis* illa confuſa fides in *Chriſtum*, quæ non ſufficiebat Euangelii luce jam coruſcante. Fortaſſe tales reperiebantur & inter Gentes. Et hinc illud *Judæorum* ſcandalum, ac Gentium contemtus. Ita exoriens Euangelii lux, fecit ut qui prius erant juſti, jam non eſſent juſti, niſi crederent Euangelio. Atque hoc *Paulus* vocat revelari iram de cœlo ſuper omnem impietatem. Sic autem ira revelata fuiſſet etiam ſuper multos Judæos, quos nunc habet cœlum, ſi non credidiſſent Euangelio prædicato, cum ut eſt probabile multa ignorarint vera, quæ patefecit Euangelium, veluti de natura divina & humana juncta in eadem hypoſtaſi, de Filio Patri *homuſio*, de Spiritu Sancto Deo ex utroque procedente, de partu Virginis, de reſurrectione, de adſcenſione, de conſeſſu ad dextram Patris, de corpore & ſanguine ſumendo in Euchariſtia, deque reliquis Eccleſiæ Sacramentis. Ad hæc ſicuti qui juſtus dicitur non ſtatim vacat omni vitio, ita qui dicuntur injuſti, non ita dicuntur injuſti, ut nihil habeant boni, ſed quod magnis multiſque criminibus obnoxii ſunt. At *Lutherus* ſic colligit, egent juſtificatore, ideo quod habent optimum, impium eſt. Hujuſmodi hyperbolis delectatur. Jam torquet & illud, *in cogitationibus*, quod Græce eſt διαλογισμοῖς, quæ vox videtur eſſe ratiocinantium. At *Paulus* non damnat in illis, quod male ratiocinati ſint de Deo, cujus ſempiternam divinitatem erant aſſequuti, ſed quod affectibus corrupti, cognitum Deum non ut oportuit coluerunt. Quemadmodum *Seneca* deridet cultum Deorum, quem tamen obſervandum putat, non quod eſſet pius, ſed quia leges publicæ fieri juberent. Nec ideo nulla eſt ad bonum propenſio, ſi ratio cupiditatibus obruitur abſque gratia. Atque interim ſibi non conſtat *Lutherus*. Quoties negavit eſſe ullum conatum ad honeſta? Quod & hîc iterat, tamen velut oblitus ſui, dicit hîc, *cum fieri non potuerit, quin aliquot inter Judæos & Gentes ſumma vi liberi arbitrii egerint & conati ſint*. Nec ſequitur, ille conatus abſque gratia fuit imperfectus, ergo fuit impius.

213. Porro quod *Pauli* teſtimonium, *Omnes declinaverunt*, &c. torquet ad omnes Judæos, oſtendimus in ſingulos non poſſe competere, ſed hæc in genere dicta eſſe, quod plerique tales eſſent ante Euangelium, id quod patuit in perſequendo *Chriſtum*. *Lutherus* excipit illos, qui erant in ſpiritu. At tales erant & inter *Judæos* ante vulgatum Euangelium, & fortaſſis inter Gentes, quando *Moſi* Lex, quoniam non erat omnibus data, non obligabat omnes, nec ab his exigebatur exacta fides omnium articulorum, quæ requirebatur à Judæis, ſed exactior à Chriſtianis. Nam *Lutherus* hunc *Pauli* locum applicat ad univerſum genus mortalium, cum ſacri Doctores affirment dictum proprie in Judæos, quos per Legis verba coarguit, ne putarent hæc ad Gentes pertinere. Quod autem hæc in Judæos dicantur, duplex adferunt argumentum: alterum quod Gentibus in propria cauſa exprobrarit, quæ hîc dicit in Judæos, nimirum Cap. I. alterum quia *Paulus* ſubnectit, *Scimus autem quæcunque Lex loquitur, iis qui in Lege ſunt loquitur*. Verùm, inquiet, ſi hæc quadrant in Judæos, multo magis quadrabunt in Gentes, *ſine lege, ſine Deo viventes*. Num igitur vult hæc omnia dici in univerſum hominum genus, nulla prorſus exceptione facta? Dicat igitur, quo tempore proſpexit Deus: Ante Legem, an ſub Lege: ante proditum Euangelium, an poſt? An ſemper proſpiciens ea loquitur, quæ refert *Paulus*? Atqui ante Legem fuit *Abel*, *Enoch*, *Noe*, *Melchiſedec*, *Job*, in quos hæc verba nequaquam competunt. Sub Lege multi juſtitiæ titulo prædicati ſunt, de quibus teſtatur Scriptura, quod in toto corde Deum exquiſierint: Velut hic ipſe *David*, *toto corde meo exquiſivi te: ne repellas me à mandatis tuis*. Abſit autem, ut hæc verba congruant in totam *Chriſti* Eccleſiam. *Hieronymus* cæterique probatiores hujus Pſalmi vaticinium arbitrantur ad id tempus referendum, quo paſſus eſt Dominus, cum adeo declinarant omnes, ut ipſe etiam Apoſtolorum princeps Dominum abjurarit. Quanquam nec in hos, aut *Nicodemum*, alioſque diſcipulos ac diſcipulas Domini competunt hæc tam atrocia, quæ hîc dicuntur. Siquidem in hac hiſtoria refertur mulierculârum pietas, quæ parabant aromata, nec omnes *Judæi* blaſphemias jaculati ſunt in *Jeſum*, nec omnes conſenſerunt in necem innocentis. Ne quid interim memorem de Judæis procul habitantibus, ac per orbem terrarum ſparſis, & ignaris quid *Hieroſolymis* ageretur. Itaque ut demus hæc ad Judæos eſſe referenda, non poſſunt in omnes quadrare, cum in eodem Pſalmo legatur, *Qui devorant plebem meam, ſicut eſcam panis*. Quî convenit, ut plebs Dei dicantur, in quos iſta tam atrocia competant, quæ nec in Ethnicos omnes unquam dici potuerunt? Adde quod ipſum Pſalmi exordium indicat hæc non in univerſos homines, ſed in impios dici: ſic enim incipit: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*. Quanquam mox in proſpectu Dei, mutatur numerus, & additur ſignum generalitatis, *Omnes declinaverunt: ſimul inutiles facti ſunt*. *Chriſtus* tum aggreſſus eſt Satanæ tyrannidem, cum is maxime regnaret in Mundo. Quod ſi ne tum quidem hoc vaticinium competebat in omnes mortales, nullum fuit tempus, quo potuit in omnes dici juxta *Lutheri* interpretationem. Quod ſi juxta *Ambroſii* doctrinam, generalem ſermonem referimus ad unam totius generis partem, ut omnes dicantur declinaſſe, qui vacabant Dei Spiritu, nihil agit *Paulus* hoc teſtimonio, qui conatur oſtendere, mortales univerſos peccaſſe, & egere gloria Dei, quæ per Euangelii gratiam aperiebatur. Jam quando conſtat, hoc teſtimonium è diverſis Scripturarum locis contextum eſſe, hi verſus, *Sepulcrum patens eſt guttur eorum, Linguis ſuis doloſe agebant*, non dicuntur à Deo proſpiciente ſuper filios hominum, ſed à Propheta adverſus pietatis inimicos. Porro non omnes eſſe tales, declarant quæ ſequuntur, *Et latentur omnes qui ſperant in te Domine*. Rurſum quod ſequitur, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*, in eoſdem dicitur, nec in omnes competere, declarat quod ſequitur: *Verùm tamen juſti confitebuntur nomini tuo*. Proxima particula ſumta eſt ex Pſalmo nono, ubi numero ſingulari dictum eſt, *Cujus os maledictione plenum eſt*: & ibi mentio fit juſtorum, quorum deſiderium exaudivit Dominus. Ultimus verſiculus, *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*, eſt in principio Pſalmi XXXV. numero ſingulari, *Dixit inſipiens in ſemetipſo: non eſt timor ante oculos ejus*. Nec hæc dici in univerſum hominum genus, declarant illa ejuſdem Pſalmi, *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt*. Qui in medio ſunt tres verſiculi ſumti ſunt ex *Eſaia* Cap. LIX. In quo Deus exprobrat populo ſuam malitiam, non quod tales eſſent nati, ſed quod prava voluntate receſſiſſent à Domino. Nec cum aliis expoſtulat, quam cum Judæis. Cæterum *Hieronymus* indicat, ab his verbis, *Sepulchrum patens*, uſque ad illa, *Non eſt timor Dei*, quod in medio eſt Pſalmi XIII. apud Hebræos non haberi, ſed à ſtudioſo quopiam adjectum ex *Pauli* citatione, qui ſuſpicatus ſit in Pſalmo deeſſe, quod aliis ex locis erat attextum. Cum hîc Apoſtolus ex locis tam diverſis contexuerit teſtimonium, cum bis mutato numero, quod in unum dictum eſt, torſerit in omnes, tamen *Lutherus* miram excitavit tragœdiam, quod Diatriba dixerit, aliquoties apud hunc magis pugnare teſtimonia, quam ſuis locis, quod tamen in Apoſtoli laudem dictum eſt, qui ſcite gnaviterque pugnet Scripturis. Sed ut ad rem, ſi totus hic locus, ut vult *Lutherus*, ad univerſum hominum genus pertinet, quid faciemus de tot viris divino teſtimonio comprobatis, quibuſdam etiam in utero ſanctificatis? Denique quid faciemus *Joanni* Baptiſtæ, qui Propheta fuit antequam natus? Si tantum refertur ad eos qui erant in carne, nondum renati ſpiritu, quî cohæret quod ſequitur, *ut omnis mundus ſubjectus fiat Deo*. Conſtat enim hîc *mundum* dici, non tantum mundo deditos, verum univerſum mortalium genus à mundi primordiis uſque

ad finem. Et *Origenes* dubitat, an ſermo pertineat etiam ad Angelos, tantum abeſt ut quenquam excludat hominem. Rurſum ſi ad univerſos pertinet, an etiam in pueros hærebunt illa, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*, & qui fari per ætatem non poſſunt, dicentur habere os maledictione plenum, & qui ingredi nondum poſſunt, habent veloces pedes ad effundendum ſanguinem? Quanquam quid loquor de pueris? Quis fuit unquam apud Ethnicos populus tam ſceleroſus, ut in univerſos hæc omnia competerent, quæ *Lutherus* vult in univerſos & ſingulos homines congruere?

Dices, quorſum hic tendit ſermo? An ut vel Scriptura mentiatur, vel *Paulus* mala fide citarit Scripturam? Abſit. Sed ut *Lutheri* telum, quod exiſtimat eſſe certiſſimum, repellam. Hic ſermo generalis ad univerſos homines pertinet, excepto uno *Chriſto*, & ſi libet, diva Virgine, ut filius & mater pro uno numerentur: Hoc ideo dico, quod quidam, *uſque ad unum*, interpretantur, uſque ad *Chriſtum*: ut accipiamus *Chriſtum* exceptum: Quanquam mea ſententia germanus Prophetæ ſenſus eſt, ut *uſque ad unum* perinde valeat, quaſi dixiſſet, *ne unus quidem*: & *ne unus quidem* idem ſonet quod *nullus*. Quanquam hæc particula, *uſque ad unum*, non additur in hoc Pſalmo, qui ex XIII. aut LII. Fateor igitur hunc ſermonem ad omnes pertinere, juxta rationes quas ante propoſuimus, quarum una eſt, ut generalis ſermonis veritas conſtet, etiamſi pauci ſint, in quos iſta non quadrent. Altera eſt, ſi generalis enuntiatio non referatur ad ſingulos homines, ſed ad genera ſingulorum: ut intelligamus nullam fuiſſe ſub cœlo nationem, quæ non maxima ex parte fuerit corrupta talibus vitiis, aut ſimilibus: quo tropo dicimus totam civitatem infectam, in qua nulla pars eſt à peſte libera, aut in qua perpauci ſunt non infecti. Quod ſi quis velit hujuſmodi ſermones urgere ad exactam Dialecticæ rationem, audiet, *Summum jus, ſumma injuria eſt*: & cogetur alios multos ad eandem exigere regulam, quod cum nullo modo poterit, velit nolit concedet nobis, ut hunc ſermonem juxta ſenſum communem interpretemur, duntaxat quantum ad aliquot hujus ſermonis particulas. Addam illud, hunc ſermonem non eſſe dictum niſi in eos, qui talium criminum capaces ſunt, hoc eſt, non in infantes, ſed in adultos. Poſtremo ſumma quidem ſcelerum cadit in univerſum hominum genus, at non ſingulæ particulæ quadrant in ſingulos: Veluti ſi quis diceret univerſos *Ninivitas* eſſe ſceleribus variis contaminatos, adulteriis, veneficiis, rapinis & homicidiis, non ſignificaret ſingulos illorum eſſe tales, ſed inter illos multos eſſe tales. Proinde *Lutherus* impudenter facit, qui quod in his eſt atrociſſimum, torquet ad ſingulos homines, *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*: Verum eſt, ſed *omnes dicunt in corde ſuo, non eſt Deus*, & *omnes habent venenum aſpidum ſub labiis*, de ſingulis dici non poteſt, ne de Gentibus quidem. Porro quod ait, *Non eſt qui faciat bonum*, aut per hyperbolen eſt dictum, aut nullus facere dicitur, quod à pauciſſimis fit: Aut non quodvis bonum intelligamus, ſed illud bonum, ad quod conditi ſumus, & quod redditur beatis, quod ſolus ille largitur, qui ſolus eſt vere bonus. Jam ſi *Lutherus* hyperbolis ſuis exaggerans in immenſum omnia, clamet in præſtantiſſima hominis parte, videlicet ratione, ſummam eſſe Dei ignorantiam, in proxima, voluntate, ſummum Dei contemtum & odium, non animadvertit, quod dum hæc in immenſum attollit intentus victoriæ, *Paulum* facit ſecum eodem in loco pugnantem. Quî convenit enim, ut nunc ſentiat Apoſtolus, eos extrema veri, honeſti, Deique teneri ignorantia, de quibus paulo ante ſcripſerat, *Super omnem injuſtitiam hominum, qui veritatem in injuſtitia detinent*? ac rurſus, *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, quod qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum ea faciunt, verum etiam aſſentiuntur facientibus*. Hoc de cognitione honeſti. De cognitione Dei, ſic illis teſtimonium perhibet, *Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*: adeo non tribuens illis extremam ignorantiam Dei, ut exprobret illis quod ex rebus cognitis intellexerint inviſibilem Dei naturam, ſempiternamque virtutem, poſtremo ipſam Deitatem. Quantum abſunt hæc verba *Pauli* à *Lutheranis* hyperbolis? Cæterum quod ad voluntatem attinet, alibi *Paulus* ſub perſona peccatoris loquitur, *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Item, *Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt*, &c. His verbis non ſolum tribuit illis velle bonum, ſed etiam facere bonum. Ac mox in Gentibus inducit conſcientiæ συνειδήσιον, cogitationibus ſe viciſſim accuſantibus aut defendentibus. Hæc non conſtant cum *Lutheranæ* exaggerata rerum omnium ignorantia. Similiter exaggerat illud, *Simul inutiles facti ſunt*, id eſt, prorſus inutiles. Non erat illi ſatis, inutiles ad innocentiam Euangelicam. Item, *Non eſt qui faciat bonum*, attollit, nihil omnino boni poſſunt omnibus ſuis viribus, ſed extremæ malitiæ plena ſunt omnia, quæ ſapiunt & faciunt.

Hactenus pro Gentibus reſpondimus. Nunc veniamus ad Judæos, ad quos hæc proprie pertinere teſtatur ipſe *Paulus*. In horum præſtantiſſimis partibus erat ſumma ignorantia Dei. Quid igitur ſibi volunt illa, *Si autem Judæus cognominaris, & requieſcis in Lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem, & probas meliora inſtructus per Legem*, &c. Audis-ne profundiſſimam rerum omnium ignorantiam? Atqui hæc dicuntur in Judæos improbos. Id arguunt quæ ſequuntur, *Qui alium doces, teipſum non doces, Qui prædicas non furandum, furaris*. Apoſtolus accuſat utroſque, Gentes, quod Deum, naturæ viribus cognitum, non ut Deum glorificaverunt, Judæos, quod per Legem inſtructi ſcientia fugiendorum & expetendorum, alio deflexerunt animum. Non enim poterat juſte accuſare voluntatem, niſi tribuiſſet illis ſcientiam. At *Lutherus* utrumque prorſus adimens homini, merito fatetur Deum immerentes & ſervare & perdere, cum *Paulus* eodem in loco ſcribat, *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum*. Quod ſi nullo reſpectu meritorum nulloque momento in libero arbitrio poſito, quoſdam ſervat, quoſdam damnat, quî convenit apud Deum nullum eſſe diſcrimen perſonarum? Hos nodos ubi diſſolverit, tum pergat exaggerationibus plus quam tragicis ſingula quantum volet attollere: nam his aliquot occupat Capita. Nunc quo magis exaggerat, hoc magis Apoſtolus ſecum ipſe pugnat. His cognitis per ſe cuivis liquet, quam illa ſint frigida, quæ μάλα τραγικῶς intonabat, *Ergo* Chriſtus *non redemit niſi viliſſimam hominis partem, præſtantiſſima parte ſui redemtor fuit*. Hos fumos ſi procul cernas, putes aliquid eſſe, ſi propius admoveas oculos, mera ludibria ſunt. An Diatriba non ingenue profeſſa eſt, & rationem & voluntatem hominis fuiſſe vitiatam peccato *Adæ*, ſed multo magis noſtro. Sed nihil reſidere boni, nec in ratione, nec in voluntate, non ſolum præter ſenſum communem, verum etiam impium dictu eſt, cum *Paulus* tantum boni tribuat Philoſophis Ethnicis & Judæis ſceleratis. Verùm imponit nobis paralogiſmis vocabulorum, quoties bonum dicimus, ille interpretatur unicum illud bonum, quo beamur, cum intelligere dicimus, interpretatur perfectam cognitionem, cum velle, voluntatem interpretatur efficacem ad juſtitiam abſque gratia. Atque interim multa impudentiſſime colligit, *Si conatus*, inquit, *reliquus eſt bonus, falſum eſt, quod eos ſub peccato eſſe dicit*. Quid ego audio? Cum nos doceat etiam juſtificatos eſſe in opere quovis ſub peccato, imo ſub regno Satanæ, miratur ſi conatus aliquis bonus dici poſſit in homine nondum renato. Bonum accipio non abſolute bonum, ſed quod aliquem habeat gradum ad bonum, quemadmodum dicimus feracem terram, non quæ fert multam ſegetem, ſed quæ culta poſſit ferre, ejuſque rei jam ſponte prodat aliquod ſpecimen, velut invitans agricolarum induſtriam. Ratiocinatur & hunc in modum: In hoc

totus

Digitized by Google

totus incumbit *Paulus*, ut gratiam neceſſariam faciat cunctis hominibus: Si autem per ſe aliquid poſſent incipere, gratia non foret opus. Si quis ſophiſticari velit de verbo incipiendi, etiam naturæ dotes ſcatent à gratia: verùm hoc alias. An hoc enthymema non ſtatim rejicit ſenſus hominum communis? Si ægrotus utcunque concoxit, non habet opus Medico. Si vulneratus utcunque claudicat, non opus habet chirurgo: Imo ut propius conferam, ſi tantum ſiniſtro laborat oculo, non eget collyrio, quia dexter ſanus eſt? Aut qui febri laborat non eget Medico, quia caret hydrope, pleuritide, gravedine, podagra, aliiſque morbis innumeris. Si ulla pars hominis quicquam habet ſani, aut ſemiſani, fruſtra eſt Medicus: ita ſcilicet quicquid eſt in homine, quod non ſit extreme malum, fruſtra eſt gratia. Quid his exaggerationibus ineptius? Quod eſt pudor in adoleſcente, hoc eſt probitas moralis in homine. Non eſt perfecta virtus, & tamen virtus eſt potius quam vitium, nihilo ſecius indoles eſt perfectæ virtutis ſpem faciens. Ita Medici libentius ac facilius curant corpus bonæ temperaturæ, quam malæ. Abeſt illa ſanitas, ſed inſunt priſtinæ ſanitatis reliquiæ, quæ viciſſim artem Medici juvant excitatæ pharmaco, nonnunquam & citra Medicorum operam morbum ſuperant, quanquam hactenus nos deſtituit ſimilitudo. Abſque Medico conditi ſumus, abſque Medico ſæpe convaleſcimus: abſque Deo nec ſumus, nec valemus. Poſtremo cum hoc ipſum, quod in homine reſidet, ex Dei bonitate relictum ſit, in tantum illud extenuare, dejicere & corrumpere, quid aliud eſt quam Dei benignitatem elevare? Erat ingens Judæorum ſupercilium, & hinc periclitabatur Euangelii gloria, eoque *Paulus* magna vehementia machinis omnibus pugnat adverſus impiam fiduciam, aliter opinor diſputaturus, ſi nunc videret ob perſuaſam rerum omnium neceſſitatem, alios deſperantes, alios in omne facinus ruentes, dum ſic cogitant, Quid refert temperare à malis? Si præfinitum eſt ut peream, fruſtra ſumam operam: ſi deſtinatum eſt, ut fiam ſalvus, nihil obfuerit animo morem geſſiſſe. Quid autem magni docuit *Lutherus*, ſi probavit omnes homines eſſe obnoxios Deo, inutiles ac reprobos naturæ viribus, cum idem fateatur hominem quamvis juſtum in optimo quoque opere nihil aliud quam peccare, ſic ut mereatur gehennam, quod quidem ad ipſum attinet? Quoniam autem non probavit per Scripturas quod pollicitus eſt, nec ego aſſentiar, quod eram pollicitus. Rejicit Sophiſtas, qui poſt tanta Scripturarum fulmina fortaſſis audebunt dicere, quod ratio & voluntas licet erret ac declinet actu, tamen aliquid poſſit cernere & expetere ſuis viribus. Hoc ſophiſma rejicit bifariam: Primum, quod affirmat hîc, *non requirit Deum*, nihil aliud ſonare, quam, non poteſt requirere. Deinde, quod ni ſic intelligeretur, *Paulus* nihil ageret hac diſputatione. Utrumque falſum eſt quod hîc adfert. Nam oſtenſum eſt, hominem naturæ viribus & noſſe Deum, & intelligere quid fas, quid nefas in plurimis, & utique qui facit, poteſt. Ad hæc declaratum eſt, gratiam naturæ bonum perficere. Non perficitur autem quod non eſt, nec adjuvatur, nec inſtauratur, nec erigitur, nec ſanatur quod nihil eſt. At gratiæ materia, liberum arbitrium eſt hominis. Et abſurdiſſimum eſt, ideo nullum eſſe locum gratiæ, ſi quid naturæ viribus cernit ratio, aut ſi aliquo modo ad bonum propenſa eſt hominis voluntas in quibuſdam. Nec ſtatim impium eſt, quod eſt imperfectum. In *Pilato* non erat impia voluntas, quod ſtuduit innocentem eripere, ſed erat imperfecta, eoque non peregit quod voluit. Ita negatur intelligere Deum, non qui prorſus nihil novit de Deo, ſed qui non noverunt eum quemadmodum oportet: negatur facere bonum, non qui nihil omnino facit boni, ſed qui non præſtat hoc bonum quod eſt homine dignum. Quemadmodum inſipientes dicuntur, non qui nihil omnino ſapiunt, ſed qui non ſapiunt in his quæ ſunt ſapiente viro digna: & ignarus Rhetorices dicitur, non qui nihil omnino tenet ejus artis, ſed qui non poteſt præſtare Rhetoris officium. Verùm ut finiam, Quorſum hæc omnia tendunt, ut omnes homines doceantur egere gloria Dei? Id fatentur & Scholaſtici, qui plus tribuunt libero arbitrio quam Diatriba. Vicit itaque *Lutherus*, ſed quid? Nullum hominem naturæ viribus quicquam omnino poſſe ſcire de rebus divinis. Verùm huic ſententiæ reclamat ipſe *Paulus*, hoc ipſo argumento docens Gentes egere gratia Dei, quod Deum cognitum non coluerint. Attamen *Lutherus* tribuit notitiam Dei & honeſti, ſed per Legem: idque tribuit Judæis etiam impiis. Et hoc ipſum vocat Dei gratiam, quod per Legem didicerunt quid eſſet Deus, quid rectum, quid pravum. At quod craſſis Judæis erat Lex, hoc Græcis ingenioſis erat naturæ vis, & res conditæ, nec quicquam vetat hæc Dei vocare gratiam, cum *Paulus* dicat, *Deus illis revelavit*. Judæi ut craſſi ſigna quærebant, Græci ſapientiam. Hîc mihi vide, an non manifeſte *Lutherus* ſibi contradicat: Ait Judæos impios intellexiſſe Deum, & honeſti formam, Cernit igitur aliquid ratio naturæ viribus. Dicet, cernebant per Legem adjuti. Verùm ſi Gentes eadem ſuis legibus puniunt, quæ Judæi, ſequitur illos meris naturæ viribus in pleriſque vidiſſe quid fas, quid nefas.

Similibus verborum præſtigiis exaggerat illa Pauli, 216.
ut obſtruatur omne os, & omnis mundus obnoxius ſiat Deo. Si verbis urget *Lutherus*, & quadrupedes & Angeli erunt obnoxii Deo, hoc eſt, rei: nam Græce eſt ὑπόδικος. Quod ſi hîc recepimus hyperbolen Apoſtoli, qui totum mundum dixerit univerſum hominum genus, quo ſermo plus habeat vehementiæ, quin eandem agnoſcimus in recenſendis hominum ſceleribus? Et hîc ratiocinatur quemadmodum paulo ſuperius, Si qua vis ſupereſt homini, qua queat ex natura noſſe aut velle aliquid, non obſtruitur omne os hominum: quaſi non ſit obnoxius judici, qui multis admiſſis criminibus, una quapiam in re non deliquerit, Imo unicum facinus totum hominem obnoxium facit pœnæ: aut ægrotus non ſit obnoxius Medico, ſi quam partem habeat in corpore non dico ſanam, ſed non affectam morbo. Imo ſufficit unicum malum, ut totus homo ſit obnoxius Medico. Bellum vero quod hîc argutatur, *omne os* intelligi, non omnium hominum, ſed totum cujuſvis hominis, quaſi ſingulæ vires hominis habeant ſuum os. Sed quid abſurdi, ſi diceret ratio, video quam ſit expetendum honeſtum, quam fugienda turpitudo, & id ut poſſem tu dediſti naturæ conditor, abſolve quod dediſti, & adde quod deeſt? Ergo-ne id quod intelligit non eſt obnoxium Deo? Eſt, primum quia imperfectum, deinde quod videt expetendum non poteſt aſſequi ſine gratiæ præſidio. Quod ſi non ferimus ullam hominis portionem non obnoxiam Deo, hoc eſt, non impiam, non dignam ultione, redibit eadem abſurditas in juſtificatis: in quibus ſi nihil eſt boni, cur dicuntur juſti? Si eſt, erit aliquid non obnoxium Deo, hoc eſt, non impium, neque dignum ultione. Si reſponderit, hoc non eſſe ex homine, ſed ex dono Dei: Idem dicam in Judæo, qui per Legem novit recta, & in Ethnico, qui ex rebus conditis ingeniique viribus & induſtria ſua novit Deum, & perſpicit quæ ſunt honeſta ſaltem aliqua ex parte. Omitto quod hîc rurſus aſſumit, rationem totam eſſe ſanam, cum mea Diatriba loquatur contrarium. Semper eſt in extremis, nec uſquam agnoſcit medium, aut totam rationem vult eſſe ſanam, aut totam impiam.

Poſſem hîc facere diſputandi finem, exploſa, quam 217.
Lutherus inducit, rerum omnium neceſſitate, quicum mihi certamen erat. Nam quæ reſtant, ut & pleraque ſuperioris voluminis adverſus opinionem Scholaſticorum, contendunt liberum arbitrium non valere ad bonum opus, hoc eſt, meritorium gratiæ, quam opinionem Diatriba non ſuſceperat tuendam. Quædam tamen obiter attingam. Exaggerat illud Pauli, *Ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro coram ipſo*, ex quibus interpretatur omnem hominem cujuſcunque conditionis

Digitized by Google

ac ſtatus ſit, in præſtantiſſimis etiam naturæ viribus nihil habere, niſi meram impietatem, cum damnentur ipſa etiam Legis opera. Omitto quod hîc frigidiſſime omnem carnem interpretatur hominem ſpiritu vacuum, cum *omnis caro* dictum ſit pro omnis homo, juxta proprietatem ſermonis Hebraici. Ad hæc cum opera Legis interpretetur non ſolum illa ceremonialia, verum etiam præcepta Decalogi, quî ſibi conſtat, qui ante docuerit nullum præceptum ab homine poſſe ſervari, hîc concedens per liberum arbitrium omnia Legis opera fieri, quæ tamen non conferant juſtitiam. Quid enim aliud ſunt opera Legis, quam ſervata Legis præcepta? Atque inter hæc ſunt credere Deo, diligere Deum ac proximum. Itaque ſi dixiſſet Legem totam ſervari non poſſe per liberum arbitrium abſque gratia, facile ſubſcriberemus illius ſententiæ. Aut ſi dixiſſet, externa Legis opera, qualia ſunt, *non occides*, *non furaberis*, *non mœchaberis*, non conferre juſtitiam, ſi deſit caritas, tolerabilis erat oratio. Nunc quis unquam audivit omnia Legis opera eſſe damnabilia, & impium facere? Nec referre, ſummo-ne an mediocri, an nullo ſtudio in Lege exercitati ſint? Poſtremo ut demus opera non conferre juſtitiam, certe non faciunt impium, niſi adſit perverſus animus. Etenim cum in Judæis circumciſio ſuſtulerit labem originis, ſi opera Legis nec conferunt juſtitiam, nec faciunt impium, unde illa ſumma in præſtantiſſimis hominis partibus impietas? Si dicit ex malefactis, mecum facit, ſed interim non præſtantur opera Legis. Nec enim protinus impietas eſt aut injuſtitia, ubi abeſt innocentia primæ conditionis.

218. Hic rurſum flagellatur infelix *Hieronymus*, periclitans ne detractus è cœlis præcipitetur ad inferos, qui docuerit hunc *Pauli* locum intelligendum de ceremonialibus Legis, quaſi hujus ſententiæ primus auctor ſit *Hieronymus*, ac non potius ſit Græcorum omnium. Nam Commentariorum in Epiſtolam ad Romanos interpres eſt verius quam auctor, etiamſi interpres quoque parum eſt certus. Quod favet *Auguſtino* tam pio tamque celebri Eccleſiæ Doctori, recte facit: tametſi ne hic quidem ſibi ſatis conſtans, primum adeo deteſtans Scholaſticam Theologiam, quam *Auguſtinus* non aliter quam *Jupiter Minervam* è cerebro ſuo genuit. Deinde quod in eum tam petulanter debacchatur, cujus & ſanctimoniam *Auguſtinus* ipſe veneratus eſt, & eruditionem ſuſpexit, id quo ſpiritu faciat ipſe viderit. Sed ubi fortiter reclamat *Auguſtinus*? In diſputatione poſteriore adverſus *Hieronymum*, quam jam ſenex ſcripſit, non audet affirmare, ſed fatetur difficillimam eſſe quæſtionem. In Commentariis autem, quos ſcripſit in Epiſtolam ad Galatas, negat eos ex operibus Legis juſtificari, qui illis ſic fidunt, ut adſpernentur Dei gratiam oblatam per Euangelium. Id dici poteſt etiam de ſancto *Simeone*, aut ipſo *David*. Non enim fuiſſet ex operibus Legis juſtificatus, ſi in illius ætatem incidiſſet adventus *Chriſti*, ſique ſpreviſſet Euangelii gratiam, quæ ut erat copioſior, ita perfectiorem exigebat juſtitiam. Eoque *Paulus* non ſimpliciter dixit, *non juſtificabitur*, ſed addidit, *coram illo*: coram quo nec aſtra munda ſunt, quam mox appellat juſtitiam Dei. Hæc extra cauſam. Rurſus odio *Hieronymi*, negat opera ceremonialia fuiſſe mortifera poſt mortem *Chriſti*. Si de Judæis loquitur, qui vixerunt in primordiis Euangelii clareſcentis, recte loquitur. Nam his permiſſum eſt priſcos ſervare ritus, quo Lex à Deo tradita, non procaciter abjiceretur, ſed paulatim & cum honore antiquaretur, modo ne in illis ponerent ſpem ſalutis. Sed quis unquam audivit ab Apoſtolis toleratam Gentium circumciſionem? Nam *Timotheus* altero parente erat Judæus, nec hunc tamen prius circumcidi paſſus eſt, quam eum mitteret in Judæam. Cæterum ubi per Orbem coruſcaret Euangelii gratia, nec ipſis Judæis permiſſum eſt uti Legis ceremoniis, etiamſi non collocarent in illis ſpem ſalutis, non quod illa corporalia per ſe mala ſint aut bona, ſed quod per occaſionem offenſis infirmis, & confirmatis impiis Judæis, officerent Euangelio propagando. *Chryſoſtomus* enim acrius vociferatur in Chriſtianos, qui cum Judæis jejunabant, quam in adulteros aut ebrioſos. At *Lutherus* ita loquitur, quaſi nunc quoque talia ponenda ſint in mediis, quod genus ſunt ſtare, ſedere, edere ac bibere: quanquam & hæc mortifera ſunt, ſi ſecus quam oportet fiant. Proinde quod dicit, *Cum hoc bene ſtat, ut ea quiſpiam faciat, & nihil illicitum tamen faciat*, ut aliquo tempore apud Judæos verum fuit, ita ſimpliciter verum non eſt. *Auguſtinus* ſic loquens, ut hîc loquitur *Lutherus*, ab *Hieronymo* reprehenſus eſt, & ille reprehenſori agit gratias. Etiamſi non congruit hæc ſimilitudo. Siquidem edimus & bibimus, dormimus ac vigilamus ad uſum naturæ, ſtamus & ambulamus ob utilitatem aliquam, cum obſervatio rituum Judaicorum prorſus eſſet inutilis. Et ſi quoſdam non impie loquentes audire volumus, homo pius omnia faciens in gloriam Dei, etiam cum edit, bibit, dormit ac ludit, promeretur.

Nec illud ad hanc cauſam pertinet, quod ceremo- 219.
nialia æque fuerint exacta in vetere Lege, atque moralia Decalogi. Quod ſi verum eſt, quî fit, ut qui ſervat ſabbatum, non peccet, qui dat eleemoſynam, peccet? Nam hoc nos docuit iſte, quamvis juſtum in opere quamvis bono peccare. Colligit igitur *Paulum* de univerſis operibus Legis loqui: in quibus, ut dixi, eſt dilectio Dei ac proximi, quæ ſi non juſtificant hominem, quid eſt quod juſtificat? Utitur autem talî lemmate, *Cum ea pars Legis quæ ceremonias præcipit fuerit abrogata, jam nec opera Legis dici poterant, cum Lex non ſit.* Quod acumen? Obſecro, quo tropo nunc illa vocamus opera Legis, niſi quod aliquando Lex ea vigebat? Et abrogabatur tum potius quam erat abrogata, & hactenus erat abrogata, ne quis illa crederet ad ſalutem neceſſaria. Quod ad uſum attinebat, paulatim erant abroganda Judæis duntaxat. *Potuiſſet*, inquit, *aperte dicere*, *Lex eſt abrogata.* Quid magni erat, ſi hoc dixiſſet Apoſtolus, eum ipſe Dominus aperte Legem abrogarit, dicens, *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*, quod utique Judæis dictum eſt, non Gentibus. Quanquam idipſum *Paulus* ſedulo clamabat ubicunque licebat. Cæterum ob inſuperabilem Judæorum pertinaciam, & honorem Legis à Deo traditæ, ſpatium aliquod illi datum eſt, quemadmodum egregios viros de Republica bene meritos etiam vita defunctos, multo cum honore deferimus ad ſepulturam, non autem ejicimus ex ædibus. Et ſicubi tacuit Legis ritus omittendos eſſe, hoc conſilio tacuit, quo *Petrus* Hieroſolymis, & *Paulus* Athenis prædicantes *Chriſtum*, virum illum appellarint, divinæ naturæ nullam facientes mentionem. Nam hæc ſacris Interpretibus potior videtur cauſa Legis paulatim antiquatæ. Alioqui quis erat honos ſervare, quod nihil conducebat, & multis adferebat offendiculum? Aut quæ Legis erat contumelia, ſi protinus prædicaſſent Apoſtoli, poſtquam adeſſet veritas, umbras ac figuras eſſe, legendas quidem, non exercendas. An non ſatis aperte *Paulus* docet Legem abrogatam, cum appellat eam pædagogum, cujus auctoritas non durat niſi ad tempus præfinitum à Patre? Atque hoc ipſum olim à Prophetis fuerat prædictum. Sed hujus prædicationis nondum erant capaces Judæi, quorum duritiæ *Chriſtus* ipſe in multis obſecundavit, ne cauſam haberent probabilem ab Euangelio reſiliendi, obiter confutans *Lutheri* paradoxon, qui docet fidei non eſſe locum, niſi Deus videretur injuſtus, cum velit credi juſtiſſimus, cum tot modis præcluſerit impiis excuſationem, ne vel pereuntibus videri poſſet injuſtus. De univerſis igitur Legis operibus, in quibus eſt Dei proximique dilectio, non poſſe intelligi docuimus: Neque enim maledictus ſit, qui fuerit ex hujuſmodi Legis operibus. De quibus igitur loquitur? Nimirum de ceremoniis, & ſi quid placet addere de operibus externis. Id ex ipſis *Pauli* verbis liquet. Cum enim aſſentiente *Luthero* cauſam

sam eandem agat *Paulus* scribens *Romanis* & scribens *Galatis*, & sermo, ut idem docuit, interpretandus sit juxta materiam subjectam, constat *Paulum* ob id indignari *Galatis*, non quod juberentur abstinere à furtis, adulteriis, perjuriis, falsis testimoniis, sed quod accepta circumcisione servarent novilunia, sabbata, discrimina ciborum, ritu Judaico. Et sermo, qui præcessit *de Petro* Judaisante, non agit de quibusvis operibus, sed de delectu ciborum, aliisque similibus ritibus Judaicis. Et *Romanis* scribens, qui & ipsi pridem pellecti fuerant in Judaismum, circumcisionis meminit, & operum: Sed quorum? Furti, adulterii, sacrilegii, blasphemiæ. Neque enim statim justus est, qui ista non facit. Absque his quidem non erat justitia, sed ex his solis non contingebat justitia. Proinde *Moses* pronuntiat maledictos qui non permansissent in omnibus illis quæ præceperat Lex, quia non erat salus violantibus imperata Legis: *Paulus* contra pronuntiat maledictos qui sunt ex Lege, nimirum eos, qui sic in Lege gloriarentur, ut tamen Legem non servarent in præcipuis illis præceptis, multo magis qui eam mordicus tenebant, cum secundum umbras ac figuras esset abroganda. Nec enim *Paulus* dixit, *qui servant Legem*, sed *qui sunt ex Lege*, hoc est, qui illinc toti pendent, non agnoscentes *Christi* gratiam, sed suis viribus justitiam tribuentes. Jam ut largiamur hominem implere posse partem Legis liberi arbitrii viribus, peccaret tamen, si suis viribus adscriberet justitiam, cum has ipsas vires haberet ex dono *Christi*. Ad hæc cum Lex tota spectet *Christum*, frustra servaret Legem, imo ne servaret quidem, qui gloriam *Christi* benignitati debitam, adscriberet Legis operibus, ac naturæ viribus.

220. Quod alicubi *Paulus* dividit hominem totum in carnem & spiritum, non inficior, nisi quod alicubi tertiam addit partem, animam, quam *Lutherus* nusquam vult agnoscere. Certe hîc carnem simpliciter dixit pro homine, *Ex operibus Legis non justificatur omnis caro*, sed addit, *coram Deo*, Pharisaicam justitiam distinguens ab Euangelica. Porro quod refert ex Epistola ad *Galatas* III. *Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* palam est Apostolum loqui de ceremonialibus, sine quibus *Galata* acceperant donum Spiritus. Eodem pertinet illud, *Nunc sine lege manifestata est justitia Dei.* Et iterum, *Arbitrabamur hominem justificari ex fide, sine operibus Legis.* Neque enim *Paulus* sentit adulteros, homicidas & fures justificari. Atqui id sequeretur, si sentiret sine omnibus Legis operibus per fidem dari justitiam, nisi quod qui ultro plus præstat quam Lex exigit, dicitur à Lege liber esse, quia non constringitur, ultro præcurrens
221. Legem. Post hæc repetit veterem hyperbolen, *per Legem cognitio peccati*, sic agens quasi nihil omnino videat humana ratio, quasi nullus sit ad honesta nixus humanæ voluntatis, cum Gentium leges eadem puniant quæ Lex Dei, cum Philosophi tam ardentibus verbis hortentur ad honesta. Imo non ideo lata lex est, quod homines antea nihil cernerent, sed ut plenius discernerent justum ab injusto, & ne possent suis blandiri peccatis, redarguente Lege. Verùm de his in superioribus satis dictum arbitror. Et rursus naso suspenditur Diatriba, cum ea *Augustini* sententiam retulerit, imo potius Veterum omnium. Jam fassi sumus imperfectum esse quod cernit liberum arbitrium, quod expetit voluntas, quod ipsum tamen si adhibuerimus, paratam esse gratiam opitulatricem.

222. Torquet & illud Pauli. *Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen*, &c. Et hîc αὖθις αὖ vapulat *Hieronymus*, qui interpretatus sit, propter transgressiones coercendas. Quantum odium hîc spirat in virum, cujus memoria tot ætatibus sacrosancta est Ecclesiæ Dei! Cur hîc somniare dicitur *Hieronymus*, qui Græcos tam multos sequitur, vel interpretatur potius? Cur non vapulat simul *Chrysostomus*, *Theophylactus* & *Ambrosius* idem interpretantes?

A Nec omnino falsum est quod interpretatur *Lutherus*, sed vide quam hoc ipsum proponit odiose: *propter transgressiones, non quidem coercendas, ut* Hieronymus *somniat, sed propter transgressiones augendas. Paulus* Roman. v. dicit *Legem subintrasse ut abundaret peccatum*, non dixit *ut augeretur peccatum.* Aliud est enim exasperari & prodi, aliud augeri. Certe verbi novitas erat vitanda. Nec hic erat scopus Legis præcipuus, quanquam id consequutum est occasione Legis, eumque eventum Deus vertit in bonum. Nam si finem spectes, Lex in hoc lata est, ut simplicibus præluceret, improbos ac feroces metu coerceret, ne prorsus impune peccarent: quod si non facerent, statim per
B Legem arguerentur peccatores. Itaque Lex aut tradebat hominem bonæ mentis paratæ gratiæ, aut effecit ut homo levius peccaret, & ob id esset sanabilior Euangelio, aut ut dissimulare non posset suam injustitiam, quo vel sic confugeret ad gratiam. Rejectum est ante & illud lemma: *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, non concupisces.* Nam hinc colligit rationem ex sese nullo pacto discernere peccatum ab eo quod non est peccatum, cum *Paulus* hîc non loquatur sub sua persona, sed alicujus extreme rudis, qui crederet non in animo, sed in factis externis esse virtutem aut vitium. Nesciebat hoc *Paulus* quod viderant
C etiam Philosophi, honestum ac turpe, situm esse in animi habitu, & hoc solo hominem vel felicem esse vel infelicem? Quod supereſt in hoc Capite, meræ sunt verborum ampullæ jam non semel à nobis confutatæ.

Aggreditur simili magniloquentia quæ sequuntur a- 223.
pud Apostolum: *Nunc autem sine Lege justitia Dei manifestatur, testificata à Lege & Prophetis per fidem in Jesum Christum in omnes & super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei, justificati per gratiam ipsius, per redemtionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus*, &c. Hîc, ut ait, *Paulus* mera fulmina loquitur. Fateor, sed adversus
D liberum arbitrium? nego: adversus suis viribus fidentes? ajo. Distinguit Apostolus justitiam Dei à justitia Legis. Si sentit Legis justitiam, justitiam Pharisaicam, accedo: sin justitiam universæ Legis, non accedo, quando Lex etiam fidem præcipit & caritatem, quam homo non assequitur puris naturæ viribus, sed auxiliante gratia: nec ea defuit olim Judæis in Lege viventibus. Ea per *Christum* venientem manifestata est, non orta, quia clarius evulgata, simulque latius & copiosius per universum Orbem diffusa. Manifestata est autem sine Lege, nimirum & Judæis qui Legem non servaverant, & Gentibus quæ Legem nesciebant. Quod autem interpretatur Christianam justitiam con-
E stare sine Lege, trifariam accipi potest, vel quod in baptizatis non requiruntur opera Legis moralia: qui sensus impius est; Vel quod nec à Judæis nec à Gentibus ad Euangelium accedentibus, exigitur ratio Legis prius observatæ, modo resipiscant, & credant: & hic sensus verus est; Vel quod à nemine requiritur earum rerum observatio, quas *Galatis* imposuerant Pseudapostoli: & hic sensus verissimus est. Nam de his operibus illic agere *Paulum* jam demonstratum est. Porro quod *Lutherus* interpretatur, eos qui Legis præcepta pro sua virili servarant licet non ad plenum, absque dolo tamen, nihilo fuisse capaciores Euangelicæ gratiæ, aut quod Gentes, quæ pro suo modulo in Pa-
F ganismo legitime moderateque vixerant, nihilo fuerint habiliores ad suscipiendam Euangelii gratiam, multum abest à vero, mea quidem sententia. Exemplum est *Æthiops* tam facile conversus per *Philippum*, & *Paulus* subito mutatus in alium hominem, cum nec *Herodem*, nec Scribas aut Pharisæos legamus conversos, qui tot prodigia viderant, qui Legem memoriter tenebant. Quod si opera moraliter bona reddunt hominem capaciorem gratiæ, & si Lex observata Judæo ante proditum Euangelium magis idoneum tradidit Eu-

Digitized by Google

angelio, & hæc opera *Lutherus* concedit fieri viribus liberi arbitrii, falsum est quod colligit liberum arbitrium nihil prorsus esse: Rursus si concedit gratiam non dari invitis, & per liberum arbitrium possumus nos avertere à gratia, & dum non avertimus nos, præbemus nos gratiæ, constat & hîc esse aliquem usum liberi arbitrii. Ridiculum est autem quod interpretatur, *sine Lege*, id est, sine omnibus quæ potest liberum arbitrium. Fatemur liberum arbitrium ex suis viribus non pervenire ad Dei justitiam sine gratia, nec tamen ideo nullum est liberum arbitrium. Postremo non disputamus hîc quid Deus possit, sed quid ordinate faciat, quidque nobis in Scripturis sperandum ostenderit.

224. Habes admirabile fulmen: sed audi admirabilius *Paulus ait justitiam Dei valere in omnes & super omnes qui credunt in Christum.* Quod Apostolus dixit *manifestat*, hic vertit in *valere*, quo magis serviat dogmati. Omnibus revelata est Dei justitia, cur non valuit apud omnes? Utique valuisset apud omnes, si nullum esset liberum arbitrium. Quod ad gratiam oblatam attinet, nulla erat distinctio Judæi & Græci: quod ad voluntatem pronam aut aversam, plurimum erat discriminis. *Sed Paulus*, inquit, *universum hominum genus dividit in duo, in credentes & non credentes, credentibus tribuit justitiam, non credentibus aufert. Ast aliud quiddam est liberum arbitrium quam fides.* Quid ni? Non enim idem est oculus quod lumen. *Sed* Paulus *ait quicquid est extra fidem non esse justum coram Deo. Si non justum, injustum igitur: si injustum, peccatum sit oportet.* Hîc ne objicerentur media, pronuntiat apud Deum nihil esse medium, sed quicquid est aut bonum esse aut malum. Atqui superius concesserat esse quædam media, quales volebat esse ritus Legis *Mosaicæ*, qui non justificant quenquam, nec commendant quenquam Deo, & tamen qui eos observabat nihil faciebat illicitum. Nec tergiversari potest quod illic senserit de mediis apud homines, cum palam agat de his quæ nos commendant Deo, aut secus. Lege finem Cap. 223. Verùm hoc lemma prius dilutum est: ut est fides rudis & imperfecta, ita est & justitia imperfecta, qualis erat *Cornelii* Centurionis. Nam & fidem perfectam accepit ex doctrina *Petri*, & justitiam ex sacramento ac Spiritu Sancto. Jam da mihi quempiam Paganum, qui non audierit mysteria fidei, nec per eum steterit quo minus audierit, hoc tamen animo, ut cupiat quod optimum est discere, vivatque quantum potest pro naturæ ductu innocenter, non arbitror esse peccatum, quicquid ille fecerit, vel amans uxorem ac liberos caste educans, vel Reipublicæ bene consulens pro viribus. Sed hujus benefacta non conferunt justitiam Euangelicam, fateor, sed invitant Dei benignitatem, ut de suo addat quod deest naturæ viribus.

225. En aliud fulmen, *Omnes peccaverunt & egent gloria Dei* De quo jam superius dissertum est à nobis. Hîc vociferatur: *Obsecro quid clarius dici possit? Da operarium liberi arbitrii an conatu illo suo peccet? Si non peccat, cur* Paulus *non excepit? Certe qui omnes dicit, neminem ullo loco, ullo tempore, ullo opere, ullo studio excipit. Si enim ullius studii aut operæ hominem exceperis, falsum* Paulum *feceris*, & cætera, quæ *Lutherus* fortiter quidem, sed magna detonat impudentia. Nihilo enim pudentius dicitur, omnes qui egent gloria Dei, omnibus suis actionibus ac viribus peccare, quam si quis dicat, omnes qui egent ope Medici, omnibus corporis partibus ægrotare. Atque hîc quo locus magis serviat dogmati, faciunt justitiam passivam & activam, gloriam activam & passivam, & accersitur Hebraismus, & interpretatur eos egere gloria Dei, qui non habent de quo glorientur apud Deum. Si gloriari est cum gaudio agnoscere donum Dei, etiam liberum arbitrium habet quod glorietur apud Deum: Si gloriari est sibi tribuere quod habet, ne justi quidem habent quod glorientur apud Deum. Quod autem provocat omnes, ut prodeat si quis ex animo possit dicere de re quapiam, quam per liberi arbitrii vires peregit, hanc scio placere Deo: ego proferam, qui cum sint in affectu peccandi, odioque habentes morbum animi sui, tamen eleemosynis, aliisque piis studiis ambientes gratiam Spiritus, possint dicere, Bona spe ducor fore, ut Deus misertus mei, sua gratia juvet conatus meos. Favet autem opinor qui respicit & adjuvat. Verùm exigit, ut certo pronuntiet ea placere Deo: Quod ni faciat, incredulitatis signum interpretatur, dubitare de favore Dei. Haud scio an quisquam justus certo pronuntiare possit, hoc aut illud quod egit acceptum esse Deo, etiamsi in genere certo credit, Deum non defuturum suis. Quod si justorum etiam fiducia cum tremore conjuncta est, id quod ante confessus est *Lutherus*, docens ex necessitate nasci timorem, ex incertitudine fiduciam, certo credimus hominem per fidem & caritatem justificari: Verùm an hic aut ille habeat verum donum fidei & caritatis, arbitror certo sciri non posse, nisi si cui Deus singulari patefecerit afflatu, quod accidit *Paulo*, qui dicit, *Scio cui credidi & certus sum*, &c. At ego novi pios homines qui sibi displicebant, quod per omnem vitam nunquam sensissent consolationem internam Spiritus, tantoque magis instabant precibus ac piis operibus, si quando Deus dignaretur infundere gratiam. Hos opinor *Lutherus* damnabit incredulitatis. Hæc cum sic habeant, falso concludit *Lutherus*, liberum arbitrium cum vacet hac gloria perpetuo incredulitatis crimine reum esse, cum omnibus viribus, studiis & conatibus suis.

226. Prodit aliud fulmen. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Hic exsultat. *Quid est hoc* gratis? *Quid est* per gratiam ipsius? *Si sunt merita, ubi gratis donata justitia? Ubi nunc sunt tutores liberi arbitrii?* Rursus accusatur misera Diatriba, quæ perpetuo sic causata sit: *Si non est libertas arbitrii, ubi meritis locus? Si meritis non est locus, ubi præmiis locus est?* Hactenus non omnino mentitur *Lutherus*, nisi quod ubi Diatriba sic loquitur, *Si nulla est arbitrii libertas*, hic recitat, *liberum arbitrium*, quasi sentiam simpliciter liberum. Deinde ubi Diatriba fatetur aliquod esse genus meritorum, sed quæ homo sibi non possit imputare, vel quia minimi momenti sunt, collata ad gratiam, vel quia summa rerum ex Deo proficiscitur, hic sic recenset, quasi sentiam merita, quibus ex pari debentur præmia. Cæterum quod annectit, *Cui imputabitur si quis justificetur sine meritis*, nusquam est apud Diatribam, sed *Lutherus* ex suo liberrimo arbitrio addidit, nisi malit dici servum illi qui pater est mendacii. Imo Diatriba tota disputatione vitat hoc, ne salus meritis imputetur humanis, sed totum gratiæ. De damnatis rogat, cui debeat imputari pernicies, si nulla est arbitrii libertas, sed mera necessitate fiunt omnia. Quod si meritum congruum accipiamus pro indignitate quadam hominis, quam Dei benignitas acceptat, ex qualicunque nisu virium nostrarum, & meritum condignum pro officiis utcunque præstitis auxiliante gratia, non pugnat cum meriti vocabulo gratis donata justitia, & gratis donata salus. Pone mihi duos egenos, quorum alter ferox sit & intemperans in ipsa etiam inopia, alter sobrius & quicquid nanciscì potest bene collocans, Rex hunc ditat, illum relinquit in egestate: cui dedit, utique gratis dedit, & digno dedit, licet non promerito: & cui non dedit, non sine causa non dedit. Dignus enim beneficio dicitur qui alacriter accipit, qui bene utitur, qui meminit, qui gratias agit. Hoc illi pro meritis imputatur. Quod si verum prædicat *Lutherus* nullum esse prorsus meritum, multa sunt in sacris Scripturis mendacia, cum illic toties probentur merita piorum, & impiis exprobrentur merita malefactorum. Nam quod *Lutherus* merita vertit in promissa, ridendum est potius quam confutandum. Servus Euangelicus, qui lucratus est quinque talenta, totum lucrum debet Domino qui sortem dederat. Hactenus dignitas quædam est, quia sors data est illi, quem sciebat bene col-

Digitized by Google

collocaturum. Jubetur intrare in gaudium Domini. Hîc & præmium gratuitum eſt, cum tamen dignitas probetur. Quemadmodum homines dignis beneficiſſe dicuntur, qui gratis ac beneficio bene utentibus dederunt, cum dederint nihil promeritis: Ita Deus qui novit hominis dignitatem, antequam exitus ſpectetur, dignis impartit gratiam, indignis adimit etiam quam dedit. Hæc dici poſſint etiamſi quis repente ex Paganiſmo, vitaque contaminatiſſima vocetur ad gratiam. Nunc in multis dignitas hæc etiam præcedit, ut in *Cornelio* Centurione. Alioqui cur narrantur preces illius & eleemoſynæ adſcendiſſe in conſpectu Dei? Hoc igitur meritorum genus non pugnat cum gratuita donatione. Ubi vero Diatriba dixit, per conatum hominis perveniri ad ſalutem? Dixit ineſſe naturalem quendam ad honeſtatem ſive ad felicitatem conatum ſive nixum, ſed imperfectum & inefficacem abſque gratia. Depravat & illud, quod Deus hunc propter conatum reſpicit, illum non conantem contemnit. Imo Deus offert ſe omnibus, quod in ipſo eſt, ſed ei qui ſe præbet gratiæ, non fruſtra ſe offert ei qui ſe averſit, fruſtra oblata eſt gratia. Neque negat Diatriba nonnunquam à Deo vocari, neque conantem, neque cupientem: ſunt enim variæ vocationes Dei. *Æthiopem* vocavit, ſed redientem ab adoratione, ſed verſantem in *Eſaia*, *Paulum* vocavit ſævientem ac ſpirantem minas cædeſque. Quoſdam paulatim præparat ſuo Spiritui. Quid autem hoc eſt quod colligit, dicens: *Nonne Deum reſpectorem operum, meritorum ac perſonarum faciunt?* De meritis & operibus reſpondeat *Paulus*, qui certantibus promittit brabium, qui pollicetur cuique præmium pro factis, id eſt, prout geſſit in corpore. Quomodo perſonarum reſpector dicitur Deus, ſi dignos ſecernit ab indignis? Imo potius erit reſpector perſonarum, ſi hunc ſervet, illum conjiciat in gehennam, nec hujus nec illius merito, ſed quia ſic illi viſum eſt. Cum enim omnes æquet in injuſtitia, quid eſt quod hos trahit, illos non trahit, niſi quod huic perſonæ favet, illi non favens? Jam fatetur aliquoties hominis voluntatem cooperari gratiæ: Quod ſi non eſt abſurdum, ſi voluntas velut adjuvat gratiam cooperantem, quid abſurdi ſit, ſi voluntas hominis præbeat ſeſe velut adnitens gratiæ præparanti? Hæc non obſtant quo minus totum ſit gratuitum quod agitur. Sine voluntatis aſſenſu nemo ſervatur, nec ideo voluntati debemus ſalutem. Nec enim ſequitur, ſine hoc non eris ſalvus, ideo per hoc aſſequeris ſalutem. Fatetur Deum operari in nobis, non ſine nobis: Illud noſtrum ni accederet, non eſſemus ſalvi, nihilo ſecius totam ſalutem debemus gratiæ. Si nihil ibi noſtrum eſt, ſine nobis operatur Deus in nobis. Sin eſt aliquid noſtrum, quod approbet Deus, cur in recipienda gratia non poſſet eſſe noſtrum aliquid, & quemadmodum hîc voluntas cooperatur gratiæ juſtificanti, ita illic cooperetur gratiæ præparanti ad juſtitiam? Quid autem ſentiunt qui inducunt meritum congruum, opus aliquod quod invitet Dei benignitatem abſque ulla gratia peculiari? Hoc à Diatriba nuſquam eſt dictum, & ſi dictum eſſet, nihil erat periculi. Multo minus hoc dixit, ullum opus extra gratiam factum, idem efficere quod efficit meritum condignum.

227. Sed tota hac diſputatione *Lutherus* confundit & ſuas & aliorum opiniones. Si deſtinarat omnes tueri quas impugnat Diatriba, tueri debebat etiam *Carolſtadianam:* ſi ſuam duntaxat, nihil aliud defendendum erat, quam omnium rerum neceſſitas, & nullum omnino eſſe liberum arbitrium, nec ad bonum, nec ad malum. Si refellere volebat opinionem Scholaſticam, quam Diatriba non ſuſcepit tuendam, cur exagitat illam tot convitiis, velut, *Diatriba quidem non eſt impia, ſed loquitur & facit ſolum quod impium.* Jam ſic conferimur cum *Pelagianis*, ut diſcedamus illis deteriores, idque duplici nomine: Primum, illi ſimpliciter aſſerebant meritum condignum, nos idem docentes fucis verborum imponimus, diſtinguentes meritum congruum & condignum. Deinde quod gratiam Dei longe minoris æſtimamus quam *Pelagiani*. Siquidem illi magnum quiddam tribuebant libero arbitrio quod gratiam promerebatur, non puſillum quiddam, quod tamen gratiam eandem emereatur. Ut ad has verborum præſtigias paucis reſpondeam, Si *Pelagianus* dixiſſet, quod opinor ſentire Theologos, gratiam Dei nulli deeſſe, qui præſtet quod in ipſo eſt, & hoc ipſum, quod viciſſim ad gratiam invitantem connititur, illi per Dei benignitatem ad meritum quoddam imputari, non fuiſſet damnatus: & ſi hæc diſtinctio condigni & congrui tum inventa fuiſſet, fortaſſe vitaſſet anathema, quod ad hunc quidem articulum attinet, ſi modo meritum condignum repudiaſſet. Hoc ad priorem calumniam. Ad alteram reſpondeo, nos non elevare magnitudinem gratiæ divinæ, ſed potius exaggerare inæſtimabilem Dei bonitatem, quæ tantillum quod hominis imbecillitas præſtare queat, boni conſulat, quodque deeſt de ſuo ſuppleat. Fatemur eſſe verba clariſſima, gratis juſtificari, &, ſi ex operibus, jam non eſt gratia, cæteraque permulta quæ legimus apud *Paulum*, ſed hæc clariſſima tenebant memoriter, qui nonnihil tribuerunt libero arbitrio. Verùm hæc quoniam dicta ſunt adverſus Judæos pro Gentibus, juxta materiam ſubjectam debent intelligi, nimirum venientibus ad Euangelium, gratiam non dari veluti debitam Legis operibus, quæ Judæi conabantur Gentibus imponere, puta circumciſionem, diſcrimina ciborum ac dierum, aut alioqui recte factis: Quod ſi fuiſſet, nec Judæi fuiſſent admiſſi, qui potiſſimam Legis partem non obſervarant, nec Gentes, qui vacui bonorum operum ab idololatriis & ſcortationibus veniebant ad Euangelium. Ita gratis dari dicitur, quod datur abſque illis operibus, ſine quibus Judæi negabant dari gratiam. Non tamen conſequitur, in quibuſdam aliqua non potuiſſe præcedere, quæ gratiam invitarent.

Hæc diſſimulans *Lutherus* aerem verberat, eadem o- 228.
pera diſſoluta ſunt quæ congerit proximo Cap. Sublatis enim columnis corruit quicquid ſuperſtruxit. Quod autem rurſus inſultat univerſis Eccleſiæ Doctoribus, qui in tam clara *Pauli* luce cæcutierint, ne nullum meritis locum relinquerent: Imo pia religione divinarum Scripturarum non ſunt auſi inducere rerum omnium abſolutam neceſſitatem, quam ne Philoſophi quidem ſaniores approbarint, præſertim cum in Litteris divinis toties viderent factam mentionem, meritorum, præmiorum, operum mercedis, brabeorum, certaminum, & coronarum. *Lutherus* igitur illis non oculatior eſt, ſed audacior. Nec *Abrahæ* exemplum ſub- 229.
vertit liberum arbitrium. Nam Apoſtolus illud produxit adverſus Judæos, contendentes ex Gentibus non admittendos ad Euangelii gratiam, niſi circumciderentur, reliquaſque Legis ceremonias obſervarent, velut illis eſſet imputanda ſalus. Quoniam autem *Abraham* nondum circumciſus, quod erat Legis ſignaculum, meruit à Deo juſtitiæ laudem ob fidem, colligit & Gentes per eandem fidem abſque circumciſione poſſe juſtificari. Judæi plurimum tribuebant *Abrahæ*, quo Patriarcha magnopere gloriabantur. Nec erat aliud exemplum inſignioris fiduciæ, qui præter ſpem in ſpem credidit, & ita conſtanter credidit, ut juſſus non cunctatus ſit immolare filium unicum *Iſaac*, in quo reſidebat omnis ſpes poſteritatis. Hoc igitur adfert in medium, ſimul ut Judæis obturet os, & Gentibus addat fiduciam. Quod autem *Lutherus* id quod de ritibus Legis, aut externis operibus dictum eſt, torquet ad omnes hominis actiones, ſuo more facit parum pudenter. Nam hoc ipſum quod *Abraham* credidit Deo, opus erat, nec tum primum *Abraham* cœpit credere Deo, ſed tum editum eſt nobis evidens exemplum fidei. Quid igitur hîc agit *Paulus?* ut oſtendat, opera Patriarchæ omnia fuiſſe ingrata Deo, priuſquam illi quod credidit Dei promiſſis imputatum ſit ad juſtitiam? Nequaquam: nam & ante crediderat *Abraham*, & Deo grata erant illius opera, ſed oſtendit illius fiduciam

Digitized by Google

ciam adeo placuiſſe Deo, ut per hanc incircumciſus & nullis *Moſaica* Legis obſervationibus commendatus mereretur juſti titulum, idque ſuffragio Dei. Omitto quod identidem nobis occinit, quicquid juſtum non eſt, id eſſe damnabile, & ira dignum, nec agnoſcens actiones medias, nec juſtitiam moralem aut imperfectam. *Sed operanti*, inquit, *imputatur merces ſecundum debitum, credenti imputatur fides ad juſtitiam. Paulus* ſentit de Judaico operario, qui ſecurus de fide deque caritate, ſic exercebat opera Legis, quaſi per illa daretur ſalus. Credenti vero incircumciſo, ideo dicitur imputari juſtitia, quod gratis condonantur peccata: nec enim fides confert juſtitiam ſi deſit caritas, ſed fides primus aditus eſt ad juſtitiam. Id confirmat teſtimonium *David*, *Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum*, hoc eſt, cui per fidem gratis condonata ſunt crimina. Id evidentius declarant quæ ſequuntur: *Quomodo ergo reputata eſt, in circumciſione, an in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio.* An non hæc dilucide commonſtrant *Paulum* agere de Legis cæremoniis, aut certe externis operibus, quæ ſine fide & caritate præſtari poſſunt apud homines? Sed *Paulus* diſtinguit operantem à credente. Verum, ſed operantem Judaice, ſine caritate, cum fiducia operum corporalium, quales nimium multos habet & hodie Chriſtianiſmus, & credentem Chriſtiano more, nimirum fide, quæ per dilectionem operatur. Ex his facile diluuntur, quæ magnifice diſſerit hîc *Lutherus*. Nam properandum eſt, ne nullus ſit voluminis modus.

230. Nec in proximo Capite quicquam adfert novi, præter aſſeverationes, jactans neſcio quod agmen validiſſimorum argumentorum ſi proferre liberet, ac propemodum minitans ſe totum *Paulum* perpetuo commentario ſic interpretaturum, quemadmodum hæc interpretatus eſt. Sed eadem opera nobis interpretari po-
231. terit *Homerum* ac *Virgilium*. Quod proxime ſequitur Caput præter verborum ampullas, ac ſtrenuas aſſeverationes, & hyperbolicas exaggerationes jam toties auditas ac rejectas nihil habet, eoque non morabimur his recitandis aut refellendis lectorem. Jactat jam dudum partam victoriam, quam ni fatemur, paratus eſt totum *Paulum* in nos inſtruere, quod bonum atque commodum ſit, ſi quis permiſerit, ut Scripturas ſolus ſuo arbitratu interpretetur, rejectis omnium ſententiis. At ni me mea fallit opinio, quemadmodum *Paulus* magna vehementia pugnavit adverſus fiduciam operum humanorum, cum per hanc videret Euangelii gloriam periclitari, ita ſi nunc videret pleroſque ob negatum liberum arbitrium, & inductam omnium rerum abſolutam neceſſitatem, vel deſperare, vel ſecuros vivere, quaſi nihil referat bene operentur an male, modo ſibi perſuadeant Deum pro peccatis hominum dediſſe pœnas, omnibuſque donaturum vitam æternam qui credunt ipſi, majore vehementia tueretur liberum arbitrium & attolleret naturæ vim in homine relictam, quod facit, dum Philoſophis exprobrat ſuam impietatem. Pergit urgere nos duobus *Pauli* verbis, carnis & ſpiritus. *Paulus* Rom. VIII. ſcribit: *Vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Ex his verbis colligit omnes eſſe in carne, qui Spiritum *Chriſti* non habent, & eſſe Satanæ, qui *Chriſti* non ſunt. Donamus hoc etiam, ſicut *Lutherus* alibi docuit, omnes quantumvis juſtos, ſimul eſſe ſub regno Spiritus & Satanæ, quod in his etiam concupiſcat caro adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Sed perimit liberum arbitrium quod ſequitur, *Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt*, & quod præcedit: *Prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritus vita æterna.* Et, *prudentia carnis Legi Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt.* Quid ſi reſpondeam hæc pertinere ad Judæos gloriantes in littera Legis, ſpiritu vacuos? Hinc enim cœpit hic ſermo, quanquam *Paulus* ſuo more videtur & longius protrahere diſputationem, in ea quæ finitima ſunt huic materiæ. Sed quid hinc colligit *Lutherus?* Liberum arbitrium quoniam in carne eſt, non poſſe ſuis viribus aſſequi ſpiritum? Id fatemur maxime. Impium eſſe quicquid conatur? Hoc jam oſtendimus falſo colligi. Nihil boni facere? Jam diſtinximus boni vocabulum. Nec abſurdum ſit, ſi quis male faciens hactenus dicatur placere Deo, ut judicetur idoneus capiendæ gratiæ. Nam Reges quos conſpexerint magna vi fideque dimicaſſe pro dominis ſuis quamvis improbis adverſus ipſos, tamen conantur ſibi conciliare, ſperantes fore, ut ſimili fide ſtudioque pugnent pro ipſis. An *Paulus* perſequens Eccleſiam Dei peccarit, nunc non definio. Lex præcepit ut ſi quis exſtitiſſet Propheta, qui diverſa doceret à Lege, tolleretur è medio, *Chriſtum* docentem aut edentem miracula non viderat, Apoſtolos non audierat, ſed acceperat *Jeſum* quendam Legis perniciem molientem à Sacerdotibus, Scribis, Phariſæis, Senioribus & populo, magno conſenſu captum, accuſatum, convictum, damnatum & ſublatum in crucem: Hujus ſupereſſe diſcipulos eadem molientes. Affectus erat pius, error erat in perſonis & re. Verùm ut maxime peccarit, quod ipſe agnoſcit, tamen ex hoc errore Deus judicavit illum fore ſtrenuum Euangelii propugnatorem. Quemadmodum in muliere abortus non eſt bonum opus naturæ, ſpem tamen facit fœcunditatis: & erubeſcere adoleſcentem virtus non eſt, arguit tamen indolem aptam virtuti. Rejicit interpretationem *Origenis* de homine ſecto in tres partes, ſpiritum, animam & carnem. Verùm cum conſtet hoc à *Paulo* factum, exponat nobis, quæ ſit illa tertia pars hominis, cum ipſe nolit eſſe plures duabus. Somniat *Origenes*, quia non probat quod interpretatur, & *Lutherus* ſua probat adferens tam violentas interpretationes. An aſſeverare probare eſt? Non poteſt arbor mala fructus bonos facere. Si fructus ſunt opera hominis, *Lutherus* docet, ne juſtorum quidem opera eſſe bona. Et bonos fructus appellat, non quomodocunque bonos, ſed Euangelicæ bonitatis, quos fatemur per liberum arbitrium præſtari non poſſe, citra gratiæ præſidium. Si mali dant bona dona filiis ſuis, num ideo peccant adulteri, dum filios ſuos alunt juxta naturæ Deique legem? Quemadmodum igitur quidam boni dicuntur, non quod prædíti ſint perfecta virtute, ſed quod aliquouſque ad probitatem acceſſerunt: Ita Dominus apud *Luc.* XI. malos appellat diſcipulos ſuos, non quod eſſent extremæ malitiæ, ſed quod imperfecte eſſent boni. Etenim ſi de malis & impiis ſenſiſſet, non addidiſſet, *quanto magis Pater veſter cæleſtis de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Quorſum autem hîc attinet illud: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, Loquitur enim illic *Paulus* de iis qui veſcebantur carnibus reclamante conſcientia. Peccat autem quiſquis id facit quod, tametſi non eſt peccatum, tamen ex infirmitate conſcientiæ judicat eſſe peccatum. Hoc teſtimonium alio loco tempeſtivius citari poterat.

Rurſum quod citat ex *Eſa.* Cap. X. cum ſit LXV. *Inventus ſum à non quærentibus, palam apparui iis qui me non interrogabant*, quid facit adverſus liberum arbitrium? Lex *Chriſtum* promiſerat Judæis: ab his repulſa gratia demigravit ad Gentes, à quibus non exſpectabatur. Id magis adſtruit liberum arbitrium: Judæi repulſi ſunt, quod excæcati pravis cupiditatibus, oblatam gratiam adſpernati ſunt, utique per liberum arbitrium: Gentes quoniam per ignorantiam errarant, audito verbo gratiam amplexi ſunt, nimirum libero arbitrio gratiæ veluti reſpondente. Porro quod ad ſingulos homines attinet, & inter Judæos & inter Gentes erant qui quærebant Dominum, hoc eſt, qui ſic vivebant ut eſſent capaces venturæ gratiæ. Itaque ſi *Lutherus* ſentit quæri Dominum ab iis, qui ſe præparant gratiæ, & Judæi viventes juxta Legem quærebant Dominum, quod hîc dicitur, pertinebit pariter ad univerſos homines, quorum nullus quæſivit gratiam, ſed oblatam & non quæſitam accepit. Nunc Prophetæ 233.

di-

Digitized by Google

dictum duas habet partes, quarum altera pertinet ad Judæos incredulos, altera ad Gentes obtemperantes Euangelio. Quod enim ait, *Ecce ego, ecce ego ad Gentem quæ non invocabat nomen meum*, de Gentibus dictum est. Quod sequitur, *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*, ad Israelem pertinet, etiam exponente *Paulo*. Verum est paucos ex Scribis ac Pharisæis, paucos ex Philosophis obtemperasse Euangelio, quod suis viribus asserebant sibi justitiam: in culpa non fuit liberum arbitrium, sed malæ cupiditates, quæ liberum arbitrium magis in illis obfuscarant quam in aliis. De *Paulo* jam diximus. Pio ferebatur affectu, simplici laborabat errore, quem solo admonitu posuit, *Christus* illum repente vertit in agnum ex lupo, at non idem facit in omnibus: pleroſque paulatim allicit, ac formatad gratiam. Non erat similis error in Scribis ac Sacerdotibus. Proinde quod ait in Judæis plurimum esse quod libero arbitrio tribuatur, in Gentibus nihil esse quod tribui possit, utrumque dictum est ὑπερβολικῶς. Nam & inter Gentes erant qui naturaliter quæ legis sunt faciebant, qui ad justitiam ac felicitatem enitebantur, & inter Judæos erat crassissima ignorantia, cum perversitate conjuncta, qui videntes non videbant, & audientes non audiebant.

234. Post hæc ex *Joan.* 1. profert nobis terribilem vocem, *mundum*, quæ vel una sufficiat ad internecione delendam universam liberi arbitrii cohortem. Negari non potest in litteris Euangelicis *mundi* vocabulum aliquando sonare, totam hanc terræ sedem; unde jubentur Apostoli ire in mundum universum & prædicare Euangelium omni creaturæ. Et hoc ipso loco, *In mundum venit, & mundus per ipsum factus est*. Interdum pro hominibus rerum fluxarum amatoribus magis quam cœlestium: *Vos de mundo non estis. Ego elegi vos de mundo*. Verùm quid hîc per *mundum* putas intelligi, cum ait, *Et mundus eum non cognovit?* Hominum genus. Esto, Quid mirum si lux naturæ non comprehendit illam lucem, quam vix Angeli comprehendunt, in uno homine divinam naturam cum humana conjunctam: hominem natum ex Virgine, tres Personas unum Deum: Unius peccato mortalium universum genus damnatum, Unius morte redemtum: Hanc lucem fateor non poterat assequi liberum arbitrum, neque mundus ille Dei Spiritu destitutus. At non ideo protinus nihil videt liberum arbitrium, id quod ridicule colligit *Lutherus*, *Mundus odit Christum*, *Mundus totus in malo positus est*. *Mundus*, id est, *liberum arbitrium est sub regno Satanæ*. Multo rectius *Ambrosius* exponit in Libris *de vocatione Gentium*, hanc vocem, nimirum *mundum*, esse vocabulum generale, complectens universum hominum genus ex bonis, mediocribus, malisque conflatum, sed ita ut maxima portio sit malorum: itaque Scripturarum idiomate de mundo prædicari, quod in vulgus hominum competit. Unde & in tabernaculo erat sanctum, quod appellabatur κοσμικὸν, id est, *mundanum*, quod non Judæos solum ac proselytos, sed quamvis nationem reciperet. Itaque cum dicitur *mundus in malo positus*, intelligitur vulgus hominum esse tale: & *quicquid est in mundo concupiscentia carnis est, aut superbia oculorum, aut superbia vitæ*, quia tales sunt plerique mortalium, etiam hodie, tunc multo magis. Ita *Jesus venit in mundum*, quem condiderat, *& a mundo agnitus non est*, non quod à nullis, sed quod à paucis. *Venit in propria*, hoc est, ad nationem Judæorum, *nec à suis agnitus est*, non quod nulli Judæi crediderint, sed quod perpauci præ turba non credentium. Selegit Apostolos è mundo. Si mundus totus est osor Dei, num tales erant omnes Apostoli priusquam à *Christo* vocarentur? Crassi erant, impii non erant. Multa ignorabant, at non oderant *Christum*. Qualis erat & *Nathanael* & *Nicodemus*, qui per Legem servari poterant si *Christus* non advenisset. Sed sevocavit Apostolos à promiscua crassaque multitudine, quemadmodum antea semoverat Judæos à reliquis nationibus, ut redderet sibi populum peculiarem, cum & in Gentibus essent accepti Deo, & inter Judæos impii, & inter Apostolos repertus sit *Judas*. Habes *mundi* bene tortum vocabulum. *Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Hic promit nobis novam & inauditam interpretationem. *Sanguines* interpretatur Judæos, qui noluerint esse filii regni, quod gloriarentur se prognatos ex semine Prophetarum: *Voluntatem carnis*, studia populi, quibus in Lege & operibus exercitati sunt, nimirum carnales & Spiritu vacui: *Voluntatem viri*, generaliter omnium studia, sive sint in Lege, sive sine Lege, puta Gentium & quorumlibet hominum: ut hic sit sensus, nec nativitate, nec studio Legis, nec ullo alio studio humano fieri filios Dei, sed solum nativitate Dei. *Si igitur*, inquit, *non nascuntur carne, nec educantur Lege, nec parantur ulla hominis disciplina, sed ex Deo renascuntur, manifestum est, liberum arbitrium nihil valere*. Atque hîc quoque accersit ab Hebræis suppetias, qui *virum* accipiunt pro quocunque homine, sicut *carnem* per antithesin pro populo sine spiritu. *Voluntatem* autem dici pro summa vi in hominibus, nempe pro principali parte liberi arbitrii. Macte istius animi esto, *Lutherе*! Sic interpretare Scripturas, & viceris. Quid autem sibi vult illud verbum *puto?* Num sic loqui decet eum, qui negat in Scripturis quicquam obscurum esse, quique se profitetur habere Spiritum Christi? Quod si hæc non non ex animo loquitur, ac sibi quoque displicens adjecit modestiæ causa *puto*, ubi est illa victoria, quam ex *Joannis* verbis sibi pollicebatur? Ad hæc, ubi est illa simplicitas, quam à nobis exigebat, qui hîc tantum troporum invehit, nulla prorsus necessitate, tantum quia sic expediebat ad causam quam agit? Cui non perspicuum est, hîc *Joannem* discreviſse nativitatem spiritualem, qua nascimur per adoptionem filii Dei, à nativitate carnali, qua nascimur homines ex hominibus juxta communem naturæ legem. Cur hîc displicuit *Augustinus*, qui *sanguines* interpretatur semen maris ac fœminæ, aut si non placet seminis vocabulum, materiam unde coalescit fœtus: CARNEM fœminam, *virum* maritum, *voluntatem*, utriusque complexum. Ante torserat nos hoc verbo *fieri*, inde colligens hominis voluntatem nihil agere in hac renascentia, cum ex his verbis sacri probatique Doctores, quorum est *Chrysostomus*, demonstrent liberum hominis arbitrium & ad ipsam renascentiam, & ad tuendum adoptionis honorem nonnihil agere. Quærit enim, cur Euangelista maluerit dicere, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quam *dedit eis filios Dei fieri*. Sic enim potius loquendum erat, si tam renascimur sine nobis, quam nascimur sine nobis. Nam sermo vehementer absurdus fuerit, si quis dicat, *Ago gratias Deo, qui dederit mihi potestatem fieri hominem potius quam equum*, sed *qui me fecerit hominem potius quam equum*. Respondet autem tribus de causis ita loqui maluisse: Primum ut potestatis à Deo datæ nomine declararet, eum honorem à nemine posse nobis intercludi, nisi nosipsi intercluserimus. Datam autem esse omnibus summis juxta & infimis. Deinde quo significaret eam gratiam non temere neque citra nostram operam nobis infundi, sed cum ipsi volumus, inquit, tum eam inquirimus: in nostra enim potestate est, filios Dei fieri. Quippe nisi promtum ad eam accipiendam animum exhibeamus, neque divinum ad nos munus accedit, neque quicquam in nobis operatur. Ubique igitur non violentum, non coactum, sed voluntarium penitus & liberum ostendit arbitrium. Postremo quod Deus nobis per baptismum largitur remissionem omnium peccatorum. Cæterum ut persistamus in innocentia, nec in pristinas sordes revolvamur, nostræ virtutis ac studii sit. Ne mihi protinus hîc *Chrysostomum* sacrilegum faciat, mox ostendemus pie dictum fuisse, si quod ille sensit interpretari malimus, quam ex verbis calumniam texere. Poterat *Joannes* brevius dicere, *Qui non ex humano coitu, sed ex Deo nati sunt*. Verùm dum quasi depingit coitum maris ac fœminæ, subindicat similitudinem in renascentia spirituali.

235.

Digitized by Google

Neque enim nos proprie nascimur ex Deo, cum ex Deo nihil proprie nasci possit, nisi Deus, quemadmodum ex homine nihil nascitur, nisi homo. Verùm dum commemorat semina, dum voluntatem viri & fœminæ, verecunde subindicat in renascentia complexum quendam esse gratiæ & liberi arbitrii: gratiam quidem esse superiorem, cæterum sine nostræ voluntatis assensu, non fieri conceptum hunc spiritualem. Fortassis & illud indicat, non subito fieri filios Dei, sed primum datur potestas oblata per verbum gratiæ, quam si mutuo complexu receperimus, tum infundi Spiritum, in quo clamamus, Abba pater. Nec ideo potest homo sibi vindicare gratiam, quam non habuisset, nisi fuisset oblata gratis, sed non datur invitis, nec aversantibus.

236. Sequitur, *de plenitudine ejus accepimus omnes, & gratiam pro gratia.* Rursus hîc adducit novam interpretationem, *gratiam*, id est, nullo merito studiove, sed pro gratia *Jesu Christi*, quemadmodum & *Paulus* Rom. v. *Gratia Dei & donum, in gratia unius hominis Jesu Christi.* Quid his verbis agit *Paulus*? Quid, nisi gratiam Euangelicam omnibus collatam, per *Christum* redemtorem? Hoc nemo negat Christianus. Nam hîc *in*, usurpatum pro *per*, declarant quæ sequuntur: *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes in vitam regnabunt per unum Jesum Christum.* Non igitur hîc ostenditur nova gratia, per quam confertur gratia: sed indicatur auctor gratiæ ex quo fluxit, & minister gratiæ, per quem fluxit ad omnes homines, unde & abundantiam appellat, quod largissime per *Christum* effusa sit in omnes nationes. Porro *Joannes gratiam pro gratia* dixit, non significans geminam gratiam, sed aliter datam, quemadmodum *Paulus* dixit, *ex fide in fidem.* In Lege fides erat promissionum, in Euangelio fides exhibitorum. Sic in Lege erat gratia ex *Christo* exspectato, in Euangelio ex *Christo* exhibito, illa parcior, hæc uberior. Et tamen fatemur donum hoc à Deo per *Christum* nobis gratis donatum: non quod nulli fuerint, qui quicquam boni fecerint, sed quod in admissione ad Euangelium non spectarentur merita vitæ prioris, modo promto animo reciperetur oblatum donum. Quoties autem *Paulus* utitur his verbis, *gratia* & *gratis*, non opponit libero arbitrio complectenti gratiam oblatam, sed Judæorum insolentiæ, qui freti suis operibus, putabant otiosam esse gratiam. Jam quod addit Diatriben cum Sophistis dicere, & nos nostro conatu Dei gratiam impetrare, & ad illam recipiendam præparari, licet non de condigno, sed de congruo, tropus est, qui Græce dicitur ψιθολογία. Hanc opinionem recensui, non defendi. Reliqua destomachatio, qua vociferatur nos negare *Christum* sceleratius quam *Pelagianos*, nihil ad nos pertinet, cum ex loco perperam exposito nascatur.

237. Profertur tandem nobis *Nicodemus* ad subruendum liberum arbitrium. Si liberum arbitrium est caro, impietas, odium Dei, & quid non? nequaquam est aptum exemplum *Nicodemus.* Nam eum arbitror in eo statu fuisse, ut servandus fuerit etiamsi tum non venisset *Christus.* Nec mirum si non intelligebat arcanam *Christi* doctrinam vi liberi arbitrii, quam soli Prophetæ aut prophetico afflati Spiritu intelligebant. Verùm ea cognitio non requirebatur à vulgo Judæorum: & haud scio, an Prophetæ singula tam dilucide noverint, quam *Christus* adveniens suis aperuit. Proinde quod multa commemorat, quæ mundus nullis naturæ viribus assequi potuerit, verissima loquitur, & nobis assentientibus prædicat: Verum per hæc non efficit, quin homo per liberum arbitrium, & multa perspiciat, & nonnihil etiam
238. conari possit invitante gratia. Nectit alium syllogismum, *per contentionem* vere contentiosum: *Christus*, inquit, *per contentionem*, hoc est, ad distinctionem contrariorum, *dicitur*, via, veritas, & vita, *proinde quicquid non est* Christus, *error est, mendacium est, mors est. Quod ni concedimus*, Christum *facimus supervacaneum, qui venerit homini redimendo, qui liberum arbitrium habebat sanum, injustum facimus, qui totum hominem damnet, cum præ-*

stantissimæ sui parte sanus esset. Requiram à *Luthero*, ut mihi respondeat, an Dialectica sit methodus, hoc est, via ad inveniendum verum. Si negabit, reclamabit omnis Scholarum chorus: Sin fatebitur, aut fatebitur Dialecticam esse *Christum*, aut concedet aliquam esse viam, quæ neque sit *Christus*, neque sit error. Monstrat hoc Dialectica, necessario verum esse, quod homo sit, idem esse animal. Rursus quod animal non sit, nec hominem esse. Habent Mathematici certissimas ac demonstrabiles veritates, quarum nulla *Christus* sit, neque tamen mendacium. De vita nihil attinet disputare: *Christus* lux est, igitur tenebræ sunt, quicquid *Christus* non est? Pharisæus ille *Luca* x. qui tentabat Dominum, interrogavit quod esset maximum mandatum, quomodo laudatur à *Christo*, quod recte respondisset, si falsum erat quod respondit? Et quomodo cernebat, si totus erat tenebræ? Dicet hoc illi per Legem fuisse patefactum, non per liberum arbitrium. Esto, sed unde novit hoc esse mandatum omnium maximum inter tam multa mandata? Hoc certe per liberum arbitrium perspexerat. Quid multis? Si tenebræ sunt quicquid *Christus* non est, cur ipse *Lutherus* probat in calce hujus voluminis Scholasticorum distinctionem de luce naturæ, gratiæ & gloriæ? De Philosophis jam dictum est, qui teste *Paulo* per lumen naturæ perspexerunt Dei virtutem ac sempiternam illius divinitatem, & tamen in eis non erat *Christus*, quemadmodum nec in tentatore Legisperito. Sed quid attinet de Philosophis dicere, cum Dæmones impii tanta polleant rerum cognitione, qui sic credant, ut etiam contremiscant, & in his certe nulla portio residet, nisi quod erat naturæ. Reliquam argumentationem jam ante refellimus. Non statim sanum est, quod aliquid habet non obnoxium morbo. Nec statim supervacaneus est Medicus, si febricitans careat podagra. Et si quid valet liberum arbitrium in amplectenda gratia, non statim potest sibi dare salutem. Nec injustus est judex si damnet parricidam, qui tamen non commiserit adulterium. Meræ verborum turbæ sunt hæc. Nec ideo stellæ tenebræ sunt, quia Sol lux est mundi. *Christus* unica via est ad æternam felicitatem, quæ nihil habet erroris. Solus est æterna veritas, quæ nec falli potest, nec fallere. Solus est vita, per quem solum contingit totius hominis immortalitas.

Hæc mihi videtur adjecisse, quo liber crescceret coro- 239.
nide, ut vix unquam novit desinere, manumque de tabula tollere. Mirum enim quam hîc φλυαρεῖ verbis nugalibus: *Qui credit in eum, non judicatur: qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei. Si liberum*, inquit, *arbitrium est de numero credentium, non eget* Christo: *Si non est, damnatum est: Si damnatum, igitur & impium: Si impium, non potest ad pietatem conari.* Non excutiam hîc, quod ante dixit hominem etiam immerentem damnari, quemadmodum & immerentem servari. Quod si impietas est perversus affectus in Deum, quemadmodum pietas est religiosus affectus in Deum, quid dicet de infantibus, qui decedunt absque lavacro regenerationis, certe perversum affectum non habent, & tamen damnantur. Verùm ne his παρέργοις moremur tempora lectoris, *Joannes* illic agit non de quavis credulitate, sed de fide in Filium Dei. Hanc quoniam liberum arbitrium non poterat assequi, nec Deus imputabat. Constat enim plurimos fuisse Judæos, qui non noverunt Filium Dei, licet exspectarent *Messiam* quendam Judaicæ gentis redemtorem; plures autem qui non noverunt Spiritum Sanctum: hæc fides nunc à nobis exigitur, quibus Scripturis, prædicatione, miraculis, & Orbis consensu sufficienter persuasum est: Alioqui multa credunt homines per liberum arbitrium, Deum esse, & esse æternum, initii juxta ac finis expertem, immensum, incomprehensum, omnia moderantem, simplicissimum, omnipotentem, quo nihil majus melliusve nec sit, nec esse possit. An non hæc est aliqua fidei pars? Credidere Gentes Deum esse malorum ultorem, & remuneratorem piorum. Hue usque pervenit

nit humana ratio, ad mysteria Christianæ fidei pervenire non potuit absque gratia. Cernit itaque ratio, credit ratio, expedit voluntas aliquousque summum bonum, sed absque gratia non pertingit ad æternam salutem, nec in Paganismo, nec in Judaismo, nec in Christianismo. Itaque neque nihil potest liberum arbitrium, & opus est gratia. Pergit, *Omnis homo mendax, ait Scriptura. Quid liberum arbitrium? Scriptura*, inquit, *mentitur. Quin homo non est mendax optima sui parte, id est, ratione & voluntate, sed tantum carne & sanguine, & medullis, ut sic illud totum, unde nomen habet homo, scilicet ratio & voluntas, sit sanum & sanctum*. Quantum isti fuit otii, dum talibus næniis expleret chartas! Quid est, *Omnis homo mendax?* An quicquid complectitur homo naturæ viribus, mendacium est? Quid insanius? Quid igitur? Nimirum illud, Solus Deus in promissis fallere non potest, Omnis autem homo potest, quia sæpe mutat voluntatem, sæpe non est facultas præstandi quod recepit. Quando vero desinet occinere nobis impudens mendacium, quod totam hominis rationem ac voluntatem faciamus sanam & sanctam? Toties contrarium dixit Diatriba, tamen videtur sibi perquam falsus, hujusmodi nugis lasciviens, carne, sanguine, & medullis. Miræ vero facetiæ, quæ scribantur ab homine, qui se jactat habere Spiritum *Christi!* Sed valeant hæc scurrilia.

240. Revocat illud toties decantatum *Joannis* III. *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.* Vides prostratas liberi arbitrii vires. Cum ait, *non quicquam*, excludit omnia. Si nos urgeat verbis simplicibus, fatemur & nos hominem nihil habere quod non acceperit à Deo. Verùm hîc Baptista non loquitur de quolibet rerum genere, sed de auctoritate baptizandi ac remittendi peccata. Cum enim cœpisset baptizare *Jesus*, ac prædicare regnum Dei, quod prius fecerat *Joannes*, hujus discipuli humano quodam affectu faventes suo præceptori, nec adhuc de *Jesu* sentientes ut illo dignum erat, renuntiant ei dicentes, *Rabbi qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibebas, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Sic & *Judæi* obmurmurabant *Joanni, Quid ergo baptizas si non es Christus, neque Helias, neque Propheta?* Et ipse Dominus hac quæstione obturat illis os exigentibus in qua potestate hæc faceret, percunctans eos vicissim, *Baptismus Joannis utrum esset è cœlo, an ex hominibus.* Quoniam igitur persuasum habebant, quod *Joannes* prædicabat & baptizabat esse cœlitus traditæ auctoritatis, de *Jesu* vero potestate dubitabant: *Joannes* ostendit quanto sit excellentior *Christi* auctoritas, qui sponsus esset ac Dominus profectus è sinu Patris, cum ipse nihil aliud esset quam servulus, indignus qui illi solveret corrigias calceamentorum. Meminerit igitur *Lutherus*, quod nos alicubi docuit, sermonem exponendum juxta id quod agitur: auctoritatem baptizandi, aut condonandi peccata, aut abrogandi Legem, aut condendi novam, aut præscribendi fidei dogmata, aut similium functionum, nullus accipere potest, nisi fuerit illi datum divinitus, quæ summa potestas erat in uno *Christo*, de cujus plenitudine accipiunt omnes. *Joannes* non remittebat peccata, nec auctor erat regni cœlorum, sed præco duntaxat ac προόδρομος. Et tamen hoc ipsum quod agebat, auctoritate cœlitus data faciebat. Quid hæc ad liberi arbitrii vires? Liberum arbitrium non instituit Sacramenta Ecclesiæ, neque condit articulos fidei, nec abrogat divinas leges, quod fecit *Christus*, qui solus hoc potuit. Atque hîc nobis rursus ostendit novum scopum, *Non de natura*, inquiens, *sed de gratia disputamus, nec quales sumus super terram, sed quales sumus in cœlo coram Deo, quærimus.* Quid hæc aliud sunt quam verba tragica, nihil significantia? Nonne hæc est summa quæstionis, quantum habeant momenti naturæ vires ad accipiendam aut tuendam Dei gratiam? Et nonne Diatriba semper conjunxit actionem liberi arbitrii cum energia gratiæ? Sui potius scopi meminisse debebat *Lutherus*, qui semel docuit nos absolutam rerum omnium necessitatem. Et tamen hîc ita loquitur, *Scimus quod homo dominus est inferioribus se constitutus, in qua habet jus & liberum arbitrium, & illa obediant, & faciant quæ ipse vult & cogitat.* Ut ne excutiam quod hîc liberum arbitrium vertit in jus, cum aliud sit velle, aliud habere jus; deinde eventum connectit libero arbitrio: quod si sentit ut loquitur, non semper Equi, Ursi, Leones & Elephanti faciunt quæ volumus, itaque & hîc perit liberum arbitrium. *Sed hoc quærimus*, inquit, *an homo erga Deum habeat liberum arbitrium, ut ille obediat & faciat quod homo voluerit, an potius Deus in hominem habeat liberum arbitrium, ut is velit & faciat quod Deus vult, & nihil possit, nisi quod ille voluerit & fecerit.* Hæc ille. Quis nescit absoluta potestate Deum nihil non posse, & in hujus arbitrio totum hominem esse, quem ex homine vertere possit in nihilum: at juxta potestatem ordinatam, homo frequenter facit, quod Deus non vult, & Deus ab homine coactus quodammodo facit quod non vult. Non vult mortem peccatoris, & tamen dum peccator contemtis omnibus non vult resipiscere, Deus occidere cogitur, quem volebat vivere. Et Deus vult omnes salvos fieri, & tamen contra illius voluntatem plurimi suo vitio pereunt. Postremo in his, in quibus Deus obstrinxit nobis fidem suam, facit quæ non volumus, velut in Sacramentis Ecclesiæ, per impium ministrum panem & vinum vertens in sanguinem suum, idque quodammodo nolens & invitus. Jam si de bonis pariter ac malis loquitur *Lutherus*, quid sibi volunt illa verba, *nisi quod ille voluerit & fecerit?* Verùm de his alias abunde dictum est. Audi clausulam, *Homo non potest tale quicquam facere qualia fecit* Christus, *condonans per baptismum peccata, præscribens nova dogmata, Legem abrogans, novum condens testamentum, nisi fuerit ei datum desuper, ergo liberum arbitrium nihil est. Sequitur eodem in loco*, Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur, Qui de cœlo venit, super omnes est. *Liberum arbitrium non venit de cœlo, ergo terra est, nec aliud sapit quam terrena. Et qui de terra loquitur, impia loquitur.* Sic torquet Scripturas. Imo *Joannes* hîc de se loquitur, ostendens, quantum absit ipsius doctrina à cœlesti doctrina *Christi*, qui solus è cœlis venerat. Ob humilitatem itaque conditionis se terram vocat, seque terrena loqui dicit, præ sublimitate dogmatum quæ *Christus* erat prolaturus, qui venerat è sinu Patris. Alioqui *Joannes* num loquebatur impia? Non opinor, Sed humilia, si conferantur ad *Christi* doctrinam. Nec huc pertinent, quæ refert ex *Joannis* VIII. *Vos de mundo estis, ego non sum de mundo: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* Quibus hîc loquitur *Christus?* Impiis & pertinacibus Judæis, de quibus testatur, *Vos in peccato vestro moriemini:* & mox, *ego quod vidi apud Patrem meum loquor, & vos quod vidistis apud patrem vestrum facitis. At isti*, inquit, *liberum arbitrium habebant, ad quos loquebatur, & tamen de mundo eos esse dicit.* Quid ego audio? an Diatriba dixit liberum arbitrium esse è cœlo, hoc est, nihil sapere nisi cœlestia? Similis delirationis est quod addit, *Quid novi diceret, si secundum carnem & crassos affectus, de mundo eos esse diceret?* An hoc non ante novit totus mundus? Tum quid opus est homines, ea parte qua brutales sunt, de mundo dicere, cum hoc modo & bestiæ sint de mundo? Obsecro te, lector, an non hæc videntur per febrem aut somnium dicta? Quis unquam dixit totam hominis rationem & voluntatem totam esse sanam ac piam?

241. Repetit illud ex *Joannis* Cap. VI. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Hîc *Lutherus* idem interpretatur quod interpretabantur *Manichæi*, quemadmodum indicavit *Chrysostomus:* ex his enim Euangelii verbis docebant hominem ex sese nihil omnino posse. Quod si *Manichæus* rectius intellexit Euangelium *Joannis*, quam orthodoxi Patres, sequamur illum, & cum illo vocemur pro Christianis *Manichæi*. Dominus illic sublimia quædam & humani ingenii captum

Digitized by Google

ſuperantia de ſe proferebat. *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi*, &, *ut quiſquis vidit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Hæc verba non hominis erant, ſed divinitatem præ ſe ferebant. At illi videbant corpus humanum, audiebant vocem humanam, noverant humiles parentes, & cognatos tenues. Hic itaque Domini ſermo non ſolum videbatur incredibilis Judæis, verum etiam blaſphemus & impius, nec vulgo tantum, ſed ipſis etiam diſcipulis, adeo ut quidam à præceptore defecerint. Murmurantibus itaque Judæis Dominus reſpondit, *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum:* hoc eſt, nemo credit divinitatem Filii, niſi Pater illi revelarit. Non enim hoc eſt humani captus. Hæc ſenſiſſe *Joannem* res ipſa loquitur. Nunc vide *Lutheranam* collectionem, *Liberum arbitrium naturæ viribus non poterat credere hominem ex homine natum, eſſe Deum ex Deo natum, ideo nihil omnino vidit, & his verbis non potuit aſſentiri niſi tractum cœlitus, ideo nulli veritati potuit aſſentiri.* Primum hoc donat, opinor, nobis, *trahendi* vocem hîc non eſſe violentiæ, ſed invitantis potius & allicientis. Et nos fatemur fidem, qua purgamur à peccatis, eſſe donum Dei, & donum gratuitum. Verùm hoc donum non datur niſi volentibus. Donum autem offertur omnibus. Quod autem non ab omnibus recipitur, voluntas hominis libera eſt in cauſa. Legimus eodem in loco: *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Et alibi Dominus invitans omnes dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.* Si homo venit ad *Chriſtum*, quid opus eſt trahi? ſi trahitur, quomodo dicitur venire? Miſcuit itaque ſermo *Chriſti* cœleſtem gratiam cum voluntate hominis. Simul enim trahitur per invitantem gratiam, & venit per liberi arbitrii conatum. Verba *Chryſoſtomi* ſic habent: *Verùm hoc noſtrum non tollit arbitrium, ſed divino egere auxilio oſtendit, nec invitum, ſed omni conatu contendentem venire.* Hæc os illud aureum. Et *Lutherus* conatus verbum in meis ſcriptis ferre non poteſt. Verùm hîc metus eſt, ne *Chryſoſtomus* nihilo mitius audiat, quam audivit *Hieronymus.* Rejicitur quod Diatriba citarat ex *Auguſtino*, ſic hominem trahi, non quemadmodum vinctus catena, ſed quemadmodum trahitur ovis oſtenſo ramo. Ait, hoc quod ſcripſit *Auguſtinus*, ad pios tantum pertinere, qui jam ſunt oves, & Spiritu Dei ducuntur quo Deus voluerit. Hæc reſponſio non poteſt expeditius ſolvi, quam ſi dicamus eam eſſe falſam. Non enim *Auguſtinus* illic loquitur de juſtificatis Spiritu Dei, ſed juſtificandis. Nec omnes oves *Chriſti* ſunt, nec ſequuntur Spiritum, ſed ſunt oves erraticæ, ſunt quæ degunt ac pereunt ſub paſtore lupo. Hæc enim *Auguſtini* verba ſunt, *Non traheris, ora ut traharis.* Si quid tribuit *Auguſtino*, qui orat ut trahatur, nonne conatur, ut fidem accipiat, quam nondum accepit? Nec ideo Principis donum gratuitum non eſt, ſi quis per amicos ambiit, ut impetraret. Et Dominus, *Qui venit ad me non excludam.* Fide itur ad *Chriſtum:* Fides autem ex auditu eſt, nec omnes tamen credunt cum audiunt. Fruſtra enim verbum ſonat foris, niſi gratia trahat intus: ſed à gratia non trahitur qui ſe non præbet gratiæ.

242. Nectit nobis alium ſyllogiſmum. *Joannes*, inquit, XVI. dicit, *Spiritus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Hîc vides* peccatum *dici, non credere in Chriſtum. At hoc peccatum non utique in cute vel capillis hæret, ſed in ipſa ratione & voluntate. Totus autem mundus arguitur incredulitatis, idque peccatum ignoratum erat mundo, donec arguente Spiritu proderetur: & in mundo eſt liberum arbitrium cum ratione ſua & voluntate, reum igitur & damnatum, quantum quantum eſt.* Deum immortalem, quæ eſt hæc tam perplexa diſputatio! quæ tortura Scripturarum contra id quod ſentiunt! Non enim illic agitur de libero arbitrio, ſed de Judæorum inexcuſabili pertinacia, quorum incredulitas utcunque poterat aliqua cauſatione præte-

A xi, quod *Chriſti* divinitatem non crediderant, eo quod offenderat illorum ſenſus corporis humani infirmitas. Verùm quod ubi miſſo Spiritu, viderent per Apoſtolos majora fieri prodigia in nomine crucifixi, quam ipſe vivus geſſerat, nihilo minus tamen perſiſterent in incredulitate, nullo prætextu poterant excuſare peccatum ſuum. Porro quod ait, totum mundum reum fuiſſe peccato incredulitatis ignorato, puto hanc fidem ignoratam, de qua hîc verba fiunt, nec Judæis fuiſſe imputatam ante prædicatum Euangelium, imo ne in primordiis quidem Euangelii naſcentis, cum Apoſtoli *Chriſtum* appellarent virum juſtum à Deo deſtinatum, ſilentes de divina natura. Neque enim myſterium Triadis exigebatur ab hominibus, antequam eſſet divinitus
B patefactum per adventum Filii Dei. Non igitur hoc nomine reum erat liberum arbitrium, quod tum, ut ait, erat in mundo, cum alias negarit eſſe in rerum natura, alioqui periſſent omnes Judæi quamvis juſti, exceptis paucis, quibus hoc fortaſſe peculiari revelatione fuerat patefactum. Quod ſi contendit liberum arbitrium nihil potuiſſe credere viribus naturæ, palam contradicit *Paulo.* Qua de re jam ante ſatis dictum arbitror. Verùm demus hoc quoque, quod ſuis viribus non potuerit promereri donum fidei, certe pulſanti gratiæ ſe præbere poterat, aut etiam ab ea avertere,
C &c. quæ jam toties commemoravimus. Neque enim liberum arbitrium gignit gratiam, ſed reformatur à gratia ſic operante in homine, ut ipſa etiam hominis voluntas cooperetur, & in concipiendo, & in tuendo, & in agendo; ſimiliter in repellendo, minuendo, amittendo. Addit hyperbolen: Chriſtus *in Literis ſacris ſemper nominatur per antitheſin, ut ubicunque* Chriſtus *non ſit, ibi ſit Satanas, error, impietas, tenebræ, peccatum, mors, ira Dei, inferi*, quid non? *Quoniam autem tota Scriptura loquitur de* Chriſto, *tota pugnat adverſus liberum arbitrium.* Parum eſt quod dictum eſt, *ſinguli etiam apices*, ut ait, *proſternunt liberum arbitrium uſque ad minimum jota.* O fortes hyperbolas! ſed nihil aliud quam hyperbolas. Judæorum natio *Chriſtum* exſpectabat, ſed plerique qualis eſſet futurus ignorabant. Exſpectabant enim fortiſſimum Regem, qui populum Iſraeliticum redimeret è ſervitute gentium, quique totius Orbis imperium transferret ad Judæos. Et tamen hæc rudis craſſaque fides ſufficiebat ad ſalutem. Itaque probabile eſt ante Legem ſuffeciſſe ad ſalutem credere unum Deum. Quod ſi à priſcis Judæis exigimus Filii talem notitiam, qualem à nobis exigit Eccleſia, pariter exigemus & Spiritus Sancti notitiam: quod ſi non imputatur illis ignoratus Spiritus Sanctus, nec Gentibus imputabitur Filii ignoratio. Divinam naturam ex rebus conditis utcunque deprehendere licuit, Dei Filium nullis indiciis potuerunt deprehendere. Fal-
E ſum eſt igitur quod aſſumit *Lutherus*, ubicunque *Chriſtus* incognitus eſt, ibi fuiſſe Satanam, impietatem & mortem. Nunc fatemur extra *Chriſtum* cognitum non eſſe ſalutem, Euangelica luce per univerſum terrarum Orbem coruſcante. Profitemur & nos, ut ait, duo regna, Chriſti & Satanæ, à quo *Chriſtus* ſuos eripit auxilio gratiæ: ſed regnum Chriſti ponimus in perfectis, regnum Satanæ in perverſis: in medio ſunt infantes & languentes in Chriſto. Subitus iſte raptus olim in quibuſdam factus eſt, cum Spiritus ederet miracula, cum inſtrueret variis Linguis. Nunc bene nobiſcum agitur, ſi paulatim *Chriſtum* adoleſcat in nobis. Sed ut maxime
F fateamur iſta duo regna, iſtum raptum, quoniam nemo rapitur niſi volens, non tollitur funditus liberum arbitrium.

Redit huc illud vere *Achilleum* argumentum ex *Rom.* 243.
VII. & *Galat.* V. de pugna ſpiritus & carnis. Id jam non ſemel exprobravit, quod Diatriba reliquerit intactum, quaſi Diatriba ſuſceperit provinciam reſpondendi ipſius aſſertioni, cum nominatim deſignarit ſibi rem eſſe cum abſoluta neceſſitate, quanquam nec omnino tranſiit intactum, ſi quis legat Diatribam. Sed videamus quid afferat hic *Achilles.* Etiam in juſtis pugnat caro

caro adversus spiritum, ac vicissim spiritus adversus carnem. Nec patitur carnem accipi pro crassioribus tantum affectibus, cum *Paulus* inter opera carnis commemoret hæresim, idololatriam, dissensiones, contentiones, quæ nimirum insunt summis illis animi viribus rationi & voluntati. Sic igitur argumentatur: *Si natura hominis adeo mala est, ut in his, qui spiritu renati sunt, non modo non conetur ad bonum, sed etiam pugnet & adversetur bono, quomodo in illis, qui nondum renati in vetere homine sub Satana serviunt, ad bonum conaretur?* Quid hic evicit *Achilles?* Etiam in ratione & voluntate esse affectus impios & perversa judicia. An non hoc ingenue fassa est Diatriba? Quanquam hi quoque affectus originem habent ex illis crassioribus, quibus magis amamus ea quæ videntur, quam quæ non videntur. Neque enim sentio carnem tantum esse luxum ac libidinem, quanquam ita quodam in loco divus interpretatur *Hieronymus.* Avaritia crassa res est, hinc plerunque nascitur invidia. Crassa res est libido, hinc frequenter capitales iræ. Crassa res luxus, ex hoc non raro nascitur blasphemia. Verum est igitur, quod in impiorum ratione ac voluntate regnent ista detestanda crimina, sed in quibus hominis partibus regnant fructus, caritas, gaudium, pax, patientia, &c. Nonne in iisdem partibus? Regnant, inquiet, sed ex dono Spiritus, verùm illa regnant ex malitia naturæ. Proinde cum natura sit omnium communis, in omnibus ex æquo regnabunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Hos affectus nec sentiunt omnes qui in Christo renati sunt, sensuri si hæc inessent à natura, quæ communis est omnium, sed horum maxima pars accedit ex prava educatione, ex libero arbitrio semet in pejus deflectente potius quam à natura. Quod si naturam per se spectes, ut inest illi proclivitas ad turpitudinem, ita insunt illi maxima semina ad virtutem. Quod si caro pugnat etiam in piis, oportet hos affectus omnes in singulis illorum inesse: ut demus eos in pugna superiores evadere, quid dicemus de perfectis? Ut fateamur nullum mortalem in hac vita eo perveniss̀e, ut nullo titilletur affectu peccandi, certe multos esse puto, qui homicidii, aut veneficii non sentiant affectum. Cur igitur hæc commemorat *Paulus?* Quoniam scribebat iis, inter quos plurimi erant imbecilles, nondum purgati à pristinæ vitæ consuetudine, quales erant & *Corinthii.* Hos admonet, ut in Christianismo proficiant: & quemadmodum à Paganorum professione recesserant, ita recedant & à moribus, quorum summam commemorat, non quod multi talia committerent, sed quod imbecilles in Christo sollicitabat ad nuper relicta vitia prioris vitæ consuetudo. Proinde quæ hîc recensет *Paulus*, non tam pertinent ad naturam hominis, quam ad animum vitiis depravatum. In his caro concupiscit hæc tam atrocia quæ refert Apostolus. Quod si liberum arbitrium tantopere damnatur, quod in eo sit proclivitas ad hujusmodi vitia, laudetur quod in eodem sunt semina ad honesta, & talium vitiorum nativus horror, quem non prius excutiunt assuetudine peccandi quam hominem excusserint. *Pelagiani* negant ullum esse peccatum originis, quæ sententia merito damnata est, sed qui in immensum exaggerant peccatum originis, ad *Manichæum* proxime accedunt longe pernicioſius errantem, & facinorosis occasionem præbent excusandi sua commissa, & in naturam malam rejiciendi. Et in Ethnicis pugna quædam est inter rationem & affectus, quos *Paulus* carnem appellat. Quod si hæreses, invidiæ & similia sunt in ipsa ratione ac voluntate, quemadmodum *Lutherus* docet, summa pars animi secum pugnat, dum voluntas velut in æquilibrio posita, nunc huc, nunc illuc propendet. Similiter erit in iisdem partibus *spiritus* & *caro.* Neque enim hîc *spiritus* significat Spiritum Sanctum, sed mentem hominis dono Spiritus instructam adversus carnem. Quemadmodum autem ii, qui Spiritu vacui sunt, per liberum arbitrium sæpe vincunt concupiscentiam ad flagitia sollicitantem: Veluti multi sunt vacui gratia, qui scortationi serviunt, vincunt tamen iram ad homicidium sollicitantem, non metu Dei, aut pœnæ, sed tantum naturali horrore nefarii criminis: ita qui Spiritu ducuntur, multo facilius superant tales affectus, libero arbitrio simul Spiritui quodammodo collaborante. Unde hic locus magis adstruit liberum arbitrium quam destruit. Cæterum quod *Lutherus* in tantum exaggerat carnis vim etiam in piis, ut accedit ad errorem *Manichæorum*, ita discrepat à *Pauli* dicto, quod mox sequitur, *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Utique Christi sunt, qui Spiritum habent Christi. Quomodo igitur pugnat caro crucifixa mortuaque cum vitiis & concupiscentiis? Non hæc dico quod nesciam in sanctis perpetuam esse carnis mortificationem, quamdiu versantur in domicilio terreni corporis, sed ut rejiciam *Lutheranas* exaggerationes, quibus ut himium tribuit peccato originis, ita plus satis tribuit carni & Satanæ, ne quid omnino tribuat libero arbitrio. Hæc ad locum qui est in Epistola ad *Galatas.*

Ad *Romanos* autem Cap. VII. longa est ac difficilis disputatio: Qua de re primum illud præfabor, *Paulum* illic loqui non de se, sed sub sua persona de quovis homine, qui victus à concupiscentiis, jam serviat peccato. Neque enim Apostolus cum hæc loqueretur, per Legem mortuus erat, nec illi mandatum inventum est ad mortem, qui Legis fuit observantissimus, neque carnalis erat, neque venundatus sub peccato, neque malum quod nolebat faciebat, neque erat infelix, ut optaret liberari à corpore mortis, per quod cogebatur facere quod nollet: sed docendi gratia peccatoris in se personam recepit, ut ostenderet à peccatis neminem posse fieri liberum, nisi per gratiam Euangelicam. Nec tamen me fugit, quantopere Divus *Augustinus* ad *Bonifacium* Libro primo moliatur, ut totus hic locus accommodetur *Paulo*, sed adeo multa dure detorquet, ut mihi dum sedulo persuadere conatur, magis dissuaserit. Deinde præfabor & illud, Veteres fere hunc locum interpretari, non de peccato originis, sed de consuetudine peccandi, qua depravatur hominis & ratio & voluntas. Aut si quem locum tribuunt peccato naturæ, maximam certe portionem adscribunt assuetudini vitiorum. His propositis videamus quam hæc pugnent adversus liberum arbitrium. Etiam peccator, & Spiritu Dei vacuus, & venundatus sub peccato, quam personam in se recepit *Paulus*, ut minus offenderet Judæos, facit non quod vult bonum, sed quod odit malum. Quomodo vult bonum? Quia condelectatur & assentitur Legi, per naturale judicium videns eam esse justam & bonam. Lex enim dicit: *Non furaberis, non dices falsum testimonium adversus proximum, non mœchaberis.* Peccator videt esse justum quod præcipit Lex, sentiens hoc iniquum, facere in alium, quod sibi nollet fieri, & nativo quodam nisu rapitur ad id quod est bonum, sed affectu victus facit quod juxta naturalem rationem non vult, sed odit magis & horret. Quod autem peccat reclamante conscientia, argumentum est Legem esse bonam. Quod si quando peccator, qui nondum exsuit hominem, aliquid recte fecerit, sentit aliquam mentis delectationem, & hoc arguit Legem esse bonam. Quod autem hîc addit, *secundum interiorem hominem*, non potest accipi de Spiritu, cum *Paulus* sustineat ejus personam, qui nondum accepit Spiritum, verùm interiorem hominem appellat rationem naturalem, cui juncta est voluntas, sed utroque volubilis. Nam quod hîc interiorem hominem vocat, mox appellat mentem: *Video aliam legem in membris, repugnantem legi mentis meæ.* Ac mox, *Idem ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Hæc de Judæo carnali & vacuo Dei Spiritu. Proinde cum ait: *Jam non ego operor illud, sed quod habitat*

Digitized by Google

in me peccatum. Quid est, *ego non operor illud?* Ego, quatenus homo, sum ratione præditus. Nam hominis est ex rationis præscripto vivere, brutorum est affectibus duci. Quid est, *quod habitat in me peccatum?* Nimirum peccandi consuetudo, quæ quodammodo versa est in naturam, ac sedem fixit in animo, sic ut contemta ratione, voluntatem ad se pertrahat volentem nolentem. Vult enim auscultans rationi, non vult dedens semet affectibus, hoc est, quod ait Apostolus: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Etiam peccandi consuetudine corruptus, horret nonnunquam turpitudinem suam, & instinctu rationis fertur ad honesta, sed voluntas depravata peccandi usu superatur, & homo facit quæ non vult, recedens ab eo quod vult: Et hæc est lex in membris repugnans legi mentis, jus peccati contractum ex peccandi consuetudine. Verùm id jus non tam est à natura, quam à depravatis moribus. Alioqui si quod *Paulus* ait, *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, ad naturas referas, *Manichæorum* sententiam sermo resipit, qua nihil esse potest exitiabilius. Totus igitur hic locus pro Diatriba facit, quæ tribuit homini semina recti, & naturalem nisum ad honesta, sed inefficacem absque gratia. Quod autem hæc *Paulus* sub aliena persona dixerit, declarant quæ sequuntur, in quibus suam personam recipit: *Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ liberavit me à lege peccati & mortis.* Quod si nihil damnationis est iis qui sunt in *Christo Jesu*, qui constat quod *Lutherus* dicit, omnem justum in opere quantumvis bono damnabiliter peccare, & in his regnare Satanam sub regno spiritus propter carnem, quam ille interpretatur naturam hominis vitiatam? Cumque qui *Christi* sunt, ut diximus, carnem habeant crucifixam cum vitiis & concupiscentiis, tamen mortua caro tantum valeat, ut in opere, quod Spiritus in justis operatur, admisceat peccatum gehenna dignum? Mihi vehementer displicet ista peccati originalis exaggeratio, blandiens hominum sceleribus, & ad *Manichæorum* accedens dogmata. *Manichæus* docet unicam duntaxat hominis partem carnem irreparabiliter vitiatam. *Lutherus* talem facit totum hominem, ut ne Spiritus quidem in eo faciat opus bonum. Cæterum Veteres hunc locum & similes, ubi *Paulus* disputat de morte quæ transiit in omnes unius peccato, interpretantur de peccato imitationis, & in hunc sensum mihi videntur omnia magis congruere, cum *Lutheri* contortus sensus ne consistat quidem. Quod si ille contemnit *Chrysostomum*, *Ambrosium*, & eum cujus habemus Commentarios in omnes *Pauli* Epistolas, *Hieronymi* titulo, cujuscunque sunt eruditos, putet me hæc docuisse ex ipso sermonis contextu. Habet *Achillem* repulsum, & liberum arbitrium defensum, quod ille flagitabat. Jam cur ille nolit sibi dari liberum arbitrium quod quicquam possit conari ad salutem, causam adfert geminam, primum quia non posset inter tot Dæmonum & periculorum assultus subsistere. Deinde semper haberet irrequietam conscientiam, semper addubitans an quodcunque opus feciisset gratum esset Deo. Nunc cum Deus salutem extra liberum arbitrium ipsius posuerit, & in suum receperit, nec hominis opera aut cursu, sed sua misericordia & gratia promiserit eum servare, securus vivit & certus, quod ille fidelis sit qui promisit, tum adeo potens, ut nulla vis Dæmonum, aut adversitatum possit *Christo* eripere quod sibi vindicavit. *Nemo*, inquit, *rapiet illos de manu mea, quia Pater qui dedit mihi, major omnibus est.* Ita fit ut saltem aliquot serventur, cum omnes sint perituri, si res penderet à viribus liberi arbitrii. Nunc securi sunt, quod etiamsi peccent, tamen *Christus* non sit illis imputaturus commissa, sed aut condonaturus, aut emendaturus. In hanc ferme sententiam *Lutherus*, addens id quod ait, sibi diutino compertum experimento. Quomodo olim habuerit affectam conscientiam, quomodo nunc, ipse viderit, non est meum excutere. Cæterum non quæritur hîc quid ille sibi judicet commodius, sed quid Deus voluerit: & fieri potest, ut homo sit securus in conscientia, cum tamen minime sit tutus. Quanquam quis possit esse securus in conscientia, cum incertum sit, an sit ex eorum numero, quos Deus immerentes elegit ad salutem? Nam ut certus sit de gratia, certus non est an Deus sit subtracturus gratiam. Subtrahit autem, ut ipse docuit, non offensus, sed quibuscunque vult, ut in hominis potestate non sit, vel abigere gratiam vel retinere. Jam si vitam æternam promisisset in se credentibus, neque quicquam addidisset, poterat homo sibi blandiri, qui se crederet habere fidem idoneam, quod an quisquam certo norit nescio: nunc cum toties exiguntur bona opera, & de malis operibus dicit *Paulus*, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, vereor ne sibi verba dent, qui sic fidunt Dei promissis. Misericors est Deus, condonat peccata sed pœnitentibus, sed malefacta benefactis pensantibus. Quod si non refert qualia sint opera, modo adsit qualiscunque fides, cur dictum est, *eleemosyna exstinguit peccatum, ut aqua ignem?* cur in Precatione Dominica dicimus, *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris? David* canit Domino, non misericordiam tantum sed & judicium. Quid illud sibi vult, quod ait hominem imparem fore Dæmonibus & periculis, si quicquam possit conari per liberum arbitrium? An quisquam docuit liberi arbitrii præsidio hominem subsistere adversus impiorum Spirituum assultus? Sed libero arbitrio per se invalido, addunt auxilium gratiæ. Unus Dæmon fortior est omnibus hominibus. Sed non licet Dæmoni quicquid libet, ne in impios quidem, & unus Deus fortior est omnibus Dæmonibus, qui liberum arbitrium adjuvat confirmatque. Si dixerit, quid opus est libero arbitrio cum sufficiat gratia? Sic expediebat nobis, sic visum est Deo, quemadmodum in Diatriba demonstravimus, dicturi nonnihil & in hujus Operis calce.

Post hæc exspatiatur in locum communem, declamans hominem nihil esse si Deo conferatur: queriturque, cum fateamur etiam natura magistra humanam potentiam, fortitudinem, sapientiam, scientiam, substantiam & omnia nostra, prorsus nihil esse si ad divinam potentiam, fortitudinem, sapientiam, scientiam, substantiam conferatur, tantam esse nostram perversitatem, ut solam justitiam & judicium Dei vexemus, & judicio nostro tantum arrogemus, ut divinum judicium comprehendere, judicare & æstimare velimus, & cætera quæ in hanc sententiam disserit, mea sententia nihil ad rem facientia. Nam si de Deo ipso loquitur, fuerunt qui de Dei substantia disputarunt, de qua disputant & Theologi, fuerunt qui adversus Dei fortitudinem cervices erexerunt, & erigent, velut ille de quo *Paulus*, *attollens sese super omne quod colitur, aut quod dicitur Deus*, Ac de iisdem rebus pii disputant. Ita Dei judicio justitiæque impii obmurmurant, sed de iisdem pii disputant, quatenus fas est. Et quemadmodum impius non est qui ex rebus conditis Litterisque sacris scrutatur potentiam, sapientiam ac bonitatem Dei, ita non est impius qui ex iisdem scrutatur justitiam Dei, nec ideo præfert suum judicium Dei judicio, quemadmodum non præfert suam sapientiam Dei sapientiæ. Incomprehensibilem illum fatemur in omnibus, nisi quatenus ille nobis voluit innotescere. Atque ut obiter taxem *Lutheri* inconstantiam, cum toties dixerit, omnes liberi arbitri vires esse meram cæcitatem ac profundissimam caliginem, hîc tamen fatetur, naturæ viribus & humana ratione tantam de Deo scientiam comprehendi. Cur nos ex divinis Litteris non scrutemur Dei justitiam, cum ipse toties in Prophetis provocet populum suum ad judicium, veluti periclitaturus si docere queant ipsum alicubi parum fuisse memorem æqui justique? Verùm de his quoque superius dictum est.

Pergit declamare, mundum etiam in his exteriori- 245.
bus

bus sic à Deo gubernari, ut humana ratio cogatur, aut nullum Deum credere, aut credere injustum, aut ignarum rerum humanarum, & in testimonium adfert jocosum amantis carmen,

Sollicitor nullos sæpe putare Deos.

Adferuntur vulgo jactata proverbia, *Quo quisque deterior, hoc fortunatior.* Profertur *Epicurus* & *Plinius*, qui crediderint omnia fortuito geri, nulla Deorum providentia. Profertur *Aristoteles*, qui dixerit summum illud eos esse felix sui unius contemplatione, miserimum futurum si videret tot injurias ac miserias. Profertur *Job* cum Prophetis, qui tentantur ut dubitent de justitia Dei. Sed hæc omnia quo spectant? Ut ostendat nusquam apparere Dei justitiam, sed tantum esse credendam. Quomodo Deum esse credimus? Nempe per fidem? Et tamen ex rebus conditis Ethnici quoque deprehenderant esse Deum, eumque dixerunt optimum maximumque. Optimus esse non potest qui sit injustus. Fides non repellit omnem naturæ cognitionem, sed eam perficit. Quod si illi deprehenderunt Dei justitiam, narrantes apud inferos exforqueri scelerum confessionem, & esse præmia piorum, tormenta impiorum, cur *Lutherus* non patitur homines, qui spiritum habent cœlestem, de justitia Dei verba facere? Quid senserit *Demosthenes* nescio, quid *Cicero* senserit, apparet ex ejus Epistolæ fragmento, quam scripsit ad *Octavianum*, jam, ut apparet, destinans mori, minitans sese iturum ad sanctissimas animas *Bruti* rum, *Decii* orum, & *Catonum*, ac renuntiaturum quæ paterentur Respublica. Sciebat igitur à morte superesse bonorum animas, seseque ad illorum quietem migraturum confidebat. Nec *Socrates* moriturus potione cicutæ questus est de injustitia Deorum, sed sibi gratulatur, quod evocante Deo commigraturus esset ad *Aristidem*, *Phocionem*, alios que laudatissimos viros, qui soluti corpore vitam beatam agerent. Nec *Cato Uticensis* perspiciens victoriam cedere *Julio*, damnavit Deos injustitiæ, sed dixit in rebus Deorum esse summam caliginem. Idem nos dicimus, quoties non assequimur, cur Deus aliqua faciat, quæ nobis videntur injusta. Quod si tota hæc disputatio solvitur eo quod persuasum habemus impios hîc corporalibus quidem commodis florere, sed animæ perdi, & esse vitam post hanc vitam, in qua nihil boni manebit irremuneratum, nihil sceleris impunitum, utrumque cognitum fuit Ethnicis. *Stoici* clamabant eum qui vacaret habitu virtutis miserum, etiamsi regno, opibus, imaginibus, forma, ætate, valetudine, viribus, ingenio, facundia floreret, quantum homo posset. Contra sapientem omnibus corporis fortunæque malis obrutum nihilo minus esse felicem. Hoc cum constet esse verum, tamen *Lutherus* negat ulla humana ratione potuisse comprehendi. Quid igitur? Num æquo Ethnicos Christianis? Nequaquam. Sed quod tum pauci sciebant, vel potius opinabantur, hoc per fidem etiam pueris, idiotis, & mulierculis persuasissimum est, adeo ut mortem opperiantur citius, quam ab hac persuasione divellantur. Non est hujus instituti causam *Aristotelis* agere, sed tamen *Aristoteles* non ideo negat Deos abstinere à mundi gubernatione, ne conspicientes tot injurias ac miserias fiant ipsi miseri, sed semel tradita mundi gubernatione, non opus esse ut illi sollicitentur: & tamen quoniam ratiocinatur nihil posse felix esse quod nihil agat, colligit illos esse felices contemplatione sui, quod idem nos de vero Deo fatemur, qui nihilo minus felix est, sciens, prævidens & gubernans universa.

246. Jam perinde quasi persuaserit nobis Dei justitiam nec ab Ethnicis per dotes naturæ, nec à piis per donum gratiæ ullo modo posse comprehendi, profert nobis Scholasticorum distinctionem, quam præter suum morem probat, proponens ob oculos nobis tria lumina, naturæ, gratiæ & gloriæ. Juxta primum lumen insolubile est quomodo bonus affligitur, & malus bene habet. Hoc ostendi non esse insolubile, cum Stoici negent in his rebus sitam esse felicitatem, & Poetæ quoque docuerint, post hanc vitam piis & impiis reposita sua præmia. Quomodo vero Deus servet immerentes, & damnet immerentes, quod certe verum esse in infantibus non baptizatis, satis arbitror naturali ratione comprehendi non posse, quando, si *Luthero* credimus, ne tot quidem Ecclesiæ proceres hactenus hoc potuerint assequi, quod Deus hominem adultum damnaret immerentem. Infantes enim ab hac quæstione separo, quos, ut arbitror, præstat Dei judicio relinquere. Quod si id facillime perspicitur per lumen gratiæ, aut omnes retro Doctores caruerunt hoc lumine, aut aliud senserunt quam scripserunt. Id si conceditur, fefellerunt populum ipsis concreditum. Ego ne per gloriæ quidem lumen arbitror id fore perspicuum, quod Deus immerentem conjiciat in ignem æternum. Rursus videat quomodo sibi constet, qui ante dixit liberum arbitrium quantum quantum est nihil esse nisi meras tenebras, hîc tribuit illi lumen, quo perspiciat aliquid, sine Christo cognito & amato. Si dixerit, humana tantum, de divinis nihil, docuimus & de divinis & de virtute plurima naturæ luce perspecta fuisse. Quomodo autem lumine gloriæ perspiciemus Deum punire immerentes, quod per lumen gratiæ cerni non potest, cum lux Scripturæ doceat neminem perire nisi sponte suaque culpa, & impiis in exitium tendentibus exprobretur, quod vocantem audire noluerint, quod salutem repulerint. Quantumcunque sit gloriæ lumen, non pugnat cum lumine Scripturarum.

Supereſt Epilogus *Lutheranæ* disputationis, cujus ar- 247.
ticulus primus est: *Si enim credimus*, inquit, *verum esse quod Deus præscit & præordinat omnia, neque falli neque impediri posse ipsius præscientiam ac prædestinationem, liberum arbitrium nihil est.* Ad hoc responsum est, liberum arbitrium non magis impediri præscientia Dei, quam hominis vel scientia vel præscientia. Ostensum est ne voluntate quidem Dei tolli liberum arbitrium, cum ea, quæ pendent à mutabili hominis voluntate, velit contingenter: ut nec falli possit præscientia, quæ prævidet quocunque se flexura aut reflexura sit hominis voluntas: nec impediri voluntas, cum si homo se flexerit in alteram partem per liberum arbitrium, hoc ipsum volituros fuerit Deus, quod ille elegisset. Quamquam mala Deus permittit verius quam vult, & voluntatem signi, ac voluntatem conditionalem jam distinximus. Secundus articulus est: *Si credimus Satanam esse principem mundi*, Christi *regno totis viribus perpetuo insidiantem, & pugnantem ut captivos homines non dimittat, nisi divina virtute Spiritus pulsus, iterum patet nullum posse esse liberum arbitrium.* Ad hunc responsum est, *Lutherum* Satanæ potestatem & carnis malitiam in immensum exaggerare. Et tamen ingenue fatemur hominem peccatorem nullis naturæ viribus se posse è Satanæ tyrannide eximere, sine gratiæ præsidio, nec ideo sequi nullum esse hominis liberum arbitrium. Non enim ita liberum dicimus, ut ex se possit quicquid velit. Tertius est: *Si peccatum originale credimus nos sic perdidisse, ut etiam iis qui spiritu agantur, negotium molestissimum faciat adversus bonum luctando, clarum est, nihil in homine spiritus inani reliquum esse, quod ad bonum sese vertere possit, sed tantum ad malum.* Ad hunc respondimus, ne nos quidem docere, quod liberum arbitrium suis viribus se possit efficaciter à malo in bonum vertere, nisi per gratiam adjutum, inesse tamen & malis nativum aliquem horrorem turpitudinis, & nisum sive propensionem ad honesta, juxta summas animi vires, quas homo vitiatas habet, non extinctas, easque vires nonnihil agere dum se præbent gratiæ, vel operanti vel cooperanti, dumque gratiam non aversantur. Quartus est: *Si Judæi summis viribus sectantes justitiam in injustitiam prorumpunt, & Gentes impietatem sectantes, gratis & insperate ad justitiam perveneruntt: itidem manifestum est ipso opere & experientia, hominem sine gratia nihil nisi malum posse velle.* Ad hunc responsum est, justitiam hîc non sonare justitiam, quæ respondet innocentiæ & opponitur vitio, sed justitiam

Ju-

Digitized by Google

Judaicam in obſervatione ceremoniarum & operum externorum ſitam. Hanc ſectando *Judæi* carnales affixi litteræ, non pervenerunt ad veram juſtitiam ſpiritualem, quæ per Euangelium patefacta eſt: & Gentes alienæ à Legis obſervatione, hoc eſt, non ſectantes Judaicam juſtitiam, dum obtemperant Euangelio pollicenti gratuitam criminum remiſſionem, ad veram juſtitiam pervenerunt. Donum non datur niſi volenti. Nec ideo gratuitum non eſt, ſi qui ſe per liberum arbitrium præbet oblato dono, ideo judicatur à benigno in omnes Deo, dignus qui accipiat, quod per gratiam invitatus ut accipiat, obtemperat, nec avertit ſeſe. Si bonum intelligit, quod reddit hominem beatum, fatemur ad id liberum arbitrium ſibi non ſufficere, vel expetendum, vel aſſequendum, quando qui bonum vere vult, is habet quod vult, ſed ponimus quædam bona non juſtificantia quidem, ſed ad juſtificationem præparantia, & ad juſtitiam retinendam augendamque conducentia: in his juxta quoſdam agit aliquid liberum arbitrium: alii malunt & his adeſſe gratiam præparantem, ac fidem etiam nonnullam licet imperfectam nec adhuc idoneam ad juſtificationem ſpiritus. Hanc autem gratiam Dei benignitas non patitur cuiquam mortalium deeſſe. Quintus eſt: *Si credimus* Chriſtum *redemiſſe homines per ſanguinem ſuum, totum hominem fateri cogimur perditum, alioqui* Chriſtum *faciemus vel ſuperfluum vel partis viliſſimæ redemtorem. Nihil igitur liberum arbitrium.* Huic reſpondentes oſtendimus, nullam hominis partem in totum fuiſſe ſanam, in ſummis tamen animi partibus reſediſſe nonnullam honeſti cognitionem, & ad recta niſum ſive propenſionem, ſed ob peccati tyrannidem imparem ad conſequendam Euangelicam gratiam. *Lutherus* autem ſic ratiocinans quaſi ſummas hominis partes totas fecerim ſanas & integras, nihilo melius colligit, *Chriſtum* fuiſſe ſupervacaneum, aut viliſſimæ partis redemtorem, quam ſi quis diceret Medicum ei ſupervacaneum, qui ſanis ilibus è capite ſtomachoque laboraret: aut tonſorem ei ſuperfluum, qui per pituitam quaſdam rerum umbras cerneret.

248. Tandem imponit tragœdiæ Comicam cataſtrophen. Diceres hominem loqui fraterna caritate de proximi ſalute ſollicitum. Audio, *mi Eraſme.* Obteſtatur per *Chriſtum* ut accedam cauſæ meliori, Prædicor magnis, ac multis iiſque nobiliſſimis dotibus à Deo ornatus, cum aliis, tum præcipue ingenio, eruditione, facundia, ſe dejicit, ut nihil eſſe fateatur, niſi quod ſe prope glorietur eſſe Chriſtianum. Vehementer laudor, quod unus omnium cauſæ caput aggreſſus ſim, unus jugulum petiverim, quo nomine mihi ex animo gratias agit, iratus iis qui ipſum alienis quæſtionibus vexarant, & aliis qui nunc novos ſpiritus novaſque revelationes jactant, qui ſi meum exemplum fuiſſent ſequuti, plus pacis & concordiæ nunc haberet Orbis Chriſtianus. Hac oratione quid placidius aut amantius? Sed quî convenit prioribus operis partibus, in quibus aliis pingor coloribus? Hîc nimium tribuit, illic nihil non adimit, nuſquam æquus, nec interim ſibi conſtans. Præſtabat in tota diſputatione ſervare moderatum dicendi genus, & in eo conſtare ſibi. Hoc pacto ſimul & fidem meruiſſet, & Chriſtiani diſputatoris formam exhibuiſſet. Quod ſi amicum errantem meliora docere cupiebat, tot ſalibus, ronchis, ſannis, convitiis etiam docilem & attentum poterat alienare, quibus & cauſam per ſe perplexam magis involvit, & bonam fidei partem ſibimet abrogavit. Mirum autem ſi mihi ex animo gratias agit, quod ſolus omnium hoc argumentum ſim aggreſſus, cum præter alios *Joannes Fiſcherus* Epiſcopus *Roffenſis* edito volumine, liberum arbitrium adverſus ipſius aſſertionem defenderit, quod illum ſcio non latuiſſe. Hoc nomine potius mihi debebat gratias agere, quod unus omnium abſque contumelia cujuſquam perſonæ perpetua civilitate tractavi cauſam. Idque ſaltem imitari debuerat. Nunc ab aliis dure tractatus, in me bilem omnem evomuit, exiſtimans fore, ut me ſævis dictis protelaret: Poſt, ut conjicio, monentibus amicis, præter naturam ſtylum temperavit. Quod ſi illi pax & concordia populi Chriſtiani tantopere curæ fuit, quam vult videri, multa non tentaſſet, totam fabulam aliter egiſſet. Quod ſi ſincero ſpiritu *Chriſti* negotium tractaſſet ac pietati collapſæ moderatione, qua decuit, ſuccurriſſet, me nec laudibus, (quas ſive ex animo tribuit ſive ficte, mihi certe invidioſæ ſunt) nec ſannis aut convitiis potuiſſet alienare.

Rogat autem ut ſi non queam dexterius hanc cauſam agere quam feci in Diatriba, meo dono contentus pergam Linguis ac bonis litteris provehendis operam dare, quod hactenus ſumma cum laude, magnoque fructu feci, quo nomine & ipſe quoque me ſuſpicit, ac veneratur, fateturque ſe non parum meæ debere induſtriæ. Si me videbat imparem ſuſceptæ cauſæ, cur mihi reſpondit potius quam aliis? Nam quod prætexit auctoritatem, oſtendi frivolum eſſe lemma. Negat eſſe mirum ſi Deus *Moſen* per *Iethro*, aut *Paulum* per *Ananiam* erudiat. Nova modeſtia, ſed hæc cantio multum diſſonat ab illis quæ præcedunt. Egò vel à puero non graver rem cognitu neceſſariam diſcere. Verùm an ſic erudiit *Iethro Moſen*, aut *Ananias Paulum*, quemadmodum hîc *Eraſmum* docet *Lutherus?* Simili petulantia ne litterator quidem erudit puerum elementarium. Porro quod optat mihi, ut Deus me tanto faciat in hac cauſa ſuperiorem, quantum in aliis omnibus antecello, equidem non optem eſſe ſuperior in errore. Certe hactenus mihi non perſuaſit *Lutherus* quod ſummis ingenii viribus conatus eſt, adeo ut nunc aliquanto plus tribuam libero arbitrio, quam prius tribuebam. Quoniam autem *Lutherus* ad amicum quendam ſcripſerat, *Diſcat* Eraſmus Chriſtum, *& valere jubeat humanam prudentiam, hac nullus intelligit, niſi qui Spiritum habet Dei!* Ad hæc alludens in calce Diatribes reſpondeo: *Si nondum intelligo quid ſit* Chriſtus, *nimirum hactenus procul aberratum eſt à ſcopo. Quanquam illud lubens didicero quem Spiritum habuerint tot Doctores ac populi Chriſtiani.* Ad id reſpondens ille, *arbitror*, inquit, *teipſum videre, quale ſit*, ſignificans inſignitæ cujuſdam impudentiæ eſſe, quod hactenus putarim me noſſe *Chriſtum*, hoc eſt, eſſe Chriſtianum: nihil enim aliud ſenſi. Neque enim mihi vindico ſcientiam arcanorum *Chriſti*, ſed tantum de illo cognitionis, quantum ad ſalutem ſatis eſt. Cæterum quod addit, *Neque enim ideo omnes errabunt, ſi tu aut ego erramus*, quid ſibi velit non ſatis intelligo. Si dubitat an erret, cur mox ita loquitur, *Non contuli, ſed aſſerui, & aſſero, ac penes nullum volo eſſe judicium, ſed omnibus ſuadeo, ut præſtent obſequium.* Verùm hoc dicet modeſtiæ cauſa dictum eſſe, non ex animo. Atqui quomodo me opponit omnibus, cum errem cum omnibus, ſi erro? Magis conveniebat ita loqui, Nec ideo non erras, quia cum tot Eccleſiæ Doctoribus ac populis Chriſtianis erras. Jam hæc verba quæ ſubjicit, *Deus eſt qui mirabilis in ſanctis ſuis prædicatur*, ut ſanctos putemus qui longiſſime ſunt à ſanctitate. Hoc elogio decorat omnes Eccleſiæ Doctores, & univerſas Nationes Chriſtianorum ab Apoſtolorum temporibus, ad hanc uſque ætatem, excepto *Manichæo* & *Wiclevo*. Veriſſimum autem eſt quod ſubjicit: *Neque difficile eſt, ut homo cum ſis, Scripturas aut Patrum dicta, quibus ducibus te credis ſcopum tenere, neque recte intelligas, neque diligenter ſatis obſerves:* ſed hoc totidem verbis in ipſum retorquere licet. Sed quæ ſunt iſta Patrum dicta, cum ipſe fateatur univerſos Eccleſiæ Doctores aſſerere liberum arbitrium, excepto *Wiclevo*? Niſi forte id ſubindicat, eos aliud ſenſiſſe, quam ſcriptis loquuntur. Sed unde colligit indiligentiam meam & inſcitiam? Quia non profiteor me aſſerere, ſed tantum contuliſſe. *Sic*, inquit, *non ſcribit, qui rem penitus perſpicit, & recte intelligit.* Imo videmus nullos vehementius aſſeverare, quam qui rem minime intelligunt. Eſſe liberum arbitrium aſſerui, quid agat, & quatenus, quoniam variant Orthodoxorum ſententiæ, dixi me

Digitized by Google

me contuliſſe. Si pro *Diatriba* vocaſſem *certiſſimam Aſſertionem*, ſi tali clauſula finiſſem Opus, *Non contuli, ſed aſſerui, & aſſero, nec penes quenquam volo eſſe judicium, ſed omnibus ſuadeo ut præſtent obſequium*, num ob hoc mea ſententia fuiſſet pilo certior? Tandem precatur mihi ut Dominus, cujus eſt hæc cauſa, illuminet me, & faciat vaſculum in honorem & gloriam. Næ vaſcululum, ſi nimium eſt eſſe vaſculum. Malim enim malim *Samium* ſalillum eſſe in domo Dei, quam dolium adamantinum in familia, quam non agnoſcit Dominus. Et interim dum vir pius hæc optat mihi, facit me cæcum, & vas in contumeliam & ignominiam, ac mecum univerſam Eccleſiam, haud cogitans quid ego viciſſim poſſim ipſi precari, ſi talibus ſtrophis delectarer. Hactenus non ſine gravi tædio *Lutherana* diſputationi vel rixæ potius reſpondimus. Nunc de ſumma rei pauca perſtringemus, ac mox finem imponemus volumini.

Primum itaque quod ad vocis cauſam attinet, fatemur ut Græcis magnificum eſſe nomen τὸ αὐτεξούσιον, ita Latinis *liberum arbitrium*, quod ad nos protinus in ipſis Eccleſiæ rudimentis à Philoſophorum Scholis defluxit, qui plurimum tribuebant humanæ rationi, nimirum ignari gratiæ, cui quoniam nos divinis eruditi Litteris merito plurimum tribuimus, non perinde reſpondet magnificentia nominum ad rem quam declarant. Quin & illud fatendum, neque Græcam vocem nec Latinam in canonicis Libris uſquam inveniri. Verùm de novitate verbi ſi movenda erat quæſtio, id in primordiis Eccleſiæ factum oportuit. Nunc cum hæ voces ab iis uſurpatæ ſint, qui fuerunt proximi temporibus Apoſtolorum, aut ipſos etiam viderunt Apoſtolos, tantoque ſeculorum conſenſu in hunc uſque diem ab Eccleſiæ proceribus receptæ ſint, citra gratiæ injuriam, alienum ſit à modeſtia Chriſtiana, nunc ſuper his movere tragœdiam: præſertim cum tot nomina, quæ nuſquam in ſacris Libris inveniuntur, uſque adeo recepta ſint, ut hæreticus ſit qui nolit agnoſcere, qualia ſunt *homuſion*, & *perpetua* Mariæ *virginitas*, & *tres Perſonæ, una eſſentia*. Cæterum *fati neceſſitatiſque* vocabula ſemper inviſa fuerunt apud cordatiores Philoſophos, ſed inviſiora apud Chriſtianos: duabus enim vocibus res eadem ſignificatur. Quod enim Græci vocant ἀνάγκην, Latini ſæpenumero vertunt *fatum*. Nec alio nomine fuit exſecrabilior *Manichæus*, quam quod commentus duo principia, alteram partem hominis faciebat irreparabiliter malam, alteram neceſſario bonam, geminam inducens neceſſitatem in uno homine. Unde *Julianus Pelagiani* dogmatis inſtaurator objiciebat *Auguſtino* quod cum *Manichæo* ſentiret, ſic exaggerans peccatum innatum, ſic extenuans liberi arbitrii vires, & omnia tribuens gratiæ. Sed hanc calumniam ſtrenue depellit *Auguſtinus* in libris ad *Bonifacium*. Cæterum quî id poſſit *Lutherus* non video, qui totum hominem etiam juxta præcipuas illius partes facit carnem, & in hac regnantem Satanam, etiam poſt infuſum Spiritum, qui ſic attollit crimen originis, & naturam hominis vitiatam, qui negat ullo pacto in homine ſitum eſſe, ut vel recipiat gratiam, vel amittat, ſed tantum agi à Deo, quemadmodum à fabro agitur ſerra. Hîc igitur vides bis peccatum, primùm quod cum omnis novitas habet offenſionem, & voces receptiſſimas ſuſtollere moliuntur, & novas ac jam pridem exploſas revocare contendunt, fruſtra reclamante *Paulo*, qui *Timotheum* jubet devitare ſeu rejicere profanas vocum novitates. Si pium eſt rejicere occurrentes, ſcelus eſt jam olim exploſas revocare. Ferre non poſſunt liberi arbitrii nomen à Philoſophis profectum, ſed à veteſtiſſimis Orthodoxis receptum, & arridet fati neceſſitatiſque vocabulum. Unde traditum? à Genethliacis. A quibus uſurpatum? ab Ethnicis Poetis, ſed ab Orthodoxis omnibus ſemper reprobatum. Tantum de vocabulis: nunc de re conſideremus.

Priuſquam hæc de gratia & libero arbitrio contentio incruduiſſet, Orthodoxi paulo plus tribuebant hominis viribus, quam poſtea tributum eſt: In quibus aliquando fuerat & *Auguſtinus*, qui fidem & velle bonum tribuebat naturæ viribus, quorum prius excuſat, alterum palinodia damnat exorto *Pelagio*. Quod ſi quis expendat quam exile ſit, quod hic vir, & hunc ſequuti *Bernardus*, & quiſquis ſcripſit duos libros *de vocatione Gentium*, *Ambroſii* titulo, item Libros *hypognoſticon*, *Auguſtini* nomine, relinquunt libero arbitrio, fatebitur liberi arbitrii nomen aſſertum potius, quam rem probatam. D. enim *Bernardus*, qui quicquid tractat ſuper hoc argumento, hauſiſſe videtur ex *Auguſtini* libris, etiamſi id ſedulo diſſimulat, confictis etiam ſtudio novis vocabulis, hunc in modum definit, *Liberum arbitrium eſt habitus animi liber ſui*. Hæc ſi quis audiat, exiſtimet illum magnifice ſentire de libero arbitrio. Rurſus voluntatem ita finit, *Voluntas eſt motus rationalis, & ſenſui præſidens & appetitui*: huic tantum tribuit, ut illi rationem addat veluti pediſequam. Et interim negat illic eſſe poſſe neceſſitatem, ubi ſit voluntas, addens nec bonum nec malum imputari poſſe ubi regnat neceſſitas. Hæc jam ſplendida ſunt præludia, cæterum ubi ventum eſt ad rem, ac diviſit hominis negotium in tria, in naturam, conſilium & complacitum: Conſilium appellans efficacem aſſenſum erga gratiam oblatam, ibi nihil omnino tribuit hominis viribus, quemadmodum nec *Auguſtinus*. Complacitum appellat humanæ felicitatis conſummationem, quæ liberat nos non ſolum à peccatis, verum etiam à miſeriis omnibus. Ponit itaque tres libertates, naturæ, conſilii & complaciti: nam his novis vocibus apparet illum delectatum. In duabus poſterioribus nihil tribuit homini: ſunt enim liberationes potius quam libertates, quas in nobis agit Deus ſine nobis. Loquor autem de gratia juſtificante concipienda, in qua volunt hominem nihil agere, licet cum gratia jam cœpta ſimul agat humana voluntas, & de futuri ſeculi felicitate. Reſtat naturæ libertas, quam non aliam tribuit homini peccatis obnoxio, quam qualem tribuit Spiritibus impiis: habent enim velle, non bonum ac malum, ſed tantum velle. Idem ſentire videtur *Auguſtinus*, qui *Pharaoni* quoque tribuit liberam voluntatem, quod volens id faceret quod faciebat, etiamſi ad benefaciendum nulla erat libertas. Et aliquoties repetit voluntatem hominis ſemper eſſe liberam, at non ſemper eſſe bonam. Hæc certe libertas, quam tribuunt naturæ vitiatæ, profecto miſera eſt, & indigna tam ſplendido vocabulo. Quod autem argutatur *Bernardus* voluntatem non poſſe cogi, ſi cogatur, deſinere eſſe voluntatem, mihi, ut cum pace tanti viri dicam, pene ſophiſticum videtur, nec ad hanc quæſtionem explicandam pertinere, nec veriſimile eſt Priſcos, hoc eſt, *Irenæum*, *Tertullianum*, *Origenem*, *Hilarium*, qui tribuunt homini liberum arbitrium, hoc ſenſiſſe quod iſti interpretantur. Nihilo magis ad rem facit, quod quidam impiis hominibus, ac damnatis Spiritibus hactenus tribuunt liberam voluntatem, ut poſſint hoc aut illud agere, non ut poſſint bene agere ſeu velle. Quanquam hoc ipſum adhuc in controverſo eſt inter Scholaſticos, an Deus poſſit violenta etiam coactione cogere Dæmonum voluntatem. Verùm ut miſſis ambagibus rem agamus, hactenus pro *Luthero* faciunt iſta, quod nemo nondum renatus, per liberum arbitrium poteſt velle bonum, & hinc ſequitur aliqua neceſſitas, quam *Lutherus* appellat immutabilitatis, ſed quæ poni poſſit, & in Angelis bonis & in Deo, propterea quod Deus non poteſt mutare naturam ſuam, nec Angeli pii poſſunt in malum degenerare. Verùm ab hoc inviſo vocabulo erat temperandum initio, potiuſquam poſt excitatum tumultum proferenda nova diſtinctio neceſſitatis. Quanquam in re illud de ſuo addit *Lutherus*, quod ſicut homo peccator non poteſt ſe ſuis viribus flectere ad bonum, ita renatus Spiritu non poteſt ſe flectere ad malum, niſi ſe ſponte ſubtrahat gratia, quod negat ullo hominis merito fieri, quemadmodum nullo hominis merito ſeſe offert. Fatentur & illud, Ubi

non eſt voluntas, ibi non eſſe neque peccatum neque meritum, nihilo magis quam in brutis animantibus, in quibus tantum eſt appetitus naturalis, eo quod abſit ratio, ſine qua nulla eſt voluntas. Quanquam & brutis quidam tribuunt rationem, licet infra hominem: & in homine manet appetitus ille ſenſitivus, qui nonnunquam voluntas dicitur, & eſt omnino quædam voluntas. Verùm hæc utcunque habent, quantulum intereſt inter appetitum naturalem, qui nobis cum brutis communis eſt, & voluntatem omnibus agnatam, ſic ad malum intortam, ut ad bonum nullo modo flecti poſſit? *Pelagiani* docebant, peccatum originale non tranſiſſe ad poſteros *Adæ*, ſed tantummodo mortem, quæ per ſe mala non ſit, ſed quam *Plinius* etiam dicat homini datam à Superis magni beneficii loco, adeo ut *Ambroſius* quoque ſcripſerit de bono mortis. Ab hac opinione recte diſſentit *Lutherus*, ſed in hoc peccat, quod ſupra modum exaggerat hoc peccatum, ſic reſiliens à *Pelagio*, ut propemodum incurrat in *Manichæum*. Dum enim nullum honeſti ſemen, nec ullam ad recta propenſionem relinquit humanæ naturæ, quam totam facit carnem, hoc eſt, affectum impium, nonne naturam hominis malam inducit, ut gratia non tam recreet naturam ægrotam, quam creet novam? Huc enim torquet illa, quod tranſitus à vitiis ad pietatem, renaſcentia dicitur, ac reſurrectio velut è non eſſe ad eſſe & à morte ad vitam: item quod *Paulus* in *Chriſto* renatum appellat novam creaturam, haud cogitans hæc omnia per tropum dici juxta proprietatem Hebraici ſermonis, quo ſignificant inſignem hominis mutationem, quemadmodum & nos dicimus hominem revixiſſe, qui ex ſumma deſperatione revocatus eſt ad ſpem bonam: & alium eſſe factum dicimus, qui moribus vehementer ſit immutatis. Ita per cæcum Euangelicum, cui *Chriſtus* reſtituit viſum, ſignificari docent humanam naturam, non quod ex ſe nihil videat, ſed quod multa caligine obruta minimum perſpiciat, ſi conferas ad lucem gratiæ. Sed eadem natura ſignificatur per mulierem contractam, per ſocrum *Petri* febricitantem, per filiam Archiſynagogi mortuam, per paralyticum. At multum intereſt inter debilem aut ægrotum & exſtinctum. Nec eſt neceſſe ut in tropologiis, quibus undique plena eſt Scriptura, per omnia quadret ſimilitudo. Jam in hoc conſentiunt, liberum arbitrium per peccatum vulneratum fuiſſe, non exſtinctum, debilitatum, non amputatum, morbidum, non mortuum, luſciolum, non cæcum, incurvatum, non dejectum, ſic ut premeretur, non perimeretur, & tamen inter diſputandum nonnunquam ſic agunt, quaſi prorſus exſtinctum eſſe velint, quantum ad cognitionem expeditionemque boni, quod conſtanter ac fortiter aſſeverat *Lutherus*: quin potius negat ullum eſſe prorſus liberum arbitrium. Qui ſcripſit Libros *hypognoſticon*, tradit ademtum poſſibilitatis bonum, nomen tamen & rationem manere. Rationem, opinor, intelligit notionem animi de re, quæ primum fuit in natura condita, & eſſe poteſt in natura reparata. Quod ſi voluntas non dicitur proprie libera, niſi quæ ſe ſuis viribus poteſt vel ad bonum vel ad malum flectere, nulla videtur in natura vitiata libertas, & ſecundum hanc rationem liberum arbitrium revera nihil aliud eſt, quam titulus ſine re. Conſentiunt & in hoc Veteres, quod fatentur humanam voluntatem, jam Spiritu liberatam, cooperari gratiæ, unde *Paulus* dixerit, *Coadjutores enim Dei ſumus*: & hîc ſtatuunt fontem meritorum, quod volentes velut adjuvamus gratiam in nobis agentem. Verùm cum negotium omne conſtet tribus rebus, exordio, incremento & ſumma, nec in exordio, nec in ſumma quicquam, ut dixi, tribuunt humanæ voluntati, ſed totum gratiæ trahenti & perficienti. Quod eſt in medio, inter gratiam trahentem ad juſtitiam & conſummantem ad gloriam, ibi tribuunt aliquid libero arbitrio & in bonum & in malum, videlicet ut jam per gratiam liberatum gratiæ operanti cooperetur, & ſeſe ab ea ſubtrahat. Atqui ſi gratia non manet niſi apud volentem, & homo poteſt per liberum arbitrium gratiam amittere, quod ſi facit, meretur gehennam, ſi non facit, meretur vitam æternam: non video quid obſtet, quo minus idem dici poſſit de gratia juſtificante, quam *Auguſtinus* appellat operantem. Si totum opus adſcribitur gratiæ, quod tamen homo peragit cum agente gratia, nec interim fit injuria gratiæ, quid abſurdi ſit, ſi dicamus ſimiliter hominis liberum arbitrium adniti operanti gratiæ? Gratiam cooperari libero arbitrio cum Orthodoxis fatebantur & *Pelagiani*. Verùm illud non fert *Auguſtinus*, quod ajunt bonum hominis propoſitum adjuvari à gratia, quaſi gratiæ exordium ſit ab homine, & bonum hominis propoſitum præcedat gratiam, ut hic aſſenſus, quo homo ſe præbet gratiæ operanti, promereatur gratiam juſtificantem. Eoque non patitur Deum vocari boni propoſiti adjutorem, ſed largitorem. Et huc pertinet illud ejuſdem axioma, *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: multa vero facit homo, quæ non facit Deus*: quibus verbis hoc ſentit, quod Deus bonam voluntatem facit in nobis ſine nobis. Idem ut explicet quæſtionum nodos, facit tertiam gratiam, nimirum præparantem, quam diſtinguere videtur à gratia operante & cooperante. Hoc commento effugit, ne quid tribuat hominis arbitrio in recipienda gratia juſtificante. Verùm ſi hoc concedimus, Dei gratiam nulli dari niſi volenti, & gratia præparans Dei donum eſt, opus erit alia gratia præparante, quæ ad illam præparet præparatricem, & rurſus ad hanc alia, atque item in infinitum, donec veniatur ad naturæ donum. Cum vero Theologi fateantur unicam eſſe gratiam, quæ pro variis effectibus aliis atque aliis nominibus appelletur, poterant & alia confingi gratiarum nomina: unde ſimplicius videtur, ubique naturæ vires invalidas ab opitulante gratia juvari, cujuſque generis gratia fuerit. Quid ſenſerint *Pelagiani* neſcio, tantum ex verbis ago, quæ ex libris *Juliani* refert *Auguſtinus*, quæ mea ſententia potuiſſent commoda interpretatione pro veris haberi, magnaque pars hujus contentionis ex verbis naſci videtur potius quam ex re ipſa, & hujuſmodi λογομαχίαι facile exeunt in rixam, ſi quid acceſſerit humanæ contentionis. Cum meritum dicitur, non ſtatim intelligitur tale, ut excludat gratiam, quemadmodum in commerciis hominum, poſteaquam artifex pro opera juſtam mercedem accepit, neuter alteri debet gratiam, quanquam in officiis amicorum, etiam poſt bene penſatum beneficium, tamen adhuc in ſolidum debetur utrinque gratia. Talia ſunt opera, taliaque merita, quæ *Paulus* Apoſtolus ſcribit pugnare cum gratia. Sed meritum quoddam dicitur, quod excludit indignitatem. Gratia Dei quo res eſt pretioſior, hoc magis eſt amplectenda cum offertur, ſervandaque cum eſt oblata. Ut igitur indignus gratia dicitur, qui vel oblatam negligit, vel poſſeſſam non ſervat, & abutitur, ita quodammodo dignus eſt dono Dei, qui cum offertur alacriter accipit, & acceptam ſumma ſollicitudine cavet ne perdat. Sæpe ſola gratitudo reddit homines dignos munificentia: Contra ingratitudo indignos. Itaque qui docent gratis, multo libentius alacriuſque communicant eruditionem ſuam avidis & attentis, quam oſcitantibus ac faſtidioſis. Nec tamen ideo doctrina gratuita non eſt beneficium, quod indoles bonæ ſpei, quodque alacritas diſcendi facit, ut hic judicetur dignus eruditione potius quam alius diſſimilis. Ut autem nullus hominum confert beneficium in invitum, ita nemo collocaturus ſit beneficium in eum, quem ſciat ſuo munere turpiter abuſurum. Atque apud homines dicitur indigno obtuliſſe beneficium, qui detulit ei, qui quod oblatum erat recuſavit accipere, aut non accepit ut oportuit. Rurſus indignum acceptis judicant, qui non agnovit largitorem, qui ſecus quam oportuit uſus eſt, aut qui neglexit. Nec hic dicitur indignus, quia non promeruit, ſed quia non agnovit beneficium. Nam non promeruiſſe & digno & indigno commune eſt.

Cæ-

Digitized by Google

Cæterum qui indignus dicitur, bis indignus eſt, & quia non promeruit, & quia non accepit ac ſervat ut oportet. At qui dignus dicitur, non ob id dicitur, quod ipſius meritis debeatur beneficium, alioqui debiti redditio fuerit, non beneficii collatio: ſed quod ſemel duntaxat indignus eſt, hoc eſt, non promeritus, alio modo dignus apud eum, qui cupit gratis quidem, ſed recte collocare munificentiam ſuam, hoc eſt, conferre, non perdere. *Nihil enim tam perit*, ut recte habet proverbium, *quam quod datur ingratis*: & juxta Mimum, *Beneficium dando accepit, qui digno dedit.* Et ampliore munificentia dignus dicitur, qui minorem grate accepit, ac probe eſt uſus. Nec hæc dignitas obſtat, quo minus beneficium ſit gratuitum, & in ſolidum debeatur largitori, ſed tantum excludit indignitatem: nec efficit, ut beneficium vertatur in mercedem operi debitam, ſed ne beneficium detur vel nolenti, vel ingrato, vel male uſuro. Nam apud homines conjectandum eſt eum non bene uſurum, qui non ſicut oportet accepit. Idem imaginandum eſt in gratia Dei. Ille quidem natura beneficus eſt, dives in omnes, nec exhauritur largiendo, nec eget mutua gratia, non vult tamen munificentiam collocare penes adſpernantes, aut ingratos, aut male utentes. Nam ut non eſt beneficium quod datur vel meritis præteritis, vel ſpe redituri fœnoris, ſed illud debiti ſolutio magis eſt, hoc cauponatio verius quam munificentia: ita non eſt beneficentia, ſed profuſio, imo non beneficium, ſed maleficium eſt potius, dare rem accipienti nocituram. Rurſus ſicuti merito dicitur ſpoliatus gratia, qui ea male eſt uſus, ita merito dicitur auctus gratia, quia * dono Dei bene eſt uſus. Nec tamen hæc vox meriti reſpondet debito aut mercedi, ſed excludit indignitatem accipientis aut poſſidentis. Sic in Euangelio negantur fuiſſe digni convivio, qui vocati excuſabant. Quid igitur? An digni erant cæci, & claudi, & viles è triviis homines? Nequaquam, ac fortaſſis aliquanto minus quam illi, ſi de meritis loquamur, quibus debetur præmium, ſed ideo digni dicuntur, quia beneficium gratis oblatum, grate ſunt amplexi. Amplecti autem eſt aſſentiri, & in aſſentiendo felicitas hominis incipit. Sic apud *Matthæum* ſervus, qui creditum talentum gnaviter diſpenſaverat, lucro auctus eſt, & præficitur majoribus, hoc eſt, decem civitatibus juxta *Lucam*, & nihilo ſecius totum eſt gratuitæ Domini beneficentiæ. Contra ſervus, qui unicum talentum acceptum defoderat, ſpoliatur eo, & quod ignavo adimitur, additur lucro induſtrii, ipſe vero conjicitur in tenebras extremas, quid paſſurus, ſi talentum nequiter profudiſſet, cum ſic puniatur, qui talentum acceptum reddidit, ut erat, Domino? *Omni habenti dabitur, & abundabit, ei vero qui non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo.* Is enim non habere dicitur, qui ſic habet, quaſi non habeat beneficium, hoc eſt, qui vel ſuis meritis adſcribit gratiam, vel ſecus utitur ea quam oportet. Quod igitur hîc dignitas dicitur in bene accipiente & utente, hoc, opinor, Theologi vocant meritum *congruum*: ea vox ſi recte intelligatur, non pugnat cum vocabulo gratiæ, quemadmodum nec mercedis vocabulum aut etiam debiti pugnat cum gratia, præſertim ſi referas ad Dei promiſſionem. Promiſſio gratuita eſt, & gratuitum eſt quicquid ex hoc fonte promanat, non tamen congruit, ut tanta gratia conferatur averſantibus aut male utentibus augeatur. Ut igitur eſt meritum, quod reſpondet mercedi, ita ſunt opera, quæ reſpondent debito, & ex diametro pugnant cum gratia: Qualia erant opera Judaica, de quibus agit *Paulus* ad Romanos III. *Ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro.* Item ad Gal. II. *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus Legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti.* Frivolum autem eſt, quod quidam hîc argutatur de emphaſi hujus vocis *niſi*, cum conſtet hîc nihil aliud valere, quam, *ſed tantummodo.* Nec eſt periculum, ne videantur per fidem excludi bona opera, cum illic loquatur de operibus Judaicis, quæ fiebant abſque fide & caritate: Operum autem vere bonorum fides eſt parens, eo quod per dilectionem operatur. De Judaicis operibus loquitur *Paulus* Rom. II. *Ei vero qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* Idque dictum eſt ab Apoſtolo non juxta rei veritatem, ſed juxta Judæorum arrogantem perſuaſionem, qui non aliter ſibi pro operibus externis exiſtimabant deberi vitam æternam, quam fabro lignario pro opere abſoluto debetur merces, quæ ni reddatur ſit ex lege debiti actio. Rurſus ad Corinthios †: *Si ex operibus, jam non eſt gratia: ſi gratia, jam non ex operibus.* Sed eſt aliud operum genus, de quibus agit Roman. II. *His quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam.* Idem 2. Corinth. V. *Ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Hoc genus operum non officit gratiæ, ſed imputatur fidei, quæ per dilectionem operatur, quod fides primus ſit fons, unde ſcatent omnia quæ nos vere Deo gratos faciunt: & fides Dei donum eſt gratuitum, nec tamen datur indignis, licet detur immerentibus. Ad hæc quoniam Deo præſentia ſunt univerſa, ſicuti merito dicitur auferre gratiam abutentibus donata, ita merito dicetur non dare gratiam iis, quos ſcit illa abuſuros in ſuum ipſorum malum. Unde fit, ut non ſolum injuſtitiæ non ſit, verum etiam miſericordiæ ſit, quod nonnullis gratiam ſuam, aut omnino non impertit, aut ſubtrahit impenſam. Idem dici poteſt de varie diſtributis Spiritus donis, aliis largius, aliis parcius. Ut enim homo juſte meritoque beneficium ſuum ſubtrahit ei, qui male uſus eſt acceptis: ita Deus juſte meritoque non impartit ſuam gratiam, quos nihilo minus certe novit male uſuros, quam homo novit hominem male uſum.

Hîc ſi quis objiciat, Deum nulli oportere ſuam conferre gratiam, qui male ſit uſurus: Reſponderi poteſt, ideo Deum multis indignis offerre gratiam, ut exemplo ſit bonis, terrori malis, omnibuſque manifeſtum ſit, eos qui pereunt ſuo ipſorum vitio perire, quando nulli deeſt gratia niſi ipſe defuerit ſibi. De adultis duntaxat loquor. Submovimus igitur ſcrupulum, qui torquebat *Auguſtinum* ſollicitum, ne quod homo gratiæ præparanti aſſentitur, videatur promereri gratiam juſtificantem. Submovendus eſt & alter, quo metuit, ne gratiæ initium videatur à libero arbitrio proficiſci. Fatetur *Pelagianos* anathema pronuntiaſſe, qui ſentirent gratiam ſecundum merita dari: Id ſi ex animo pronuntiarunt, haud dubium, quin ſenſerint merita, quibus velut ex debito reſpondet merces. Unum illud non tolerat, quod *Julianus* ſcripſiſſet, bonum hominis propoſitum à gratia adjuvari. Hinc enim colligit, propoſitum hominis bonum fuiſſe ſine gratia, ſed invalidum, cui juncta gratia opituletur. Quod ſi detur, apparet ex homine gratiam oriri, cum in homine nihil ſit boni, niſi ex gratia. Atqui mea ſententia, nihil hîc erat quod metueret *Auguſtinus*, ſi diſtinxiſſet boni vocem, ſicut diſtinximus meriti mercediſque vocabulum. Ut enim varii ſunt gradus gratiæ, ita varii ſunt gradus bonitatis ſive juſtitiæ. Ipſe *Auguſtinus* multa nomina reperit gratiæ juxta gradus effectuum, diſtinguens ſufficientem à proficiente, operantem à cooperante, rurſus operantem à præparante. Et haud ſcio an pulſans diverſa ſit à præparante, quod præparans movet voluntatem, pulſans aliquando non movet. Jam præparantis ſive pulſantis gratiæ poſſunt eſſe plurimi gradus, ſicut Deus variis modis ac paulatim transformat hominem, non aliter quam natura paulatim fingit hominem, aut Medicus paulatim reſtituit hominem. Quoties igitur homo aſſentitur gratiæ operanti, quæ confert juſtitiam, initium gratiæ non eſt ab homine, ſed à gratia præparante ſive pulſante, quæ præceſſit, per occaſionem excitans hominem ad eam cogitationem, ut ſibi diſpliceat, optetque fieri melior. Innumerabiles autem formæ ſunt, quibus id agat Deus: Interdum per uxorem, ſervum, aut amicum fidelem vocat,

* Legendum videtur, *qui*.

† *Romanos* voluit dicere, cap. XI. 6.

Digitized by Google

maritum, herum & amicum infidelem; Interdum idem facit morbo, orbitate, aut alia quavis immissa calamitate, nonnunquam ministerio verbi; Nonnullos prodigiis aut spectris, aut insomniis; Et sæpe velut ex insidiis venatur hominem ad salutem per eas res quibus maxime capitur, velut uxorios per uxorem, & divum *Hubertum* cepit in venatu, & amantes studiorum per litteras; Nonnullos trahit secreto sibilo Spiritus. Nec statim bonum propositum sic dicitur bonum, ut reddat hominem beatum. Quisquis enim vere propositum bonum habet, is justus est per gratiam, sed hîc bonum appellatur, quod accedit ad aliquam boni imaginem, & aliquo gradu recedit à malo. Nisi forte nobis placet Stoicorum opinio, qui faciebant omnia peccata paria, docentes hominem repente, aut summe bonum esse, aut summe malum. Quod etiamsi juxta rationem aliquam verum esset, tamen quoniam sermo abhorret à sensu communi, & à consuetudine sacrarum Litterarum, repudiandus est. Adferunt illi simile de homine collapso in aqua, negantque referre, utrum multis cubitis absit à summa aqua, an duobus digitis, modo submersus pereat. *Augustino* magis placet collatio de luce ac tenebris. Non parum enim interest inter eum qui versatur in densissimis tenebris, ut nihil omnino cernat, & inter eum qui procul affulgente luce quamvis exigua, per tenebras cernit aliquid licet incerto, & inter eum qui vicina luce clare perspicit omnia. Atque iisdem, opinor, gradibus à clara luce pervenitur ad densissimas tenebras. Utriusque rei exemplum præbet mons ille, per quem perfossum à *Bajis Neapolim* adeuntibus iter est: ingredientem comitatur aliquamdiu lumen, ob testudinis sublimitatem, sed mox paulatim deficiens, donec ventum est ad densissimas tenebras, quales esse dicuntur apud inferos. Id tædium esset intolerabile, si diuturnum esset, sed aliquantulum progressis apparet sublustre quiddam. Id luminis ex dorso montis perfosso venit superne, estque minimum & anceps, quo cito relicto reditur ad profundam caliginem, in qua progressis aliquandiu, procul apparet ceu minutissima quæpiam stellula. Ea lux quo propius accedis, hoc fit major & evidentior, donec clarissime cernas omnia. Illud non congruit in hac similitudine, quod ad illam lucem nos accedimus, cum gratiæ lumen magis accedat ad nos: quemadmodum Sol paulatim discutiens noctis caliginem ad nos venit. Magis autem congrueret, si lumen esset, quod vicissim accederet ad propius accedentes: Sicuti gratia appropinquat appropinquanti. Ut igitur non statim perspicit qui primo diluculo videt ambigua luce, ita non statim bonus est, quem afflavit aliqua lux gratiæ, quanquam longius abest à profunda caligine, qua nihil omnino cernebat, & tamen si ab hac luce non averterit oculos, sed quantum potest intenderit, dignus est cui se major lux ostendat. Quoniam autem hæc hominis mutatio, renascentia dicitur, conferenda est & hæc similitudo: Non statim est homo quod hæsit in matrice, paulatim fingitur à natura coagulum, & augescit more plantarum ac fungorum: deinde sentit etiam, tandem absolutus naturæ artificio fœtus prodit: animal esse vides, at quantum est temporis, priusquam sese explicet anima rationalis, sed tamen iis gradibus paulatim fit homo perfectus, nec infunderetur id per quod fit homo, nisi materia prius præparata. Fingamus enim docendi gratia, primum esse liquorem seminalem, mox coagulum, deinde plantam, mox animal, deinde hominem, sed rudem & imperfectum, tandem vere hominem. Ut igitur nascimur sic renascimur: Semper excipio Dei potentiam absolutam, qua subito facit alios quos vult. De iis, quæ plerunque facit, loquor. Rursus quando peccatum morbus dicitur, & *Christus* Medicus, conferamus & hanc similitudinem. Quot gradibus Medicus pervenit ad sanitatem ægrotantis? Incidit venas, ne præsens exitium opprimat laborantem, subjicit cibum, pharmacis inanit corpus, mox aliter purgat, artem semper accommodans naturæ viribus, quæ velut arti collaborant, dum insita vi pugnant cum hoste morbo, & ad sanitatem anhelant, & has ars vicissim adjuvat. Tandem recipiente sese natura, pharmacis corroborantibus erigit, donec plena sit sanitas. Ut autem est & in ægroto naturæ vis quædam abhorrens à morbo, & appetens sanitatis, quam tamen in gravi morbo non potest assequi sine medentis opera, nec à Medico juvabitur nisi se Medico præbeat, sed gravabitur potius: Ut inest homini nativa cernendi vis, quam tamen habet frustra, nisi se offerat lumen, ne lumen quidem prodest, si averterit aut clauserit oculos: nec quod oportet videt, nisi ad id quod oportet intenderit oculos: ita gratia naturam caligantem & ægrotantem paulatim excitat, donec veniat ad illud donum, quo beati reddimur in hac duntaxat vita. Beatus enim est quisquis liber à peccatis, donatus est justitia. Sed ut est bonitas, imo bonitates potius, non proprie dictæ, sed tamen progressus quidam ad illam sufficientem gratiam, quam recentiores appellant gratum facientem: ita sunt & justitiarum gradus, per quos homo paulatim fingitur ad veram justitiam, in quibus tamen nihil homo potest arrogare sibi. Nam finge mihi quempiam ex subita morte necessariorum concepisse metum gehennæ, ac divini judicii, nondum justus est, sed tamen aliquod initium sapientiæ est timor Domini. Hoc ipsum, quod inhorrescit, cui debet? An naturæ? Nequaquam, inquies, Sed pulsanti gratiæ, quam si amplectitur per liberum arbitrium, congruit ut divina bonitas addat uberiorem gratiam. Sin aversatur ac rejicit qualecunque donum, voluntatis propriæ vitio perseverat in improbitate. Jam si concussus metu, levius ac timidius peccat, desinens exsultare in rebus pessimis, aliquo usque profecit ad justitiam: si jam peccare desiit, accessit propius: si pari studio semet exercet piis operibus, quo antea servierat vitiis, habet veram justitiam. Nec tamen Deus tam morosus est, ut semel rejicientem gratiam protinus suo relinquat arbitrio, imo non desinit usque ad mortem undique objicere resipiscendi occasiones. Eos excipio, qui ob insignem malitiam traduntur in reprobum sensum. Verum est igitur, quod ait *Augustinus*, bonum propositum hominis non adjuvari à gratia, sed dari per gratiam, si sentit, ut opinor, de bona hominis voluntate, per quam justificatur. Verùm ut inest homini naturæ proclivitas ad vitia, per quam Satanas perpetuo sollicitat ad peccandum, ita inest in homine naturalis appetitus honesti, licet imperfectus. Hunc Dei gratia pulsans mille modis sollicitat ad justitiam, excitans quod in homine latebat invalidum. Hunc naturæ nisum ad virtutem ac pietatem, si quis bonum propositum appellet, nihil, ut arbitror, absurdi dixerit. Quod tamen ipsum debemus excitanti gratiæ, & adjuvanti, demum perficienti, nisi gratiam negligimus. Mihi sane nihil hîc videtur, cur vereamur, ne gratia non sit gratia, cum hic naturæ nisus invalidus sit absque gratia, & assentiri gratiæ præparanti, non promereatur gratiam justificantem, sed tantum excludat hominis indignitatem: quemadmodum ægrotus non ideo minus debet Medico, quod monitus ab illo, sese commiserit illius arti, sed effugit ne fieret indignus quem Medicus curandum susciperet. Et qui consilio amici servatus est, fatetur se debere vitam illi, cum inutile fuisset amici consilium, ni parere voluisset, & integrum erat monentem negligere. Jam si singulas occasiones, per quas peccator admonetur ut resipiscat, libeat appellare pulsantem gratiam, non admodum repugnarim. Et tamen in his quoque non prorsus otiosum est liberum arbitrium, dum occasioni veluti monenti præbemus aures, & assentimur, quod certe possumus naturæ viribus: de assensu loquor, non qui justificat, sed qui præparat aliquo modo. Jam donemus hujusmodi motus animi, licet imperfectos sine gratia, ex ipsis scatere naturæ viribus, num periclitabitur Dei gratia? Non opinor. Quî sic? Quoniam hoc ipsum, quod in nobis relictum est boni, & totum hoc quod pos-

Digitized by Google

possumus aut sumus, Dei donum est. Undecunque igitur incipias recessum à vitiis ac progressum ad virtutem, à gratia est exordium non ex nobis. Nec obstat, quod nunquam non occinit *Augustinus*, *Quid habes quod non accepisti, & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Idem occini potest de divitiis, forma, viribus, generis claritate, prospera valetudine, ingenii dexteritate, rerum successu glorianti; Denique si quis despiciat fœminam, sibi placens, quod mas natus sit, ei possent eadem verba ingeri, *Quid habes quod non accepisti?* Hic igitur sermo *Pauli* non excludit liberum arbitrium, sed premit hominis arrogantiam, non agnoscentis se ex dono Dei esse, quicquid est, si quid omnino boni est. Idem docet 2. *Corinth.* III. distinguens has voces *à nobis*, & *ex nobis*. *Non sumus*, inquit, *sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Etiam illa, quæ possumus naturæ viribus, sic à nobis oriuntur, ut tamen ex Deo sint, à quo fonte promanant omnia. Subinde recinit & illa *Augustinus*, *A Domino præparatur voluntas*, quod tamen ex quo Scripturæ loco hauserit nondum comperi, sed idem illud adducit ex Proverbiorum XVI. ni fallor, *Hominis est animam præparare*, de quo dictum est alias. Ex his duobus dictis sequitur voluntatem simul & à Deo & ab homine præparari: & quemadmodum in bono opere simul agunt voluntas hominis & gratia, itidem & in concipienda gratia simul agunt: non quod homo quicquam agat ad creandam gratiam, sed quod se gratiæ capacem præbeat, pro sua portione. Jam cum præparare hoc loco nihil aliud sit quam adjuvare, *Augustinus adjuvandi* verbum horret, *præparandi* verbum amplectitur: & *adjutoris* vocabulum non accipit, *largitoris* recipit, quasi non largiatur bonam voluntatem, qui imbecillem adjuvat, ut vere sit bona, quam quisquis habet, beatus est. Nam *Augustinus*, ut dictum est, sentit de voluntate sufficiente, sive perfecta. At alter loquebatur de bono proposito, sed imperfecto, quod per auxilium divinæ gratiæ redderetur sufficiens. Possunt autem imperfectæ cognitionis, & imperfectæ voluntatis esse multi gradus, quandoquidem neque nostra fides, ac voluntas, per quam justificamur, perfecta est in hac vita, & tamen dicitur bona voluntas.

Quod si quis dicat in homine nondum spiritu renato, nullam esse fidem aut cognitionem eorum quæ pertinent ad pietatem, nullam bonam voluntatem, nullam justitiam, nullam virtutem, quamvis imperfectam, rem adfert omnibus Stoicorum paradoxis παραδοξοτέραν, cum in Ethnicorum Historiis legamus ejusmodi virtutum exempla, ut merito nos Christianos aliquoties pudefaciant, in Philosophorum libris ejusmodi reperiamus præcepta, ut quidam conentur docere, ea fuisse de Prophetarum hausta voluminibus, adeo consentiunt dogmata. Ex his fontibus nascebantur apud illos quædam bona opera, quæ fateor nec promerebantur, nec gignebant gratiam justificantem, sed tamen reddebant animam gratiæ capaciorem, nisi interveniisset vel hypocrisis, vel reprobus sensus, quemadmodum & Philosophi dicunt, per formas quasdam accidentales materiam reddi capacem formæ principalis. Quod si quis hæc quoque quæ Gentes vel cognoverunt, vel præstiterunt, velit adscribere gratiæ Dei, non refragabor, sic ut fateantur hominis liberum arbitrium per gratiam adjutum huc perveniisse, in quibus si profecissent, per eandem gratiam assequi poterant æternam salutem. Quanquam enim *Hieronymus* ad *Ctesiphontem* sentire videtur omnes interisse, ad quos Lex *Mosaica* non pervenit, tamen mihi probabilius videtur quod scribit ille, quisquis fuit, in Libris *de vocatione omnium Gentium*, nulli ætati, nulli hominum generi divinam providentiam defuisse. Siquidem ante proditam *Mosi* Legem constat in lege naturæ multos fuisse sanctos. Lex autem *Mosi* quoniam uni tantum populo tradita est, nec jussa est prædicari per universum Orbem, sicut Euangelium, sed tantum posteris ejus nationis, etiamsi proselyti non rejiciebantur, non obligat, nisi quibus erat tradita, aut qui eam sponte fuissent professi. Quin potius in Euangelio taxantur Pharisæi, qui peragrabant mare ac terram, ut facerent unum proselytum, bis futurum gehennæ filium. Quemadmodum itaque lex naturæ non justificabat, sed ad justitiam præparabat, ita *Mosi* Lex tametsi non conferebat perfectam justitiam, tamen ad eam præparabat, vel hoc nomine, quod Judæos metu coercebat, ne prolaberentur ad extremam impietatem. Sanabilior enim est, qui metu moderatur malefacta, quam qui excusso omni Dei timore & hominum pudore, gloriatur & exsultat in rebus pessimis. Hoc opinor significans *Paulus* dicit se plus omnibus laborasse. Judæos enim Lex præpararat *Christo*, quanquam non conferebat justitiam. Jam enim cognoverant unum esse Deum, Gentium Deos esse Dæmonia generi humano inimica: non esse salutem nisi ex Deo. His aliisque plurimis facti sunt capaciores Euangelii. At *Paulus* duriorem susceperat provinciam erudiendi Gentes, quarum aliæ credebant nullum esse Deum, aliæ non curare res mortalium, alii de Diis pessime sentiebant, existimantes eos esse tales, quales describunt fabulæ, plerique putabant à rogo nihil hominis superesse. Et tamen in his sanabiliores reperit, qui levius peccarant, hoc est, in quibus minus erat perversi animi, quod idem accidit in Judæis. Perversitas autem non naturæ est, sed liberi arbitrii. Aliud enim est perversitas, aliud error: aliud vacare justitia, aliud esse impium. At *Lutherus* sic exaggerat naturam vitiatam, ut eam æquet malitiæ Satanicæ, cum Scriptura dicat, *Sanabiles fecit Deus nationes terrarum*, Et, *Non est in illis medicamentum exterminii, aut inferorum regnum in terra. Justitia enim perpetua est & immortalis: injustitia autem mortis acquisitio. Impii autem manibus & verbis accersierunt illam.* Sap. 1. Quod autem hîc loquitur de peccato voluntatis non originis, declarant quæ sequuntur, *Dixerunt enim impii cogitantes apud se non recte*, &c. Proinde quemadmodum fatemur naturam hominis, protoplastorum peccato vitiatam, ita constat in eadem esse relicta semina non mediocria virtutum ac pietatis. Quod si ideo facimus hominem totum impium, quia talis natus est, faciamus eundem totum pium, ob infita pietatis seminaria. Quod autem plures se flectunt ad vitia quam ad virtutem, non tam naturæ vitium in causa est, quam prava educatio, convictus improbus: præterea quod vitia præsens habent auctoramentum & illecebram; Virtus circa difficillima ac molesta versatur, nec statim habet paratam illecebram. Hinc plerique proniores sunt ad mala. Jam ut fatemur per *Mosi* Legem plenius cognosci peccatum, ita negari non potest Gentium leges, quæ complures *Mosen* præcesserunt, multa eadem punire quæ punit Lex *Mosi*. Ostendit igitur & naturæ lex peccatum, & hæc cognitio gignit horrorem peccati. Id esse verum declarant ea quæ Gentium Poetæ scribunt de cruciatu conscientiæ, deque Diris ultricibus. Quod si *Mosi* Lex tantum valet, ut intellecto peccato confugiamus ad implorandam opem Dei, quid vetat, quo minus eodem impellat lex naturæ, juxta suum modulum? Et si precatio nos præparat gratiæ divinæ, quod fatetur & *Lutherus*, quî minus huic nos præparent opera moraliter bona; inter quæ opinor & precationem esse? Nihil hîc moror illa Stoica, *quæcunque fiunt extra gratiam, æque damnabilia esse*, ut *Socratis* tolerantia nihilo levius crimen fuerit apud Deum, quam *Neronis* crudelitas. Ut vere bona non sint, quæ geruntur absque dono fidei & caritatis, quæque non referuntur in Deum, tamen aliquo modo bona dici possunt, quæ non pugnant cum fide & caritate, & huc velut accedunt. Interim pone mihi fidei gradus, & caritatis gradus qui nondum attingant fidem efficacem, quam solus Deus dat. Pone mihi Ethnicum Philosophum, qui sciat unicam esse mentem conditricem & gubernatricem omnium, qua nihil melius aut majus esse possit, & unde profluit omne bonum, &

Digitized by Google

unde præmia recte factorum, quam norit animi puritate colendam, ritus tamen vulgo receptos ferat, partim quod desperet, aliud persuaderi posse rudi populo, partim quod existimet in rem esse populi, tali religione contineri, donec melius aliquid exoriatur, atque ipse interim admoneat quos putat esse dociles. In officiis det operam, ut quam plurimum prosit patriæ, parentibus, uxori ac liberis: negligens invidiam virtute conflatam, & ab illa mente sperans recte factorum præmium. Hoc animo fuisse quosdam, ipsorum Libri testantur. Quid? An dicemus hunc æque peccare, cum optime se gerit, ac si veneno tolleret uxorem, & prostitueret liberos? Equidem arbitror talem nec omnino carere fide, nec opera facere provocantia divinam iram, sed seipsum præbere capacem & habilem divinæ benignitati. Proponamus *Augustinum* nondum Christianum, sed veluti in compito deliberantem, cui sectæ potissimum esset initiandus. Nam *Manichæus* erat, non quod eam probaret hæresim, sed ne nullius esse sectæ videretur. De *Christo* dubitabat, aderat tamen hic animus, ut quam comperisset optimam, ei daret nomen. Id ut consequeretur, audiebat *Ambrosium*, legebat Epistolas *Pauli*, conferebat cum amicis de beata vita, orabat, dabat eleemosynas, abstinebat à profanis theatris, horrebat flagitia, concubinam unicam habebat, sed cui servaret conjugii fidem, quod in Ethnico nullum habebatur crimen. Hujusmodi factis cum velut ambiret Domini gratiam, num dicetur æque provocasse Deum, ac matrem veneno sustulisset? Quid absurdius? Quod si hujusmodi operibus moraliter bonis, sive quocunque nomine vocare placet, præparatur homo gratiæ divinæ, sive, ut Scholastici loquuntur, merito congruo promeretur eam, quid habet absurditatis sententia? Et si poterat *Augustinus* per vim liberi arbitrii audire concionantem *Ambrosium*, legere libros sacros, erogare stipem in pauperes, vacare precibus ac meditationibus, confabulari cum piis hominibus, eosque rogare ut Domino salutem ipsius suis precibus commendarent, quid est cur sic exsibiletur opinio Scholasticorum, quæ tradit hominem per opera moraliter bona promereri de congruo gratiam justificantem? Verborum umbris territamur, cum in re nihil sit absurdi: Si quis dicat hujusmodi factis hominem aliquo modo præparari gratiæ, ferent, opinor: nunc cum idem sentiat qui dicit de congruo promereri gratiam, offenduntur. Quod de *Augustino* propositum est, idem dici potest de homine multis vitiis involuto: sed tamen sibi displicente optanteque mentem meliorem sibi dari. Sic enim audivi quosdam dicentes: Utinam Deus donaret mihi fidem: Utinam daret rectam voluntatem, quorum neque fidem sinceram & vitam improbam esse sciebam. Quibus respondebam: Tuum est non leviter optare tantum Dei donum, sed etiam ambire. Quibus inquiebant modis? Evolve, inquam, sacros Libros, adi sacras conciones, ora frequenter, eroga pecuniam in egenos, piis hominibus commenda salutem tuam, detrahe paulatim vitiis quod potes. Hæc quæ in te sita sunt præstanti, non defutura est Dei gratia: & arbitror me dedisse pium consilium. Qui optat sibi dari bonam voluntatem, non omnino caret ea: & qui optat fidei donum, non prorsus caret fide, sed quod habet imperfectum, optat auxilio divino perfici. Nec ita magni refert, utrum quis dicat hæc opera exerceri per liberum arbitrium, an semper adspirante peculiari gratia, provehente non perficiente. Quanquam plausibilius est fateri in his non abesse Dei gratiam, hominis viriculas, per se invalidas, paulatim provehentis. Nihilo enim minus debeas ei, qui tibi semel sortem dedit, unde possis diu negociari, quam qui quotidie conferat aliquid, quod in eum diem satis sit. Ad hæc quotidie dat, cui semper in manu est quod dedit eripere. Non enim hîc donum gratuitum vertitur in debitum, sed modus donandi mutatur. Nec hîc gratia datur secundum merita, quod exsecrabantur etiam *Pelagiani*, sed vitatur, ne gratia dari videatur indignis. Indignos appello, non eos qui non sunt promeriti, sed recusantes & aversantes Dei donum. Rursus non est metuendum ne gratia videatur ex naturæ viribus oriri, cum hoc ipsum, ut crebro diximus, naturæ bonum sit gratuitum Dei donum, in aliis majus, in aliis minus. Nec protinus habet homo quod de se glorietur, nisi sibi velit arrogare quod habet aliunde. Et si tantum est periculi à gloria, potest homo etiam de peculiari Dei dono tollere cristas, quando hoc vere à piis hominibus traditum est, inanis gloriæ malum in mediis etiam virtutibus insidiari. Denique periclitatur, ne hoc ipsum, quod naturæ viribus potest, eripiatur, si secus quam oportet fuerit usus. Unde quemadmodum pro bona corporis valetudine reliquisque commodis gratias agimus Deo, convenit & pro his dotibus agere gratias, orantes ut quod imperfectum est, suo afflatu perficiat; & quoniam quotidie quodammodo donat, qui quod potest eripere non eripit, est cur semper interpellemus Deum, vel gratias agendo pro acceptis, vel orando ut quod largiri dignatus est, conservet augeatque. Hoc itaque meritorum genus non officit gratiæ, sed efficit ut homo decentius ac largius accipiat gratiam.

Hæc ideo replico, quo demonstrem hujus controversiæ bonam partem apud Priscos ex vocibus parum commode acceptis ortam incruduisse. *Hieronymus* graviter indignatur *Crefiphonti*, quod tamen ab ipso confictum apparet, qui scripserat, *hominem posse fieri salvum si velit, auxiliante tamen gratia.* Ipse dicit: *Velle & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.* Sermo diversus est, res eadem. Denique tota hæc causa tractans quibus modis Dei gratia operetur in homine, multos habet recessus, quos curiosius excutere non est necesse. Constat quicquid in nobis est, id totum à Dei liberalitate proficisci. Cæterum quomodo dispensat suam in nobis munificentiam definire, ut sit piæ speculationis, certe non arbitror esse necessarium. Et tamen in nullo genere materiarum libentius deliciatur *Augustinus.* Ostendi Scholasticorum opinionem, quæ inter non reprobatas plurimum tribuere videtur libero arbitrio, non ita multum dissidere ab opinione *Augustini*, nisi quod variant in vocabulis potius quam in re. Veteres quoties dicunt meritum, sentiunt tale genus meriti, quod excludit gratiam, quale sit si quis magnis officiis provocatus, reponat gratiam, ingratus futurus ni faciat. Aut si quis fabro conducto solvat mercedem operæ. Sed merito negatur ei beneficium, qui negligit, qui recusat oblatum, qui male utitur accepto, qui ingratus est ei qui dedit. Contra quodammodo meretur, qui libenter accipit, qui beneficii magnitudinem agnoscit, qui dextre utitur, qui meminit ac prædicat. Nam Deo, qui nullius eget mutua gratia, egisse gratias aut habuisse, retulisse est. Similiter cum sint multæ species justitiæ, bonæque voluntatis ac fidei, quoniam hæc non satis evidenter distinguuntur à Veteribus, nec satis animadvertisse videntur quid dicant alii, nec ipsi sibi valde constant, ut si quis exactius conferat, excutiatque singulas partes disputationis, deprehensurus sit illos nonnunquam eadem dicere cum his quos impugnant, nec inter ipsos consentire, cum causam eandem tractent: Veluti *Hieronymo* videtur absurdum dicere, *Deum sua bona opera coronare, qua facit in nobis*, cum apud *Augustinum* nihil sit hac sententia decantatius: Interdum in eadem disputatione una pars cum alia parum congruat, eo quod non satis distinxerunt vim nominum. Nullus tamen illorum tam iniquus fuit libero arbitrio, quin aliquid tribuerit. *Quemadmodum* Adam *per liberum arbitrium perseverare potuit in bono conditus rectus: sed lapsus est, quia perstare noluit: quod si voluisset, meritum fuisset illius, pro culpa. Augustini* verba sunt Lib. *de correptione & gratia* Cap. XI. Posset ergo permanere si vellet, quia dederat Deus adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere,

Digitized by Google

re, profecto ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet ſi permanere voluiſſet: ſic homo per gratiam liberatus, ſi vult, permanere poteſt in gratia, & ſi perſeverat meretur: ſi non vult, culpam admittit. Hîc certe meriti culpæque ratio refertur ad liberum arbitrium. Nec enim arbitror ad hoc inſtitutum pertinere, diſcutere an præter naturæ donum addita ſit *Adæ* gratia, ſine qua non poſſet perſeverare: & an naturæ donum ſufficturum fuerit adverſus omnes tentationes, cum ad primum Satanæ aſſultum illico victus ſit. Satis eſt tenere de *Adam* qualis fuerit in Paradiſo, quod ſacris Litteris proditum eſt, etiamſi nos non reſpondeamus omnibus omnium curioſis quæſtionibus. *Liberum arbitrium igitur*, ut ait *Auguſtinus*, *ad malum ſufficit, ad bonum autem parum valet, niſi adjuvetur ab omnipotente bono:* parum enim valere dixit, ut reſpondeat illi, ſufficit. Et cum meminit omnipotentis boni, ſubindicat bonum aliquod humanum & imbecille, quod egeat auxilio gratiæ. Quod autem illud eſt, niſi quod per naturæ vires homo poteſt aſſequi, non ut illico ſit beatus, ſed ut divinæ gratiæ ſit præparatior. Qui per rationem humanam multa intelligit, creditque de Deo quæ vera ſunt, qui ex Philoſophorum libris imbibit amorem ſapientiæ, qui pro modulo ſuo ad habitum virtutis enixus eſt, aliquanto capacior eſt craſſo milite, qui in profunda rerum ignorantia maximiſque ſceleribus verſatus, ne cogitavit quidem unquam de Deo. Habet igitur homo quod non accepit? Nequaquam. At non conſequitur, hic non accepit dono, ſed ex legato, igitur non accepit. Item non conſequitur, hic accepit illo modo, igitur nullo modo accepit. Quod ſi libeat ſophiſticari, ne id quidem verum eſt, quod liberum arbitrium ad malum ſufficit. Non enim ſufficeret, ſi deſtitueretur generali motu primæ cauſæ. Accipit igitur hoc ipſum quod poteſt male velle, ac ſcelus admittere. Cum igitur inſit in homine nativa quædam vis appetens honeſti, licet peccato debilitata, variis occaſionibus excitatur, quarum una Lex eſt, quæ dum invitat præmiis ad recte agendum, ſupplicio deterrens à malefactis, efficit ut homo ſuum peccatum agnoſcens, ſibi diſpliceat, etiamſi clam eſt peccatum. Contra gaudeat, ſi Legi non eſt obnoxius. Quod ſi ex parte præſtat lex naturæ quod lex Dei, & aliquod bonum exordium tribuitur legi peccatum indicanti, non abſurde idem tribuitur libero arbitrio. Rurſus ſi diſtinctis gratiarum gradibus placèt omnem occaſionem ad meliora vocantem appellare gratiam, patiar, modo patiatur & naturæ vires dici gratiam. Quem dabis tam efferatum vitiis, ſi ſerio rogetur num velit eſſe purus à vitiis, Deoque carus, quin reſponſurus ſit, ſe velle? *Eſt autem*, ut *Seneca* ſcribit, *magna pars bonitatis, velle bonum fieri.* Ea voluntas quo magis recedit ab imperfectione, hoc homo vicinior eſt gratiæ. Quod ſi demus quantulumcunque velle bonum à natura proficiſci, non impie dicitur bonum hominis propoſitum per ſe invalidum acceſſione gratiæ juvari. Fatetur *Auguſtinus* ex his verbis 2. Par. xv. *Dominus vobiſcum, ſi vos eſtis cum eo, & ſi quæſieritis eum, invenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos*, declarari liberum arbitrium & ad bonum & ad malum. Verùm in hoc diſſentit ab adverſariis, quod illi dicunt meritum noſtrum in eo eſſe, quod ſumus cum Deo: ejus autem gratiam ſecundum hoc meritum, ut ſit & ipſe nobiſcum. Item meritum noſtrum in eo eſſe, quod quærimus eum, & ſecundum hoc meritum dari ejus gratiam, ut inveniamus eum. Similis locus eſt 1. Par. xxviii. *Si quæſieris eum, invenietur tibi: & ſi dimiſeris eum, repellet te in perpetuum.* Fatetur ex hoc quoque recte colligi liberum arbitrium, at non fert eos, qui hîc ponunt meritum hominis, *Si quæſieris eum*, ut ſuccedat præmium, *invenietur tibi.* Hæc controverſia mihi naſci videtur ex voce potius, quam ex re. Etenim qui juſſus quærere Dominum, pulſantem gratiam non adſpernatus, illi ſuas vires attemperans, aliquo modo ſe dignum præbet uberiore gratia, & hoc meritum non abſurde quis dixerit, non quod æquet beneficium, & gratiam vertat in debitam mercedem, ſed quod excludat indignitatem. At *Auguſtinus* interpretatur de merito, cui debetur merces. Nam id ſentire ſe declarat, cum ait, *& omnino laborant quantum poſſunt oſtendere Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari, hoc eſt, gratiam non eſſe gratiam.* Eſt enim meriti genus quod excludit gratiam, & mercedem debitam flagitat, quale eſt operarii, cui niſi reddas mercedem, poteſt in jus vocare. Si reddas, neuter alteri debet gratiam. Secundum hunc ſenſum opinor anathema pronuntiarant in eos, qui dicerent Dei gratiam ſecundum merita hominum dari. Verùm *Auguſtinus* dum nimium horret initium gratiæ dare libero arbitrio, fatetur quidem præceptis divinis conveniri liberum arbitrium. Velut cum ait *Joannes, Cariſſimi diligamus invicem.* Cæterum hoc negat prodeſſe, niſi qui præcipit, addat aliquid dilectionis, ut præcepto admonitum liberum arbitrium quærat Dei donum. Videtur igitur præter gratiam præcepto pulſantem requirere gratiam aliquam imperfectam, quam infundat Deus, ut hac accepta, quærat gratiam juſtificantem, quod ibi ſcribit *Joannes, Dilectio ex Deo eſt.* Sed jam eodem res devolvetur. Etenim qui gratiam habet imperfectam, nondum juſtus eſt. Quomodo igitur quæret, cum liberum arbitrium nondum ſit liberatum? Neque protinus caritas illa juſtificans non eſt ex Deo, etiamſi fateamur hominem ex naturæ viribus habere qualemcunque caritatem erga Deum poſſe. Idem ad *Valent. de corrept. & grat. Deſiderare*, inquit, *auxilium gratiæ, initium eſt gratiæ.* Quod ſi concedimus in hominibus etiam ſceleroſis eſſe aliquod gratiæ deſiderium ex ipſo naturæ ſenſu, rurſum cauſa periclitabitur, ne gratiæ initium ſit à libero arbitrio. Quod vehementer abominandum eſſet, niſi quicquid poteſt liberum arbitrium, ex Dei dono proflueret. Quod ſi quis in his quoque gradibus, quibus paulatim à vitioſo habitu receditur, & ad juſtitiam acceditur, velit adjungere gratiam peculiarem, arbitror piam opinionem. Cæterum ex his minutiis excitare tragœdiam, non arbitror eſſe Chriſtianæ tranquillitatis, præſtiterit fortaſſis permittere, ut juxta *Paulum* hactenus quiſque in ſuo ſenſu abundet.

De lib. arb. Cap. v. — De lib. arb. ad *Valent.* Cap. xviii. 1. Joan. iv.

Auguſtinus adverſus *Pelagianos* decertans, ſtudio gratiæ tam parum tribuit libero arbitrio, ut nomine tribuat aliquid verius quam re. Rurſus cum iiſdem dimicans, qui dicebant infantes nihil damnationis contrahere ex peccato primorum parentum, ait illos, ſi ſine baptiſmo deceſſerint, æternis ignibus exurendos. Utramque ſententiam poſteriores Theologi moderati ſunt, aliquanto plus tribuentes libero arbitrio quam ille tribuebat, ac diſtinguentes meritum congruum à merito condigno: fidem acquiſitam à fide infuſa, voluntatem perfectam ab imperfecta. Item infantium damnationem temperantes, diſtinguendo pœnam damni à pœna ſenſus. *Joannes* autem *Gerſon* nec deſperare videtur omnino de ſalute infantis, ſi parentum pietas inſignis Dei bonitatem gnaviter ſollicitarit. Jam quod Theologis in *Auguſtini* de libero arbitrio ſententia viſum eſt parum, id *Luthero* videtur nimium, qui neceſſitatis vocabulum invehit, unde conſtanter abſtinuit *Auguſtinum*, ac ne illud quidem tribuit libero arbitrio poſſe ſe à gratia ſubtrahere, quod illi non negat *Auguſtinus*. At qui pio quidem animo, ſed tamen incautiore, quo gratiæ magnitudinem exaggerent, quicquid poſſunt, demunt naturæ viribus, perinde mihi facere videntur, quaſi ſi quis neget ullos ſalutem adeptos, vel in Lege *Moſi*, vel in lege naturæ, quo magis attollat gloriam adventus *Chriſti*, adverſus eos qui dicere ſolent, quid novi *Chriſtus* attulit? Nec animadvertunt interim hoc ipſum, quo ſervabantur homines ante proditum Euangelium, fuiſſe ex dono *Chriſti*, qui pro ſua bonitate nulli deeſt. Quanquam pro divini conſilii diſpenſatione, pro temporum ac perſonarum varietate aliter atque aliter ſeſe communicat. Et ſi uſque adeo placebat exag-

Digitized by Google

exaggeratio, ea magis intendenda erat in ſtultitiam ac malitiam hominum, in quam ſeſe per liberum arbitrium præcipitaverant, quam in naturam ex *Ade* peccato vitiatam, ne videamur aſſentiri *Manichæis*. Jam ſi cui placet illorum ſententia, qui minimum abſunt à foſſa *Manichæorum*, cavere debet ne longius progreſſus corruat in barathrum, atque ita tribuat gratiæ totam hominis ſalutem, ut meminerit hominis voluntatem jam liberatam ſimul agere cum agente gratia, & agendo promoveri, non ut debeatur gratia, ſed ne indigno ſubtrahatur. Meminerit item in hominis eſſe poteſtate gratiæ pulſanti præbere ſeſe, hoc eſt, non avertere. Et hoc ipſum Dei bonitas ſic acceptat, ut exiſtimet eum hominem eſſe dignum uberiore gratia. Meminerit in hominis arbitrio eſſe perſeverare in gratia, aut decidere à gratia. Hæc qui fatebitur, non recipiet abſolutam omnium rerum neceſſitatem. Poſtremo meminerit & naturæ dotes eſſe Dei gratiam, ut nihil ſit de quo poſſit homo gloriari, quaſi quicquam boni ex ſeſe pararit abſque Dei gratia: excutiat autem imaginationem de luto, ſerra & ſecuri, quæ parabolæ non in hoc adductæ ſunt, ut excludant hominis liberum arbitrium, ſed ut oſtendant totum hominem in manu Dei eſſe, ſi Deus velit illum vel in nihilum redigere. Rurſus quibus placet recentiorum opinio, quoniam minimum abſunt à foſſa *Pelagianorum*, cavere debent ne longius proferant pedem, ſed meminerint quam exſecrabile ſit apud Deum hominem ſuis niti viribus, atque in ſeſe gloriari, cum quiſquis gloriatur, eum oporteat non in alio quam in Domino gloriari. Meminerint ſe etiam pro his quæ præſtari poſſunt naturæ viribus debere gratias Deo: & ſi quid talium operum acceptat Deus non eſſe juſtitiæ, ſed immenſæ bonitatis, qui boni conſulit imperfectionem noſtram. Poſtremo meminerint etiam illas naturæ vires à Deo juſte eripi, ſi quis vel abutatur, vel ſibi velit arrogare. Nec ſeipſos fallant libertatis, meriti, digni, condigni, congrui, debitique vocabulis, cum ſumma totius negotii debeatur gratuitæ Dei benignitati, ſed tanto diligentius ambiant gratiam, quanto plus virium in hoc à Deo datum arbitrantur, tantoque ſtudioſius contendant ad opera pietatis. Porro ſi quis erit, cui & *Auguſtinus* videatur iniquior libero arbitrio, & recentiores plus æquo largi, inter utramque viam tuto incedat, credatque etiam in illis gradibus, quibus, ut dixi, præparamur ad gratiam, non deeſſe gratiam peculiarem, ſic ut pro modulo profectus noſtri cuique in omnibus & liberum arbitrium gratiæ, & gratia libero arbitrio cooperetur. In ſumma magis in hoc incumbamus, ut Dei gratiam adipiſcamur, quam ut curioſe diſputemus quomodo gratia in nobis operetur. Nam hujuſmodi nimium ſubtilibus logomachiis citius amiſerimus Dei gratiam, quam aſſequamur quibus modis gratia operetur in nobis, præſertim cum Deus ubique imperveſtigabilis tam variis modis exſerat vim ſuam in rebus conditis. Jam ut fateor juſtis cauſis permotos, qui gratiæ vim exaggerantes, naturæ vires extenuarunt: ita non levioribus cauſis commoti ſunt, qui non paſſi ſunt quenquam ſervari aut interire, niſi ex qualibuſcunque meritis: quorum ſententias licet diſſidentes, tamen quoniam ex eodem pietatis fonte manant, commode decet interpretari, non exagitare, & in concordiam redigere, vel in hoc interim concordes inter nos, in quo illi non diſcordant. Conſentiunt enim in his, hominem miſericorditer ſervari, neminem autem injuſte damnari, nemini deeſſe gratiam Dei, ſumma vi præſtandum homini quod in ipſo ſitum eſt: quicquid tamen in nobis eſt boni, totum divinæ bonitati adſcribendum. Porro Scripturas, quæ juxta ſpeciem inter ſe pugnare videntur, haud magno negotio redigemus in concordiam, ſi diſtinguamus voces, quemadmodum oſtendimus: & ſi perpendamus Deum variis rationibus agere in ſervandis ac damnandis hominibus, nec ſtatim hoc in omnibus facere, quod in hoc aut in illo pro diſpenſatione feciſſe legitur. Veluti cum dicitur decepiſſe Prophetam, aut ſeduxiſſe populum, aut inflexiſſe cor impii Regis ad hoc aut illud. Quod enim Deus aliquando ſuggerit impiæ voluntati peccandi occaſionem, aut piæ voluntati benefaciendi materiam, non impedit liberum arbitrium, nihilo magis quam admonitor indicans quid ſit agendum. Ita *Paulo* meditanti proficiſci in *Bithyniam*, obſtitit Spiritus, jubens alio deflectere. Ita loquitur & *Paulus* 2. Corinth. VIII. *Gratias ago Deo, qui eandem ſollicitudinem pro vobis dedit in corde Titi.* Aderat enim *Tito* generalis ad bona voluntas, cui Deus oſtendit in eo negotio quid eſſet agendum. Nec ideo neceſſe erit, ut exiſtimemus hominem ex ſe nunquam poſſe diſcernere quid ſit agendum. Simile eſt quod legimus *Eſdræ* III. *Benedictus Dominus Deus patrum noſtrorum, qui dedit hanc voluntatem in cor Regis, clarificare domum ſuam in Hieruſalem.* Opinor *Artaxerxem* non fuiſſe in ſpiritu, & tamen Deus inflexit cor illius, ut ſineret inſtaurari templum. Huc pertinet illud de *Semei*, cui præceperat Dominus ut malediceret *David*, mala hominis voluntate abutens in juſti correptionem. Hæc, quæ peculiares habent cauſas, non oportet ad generalem pertrahere ſententiam. Rurſum ſi quos Deus ſubito violentoque motu rapuit ad ſe, veluti *Paulum*, ex his non eſt conſtituendum univerſale dogma. Alios vocat ex profunda ignorantia, gravique ſcelerum lerna: alios diu patitur veluti ambire divinum munus. Quod ſi non poſſumus omnino ratione conſequi quatenus, quibus modis, quibuſque gradibus operetur in nobis, certe loquamur more Scripturarum, more ſanctorum Patrum. Quid vero loquitur Scriptura? Non dicit, inanis eſt omnis conatus hominis, nihil refert quomodo vivas, Deus aut ſervabit ſi ſtatuit, aut perdet ſi decrevit, ſed ita loquitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* & convertimini ad correptionem meam. Venite ad me omnes, contendite intrare per anguſtam portam, ſobrii eſtote & vigilate. Prævaricatores redite ad cor. Date eleemoſynam. Remittite & remittetur vobis, judicate pupillo, ſubvenite inopi. Hujuſmodi ſermonibus nos invicem exhortemur ad pœnitentiam & caritatem mutuam, omiſſis malis colloquiis, quæ corrumpunt bonos mores: frater fratri dicat, Diligamus invicem, emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, piis operibus ambiamus Domini gratiam: privatim autem accommodemus & ſcripturam & vocem noſtram ad proximi neceſſitatem. Aliter enim loquendum elato, feroci, ſibique placenti, & erectam cervicem gerenti adverſus Deum: aliter puſillanimi & deſperationi proximo. Illi proferamus teſtimonia Scripturarum, quæ docent quam homo nihil poſſit ſuis viribus, quantumque diſcrimen ſit hominem ſuis fidere præſidiis. Alteri proferamus teſtimonia, quæ doceant quantum homo ſibi quoque præſtare poſſit, ſi velit adniti: quamque ſit Dei parata benignitas præſtanti quod in ipſo eſt. Scriptura vero, quoniam nunc hos compellat, nunc illos, juxta qualitatem eorum quibus loquitur, interpretanda eſt. Alioqui ſecum ipſa multis in locis pugnare videtur, cum nihil minus pugnet quam Scriptura cum Scriptura. Ut finem voluminis faciam, non hîc deprecabor lectoris judicium, & exigam obſequium, quemadmodum fecit *Lutherus*, ſed quicquid à nobis diſſertum eſt, Eccleſiæ Catholicæ ſubmitto, paratus corrigere, ſi quid excidit à veritate diſcrepans. Porro *Chriſtus* illuminet nos omnes una cum *Lutheto*, ut omnes uno ore, eadem mente, eademque ſententia prædicemus communem omnium Dominum, cui gloria in ævum. Amen.

LIBRI HYPERASPISTAE SECVNDI FINIS.

DE-

Digitized by Google

DESIDERIVS ERASMVS
ADVERSVS
CALVMNIOSISSIMAM EPISTOLAM
MARTINI LVTHERI.

EN recanduit in me præter exſpectationem *Martini Lutheri* θυμὸς ἀχήνως. emiſit enim Epiſtolam, quæ tota ſpirat parricidiale quoddam odium, cum ego poſt eum conflictum, qui mihi fuit pro *Diatriba* adverſus illius *Servum Arbitrium*, nuſquam in ſcriptis meis odioſius vel ipſum vel doctrinam ejus attigerim, nimirum ſemper hoc agens ac ſperans fore, quod ſperant, ni fallor, omnes Chriſtiana mente præditi, uti ſummus ille rerum humanarum moderator hos Eccleſiæ tumultus aliquando verteret in bonum exitum. Tantum autem abeſt ut ipſum calamo laceſſiverim, ut quorundam privatis Epiſtolis admonear, aliorum libellis editis exprobretur mihi, quod *Lutheranis* in quibuſdam patrociner atque excuſem. Famoſos Dialogos, Picturam ſepticipitem, ſimiliaque irritamenta ſemper improbavi, quin & *Joannem Cochlæum* à tam acri contentione revocare conatus ſum. Videtur res eſſe levis momenti, quæ iſti camino tantum adjecit olei, aut, ut melius dicam, quæ admoto ſulphure ſcintillas cinere opertas excitavit. *Georgius* quidam *Vincelius* olim inſigniter addictus *Luthero*, poſt neſcio quibus de cauſis ab eo deſcivit. Is ſemel atque iterum ad me ſcripſit, non diſſimulans ſe male cogitare de *Luthero*. Cujus tamen litteris non reſpondi, partim quia non vacabat, partim quia ſcribebat è locis procul ſemotis & obſcuris, cum hoc quod ipſe mihi ſic erat ignotus ut nemo magis. Quod ſi fuiſſet ſcribendi oportunitas, admonuiſſem hominem, ut aut ne laceſſeret *Lutherum*, aut certe ſtomacho ne indulgeret, quem ſatis exulceratum ipſius litteræ præ ſe ferebant. Hic *Vincelius*, ut appareret, nunc neſcio quid libellorum evulgavit, adverſus quædam *Lutheri* placita. De quibus quoniam non vidi, non eſt quod pronuntiem. Acceſſit quidam *Nicolaus Amſdorffius*, qui plauſtrum ſuapte ſponte pronum commode perculit, admonens ut contemto *Vincelio Eraſmus* impeteretur, ac ſuis tandem depingeretur coloribus, qui ſunt, ut ait, inſcitia & malitia. Summam enim meæ doctrinæ hanc eſſe, utar verbis illius: *Doctrina* Lutheri *hæreſis eſt, quia damnata à Cæſare & Papa, ſua vero eſt Orthodoxa, quia Epiſcopi & Cardinales, Principes & Reges mittunt & donant ei aurea pocula*, &c. *Si aliud eſt in ſuis libris, moriar.* Atque hoc hominis de me judicium *Martinus* non ſolum approbat, verum etiam miratur, cum ſit & abſurdum, & manifeſtæ vanitatis. Neque enim conſiſtit, eidem homini tribuere inſcitiam & malitiam. Siquidem ubi peccatur per ignorantiam, error eſt, non malitia. Dein nuſquam in ſcriptis meis appello *Lutheri* doctrinam hæreſim. Quod ſi facerem, haudquaquam primus aut ſolus facerem. Nec uſquam utor hac ratiocinandi forma, mea doctrina ſana eſt, quia Principes mittunt munera. Sed hoc argumento conſolor amicos, qui dolent me undique linguis ac libellis furioſis lancinari. Horum odiis oppono bonorum favorem, inter quos multi ſunt & dignitate præcellentes, & pietate venerandi, & eruditione celebres. Horum judicium interdum allego, & adverſus eos qui me clamant privata audacia admoviſſe manus Novo Teſtamento. Hîc nihil eſt quod ad *Lutheri* doctrinam pertinet, neque quiſquam Principum miſit mihi aurea pocula, quidam me honorarunt muneribus, ſed ultro nec ambientem nec exſpectantem. Quid accipiat *Lutherus*, mea nihil refert. Cum igitur nuſquam ſit in ſcriptis meis quod hic aſſeverat, tamen ſeipſum devovet, ſi quicquam aliud reperiatur in ſcriptis meis: *Moriar*, inquit. Ego non tantum illi precabor mali, ſed potius ut in eo moriatur vanitas, & vivat veritas. Tale eſt hujus fabulæ proœmium, cui pulchre quadrat Epiſtola *Lutheri*, tota undique ſcatens impotentibus ne dicam furioſis convitiis, ac malitioſis mendaciis. Maledictis non admodum offendor. Quid enim mirum ſi in me ſic indulget ſtomacho, cum in Reges & Principes ſimili petulantia debacchetur quoties collibuit. Itaque non regeram contumelias, ſed pro mea qualicunque portiuncula imitabor Dominum ac præceptorem meum, qui cum audiſſet, *Samaritanus*, Dæmoniacus, ac præſidio *Beelzebub* ejiciens Dæmonia, ad *Samaritani* convitium obticuit. Ineptum eſt enim cuiquam objicere patriam, quam nemo ſibi deligit, aut aliud quod ab homine præſtari non poteſt: reliqua duo convitia non retorquet in maledicos, ſed argumentis depellit, quoniam ſic expediebat Euangelio. Ignorare, obliviſci, dormitare, falli, labi, humanæ naturæ vitia ſunt, in quibus quoniam nos nihil aliud quam homines eſſe meminimus, facile veniam petimuſque damuſque viciſſim. Sed quod *Martinus* objicit adeo non eſt humanum, ut ſit pluſquam dæmoniacum. Conatur enim hoc Orbi perſuadere, *Eraſmum* non ſolum nihil credere de rebus divinis, verum etiam illud jam olim dolis, inſidiis, totiſque viribus agere, ut univerſam Religionem Chriſtianam labefactatam tandem det præcipitem, proque hac Paganiſmum in Mundum revocet. Non vereor autem ne tam atrox & impotens convitium, nihil enim aliud eſt, in me hæreat apud eos, qui vel legerunt meas Lucubrationes, vel domeſtica conſuetudine propius inſpexerunt mores & ingenium meum. Illis ſatisfaciendum eſt, qui cum nec me norint, nec meos libros evolverint, ſic *Luthero* ſunt addicti, ut oraculum exiſtiment quicquid dixerit. Utinam in vita tam obtemperaſſem divinis præceptis, quam de his quæ ſunt fidei liberam & quietam habeo conſcientiam apud Deum. Quod ad mores attinet, quotidie cum ſuſpiriis ac dolore cordis interpello Domini miſericordiam, quem tamen nolim mihi unquam fieri propitium, ſi diabolici facinoris unquam vel leviſſima cogitatio pupugit animum meum, non dicam ut univerſam *Chriſti* gloriam obſcurarem, ſed ut ipſe à fide catholica reſilirem. Atque utinam hujus corpuſculi jactura queam hoc Eccleſiæ diſſidium conſopire! Quam lubens & gaudens eam mortem ſuſciperem. Interim admiſſorum quidem veniam nocturnis diurniſque precibus à Domino poſtulo, fidem autem oro, non ut det, ſed ut datam confirmet augeatque. Hæc coram Deo loquor ex animo, ſumat extemplo de me pœnas ſi quid mentior. Cæterum nunquam adducar, ut credam, *Lutherum* hoc de me ſuſpicari, quod aliis perſuadere conatur, ſed impotens odium, regnandi libido, & inſtigantium faces huc hominem tranſverſum perpellunt. Id fiet perſpicuum, ſi recitavero voces quaſdam, è quibus ille videri vult hanc de me perſuaſionem ſuſcepiſſe.

Primum indignatur Catechiſmo meo, in quo quoniam commemoro varios veterum hæreticorum errores, cauſatur me nihil aliud agere, quam ut Catechumenis fidei dogmata reddam ſuſpecta, dum protinus in principio omiſſis ſolidis fundamentis, tantum illis objicio hæreſes & ſcandala opinionum, quibus Eccleſia in initio vexata eſt, ut pene definiam nihil unquam fuiſſe certi in Religione Chriſtiana. Et addit, *iſtis vero exemplis & periculoſis quæſtionibus animus imperitus ſtatim in principio*

Digitized by Google

obrutus, quid aliud cogitabit aut faciet, quam ut ſeſe à Religione Chriſtiana tanquam peſte, vel clam ſurripiat, vel, ſi auſus fuerit, palam deteſtetur. Hunc quidem in modum orſus eſt ille. Principio quæ ſint illa ſolida fundamenta, quæ cauſatur à me prætermiſſa, non ſatis intelligo. Ego ſtatim ab initio talia jacio fundamenta, ſic placuiſſe Deo, ut Mundum peccato *Adæ* & *Evæ* aboriginali ſtatu collapſum, per Filium ſuum *Jeſum Chriſtum* miſericorditer reſtitueret. Ad hanc autem gratiam omnibus pariter acceſſum eſſe per ſinceram fidem in *Chriſtum*. Porro fidem eſſe donum Dei, quod nemo ſibi dat, ſed à Deo petendum eſt. Fidei vero materiam ſacio Scripturam canonicam utriuſque Teſtamenti, cujus velut à Deo profectæ auctoritatem plurimis argumentis doceo multo certiſſimam eſſe atque inviolabilem, excluſa Mundi philoſophia, & humanis rationibus atque experimentis. Hæc fere ſumma eſt primæ Catecheſeos, in qua nullum verbum ambiguum, ſed conſtans & vivida aſſeveratio, quæ cum ſit perpetua toto libello, tamen uno in loco ſic loquitur Catechiſta: *Caterum hîc ubi Deus eſt omnia in omnibus, nullus eſſe poteſt error, nulla nubes, nulla ambiguitas, ipſe eſt initium, ipſe progreſſus, ipſe conſummatio.* Obſecro te, lector integræ mentis, an hæc non ſunt ſolida fidei Chriſtianæ fundamenta, quibus uſus eſt *Paulus* & omnes orthodoxi Patres? Si *Lutherus* habet ſolidiora, nullus obſtat quo minus proferat in utilitatem Eccleſiæ. Et haud ſcio an ediderit aliquod Symbolum Germanice; cujus rei prorſus ignarus ſimpliciter laudatiſſimi viri precibus hoc operæ ſumſi. In ſecunda Catecheſi recitatur Symbolum, & ad majorem rei perſpicuitatem univerſum in tres partes dividitur, juxta tres Perſonas divinas, quarum obiter explicatur, & naturæ unitas & proprietatum differentia. Mox ſecundaria diviſione ſinguli articuli veluti brevibus ſcholiis expediuntur, ut ſumma totius argumenti digeſta & cognita, reliqua Catechumenus & intelligat facilius, & meminerit fidelius. Dein locis conſtitutis per eadem veſtigia recurrit oratio, ac de ſingulis fuſius & accuratius diſputat. Hoc docendi genus velut ad profectum maxime accommodum præter *Ariſtotelem*, alii complures eruditi ſequuti ſunt, non Ethnici modo, verum etiam inter Orthodoxos præcipui. Jam num quæſo meum exemplum eſt in tradenda veritate meminiſſe opinionum quæ à veritate aberrarunt? & hæreſeon quibus initio vexata fuit Eccleſia? Utrum hoc eſt veritatem obruere, an illuſtrare potius & confirmare & auditorum animos præmunire? Si hîc produxero *Ariſtotelem*, cui hoc perpetuum eſt, varias opiniones proponere ac refellere, aut *Quintilianum*, qui vehementer ad eloquentiam conducere putat, ut præceptor in Oratorum ſcriptis, non tantum oſtendat quæ recte dicta ſunt, verum etiam quæ perperam: clamabit Ethnicos, Ethnicos. Sed quid dicet de ſacris Eccleſiæ Doctoribus, quorum nullus non idem facit, ſive priſcos inſpicias, ſive recentiores. Num Divus *Auguſtinus* Catechumenos erudiens, ſilet de variis hæreticorum blaſphemiis? An non idem facit Beatus *Thomas Aquinas*, & *Joannes Gerſon* in ſuis Symbolis. Quod ſi periculum eſt, ne quis reſiliat à Religione Chriſtiana, ſi cognitum fuerit Eccleſiam variis hæreticorum erroribus fuiſſe vexatam, pernicioſam operam ſumſerunt, apud Græcos ſanctus *Epiphanius* & *Philaſter*, apud Latinos *Auguſtinus* catalogum omnium hæreſeon Orbi proponentes. Quanquam quis eſt omnino ſeu veterum ſeu recentium Doctorum, cujus libri non undique ſcateant hæreſeon & hæreticorum mentione? Dico *Athanaſium*, *Baſilium*, *Chryſoſtomum*, *Cyrillum*, *Joannem Damaſcenum*, & ex Latinis *Cyprianum*, *Ambroſium*, *Hieronymum*, *Auguſtinum*. Ab horum libris eſſent ſubmovendi juvenes, ne offenſi reſiliant à Religione Chriſtiana tanquam à peſte. Atqui ſanctiſſimi ſimul & eruditiſſimi viri judicarunt hoc ad *Chriſti* Eccleſiæque gloriam ac ſtabilitatem in primis pertinere, ſi Mundus ſciret inter quos turbines ac procellas huc uſque conſtiterit invicta veritas, nimirum protectore *Chriſto*. Verùm facio rudem Catechumenum iſta proponentem. Scilicet fingo perſonas, quo diſputatio ſit dilucidior, ac res velut oculis ſubjiciatur. Nec hoc meum exemplum eſt. Fecit idem Beatus *Athanaſius*, *Cyrillus*, *Hieronymus* & *Auguſtinus*. Quanquam hoc Opus non tam ſcripſi Catechumenis quam Catechiſtis. Etenim ſi ſcripſiſſem Idiotis, Germanice ſcripſiſſem non Latine. Nunc enim nulli ſunt rudes Catechumeni, ſi modo parentes, ſuſceptores, ac paſtores ſuo fungantur officio. Proponuntur aliquot ſcrupuli, qui rudem auditorem movere poterant. Proferuntur Sectarum deliramenta, ſed à Catechiſta non indiligenter ſubmoventur, veriſque ac validis argumentis rejiciuntur, nec id frigide aut verbis ambiguis, ut quiſquam merito dolum ſuſpicari queat, ſed verbis dilucidis, vividoque ſpiritu, quem agnoſcas non è naribus, ſed è corde proficiſci. Proinde manifeſtæ vanitatis eſt, quod aſſumit *Lutherus*, me omiſiſſe ſolida fundamenta, cum exordiar à ſolidiſſimis Chriſtianæ doctrinæ fundamentis. Falſum, aut ſi mavult, hyperbolicum eſt & illud, quod ait me tantum Catechumenis objicere hæreſes & ſcandaloſas opiniones, cum hæc obiter tantum admiſceam. Falſiſſimum autem quod addit, me propemodum definire, nihil unquam fuiſſe in Religione Chriſtiana certi. Imo hoc conſtanter & ſtudioſe ago toto Dialogo, ut perſuadeam Chriſtianam Philoſophiam, unam ac ſolam eſſe, quæ ſit inviolatæ certitudinis.

Hoc fundamento non è ruderibus, ſed è meris mendaciis congeſto, maledicentiæ ſtructuram imponit, idque ſuo more. Solet enim ſubinde in his veluti locis amœnioribus paſcere animum ſuum, nec interim animadvertit quicquid convitiorum in me congerit, in probatiſſimos Eccleſiæ Doctores recidere. *Et hoc callidum*, inquit, *conſilium non putat ab ullo homine poſſe intelligi, quaſi non habeamus in Scripturis ejuſmodi Larvarum Diaboli infinita exempla.* En Apoſtolicam eloquentiam! Magis erat mirandum iſtam diabolicam ſuſpicionem cuiquam homini veniſſe in mentem. Atque huc profertur Serpens è Geneſi, qui *Evam* primum in dubitationem flexit, mox præcipitavit in exitium. Quomodo vocavit in dubium? Percunctando: *Cur Deus præcepit vobis ne veſceremini ex quovis ligno paradiſi?* Quod ſi Serpentem imitatur, quiſquis percunctatur, ad Larvas Diaboli pertinent omnes Eccleſiæ Doctores, tum priſci, tum neoterici, ad hæc omnes Theologorum Scholæ, in quibus non ſolum proponuntur quæſtiones de negotio fidei, verum etiam argumentis quam fieri poteſt validiſſimis impugnantur Chriſtianæ Religionis dogmata. Nec ab illis Diatribis arcentur rudes. Circumſtant qui volunt. Dicet non rem, ſed animum me diſtinguere à cæteris Doctoribus. Illi quærunt, ut veritatem non labefactent, ſed ſtabiliant, adverſus impiorum inſultus. Quid *Eraſmus?* Irrepit ſerpentina calliditate, tentans ſimplicium animos, ut in Paganiſmum præcipitet. Hoc animo ſi fuiſſem, nihil prius feciſſem, quam ut in Sectarum conſortium me conjicerem. Ad perdendum enim Religionem Chriſtianam, nulla res accommodatior quam hæc Sectarum licentia, quæ ſibi permittunt quoties libuit, ſua novare dogmata, quando id faciunt impune. Sed unde liquet me hoc animo proponere quæſtionem, ut auditorem vocem in dubium? An quia Serpentis exemplo, nego verum eſſe quod in Symbolo tradidit Eccleſia, quemadmodum ille dixit, *Non moriemini.* Quod ſi Catechiſta ad propoſitam quæſtionem non ambigue, non frigide, ſed exſerte, conſtanter, & aſſeveranter reſpondet, quod eſt doctrinæ catholicæ, utris ſum ſimilior, Serpenti, an probatiſſimis Eccleſiæ Doctoribus? Quid diceret, ſi induxiſſem Diabolum cum homine diſputantem, quemadmodum ipſe fecit in ſua Miſſa angulari, cui tam valida tribuit argumenta, ut fateatur à ſe non potuiſſe refelli. Sed nihil retorqueo, cum jure poſſim omnia; ac perinde quaſi jam perſuaſerit me nihil de Symboli articulis credere, feſtivum intertexuit dictum, *niſi* Eraſmus

Digitized by Google

ſmus *& hanc quoque fabulam eſſe putet*, ne qua ſermonis pars vacaret morſu. Sed quæ tandem ſunt iſtæ ſerpentinæ quæſtiones in Catechiſmo meo? *Cur*, inquit, *tot Sectæ & errores in hac una veritatis, ut creditur, Religione fuerunt? Cur tam diverſa Symbola?* Has quæſtiones ex ſe fingit *Lutherus* auctoritate qua fungitur. Nihil enim tale quærit Catechumenus, ſed Catechiſta facit, quod ab omnibus Eccleſiæ Doctoribus & factum eſt olim, & hodie fit, proponit inflexibilem fidei regulam, at obiter oſtendit, quot modis ab hac derivarint Philoſophorum & hæreticorum ingenia. Sed ita oſtendit, ut deteſtetur. Feſtivum vero, quod de ſuo addit, *ut creditur*, quaſi dubitem an vera ſit hæc fidei regula. Hoc ſcilicet non eſt artificium Serpentis, ſed Sancti Spiritus oraculum, qui per os *Martini* loquitur. Ejuſdem ſinceritatis eſt, quod has quæſtiones ea ſpecie confingit, quaſi Catechumenus miretur eam Religionem poſſe veram eſſe, in qua tot fuerint errores, & de qua tam varia exſtent Symbola. Nuſquam ita loquor, in Religione Chriſtiana fuiſſe hæreſes, ſed eam ajo variis Philoſophorum erroribus fuiſſe exercitam, ſed hactenus perſtitiſſe in ſua invincibili ſinceritate. Hoc ipſum *Auguſtinus* cum cæteris Orthodoxis commemorat ad probandum ſolam fidei veritatem divinitus datam eſſe inexpugnabilem. Et *Eraſmus* idem commemorans, univerſam Eccleſiæ doctrinam vocat in dubium, & perſuadere nititur eam nihil aliud eſſe quam fabulam. Si periculum eſt ſcire, multa eſſe Symbola, cur præter Symbolum Apoſtolorum, in Templis publice recitantur & canuntur Symbola *Athanaſii* & *Nicenum*? Cur inter Opera Beati *Hieronymi* tot feruntur Symbola diverſis titulis? Si dixiſſem Symbola inter ſe pugnare, præſertim quæ nobis Synodorum auctoritate tradita ſunt, cauſari poterat utcunque, me infirmis aliquem injeciſſe ſcrupulum. Nunc cum oſtendam, in breviſſimo illo Symbolo, quod Apoſtolorum dicitur, nihil deeſſe, nec in aliis quicquam redundare, ſed quod in illo ſtrictim eſt comprehenſum, in his fuſius expreſſiuſque declarari, idque factum eſſe adverſus hæreſes ſubinde pullulantes: Obſecro, quid novi feci? An non omnes qui tractarunt hoc argumentum conferunt Symbola cum Symbolis, indicantes quæ ſint in aliis dicta expreſſius? Ut laudatiſſimum docendi genus eſt, ex collatione locorum divinæ Scripturæ ſenſum rimari, ita laudandi ſunt, qui primi Symboli breviloquentiam aliorum Symbolorum collatione explanant.

Sed profertur alia horribilis quæſtio, cur in Symbolo Apoſtolorum Pater appelletur *Deus*, Filius *Dominus*, Spiritus, *Sanctus*, Addit epiphonema tragicum: *Quis, rogo, ſollicitat his quæſtionibus rudes animas, quas erudiendas ſuſcepit, niſi ipſe Diabolus?* Sentit, opinor, de eo Diabolo, qui olim tam validis machinis impetiit animum ipſius de Miſſa. Verùm non cogitat quod Catechiſta prius Catechumenum diligenter edocuerit, Patrem, Filium & Spiritum eſſe unum Deum, nec ullam in natura eſſe differentiam, ut quæ prorſus una ſit atque eadem numero in tribus Perſonis. Admonuit & illud, in priſco Symbolo non repeti, *credo in Spiritum Sanctum*, quo magis Dei nomen ex æquo pertineat ad omnes Perſonas, ut ita pronuntiemus, *Credo in Deum*, atque hîc reſpiratiuncula interpoſita, ſequatur, *Patrem omnipotentem, & in Jeſum, & in Spiritum Sanctum.* Itaque ſubjecta Perſonarum diſtinctio velut explicat nomen Dei, quod omnes Perſonas complectitur. Catechumenus igitur edoctus de myſterio Trinitatis, tantum quærit de conſuetudine Scripturarum, propter eos, qui ſermonis diſtinctionem, quam indicaram, forte non reciperent. Proinde ne qui conjunctim legendum putant, *Credo in Deum Patrem*, cum *Judæis* & *Arianis* ſuſpicarentur Dei nomen in ſolum Patrem competere, ſubmoveo ſcrupulum oſtenſa Scripturarum conſuetudine: de qua poſt incidet dicendi locus. An ſic docet Diabolus? Et an rudis eſt, qui totum ſacræ Triadis myſterium edoctus eſt, & credidit? Verùm incrudeſcit tragœdia. *Quis,* inquit, *auſit ſic loqui de Symbolo fidei?* habes hujus ſalutiferæ fabulæ, protaſin, epitaſin & cataſtrophen, *niſi ipſum os & organum Satanæ.* Ut hic nihil crepat niſi Satanas, Diabolos, Larvas, Lamias, *Megæras*, aliaſque voces pluſquam tragicas. Fortaſſis ex abundantia cordis os loquitur, certe hæc eſſe ſolent venturæ inſaniæ præſagia. Cum Symboli Perſonas expoſuiſſet Catechiſta, Patrem conditorem, Filium redemtorem, Spiritum Sanctum conciliatorem, & Eccleſiam myſticum *Chriſti* corpus, dein ordine initium, progreſſum, & conſummationem Eccleſiæ commonſtraſſet, addit, *habes hujus ſalutiferæ fabulæ protaſin, epitaſin, & cataſtrophen, habes actus omnes & ſcenas cœleſtis illius choragi ineffabili diſpenſatione digeſtas.* Quæ verba *Lutherus* truncatim retulit, & in his quæ retulit aliquid addens, aliquid detrahens, aliquid immutans. Addidit enim *ecce* cum ſtomacho videlicet, detraxit pronomen *hujus*, quo videar de quavis fabula loqui, & pro *ſalutifera* poſuit, *ſalubris.* Atqui cum ſummam redemtionis expoſuiſſem, ideo addidi *hujus*, ne de quavis fabula poſſet intelligi: addidi *ſalutifera*, ne quis imaginaretur eſſe aliquid ſimile Poetarum fabulis. Denique ne obſcurum eſſet, meum ſermonem eſſe metaphoricum, adjeci, *habes actus omnes*, &c. Quæ verba *Lutherus* ſuo prætermiſit artificio. Sed offendunt profanæ voces ad res divinas accommodatæ. Quaſi ſimilibus tropis non ſcateant & divinorum Voluminum, & Orthodoxorum litteræ. Deus comparatur fœneratori, *Chriſti* poſterior adventus comparatur furi nocturno, Euangelii præcones comparantur infideli diſpenſatori. Ineffabilis copula divinæ naturæ cum humana in *Chriſto*, item *Chriſti* cum Eccleſia comparatur connubio ſponſi & ſponſæ. Æternæ vitæ præmium appellatur *brabeum*, quod verbum è Circo translatum eſt, appellatur *ſtipendium*, quæ vox caſtrenſis eſt. *Paulus* luctam cum carne pugilum verbis exprimit. Studium perfectæ pietatis confert in ſtadio currentibus. Sed quid eſt tam profanum, unde *Paulus* non mutuetur voces translatitias, quo ſignificantius exprimat quod ſentit, à certaminibus publicis, à theatris, à militia, à triumphis Ethnicorum, & ego dicor os Satanæ, quod unam metaphoram, quæ videbatur appoſitiſſima ad exprimendum quod ſentiebam, accommodarim ad rem ſacram. Fabula Græcis δρᾶμα dicitur argumentum conſtans ex variis perſonis, quarum unaquæque ſuis fungitur partibus, tota actione ſic ordine digeſta, ut à ſatis tranquillo exordio increſcat, ac tandem in lætum finem exeat. Patrem tacite metaphora ſimilem chorago facit, qui totius diſpenſationis eſt auctor; Filius aſſumta carnis infirmitate divinam naturam diſſimulans venit quodammodo perſonatus, abſit invidia dicto; Spiritus Sanctus moderatur Eccleſiam, donec in reſurrectione juſtorum Deus omnem lachrymam abſtergat ab oculis ſanctorum. Homo bene conditus, veluti protaſis eſt, crux epitaſis, reſurrectio cataſtrophe. Dicet, iſta non intelligunt idiotæ. Nec idiotis ſcripſi, quod tota ſpecies argumenti ſatis declarat, nec iſta quiſquam poſſet Germanice aut Gallice vertere. Verùm anceps eſt verbum *fabula*. Eſt ſi nihil addas. Significat enim interdum fictam narrationem, interdum veram ac familiarem, veluti cum dicimus litteratas fabulas, nonnunquam, ut ante dixi, argumentum conſtans diverſarum actione perſonarum. Cæterum hoc à me curatum eſt, ne cui poſſit eſſe ambiguum. At eſt verbum profanum. Profanius verbum eſt πυκτεύω, quo tamen *Paulus* rem non profanam expreſſit. Nonne audimus in laudem Virginis matris cani publicitus in Templis: *Ante thorum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.* Et tamen idem vocabulum *dramatis* legimus in veſtibulis Fabularum *Ariſtophanis*, quæ non profanæ modo ſunt, verum etiam magna ex parte obſcœnæ. An ideo nullum eſt offendiculum, quia Græcam vocem, *drama*, pauciores intelligunt quam Latinam, *fabula*? Adde quod hîc nullæ voces adduntur, quæ vel ſubmoveant ambi-

guitatem, vel aperiant metaphoram, quod utrumque à me factum est diligenter.

Hîc transilio convitiorum viridarium, in quo suaviter pascit animum illum nulla maledicentia saturabilem. Objicitur alius locus ex argumento in Paraphrasim Epistolæ ad Romanos, ubi, quemadmodum ait, *Paulum* sic laudo & extollo, *ut nulla rhetorica simplex & imprudens lector queat potentius avocari & retundi à legendo & discendo* Paulo, *adeo confusum, impeditum, pugnantem sibi, varium, horridum pingit, ut eam Epistolam credere cogat esse alicujus hominis furiosi, tantum abest ut utilis esse videatur.* Sic ille. Quæ cum scribit, videtur sibi mire δεινός. Verùm hæc δείνωσις sobriis videtur esse mera insania. Ipse vocabit hyperbolas, sed hæ hyperbolæ mera sunt mendacia. Siquidem in eo argumento cum multa disseruissem de utilitate ejus Epistolæ, cui non sine causa principem locum dedit Ecclesiæ consensus, ostendo & difficultatem, partim ut excitem lectoris attentionem, partim ut declarem mihi in hoc argumento, quod fortassis operæ levioris videretur, haud mediocriter sudatum esse. Difficultatis autem tres adfero causas, quarum prima est dictionis incommoditas ob hyperbata, anantapodota, & Hebraismum. Secunda est rerum, quas tractat, sublimitas, quæ vix ullis verbis humanis possunt explicari. Tertia est crebra personarum mutatio, quod Apostolus inter differendum nunc hos nunc illos respicit, & ipse docendi gratia varias personas in se recipit. Neque quicquam hîc dico quod non ex priscis hauserim Doctoribus, præsertim *Origene*. Verùm in meo sermone nusquam est ille, confusus, impeditus, pugnans secum, varius & horridus, & furioso similis, sed ista verborum portenta nobis gignit *Lutheri* generosus stomachus: quem hoc urit, quod ausus sim difficultatis meminisse, cum ipsius dogma sit, in Scriptura nihil esse difficultatis, sed omnia exposita atque obvia, tantum si quis norit Grammaticam, nec careat sensu communi. Atqui par erat ut hîc mihi se præberet æquiorem, qui hoc argumentum scripsi, priusquam ipse sua Mundo prodidisset oracula. Si erravi, simpliciter erravi, sequutus magni nominis Auctores, *Origenem*, quem illic cito nominatim, *Hieronymum*, qui præfans in Epistolam ad *Ephesios* testatur eam magnis difficultatibus ac profundis quæstionibus involutam esse. Quamobrem? an ut deterreat à legendo? imo ut acuat lectoris intentionem, suumque commendet studium. Sed quis est aut fuit unquam, qui scripsit in Epistolas *Pauli*, quin subinde luctetur in locorum difficultatibus? Verùm ut omnes isti fuerint talpæ, certe meus error veniam merebatur, cui præbuit ansam ille divinitus afflatus Apostolorum Princeps *Petrus*, qui fatetur à *Paulo* quædam scripta difficilia intellectu. Utri potius habenda fides, *Petro* qui profitetur difficultatem, an *Martino* qui negat quicquam esse obscuritatis? Pergit ille: *Et inter cæteros*, inquit, *morsus plane Sycophanticos illud non potuit salvo decore retinere, quod* Petrus Christum *appellet virum, Deum taceat.* Quid? an Sycophantæ sunt & *Paulum* mordent qui fatentur in scriptis illius esse quædam difficilia? Papæ! quam multos habeo hujus consortes criminis, & in his Apostolum *Petrum*. Quin ipse potius mea verba profert sycophantice, quasi *Petrus* nusquam *Christum* appellarit Deum: hoc est, nusquam sic prædicarit, ut ex ejus verbis intelligatur *Christi* divinitas. Laudo illic *Pauli* œconomiam, quod ut prudens mysteriorum dispensator non ubivis promat quælibet, sed apud perfectos loquatur sapientiam in occulto, apud alios nihil norit nisi *Jesum Christum*, & hunc crucifixum, infirmos alat lacte, adultos solido cibo, moxque subjicio: *Hoc consilio* Petrus *Apostolus apud rudem concionem verba facturus de* Christo, *virum eum nominat, Deum tacet.* Cum ajo, *hoc consilio*, declaro similem *Petri* prudentiam, cum ajo, *apud rudem concionem*, significo illum non tacuisse apud initiatos Christianæ fidei mysteriis. Unicus autem in Actis locus est, in quo *Petrus Christum* appellat virum. Aliquanto post recurrens ad hanc calumniam, sic incandescit, ut pronuntiet *Erasmum* damnandum hæreseos, quod scripserit, Petrus *appellat virum, Deum tacet.* Damnentur igitur mecum tot egregia Ecclesiæ lumina, qui & hunc locum & alios aliquot diligenter annotarunt in divinis Libris, quorum est divus *Chrysostomus* in Act. Cap. II. Nec id tacuit *Beda*, *Ambrosium*, ut apparet, sequutus, cujus hæc sunt verba in Glossa ordinaria: *Nec tamen auctoritate prius eum Filium Dei nominat, sed virum probatum à Deo, virum justum, virum à mortuis suscitatum.* Subindicat simile esse exordium *Petri* Apostoli *Christum* annuntiantis in domo *Cornelii* Centurionis Actorum Cap. X. Rursum in Caput ejusdem operis XVII. annotat quod *Paulus* apud *Athenienses* Christum magis hominem quam Deum nuncupat. *Chrysostomus* & illud annotat, quod non exprimit mysterium divinæ naturæ, sed tantum in genere Deum appellet, de Filio Dei & Spiritu Sancto nulla mentio. Cur maluit *Petrus* prima illa concione *Christum* nominare virum quam Deum? Ne *Judæi*, qui Patrem tantum noverant, de Filio & Spiritu Sancto nihil audierant, quique per Legem erant edocti unicum esse Deum, resilirent, si audirent hominem dici Deum, præsertim mortuum, crucifixum & sepultum, sed maluit illos ex ipsis factis paulatim in eam ducere cogitationem, ut sentirent in eo homine fuisse quiddam majus homine. Gentes autem quoniam credebant plures esse Deos, confirmari potuissent in suo errore si rudibus ac nondum mysterii capacibus *Paulus* prædicasset *Christum* Deum. Hæc cum à probatissimis Ecclesiæ Doctoribus diligenter annotentur, idque in laudem Apostolorum, quorum os & linguam moderabatur Spiritus Sanctus, unde ego subito sum *Arianus*, qui idem annoto quod illi? *Sed offendunt*, inquit, *hæc verba Christianas aures, ut posita sunt:* Petrus Christum *virum appellat, Deum tacet.* Verùm sic à *Luthero* posita sunt, non à me. Addit, *præsertim in Auctore suspecto.* Hîc vix risum teneo. *Martinus* tot judiciis condemnatus, tot libellis proscissus, tot ictus fulminibus me vocat Auctorem suspectum. At quibus sui suspectus? Aliquot Monachis, qui *Lutherum* non habent suspectum, sed judicant hæresiarcham omnium qui ab Orbe condito fuerunt pestilentissimum. Hos nunc Christianos appellat, & horum auctoritate me premit. Quid autem illi sua calumnia sunt assequuti, nisi quod se doctis ac bonis omnibus propinarunt deridendos. Porro quod addit, hæc verba, ut sonant, & ut posita sunt, *Arianis* fortiter significare, mihi non placere, *Christum* Deum dici, sed melius eum appellare virum, si de suis verbis loquitur, quid ea sonent, quidve significent, ipse viderit. Si de meis, ut à me posita sunt, luculentum ac forte mendacium est. Omitto cætera convitia, quæ magis recidunt in sacros Ecclesiæ Doctores, quam in me. Libentius ad saniora respondeo. *Poterant*, inquit, *hæc verba omitti, aut religiosius proponi.* Alterum ex his haud dubie facturus eram, si vel leviter suspicatus fuissem exorituros, qui ad hanc festucam impingerent. A *Judæis* nihil metuebam. *Arianorum* hæresim sic radicitus exstirpatam, ut nulla occasione posset repullulascere. Postremo hoc ipsum, quod admoneo Veterum exempla sequutus, videbatur ad excludendam *Arianorum* hæresim valere. Siquidem cum adhuc illa pestis sæviret in Ecclesia, ob id Orthodoxi toties admonent *Christum* in Scripturis raro dici Deum, ut hanc ansam *Arianorum* fautoribus eriperent. At reddunt causas, cur supprimatur Dei cognomen: Ego idem non facio, verùm, in *Lutheri* verbis, in meis facio. Relegat locum qui velit, & ita esse comperiet. Sed hanc causam, quam à probatissimis Ecclesiæ Doctoribus didici, *Martinus* à me fictam confingit. *Nec sufficit*, inquit, *fingere, quod propter vulgus* Petrus Christum *appellaverit virum.* Rursus depravat mea verba. Hodie apud vulgus Christianorum *Christus* exserte vocatur Deus & homo, sed illic unicum locum indico in Actis Apostolorum, in quo *Petrum* rudi promiscuæque multitudini

Chri-

Digitized by Google

Christum annuntiat. *Qui virum*, inquit, *nominat*, *Deum non tacuit, nisi quod non posuit eo loco istas quatuor litteras* D. E. U. M. Id quoniam putat argute dictum repetit, atque in extremo: *Mihi*, inquit, *Christum* Petrus *non tacuit Deum*, cujus amore tam multa patitur vir Apostolicus, atque has etiam, opinor, scribit calumnias. Sed quid opus istis de verbis cavillationibus? Cum ita loquor, *virum nominat*, *Deum tacet*, quid aliud intelligit sobrius lector, quam viri cognomen exprimit, Dei cognomen non exprimit. Sic & *Christus* Deum tacuit, & *Messiam* ad tempus prædicari vetuit. Nusquam enim *Christus* sese Deum nominat. Et hoc erat ad persuadendum efficacius, ut factis potius quam usurpatione nominis sese declararet Deum. Quod si Deum non tacet quisquis ea tradit de *Christo*, quæ declarant in homine latere Deum, nusquam dixi sic taceri Deum: sed illas quatuor litteras, quas irridet *Martinus*, ad tempus suppressas indico. Et erat ad certam persuasionem efficax ratio, ut prius hominem discceremus, ac deinde per gradus deduceremur in cognitionem naturæ divinæ. Hanc persuadendi viam ipse Dominus nobis ostendit, Apostoli sunt imitati, Doctores Ecclesiæ collaudarunt. Ubi vero severe exigo istas quatuor litteras Deum? An ille exigit, qui adversus *Arianos* admonet in Apostolorum litteris *Christum* frequentius appellari Dominum, quam Deum, & causam cur id fiat indicat, ingenue testificans & Domini nomen competere in Patrem, & Dei nomen in Filium, cum uterque idem sit Deus ac Dominus. Hoc cum toties admoneant Veteres, pietatis laudem auferunt, *Erasmus* interprete *Luthero* insidias struit imperitis & suspectam reddit Christianam Religionem. Demiror si *Martinus* febri caruit cum hæc deliramenta inauspicatis illineret chartis.

Intenditur paroxysmus & in odium mei laudatur *Pius Carpensis*. Atqui cum locum illum Monachi quidam *Hispanienses* truncatum nec intellectum objeciissent, turpiter errantes, ad eundem lapidem impegit *Pius*, qui mea non legerat, sed è schedis per conductos aliquot juvenes annotatis struxit suas calumnias. Et nunc ad eundem lapidem impingit *Martinus*. Ostendo enim illic, Priscos fuisse religiosiores ac timidiores in loquendo de rebus divinis quam nos sumus, cum eas animo vitaque religiosius venerarentur, quam nos facimus. Huic sententiæ subjicio exemplum: *Audemus*, inquam, *Spiritum Sanctum appellare Deum, quod Veteres ausi non sunt, sed iidem non veremur illum subinde nostris sceleribus ex animi nostri templo deturbare, perinde quasi crederemus Spiritum Sanctum nihil aliud esse quam inane nomen*, &c. Non damno quod nos audemus Spiritum Sanctum appellare Deum, sed quod cum cognitione ac profitendi fiducia non simul accreverit pietas vitæ. Et hic est locus, quem si quis legat, observari jubet Diabolum incarnatum. Cæterum ne lectorem morer supervacaneis, legat eum locum, quo Monachorum *Hispaniensium* & *Pii* calumnias de Triade refello, & fatebitur *Lutherum*, non dicam Diabolum incarnatum, furentium istæ voces sunt, sed hominem odio limphatum. Pergit, *Nihilo minus*, inquit, *valde serio confitetur Triadem, & nihil minus feciisse videri vult, quam negasse Trinitatem Divinitatis.* Quid ais, hominum petulantissime, an *Erasmus* usquam negavit Trinitatem Divinitatis, quam plus sexcentis locis in meis scriptis profiteor ac tueor. Recitabo, licet nauseæ plena, quæ sequuntur, ut lector perspiciat hominem mentis non sobriæ loqui: *Nisi quod*, inquit, *curiositatem recentiorum (quam postea pro diligentia commode interpretari exiget) narrat multa ex Scripturis accepisse, & ausos esse quæ Veteres non essent ausi, quasi hominum auctoritate nitatur Religio Christiana (hoc enim intendit persuadere) hoc est aliud nihil, quam pro fabulis haberi universas Religiones.* Sic ille μεταφρονεῖ. In præfatione in *Hilarium* exactiorem in Scripturis diligentiam voco curiositatem, sed addo piam. Sic habet locus: *Etiamsi post Orthodoxorum pia curiositas idoneis argumentis comperit è sacris Litteris, in Spiritum Sanctum competere, quicquid Filio tribuebatur, excepta Personarum proprietate.* Ac paulo post: *Quod nobis*, inquam, *è divinis Litteris, Patrum orthodoxorum tradidit auctoritas.* An absurde loquitur, qui piam Orthodoxorum curiositatem interpretatur exactiorem diligentiam? Quid quod pro idoneis argumentis comperit, iste depravat, accepisse & ausos esse. Mox è suis depravatis pronuntiat mihi hoc esse studio, ut persuadeam Religionem Christianam niti auctoritate hominum, quod nihil aliud sit quam hoc agere, ut universæ Religiones pro fabulis habeantur. Quas universas Religiones appellet nescio, nisi forte sentit de Lege *Mosaica* & Euangelio. Equidem hactenus arbitratus sum unicam esse Religionem. An qui habent sensus exercitatos quod ex sacris Litteris colligunt docentque imperitiores, nihil aliud est quam fabula? Sed *Martinus* nihil admittit nisi nudam & meram Scripturam. Sed unde nobis tam multa eruit è Scripturis, quæ tot seculis ignoravit Ecclesia, cum Scriptura semper fuerit eadem? An negabit illos, *Papiam* loquor, *Ignatium*, *Irenæum*, *Origenem* & horum similes, è Scripturis parum attente consideratis aut ignorasse quædam quæ nos scimus, aut errores aliquos hausisse, quos nos improbamus, aut dubitasse de quibusdam, de quibus nunc dubitare fas non est? Quot seculis Ecclesia præsertim Græcorum professa est Spiritum Sanctum à Patre procedere, nec ausa est addere Filium? At nos libere profitemur, Spiritum ab utroque prodire, nec tamen Patrem & Filium hîc esse duo principia, sed unicum. Prisci credebant duplicem esse resurrectionem, animarum & corporum. Nos credimus animas simul ut emicuerint è corporibus, aut esse in gloria, aut esse in cruciatu. Hujus generis alia sunt innumera, quod omnes Theologorum Scholæ fatentur. Quibus autem debemus quod pro certis habere cœperit Ecclesia, de quibus prius ambigebatur? an non viris ingenio feliciore præditis, & in scrutandis Scripturæ arcanis diligentioribus. An ob id protinus universæ Religiones habentur pro fabulis? Cui non oboriatur vomitus ad ista tam delira? *Cum absente loquitur*, ait Mimus, *cum ebrio qui litigat.* Sed longe perniciosior est philautiæ & odii temulentia quam vini. Neque quicquam ad ista furiosa responderem, ita me Deus juvet, nisi me moveret infirmorum scandalum. *Pius Carpensis* cum *Lutherum* tot locis insimulat hæreseos & appellat insanum, nihil est. At idem cum ex verbis truncatim ac perperam ad ipsum delatis, atque ob id non intellectis, me insimulat erroris *Ariani*, recte judicat, ac vir est sanus & acutus. Nec tantum clamo calumnia, calumnia, sycophanta, sycophanta, sed crassis & evidentibus argumentis retundo calumnias. Inauditam superbiam appellat, quod atrocem ac manifestariam calumniam à me depulerim, nec habeo omnes pro stipitibus ac truncis, sed truncis omnibus præfero homines furiose calumniosos. *Ego*, inquit, *Erasmo non credam etiamsi apertis verbis confiteatur* Christum *esse Deum, sed dicam illud* Chrysippi *sophisma: Si mentiris, etiam quod verum dicis, mentiris.* Si *Chrysippus* tale sophisma proposuit, profecto non erat sobrius & egebat elleboro. *Martinus* fortasse somniat de syllogismo, quem Græci ψευδόμενον appellant. *Cretenses semper mendaces*, dixit *Epimenides Cretensis*, &c. Ac perinde loquitur *Martinus*, quasi hactenus nusquam in libris meis *Christum* aut Spiritum Sanctum appellarim Deum, cum omnes meæ lucubrationes hoc dilucide, exserte, ac vivide profiteantur. An ideo toties hæc inculco, ut fallam universos mentiens vera dicendo, ac *Davum* referens è Comœdia. Ipsa febris non posset loqui febrilius. Et quia desinere nescit, ubi semel cœpit, arrodit illud verbum *audemus*, quod eo sim usus in bonam partem, cum hoc toties legat apud *Paulum*, pro fiducia. Velut Rom. IX. *Esaias autem audet & dicit.* Item Ephes. VI. *Ut in ipso audeam prout oportet me loqui.* Denique tot seculis in Missa canit Ecclesia coram popu-

Digitized by Google

lo, & pro populo : *Divina inſtitutione formati audemus dicere*, Pater noſter, &c. Proinde *audiendi* verbum non torquet *Eraſmus*, ſed *Lutherus* nihil non torquet ad calumniam. Nondum ſe remiſit paroxyſmus. *Manifeſtum*, inquit, *mendacium eſt, Veteres non auſos eſſe Spiritum Sanctum appellare Deum, niſi Veteres pro ſua pulchra figura intelligat.* Democritum *aut* Epicurum, *aut Deum intelligat materialiter, id eſt, iſtas quatuor litteras, D. E. U. M.* Concinne vero hîc meminit *Democriti* & *Epicuri*, cum agatur de Divinitate Spiritus Sancti. Si *Martinus* fatetur fuiſſe Priſcos aliquot, qui has quatuor litteras religioſo quodam tremore non audebant tribuere Spiritui Sancto, mecum facit. Neque enim ego aliud dixi, quam Priſcos aliquot tam fuiſſe religioſos in pronuntiando de rebus divinis, ut à vocabulis abſtinerent, quæ non expreſſe haberentur in ſacris Voluminibus, donec Eccleſiæ auctoritas è divinis Litteris perſuaderet pium eſſe ſermonem. Quod ſi contendit hoc eſſe falſum, aperiat nobis cauſam, cur in vetuſto Symbolo, quod in Miſſa canitur, Filius appelletur *Deus de Deo, Deus verus de Deo vero.* Spiritui multa tribuantur, ex quibus evidenter colligas illius Divinitatem, Dei cognomen aperte non tribuatur. Aut expediat nobis, quare beatus *Hilarius* in tot voluminibus, in quibus tractat de Trinitate, cum tot locis aſſerat *Chriſto* Dei vocabulum, tot locis religioſe profiteatur, quid credat de Spiritu Sancto, nuſquam aperte tribuit illi cognomen Dei, hoc eſt, illas quatuor litteras in quas ludit *Martinus*. Quid in cauſa? An parum magnifice ſentiebat de Spiritu Sancto? Non arbitror. Sed religione quadam exſpectabat evidentem Eccleſiæ auctoritatem, quibus verbis de Spiritu profiteri oporteret. Olim enim qui non audebant *Chriſtum* appellare verum Deum, iidem multo minus audebant tribuere Spiritui Sancto. Hîc nobis profertur *homuſios* & *ingenitus*. Ab *homuſii* verbo non *Ariani* tantum, ſed & Orthodoxi quidam putabant abſtinendum, nec aliam ob cauſam, niſi quod ea vox, hoc eſt, quatuor illæ ſyllabæ, in ſacris Litteris nuſquam invenirentur, atque adeo ne in Priſcorum quidem litteris, cum tamen de eadem Patris ac Filii natura catholice ſentirent. Sed horum religioſus metus ceſſit auctoritati Synodorum : attamen poſt quis auſus eſt profiteri Spiritum Sanctum Patri *homuſion* eſſe, cum pariter eadem ſit trium natura? Equidem nihil aliud arbitror in cauſa fuiſſe, niſi religioſum metum loquendi de rebus divinis. Neque enim Filius magis eſt ὁμούσιος Patri, quam Spiritus Sanctus utrique. *Ariani* religioſi videri poterant, niſi de re diſſenſiſſent à Catholicis. Ἀγέννητος ſemper ambiguum & inſidioſum verbum merito fuit ſuſpectum, tandem & rejectum. Quis enim nunc *innaſcibilis* cognomen ceu proprium tribuit Patri? Si ἀγέννητος ſonat idem quod *non natus*, nec Spiritus naſcitur, ſed procedit. Si ἀγέννητος dicitur qui nunquam cœpit eſſe, nomen eſt omnibus Perſonis ex æquo commune. Omitto quod hîc *Arianos* patres meos appellet, quaſi jam ſuis contumelioſis deliramentis docuerit, me ſentire cum *Arianis*. Cujus ſanitatis & illud eſt, quod ait me hoc malitioſa verſutia ſignificare nimis nihili eſſe, niſi quod iſtæ quatuor litteræ, D. E. U. S. non ponuntur omni loco ubi ego poſſem exigere, arbitror *Oreſtem* olim dixiſſe ſaniora etiam extra lucida intervalla. Verùm ne perſequar omnia, perinde quaſi jam liquido docuerit me prorſus *Arianum* eſſe, nec admiſſurum ut *Chriſtus* dicatur verus Deus, niſi hæ duæ voces, *verus Deus*, exprimantur in ſacris Litteris; nec ullo pacto paſſurum ut Spiritus Sanctus dicatur Deus, niſi his quatuor litteris appelletur in Scriptura canonica, fictitiis comparationibus rem expolire conatur. *Sic poſſet*, inquit, *Diabolus ad* Chriſtum *ipſum dicere, etiamſi vera dicas, tamen quia non dicis talibus verbis qualibus ego velim, nihil dicis. Velim autem nullis verbis dici: Sicut* Marcolphus *ſuſpendi voluit ab arbore à ſe electa, nullam tamen voluit eligere.* Hoc genus facetiis tuetur gloriam *Chriſti*, qui ſolus novit de rebus fidei verbis propriis loqui. Num hæc tam delira videntur eſſe mentis ſobriæ? Mirum vero quam libenter inducat perſonam Diaboli. Et tamen profitetur ſe ſuper his plura dicturum, ſi Dominus otium & ſpatium vitæ dederit. Statuit enim poſt ſe relinquere teſtimonium de *Eraſmo* fidele & certum, cujus hoc ſpecimen & guſtum eſſe voluit. Horrendum profecto judicium hominis, qui ſe profitetur & Angelos & mundum judicare. At ſi ſuum teſtimonium velit habere pondus, præbibendum eſt veratrum, ut ſaniora ſcribat quam hæc ſunt. Quid quod interim *Lutherus* ſui videtur oblitus, ipſius enim dogma eſt, nihil aſſerendum, quod non ſit expreſſum in Canonicis litteris. Nam ipſe fateor me in multis acquieſcere judicio Eccleſiæ. Hîc igitur pugnat cum ſuo ipſius dogmate. Poterat hîc deſinere, ſed ingreditur campum declamandi adverſus voces ambiguas, quas putat fugiendas non tanquam ſcopulum, ut ille dicebat, ſed quod eſt τερατικώτερον, tanquam Diabolum. Quaſi ſacri Libri, cumque his Orthodoxorum monumenta, non ſint plena verbis ambiguis. Quod ſi ambiguum eſt, quicquid translatitium eſt, nulla ſunt humana verba, quibus proprie loquamur de rebus divinis. Non jam loquor de typis, quibus omnia tribuuntur Deo, dum dicitur leo, lapis, agnus, vitis, & cætera, ſed cum illi tribuitur odium, amor, ira, furor, pœnitentia, miſericordia.

Verùm illud horribilis eſt blaſphemiæ, quod in Epiſtola quadam, ut ait, appello, coitum Dei cum Virgine. Non indicat quæ ſit Epiſtola, cum innumeras emiſerim, tamen illud auſim dejerare, ea verba nuſquam eſſe in Epiſtolis meis, nec uſquam in ſcriptis meis: aut ſi ſunt, multo aliter poſita, quam refert *Lutherus*. Quid enim ille citat bona fide, poſteaquam ſemel induxit animum calumniari? Hîc miris modis exaggerat coitum eſſe verbum abominandæ obſcœnitatis. *Stuprum* ſignificat coitum illicitum, & tamen eſt verbum verecundum, quemadmodum & *inceſtus*. *Cognoſcere mulierem* verecunde dicitur, *futuere* (ſit honos auribus) obſcœne dicitur : ita *cacare* verbum eſt inverecundum, *exonerare alvum* verecundum, cum *mejere* non ſit obſcœnum. Cum igitur non omnis vox, quæ rem turpem declarat ſit obſcœna, ut inceſtus, nec quæ ſignificat rem aut actionem, quæ licet revera turpis non ſit, tamen pudore quodam humano tegenda eſt, ſupereſt, ut uſus hominum diſtinguat verbum obſcœnum à verecundo: veluti ſi quis apud *Brabantos* Lingua vulgata nuptias dicat aut amari, obſcœne loqueretur. At uſus popularis varius eſt, cujus tamen fateor habendam rationem ei qui loquitur populo. At qui ſcribit eruditis, non tenetur hac ſuperſtitione, cui fas eſt quibuslibet uti verbis, quæ reperiuntur vel in Scripturis canonicis, vel in probatis & caſtis Auctoribus, modo ſint accommoda ad exprimendum quod intelligi volumus. Alioqui *vulva* apud multos ineptos eſt verbum obſcœnum, & tamen hoc auditur in templis, nec Divus *Ambroſius* his verbis loqui veritus eſt de *Chriſto* & matre ejus : *Hic eſt qui ſolus aperuit matris ſuæ vulvam ut immaculatus exiret.* Nec eruditos hodie terret ineptorum conſuetudo, quo minus hujuſmodi verbis utantur. *Coeundi* autem verbum non eſt proprium ad congreſſum maris & fœminæ, ſed verecundiæ cauſa huc translatum eſt, quemadmodum *congredi* & *convenire*, quo *Matthæus* utitur, συνελθεῖν. *Concubitus* propius exprimit carnalem copulam maris & fœminæ, & tamen hoc verbo utitur Eccleſia Catholica recitans *Paulum* loquentem de *Iſaac* & *Rebecca*, *Ex uno concubitu habens.* Duplici autem nomine verecundius eſt nomen *coitus*, tum quia verecunde translatum, (nam interdum translata propriis ſunt obſcœniora) tum quia frequentiſſime in caſtos uſus uſurpatum. Veluti cum dicimus, *Male ſarta gratia nequicquam coit.* Item, *prima coitio acerrima eſt*, &, *coita fœdera. Concubitus* autem tantum ad declarandum congreſſum maris & fœminæ uſurpatur, συνεῖναι &

συνα-

Digitized by Google

ἀνυσία talia nomina ſunt apud Græcos, qualia apud Latinos ſunt *coire* & *coitus*. Sed apud eoſdem βίαιον & αἰσχρὸν ejuſmodi ſunt cujuſmodi apud nos, quod coactus & invitus nomino, *futuere*. Ab his, quæ per ſe obſcœna ſunt, in totum eſt abſtinendum, nec talia reperiuntur in ſacris Litteris. Huju, generis nec *coitus* eſt nec *concubitus*, quæ frequenter obvia ſunt & in divinis & in ſanctorum Patrum voluminibus. De *concubitu* viderint alii, certe talibus verbis quale eſt *coitus* & *coire*, puto fas eſſe per metaphoram abuti. Si quis ad hunc loquatur modum, *inter* Mariam & Joſeph *nunquam interceſſiſſe coitum*, opinor verecunde loquuturum. Atqui verbum per ſe obſcœnum, etiam in removendo obſcœnum eſt. Quod ſi *coire* verbum eſſet tam obſcœnum, quam hic vult videri *Lutherus*, non toties repeteretur in Veneris Teſtamenti voluminibus. Et ſi quod verbum ſit profanius, aut minus verecundum, id ſolet aliis verbis adjectis mitigari: quod cum à me nuſquam non fiat, tamen iſte rixator diſſimulat, & tantum tria illa verba, quæ jam ipſius ſunt, non mea, repetit, inculcat, & exaggerat, *Deus coit cum Virgine*, atque hoc fundamento jacto exſpatiatur in maledicentiæ campum: *Sic Deum coiſſe cum Virgine quemadmodum cum Semele Jupiter, aut cum Rhea Mars concubuit*, ſermo eſt plane impius & blaſphemus. Verùm hic *Lutheri* eſt, non *Eraſmi*. Et ſi illi tam eſſet cordi ſermonis caſtitas de rebus myſticis, nunquam ea verba per ullam occaſionem pronuntiaſſet. Mirum eſt autem eum non addidiſſe de incubonibus, qui dicuntur inire fœminas. Pie ac verecunde dictum eſt ab Orthodoxis: Deum Patrem denuo Filium ſuum genuiſſe ex *Maria* Virgine, quam ut ſponſam Deus adamavit, inter Deum & Virginem internuntium ac veluti paranymphum fuiſſe *Gabrielem* Angelum, qui Virginis aſſenſum excipere, ſine quo non eſt legitimum conjugium: quo excepto virtus Altiſſimi, velut arcano complexu, Virginem obumbrarit, ac per Spiritum Sanctum, qui feminis vice fuerit, cœleſti partu gravidam fecerit, qui utriuſque parentis naturam referret, divinam Patris, humanam matris. Hæc, inquam, non ſolum pie dicuntur de incarnatione *Chriſti*, verum etiam conſentanea ſunt iis, quæ commemorat Beatus *Lucas*. Nunc *Luthero* homini Chriſtiano omnia ſunt obſcœna, ſponſus, ſponſa, pronubus, ſemen, actus. Sed quibus verbis *Paulus* de *Chriſto* & Eccleſia loquens libentius utitur, quam ſponſi, & ſponſæ? Et *Joannes* Baptiſta: *Qui habet*, inquit, *ſponſam, ſponſus eſt*. Atque ipſe etiam Dominus: *Non poſſunt filii ſponſi jejunare*, &c. Nec verentur pii Doctores, nuptias, in quibus Dominus aquam vertit in vinum, de *Chriſto* & Eccleſia interpretari. Jam ſi Græci *Gabrielem* verecunde & pie vocant *paranymphum*, cur ego videor obſcœnus, qui eum appello Latine *pronubum*? Quin & ſponſaliorum meminit Græcus quidam, cujus verba recitantur in *Catena aurea*. An *pronubus* quoque verbum obſcœnum eſt? An non *Joannes Damaſcenus*, cujus verba referuntur in ſententiis Theologicis Lib. III. diſtinct. 3. docet Spiritum Sanctum ſuperveniſſe in Virginem, qui eam ſacri Conceptus compotem redderet. An non idem explanatius dicit *Ambroſius: Non enim*, inquit, *virilis coitus vulvæ virginalis ſecreta reſeravit, ſed immaculatum ſemen inviolabili utero Spiritus Sanctus infudit*. An non ex Hymno *Prudentiano* caſte canit chorus Eccleſiaſticus: *Non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine*, &c. Quid quod *Thomas Aquinas* enarrans Epiſtolæ ad Rom. Cap. v. loquitur hunc in modum: *In generatione*, inquit, *Chriſti fuit corpulenta ſubſtantia, quam traxit de Virgine, loco autem rationis ſeminalis fuit virtus activa Spiritus Sancti*. Poſſem ex Auctoribus innumera hujus generis exempla colligere. Hi omnes Chriſtiane loquuti ſunt, ſolus *Eraſmus Epicurus* loquitur blaſphemias, non ferendas, quia ſcripſit in incarnatione *Chriſti* fuiſſe quoddam myſticum conjugium & ſacrum complexum inter Deum Patrem & Virginem, quem iſte depravat in fabuloſum ac adulterinum concubitum *Jovis* & *Semeles*, *Martis* & *Rheæ*. Fatetur me Chriſtiane interpretari quod ſcripſi, *ſed*, inquit, *cur non eſt locutus ad formam Chriſtianam?* Imo cur ipſe mea dicta depravat in formam obſcœnam? interdum aperte mentiens. Quod genus illud, de quo mox dicemus: Me ſcripſiſſe *Joannem* Euangeliſtam crepare meros mundos. *Offendit*, inquit, *nos Chriſtianos*. Ac toties hîc audimus, *nos Chriſtianos*, quaſi *Eraſmus* cum ſuis ſit *Epicurus* Ethnicus. Putat ignoſcendum, ſi quod verbum per imprudentiam exciderit, ſed divinitatem quandam ſibi vindicans judicat de animo meo fortiter & confidenter. Sciebam Chriſtianas *Lutheri* aures offendendas, & ob hoc ipſum hoc ita ſcripſi ut offenderem? Uno in loco Paraphraſeos in *Lucam* unionem divinæ naturæ cum humana in unam perſonam *Jeſu Chriſti*, voco *coitum*, quod duæ naturæ coierint in unam hypoſtaſin, Græci vocant ἕνωσιν. quoniam autem *unio* nec ſatis Latina vox eſt in eo quidem ſenſu, & ſi eſſet, tamen anceps eſt, quod margaritas appellemus *uniones*, magis arriſit *coitus* vocabulum, quod tamen ipſum mitigo cum addo *ſanctus*. Locus ſic habet: *ſanctus hic divinæ naturæ cum humana coitus, non violabit pudicitiam tuam, ſed conſecrabit*. Mox veteres Orthodoxos ſequutus explano ſimilitudinem conjugii myſtici inter Deum Patrem & Virginem, his verbis: *Decrevit Pater cœleſtis novo modo rurſus Filium ſuum ex te gignere. Nec erit opus ad divinum conceptum ullo viri mortalis ſemine, ſed Spiritus Sanctus cœlitus illabetur in te, inque tuo utero velut in officina cœleſti ſacri Fœtus opificium peraget: ac pro mariti corporali complexu, obumbrabit tibi Altiſſimus, ſic immenſam virtutem ſuam ad humanæ naturæ modum attemperans, ut congreſſum ſuſtinere poſſit. Ubi libido intercedit in coitu, ibi quod naſcitur immundum naſcitur, & peccato obnoxium. Cæterum quod ex te naſcitur, quoniam ex ſanctiſſimo complexu naſcetur Altiſſimi, quoniam ex opificio Sancti Spiritus qui ſanctificat omnia, quoniam ex puriſſima Virgine, quam unam in hoc Deus delegit immunem ab omni labe vitiorum, mox ſanctum erit ut conceptum fuerit*, &c. In hoc ſermone ubi habetur quod objicit *Martinus*, *Deus coiit cum Virgine?*

Jam novus Orbis νομοθέτης præſcribit nobis leges, verbum ambiguum non ſecus ac Diabolum & mortem eſſe vitandum, & ſi quod exciderit in pejorem partem accipiendum eſſe. Hoc edictum ſi recipimus, cum S. *Gregorius* dicit, *omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio*, interpretari debemus *Chriſtum* exercuiſſe hiſtrionicam, quod *actio* ſit hiſtrionum, & hiſtrionem Latini *actorem* appellent. Et quoties in arcanis Litteris legimus *amicam*, interpretabimur de meretrice, quoties *amatorem*, de eo qui meretricio tenetur amore. Quoties autem in Cantico *Salomonis* audimus *amicæ* nomen? Et Proverbiorum VII. Prudentiam vocat *amicam*. Item Sap. VIII. *Amator factus ſum formæ illius*, in pejorem partem interpretabimur. Quoties *oſculum* legimus, interpretabimur de ſuaviis amatoriis. Sed deſino perſequi, quæ ſunt innumerabilia. Magnifice profitetur ſe, ſi detur locus ambiguis, omnia poſſe in bonam partem interpretari quæcunque unquam omnes hæretici dixerunt, denique quicquid ipſe Diabolus dixit, aut dicere & facere poſſit in æternum. His tragicis hyperbolis delectatur Euangelicus doctor, quæ profecto magnam dementiæ ſpeciem habent. Quanquam hac ſaltem in re ſatis illi credimus, etiamſi nulla ſint ambigua, modo liceat ipſi, truncatim referre, quæque in ſuo loco bene dicta ſunt depravare, & affingere quæ voluerit. Tandem ad calumniæ partes alegantur & Cæſarum Ethnicorum leges, quæ jubent ambigue dictum adverſus eum interpretari, qui obſcure dicit, quod clarius dicere poterat. Sentit, opinor, locum qui eſt in *Pandectis de verborum obligationibus*, ubi ex *Ulpiano* referuntur hæc, *In ſtipulationibus cum quæritur quid actum ſit, verba contra ſtipulatorem interpretanda ſunt*. Eum qui ita dicat, *mihi decem & Titio decem*, eadem decem, non alia decem dicere credendum eſt. Quanquam hunc locum arbitror non carere mendo. In

his

his enim verbis, *Stipulor mihi decem, & Titio decem*, nulla est ambiguitas, quin sentiat de bis decem. Secus si his verbis esset stipulatus, *Mihi decem & Titio:* aut, *mihi & Titio decem.* Sed quin eadem opera *Martinus* citavit locum ex eodem *Ulpiano* Titulo *de Judiciis: Si quis intentione ambigua vel oratione usus sit, id quod utilius ei est, accipiendum est.* Præterea illum ex eodem *Ulpiano*, *prætorias stipulationes legem accipere ex mente prætoris.* Rursus illum, qui concedit privilegia largienti, *ut si quæ in scripto insint ambigua, ipse interpretetur.* Quin & illud tradit *Ulpianus*, *si quis in nomine servi, quem stipularetur dari, erravisset, modo de corpore constaret, valere stipulationem.* Hæc aliaque multa dissimulat, quæ sunt in Principum legibus, & unicum modo dictum nobis objicit, de privatis contractibus, in quibus non iniquum est, eum, qui in suo ipsius negotio sic loquitur, ut quid sentiat incertum sit, aliquo damno mulctari. Quid hoc ad illum, qui docendi studio in publicum emittit volumina? An huic hanc legem præscribet, ut si quod verbum ambiguum exciderit, continuo *Babylon* & Chaos commisceat sacra profanaque omnia, & illud verbum quam possumus in pessimam partem interpretemur, damnantes omnia quæ sexcentis aliis locis eadem de re dilucide & expedite scripsit? Quanto dignius est æquitate Christiana, ut quemadmodum in Scripturis divinis, si quid ambigue obscureve dictum occurrat, ex aliorum collatione locorum explicamus, ita in libris tractantium sacram Scripturam, si quid occurrerit ambigui sensus, vel ipsi in meliorem partem interpretemur, vel aliis ex locis scripti sensum eruamus. Quid porro si *Lutheri* legem, quam in nos statuit, in ipsum retorqueamus? Ne vener aliunde quod objiciam, quid sentit cum semel atque iterum in hac Epistola dicit, me abhorrere ab omnibus Religionibus, præsertim Christiana? An non hoc obscure dictum est, an non scandalose? Quid enim aliud intelligat lector, quam *Erasmum* exemplo *Luciani* damnare Religionem *Lacedæmoniorum*, *Scytharum*, *Thracum*, *Athenienſium*, &c. & unam ex harum numero esse Religionem Christianam, cum non sit nisi una Religio, quæ verum veri Dei cultum docet. Verùm cum hìc tam multa deblateret, ne dicam scurretur, de Rege amphibolo, de Regina amphibologia, nullum adhuc locum è meis scriptis produxit, vel obscurum vel ambiguum. Sit ambigue dictum: *Nos audemus Spiritum Sanctum appellare Deum:* cæterum in mea præfatione non est ambigue dictum: quod enim sequitur declarat *audemus* verbum esse fiduciæ non temeritatis, & si esset temeritatis, non esset in professione, sed in eo quod quem profitemur ore Deum, moribus impiis è suo templo deturbemus. Si stipulator ille sic esset loquutus, *stipulor Sticho decem & Titio*, & in eadem syngrapha adjecisset, *ut summa viginti sestertiorum inter eos æqualiter dividatur*, nullus causaretur esse ancipitem stipulationem. Idem valeret, opinor, si ex aliis syngraphis constaret animus stipulatoris. At *Lutherus* tyrannus hyperbolus non vult mihi prodesse, quod in eodem sermonis tenore declaro quid sentiam, nec quod aliis ducentis locis mentem meam Sole clarius explanem. Videatur hic sermo ambiguus: *Petrus Christum nominat virum*, *Deum tacet*, verùm hoc *Lutheri* dictum est, non meum. At qui videt me laudare *Pauli* prudentiam, qui firmis & infirmis, pro suo cuique captu, dispensare norit mysteria doctrinæ Euangelicæ, & quod eadem prudentia *Petrum* indico in Actis *Christum* apud multitudinem, nondum ejus mysterii capacem, appellasse virum, non Deum, huic non potest esse obscurum quid sentiam. Quanquam autem mihi persuasum est, *coitum* non esse verbum per se obscœnum, quo toties utuntur divinæ Litteræ, nollem tamen sic loqui de Deo & sacratissima Virgine, quemadmodum fingit *Lutherus*, *Deus Pater coiit cum Virgine.* Sed si quis in explicanda similitudine, dicat ibi fuisse quasi mysticum quendam coitum Dei cum Virgine, malitiosæ mentis est, statim interpretari Deum sic coiisse cum Virgine, quemadmodum *Jupiter* adulterino concubitu compressit *Semelen*, aut *Mars Rheam.* In tali sermone nulla est ambiguitas, & si qua esset, ipsa personarum dignitas submovet omnem sinistram suspicionem. Verùm de his mox.

Supereſt unus locus omnium atrociſſimus, ſed idem omnium mendaciſſimus. In Appendice quadam, quam ex tempore adjeci Novo Teſtamento, cum forte vacaret una atque altera pagina, ait me propoſuiſſe quæſtionem, *quare* Chriſtus *de cœlis deſcenderit, tantus magiſter, cum multa ſint etiam apud Ethnicos ſimilia, forte etiam perfectiora.* Protinus mihi vide, lector, quanta hominis in proponendo vanitas & impudentia. De doctrina *Chriſti* loquens, quæro quid illa habeat novum aut eximium ultra Veteris Teſtamenti volumina, cum vix quicquam ſit proditum Euangelicis litteris, quod non multis ante ſeculis proditum ſit in Lege & Prophetis. Atque hic ſinceriſſimus doctor, qui non loquitur niſi mera oracula, ita depravat ſermonem meum, quaſi doctrinam Euangelicam contulerim cum ſcriptis Ethnicorum. Nec hoc contentus de ſuo ſpiritu addit, *tantus magiſter*, ut ſermo faſtidium & ironiam ſapiat. Atqui hic *Lutheri* ſtomachus eſt, non meus, nihil enim tale eſt in ea Appendice. Ne his quidem contentus, de ſuo addit, *forte etiam perfectiora*, cum ibi *Chriſti* philoſophiam prorſus non conferam cum Ethnicorum ſapientia, tantum obiter addo in Philoſophorum litteris inveniri quaſdam ſcintillas Euangelicæ veritatis. Quid exſpectas ab eo ſinceri, qui ſtatim in proponendo tot contexuit mendacia, atque obiter convitium furioſum intertexuit: *puto enim*, inquit, *eum hoc credere Eraſmiciſſime*, ſignificans me ne hoc quidem credere, *Chriſtum* aſſumſiſſe carnem. Verùm quid? Num impie quæritur an *Chriſtus* docuerit aliquid ultra Legem & Prophetas, ſed quemadmodum nihil geſſit in terris, quod non fuerit typis Legis adumbratum, ac Prophetarum oraculis prædictum, ita nihil docuerit, quod in Veteris Teſtamenti libris non eſſet traditum, licet minus evidenter. An non hoc, quod hîc inquirendum propono, quæritur à Chriſtianiſſimis Doctoribus, atque etiam in Theologorum Scholis diſputatur? An non pie tractat *Tertullianus*, omnia perfectionis Euangelicæ dogmata in Prophetarum libris expreſſa eſſe? An non præter alios *Euſebius* in *Præparatione Euangelica* laborat in hoc, ut oſtendat in Ethnicorum libris plurima inveniri, quæ cum canonicis Litteris conſentiunt? Quid igitur hîc eſt, quod obſcuret gloriam *Chriſti*, aut illius doctrinam vocet in dubium? Mea ſententia vehementer confirmat *Chriſti* doctrinam, quod cum Prophetis conſentiat & à naturæ ſenſu non abhorreat. Sic enim facilius & à *Judæis* & à Gentibus recipi poterat. Impudens itaque calumnia eſt, quod ait me *Chriſto* nihil aliud tribuere, quam quod unus de numero ſanctorum, cæteris perfectius & abſolutius ea præſtaret, quæ illi præſtiterant. Sed unde hîc repente ſancti, cum in proponendo tantum nominarit Ethnicos? An cum his ſanctis confero Chriſtum? *Chriſtus*, inquit, *deſcendit de cœlis, ut redimeret genus humanum à peccato & morte.* An hoc negavit *Eraſmus*? Sed hîc de novitate doctrinæ tantum propoſui quæſtionem. Et verum eſt Chriſtum & ob hanc cauſam miſſum in terras, ut nos plenius doceret voluntatem Patris, & exemplum virtutis omnibus undique numeris abſolutum traderet. Non illic agebatur de toto Chriſto cum Prophetis conferendo, ſed tantum de doctrina & exemplo vitæ. Cur autem hoc propoſuerim, ſignificat quæſtionis exitus, videlicet ut ardentiore ſtudio doctrinam Euangelicam amplecteremur. Fortaſſe volebat Chriſtum in hoc præferri ſanctis, quod Deus eſſet & homo, quod morte ſua redemit humanum genus. Hoc quanquam illic non agebatur, tamen obiter à me prædicatur, velut in limine quæſtionis cum ajo: *Nullum autem myſterium magis ad nos pertinet quam ineffabile conſilium, quo Deus*

per

Digitized by Google

per Filium ſuum reſtituit humanum genus, &c. Cum appello Dei Filium nonne Deum profiteor? cum ajo, *reſtituit humanum genus*, nonne profiteor redemtorem? Ac paulo poſt, cum ajo, *Ut ipſe Dei Filius factus homo doctrina ſua viam ſalutis nobis oſtenderet*, an non profiteor Deum & hominem, declarans me de doctrina & vitæ exemplis hîc quærere, quid in his habuerit præ cæteris eximium? nec id aliam ob cauſam propono, niſi ut doceam illum etiam juxta naturam humanam multis modis omnibus ſanctis ſuperiorem, & adeo ſuperiorem ut nulla ſit collatio. Deinde cum addo: *Quanquam hoc ipſum virtutis, quod emicuit in ſanctis, Chriſti munus eſt:* an non illi tribuo, quod dignum eſt illius ſublimitate? Hæc ſic habere comperiet, quiſquis eam Appendicem legere non gravabitur. Quid igitur mentis habuit, qui perinde quaſi re pulchre comprobata, debacchatur tota pagina, ſic exordiens: *Hic miſer iſte, novator omnium, ſic enim Dominum gloriæ pungit*, Chriſtus *amiſit gloriam redemtoris*, &c. Appello *Chriſtum innovatorem omnium*, ſubindicans & in illius vita doctrinaque oportere eſſe aliquid novum atque eximium. An hoc eſt pungere Dominum gloriæ? Pungit igitur ſeipſum cum in Apocalypſi dicit: *Ecce ego nova facio omnia*. Pungit eum *Paulus* cum ait: omnes in Chriſto eſſe novam creaturam. Quomodo porro amiſit gloriam redemtionis, cum illic dicam reſtituiſſe Mundum, & ſi hoc non dixiſſem, de doctrina, non de morte differens, an ideo amiſiſſet gloriam redemtoris? Quam vero novit *Martinus* religioſe loqui de rebus divinis, qui hîc *Chriſtum miſerum* vocat! Scio Ironiam eſſe, ſed ille figuras rejicit, & quanquam me facit *Epicurum*, non auderem ejuſmodi verbis in *Chriſtum* ludere. Hic ſcilicet eſt locus, qui primum alienavit *Martini* animum ab *Eraſmo*. Quanto *Eraſmus* humanior, qui nunquam alienavit animum à *Martino*. Hinc primum ſuſpicari cœpit me eſſe *Democritum* & *Epicurum*, & verſutum irriſorem *Chriſti*, cum tota hæc Appendix ſpiret *Chriſti* gloriam. Similis abſurditatis ac dementiæ ſunt quæ perſequitur, de odio meo in *Chriſtum*, de *Coepicureis* meis, de figuratis & inſidioſis verbis, quibus furioſiſſime debacchor in Chriſtianos, de bilingui & odibili dicendi genere, de funditus tollenda Religione Chriſtiana, reliqua piget recenſere. Dicas morbum loqui non hominem. Gaudeo exſtare Lucubrationes meas, quæ, ut confido, lectori fidem facient, me tantum abeſſe ab hoc affectu, quem mihi impingit *Martinus*, quam ipſe abeſt à ſobria mente, Chriſtianaque modeſtia.

Jam illi diſplicet & *Methodus* mea cum ſuis circulis: quam ut ego non affecto videri admodum doctam, ita falſiſſimum eſt, quod ait *Lutherus*, illam nihil aliud eſſe, quam irriſionem *Chriſti* & omnium ab eo geſtorum: nec aliud ex ea lectorem haurire poſſe, quam faſtidium & odium diſcendæ tam confuſæ & perplexæ, & fortaſſe fabuloſæ Religionis. Atqui ſi *Methodus* illa paſſim inculcaret *Lutheri* dogmata, pape, quam eſſet erudita, quam Chriſtiana! Neque vero mirum *Luthero* videri ibi irriſum *Chriſtum*, cum illi videatur pupugiſſe Dominum gloriæ, qui illum appellat *innovatorem omnium*. Quod illi Scriptura tribuit ad ſummam laudem, hoc *Lutherus* interpretatur ad ignominiam, nimirum κακοδιογνώσης, ut vult haberi, cum interim deliret in manifeſtis. Nondum finis. *Quis*, inquit, *tam faſtidioſe & odioſe, non dicam hoſtiliter, loqui auſit de* Joanne *Apoſtolo & Euangeliſta, qui poſt* Chriſtum *ſumma auctoritatis apud Chriſtianos eſt, meros crepat mundos, niſi qui eum virum putet eſſe aliquem bardum ac bucconem*, &c. Nec indicat locum ubi hoc legatur in ſcriptis meis, & auſim meo periculo dejerare nuſquam eſſe. Neque enim conjectare poſſum, quo ſenſu verba illa à me dici potuerint, *Meros crepat mundos*. Suſpicor tamen hoc mendacium illi è duobus locis conflatum eſſe, quemadmodum in ſomnis è diverſis imaginibus temere vagantibus monſtroſæ quædam viſorum ſpecies conflantur. In argumento quodam aſſerens primam Epiſtolam *Joanni* ut germanam, ex ipſo ſermonis charactere, quod certis quibuſdam verbis ſubinde utatur, *mundus*, *lux*, *caritas*, &c. deinde quod ita contexat orationis membra, ut ex eo, quod proxime præceſſit, ſumat alterius partis initium: Exemplum adfero: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, ſi quis diligit mundum*, &c. & addo: *Quantum hîc eſt mundorum*. Hæ voces exciderant in prima Editione, quibus cum nihil aliud ſentirem, quam crebro repeti nomen *mundi*, tamen admonitus ab amico, proxima ſtatim Editione, mutavi linguam, ſententiam tenui, ſcripſique, *quoties hîc iteratur mundus*. Hanc ſcripturam reperies, lector, in Paraphraſeon Editione Anni MDXXXIII. ſimiliter poſterioribus Novi Teſtamenti Editionibus. Rurſus in Appendice, quæ adjecta eſt Paraphraſi in Euangelium *Joannis*, hunc in modum de illo loquor: *Qui quemadmodum peculiarius adamatus fuit ab illo, qui eſt amor æternus, ita nihil aliud loquitur, nihil aliud ſpirat, quam meros amores*, &c. Ex his duobus locis ſuſpicor *Lutherum* parum memorem quid legiſſet, aut quid audiſſet, conſinxiſſe, *meros mundos crepat*. Et tamen hoc mentis ſomnio deluſus quam procaciter me conſpuit, flagellat & lapidat, toties mihi in faciem ingerens, *meros crepat mundos*. Atqui dum tam inclementer ſævit in meros mundos, qui nuſquam ſunt in ſcriptis meis, videbitur fortaſſis alicui non ita multum abeſſe ab imagine *Ajacis*, ſævientis in porcos, quorum alium putabat eſſe *Ulyſſem*, alium *Agamemnona*: & vociferatur hujus generis infinita eſſe in ſcriptis meis, imo hîc totum nihil aliud eſſe in Theologia, cum hoc ipſum, quod exempli loco profert, nuſquam ſit in ſcriptis meis, nec unquam fuerit in animo. Et hîc exaggeratur *Joannis* dignitas atque auctoritas, quam poſt *Chriſtum* vult eſſe primam inter Chriſtianos, cum ſoli *Chriſto* nota ſit Apoſtolorum dignitas, auctoritas par ſit Apoſtolorum omnium: & ſi quid intereſt, prima tribuitur *Petro* ordinis Apoſtolici principi, qui in Actis primus agit præconem *Chriſti*, cæteris Apoſtolis adſtantibus, proxima *Matthæo* & *Paulo*. Et hîc appellor os & organum Satanæ, etiam capite plectendus, ſi ſanus judicio & ſtudio ſic loquerer. At ſi Lex *Remia* valeret, plectendus eſſet capite, qui falſo capitale crimen intendit. Me liberat inſania, cui multam habeo gratiam. Verùm hæc quo magis attollit ac repetit, tanto magis ſe præbet ridiculum cum umbra pugnans. Hæc ſunt illa horribilia verba, obliqua, ambigua, inſidioſa, obſcœna, Satanica, quibus *Eraſmus* omnium inſcius ſtupidus atque etiam vere delirus, ſed tamen mira calliditate, jam pridem ſtudet univerſam Chriſtianam Religionem funditus ſubvertere. Ac mihi, quod antehac audivi nunquam, etiam Sectam adjungit, non Sophiſtarum, opinor, neque Papiſtarum, neque Sacramentariorum, ſed *Epicureorum* ac *Democritorum*, qui de rebus divinis adeo nihil credunt, ut derideant omnia. Equidem facile crediderim ſub nomine Chriſtiano tales nonnullos latere, verùm illud ſcio, nullum eſſe qui hunc affectum è meis ſcriptis hauſerit, & ſi quem huic impietati obnoxium noſſem, nolim cum eo cibum capere, niſi magna eſſet ſpes reſipiſcentiæ. Contra ſentio me natura propenſum in eos, qui ſincere diligunt Dominum *Jeſum*, ex animo dolens me non eſſe per omnia talium ſimilem, quanquam huc omne ſtudium meum intendo, ut meipſo melior evadam. Et ſi quid mihi per imprudentiam in ſcriptis excidit, quod infirmo cuipiam poſſit eſſe offendiculo, non magni negotii fuerit ea corrigere, quemadmodum multa jam mutavi, quibus pro mea ſimplicitate, non exſpectabam ut quiſquam offenderetur. Mox ubi ſenſi, non ſum gravatus amoliri ſcrupulum. Atque utinam *Martinus* aut tam facile poſſet, aut tam promte vellet in ſuis libris ea corrigere, quæ tantis tumultibus miſcent Eccleſiam *Chriſti*! Facile reditur in gratiam, ubi de vocibus modò controverſia eſt, de re convenit. Nec inficior, fuiſſe qui ante ipſum quibuſdam verbis meis offenſi ſunt, ſed ho-

Digitized by Google

rum offensio hinc fere nata est, quod Latine Græceque nescirent. Quidam *cœlibem* dici putabant qui caste viveret. Sed edocti de vocis elegantia placati sunt. Quosdam offendit *fabulæ* nomen, sed edocti receperunt satisfactionem. Argumento est, quod hoc à *Beda* notatum censuræ Facultatis prætermiserunt. At *Martinus* nullam recipit excusationem, sed bis damnandum putat, qui medetur offensis. Cæterum istum tot Linguarum peritum offendi non oportuit. Illos excusat Linguarum & Antiquitatis imperitia; nec quisquam tamen eorum hinc pronuntiavit *Erasmum* ἄθεον, *Epicurum*, *Democritum*, os Satanæ, irrisorem & osorem Christi totiusque Religionis ejus. Quorum præjudiciis si me gravat, meminisse debet, eos ipsos esse, qui *Lutherum* pro hæresiarcha pestilentissimo detestantur, nec alio nomine mihi sunt iniquiores, quam quod ajunt multa esse in scriptis meis, quæ prima specie *Martini* dogmatibus videantur affinia. Nunc isti in cæteris omnibus insaniunt, in hoc uno sapiunt, quod aliquot *Erasmi* verbis offenduntur. Et vide quam sibi non constent hominum judicia! *Martinus* clamat me nihil scire, nequaquam intelligere illa subtilia quæ scribit in Papistas, vix etiam hæc crassa, neque quicquam omnino docere. At hi mihi objiciunt quod illa ipsa subtilia *Lutherus* magna ex parte hauserit è meis libris. Fateor me, quæ scribo, pleraque habuisse è libris veterum Orthodoxorum. Cæterum si tollas è libris istius hyperbolas, convitia, facetias, tautologias, ectragodismos, asseverationes, ad hæc quæ illi conveniunt cum *Joanne Hus* & *Joanne Wiclevo*, aliisque nonnullis, fortasse non multum restabit, quo veluti proprio glorietur. His crassis meum otium oblectare malo, quam istis subtilibus turbare totius Ecclesiæ tranquillitatem, ac civitates cum civitatibus, plebem cum Principibus & Episcopis, ipsos Principes inter sese committere. Tametsi non sum usque adeo plumbeus, ut non intelligam *Martini* paradoxa, quæ nobis memoriter occinunt textrices & calcearii: de iis loquor, quæ Latine prodidit. Jam si nihil esset in ejus libris falsum aut erroneum, tamen ista tam effrenis in omnes maledicentia inficit lectorum animos, præsertim idiotarum, nec aliud gignit quam schismata. Vult me cogi in ordinem, ut de rebus sacris ad præscriptam loquar regulam, sed unde ipse novum hoc docendi genus mutuatus est? Num à *Christo?* Num ab Apostolis? Num à probatis Ecclesiæ Doctoribus? Nequaquam. Unde igitur? Hoc aliis judicandum relinquo. Quid quod qui mordicus hærent illius dogmatibus, improbant tamen has intemperias, vel ob id, quod obstant quo minus hæc fabula sortiatur fœlicem exitum. Ego *Epicurus*, si incidissem in tempora Apostolorum, & audissem eos tanta tamque perpetua maledicentia prædicantes Euangelium, vereor ne mansurus fuerim *Epicurus*. Atque interim me regem facit, non ferendam tyrannidem exercentem in universos homines, sed absque satellitio, quippe qui nec Principem habeam, sub cujus cypleo tutus latitem, in quoscunque libeat veneno tincta tela jaculans, nec civitatem, nec scholam, nec discipulos, qui pro me stringant calamum. Quod si sibi bene conscius est, suoque persuasit animo, sanctum & pium esse quod docet, oportuit ad beati *Pauli* exemplum, qui vult Euangelistam esse διδακτικὸν, non πλήκτην, aut λογομάχον, advigilare, ne quod offendiculum daret Euangelio, quod cupit per universum Orbem propagari. Nunc non animadvertit, quot homines ab ipsius doctrina resiliant, aut abstineant, offensi perpetua convitiandi petulantia, præsertim si ad maledicendi rabiem accedat effrons vanitas ac malitiosa depravatio. Objicit mihi quod in hoc, ut ait, laboriosissimo seculo, rectius dixisset furiosissimo, ludam, ac, ut ipsius verbo utar, *morioner*. *Moriam* lusi tranquillo seculo, quam facile, si ita videatur, noxæ dedidero. *Colloquia* me invito, atque etiam irato prodierunt. Quibus adjeci quædam in gratiam typographi, levi sane brachio, ut qui uno die interdum tria absolverim Colloquia. Quanquam non ubique jocor in Colloquiis, &, si jocor, non jocor otiose. At *Martinus* in rebus etiam atrocissimis ludit verbis & figuris, velut oblectans animum suum, hoc genere delitiarum inexplebilem. Fateor me quodam genii affectu propensiorem ad jocandum, tum in scriptis, tum in familiaribus colloquiis. Nec ea res mihi semper cedit feliciter, dum aliorum animos ex ingenii mei simplicitate metior. Verùm quando nullus hominum vacet omni nævo, malo quibusdam videri ineptior, quam truculentus πλήκτης ac procrustes quispiam, ubique tragicum spirans. Rhetorum est, primum docere argumentis, deinde si res postulet sollicitare affectus, atroces autem illos, quos πάθη vocant, non temere movere. Verùm nusquam non esse δεινὸν, nusquam non intonare voces plusquam tragicas, dementiæ verius est quam eloquentiæ.

Quærit unde pullulent in Ecclesia tot Sectarum formæ, inter quas commemorat *Sacramentarias*, quasi ipse de Sacramentis doceat eadem quæ tradit Ecclesia Catholica, commemorat *Donatistas*, *Arianos*, *Anabaptistas*, *Epicuros*, &c. debebat addere *Suormeros Sabbatarios*, circumcisos & vere perfrictæ frontis homines. Exoriuntur enim qui scalpro perfricant frontem donec eliciant sanguinem, ac mox locum inungunt oleo, itaque *Christo* initiantur. *Unde hæc*, inquit, *zizania in agro Domini?* Unde? Nisi ex quatuor ambiguis verbis *Erasmi*, quanquam ea revera ambigua non sunt, quod admonuerit Apostolos non statim apud quosvis *Christum* appellasse Deum, quod admonuerit Euangelicum sermonem tropis ac figuris obliquum esse, quod dixit *Paulum* omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciat, eumque chamæleonti compararit. Quod Epistolam ad Romanos scripserit multis difficultatibus involutam esse, atque hic labyrinthorum meminerit: quod scripserit *Joannem* Euangelistam meros crepare mundos, cum hæ voces ne in somnis quidem mihi in mentem venerint, quod de incarnatione Domini loquens, à conjugio duxit similitudinem. Hinc nimirum tantus hæreseon proventus. At quî isthuc hactenus nullus objecit *Erasmo* præter unum *Lutherum?* Sed nonnulli calumniati sunt, quod ipse *Luthero* seminaria præbuerim. Verùm hos protinus clamabit impudenter mentiri, *Erasmum* non esse *Lutheranum*, sed totum esse *Erasmum*. Ut istuc largiamur, propius tamen hoc mendacium accedit ad veri speciem, quam si quis dicat, *Anabaptistas*, *Donatistas*, *Arianos*, & *Epicuros*, hoc est, Paganos, è meis tribus ambiguis verbis repullulasse. Quod si est, demiror hominum ingratitudinem. Nullus horum ad hunc usque diem aut salutavit me, aut gratias egit, cum innumeri sint discipuli, à quibus *Lutherus* audit venerandus pater, & Euangelicæ veritatis instaurator: Contra non pauci sint Orthodoxi, qui se profitentur mihi debere, quod *Christum* & nosse & amare cœperint. Ceasset meos libros è Scholis suorum ejiciendos, quasi ego unquam ambierim in istorum Scholas recipi. Fortasse sentit Scholas Theologorum, ac nescio quid subodoratus videtur hoc futurum. Me vero non fugit istuc jam olim agi clamoribus quorundam Monachorum, sed hoc lemmate, ut negent *Lutheri* doctrinam opprimi posse, nisi prius abolitis *Erasmi* Lucubrationibus. His, opinor, nunc applaudet, & in horum sententiam pedibus ac manibus ibit, odio mei, quod utinam tantum valeat, ut cum Papa, Papistis, Theologis ac Monachis omnibus redeat in gratiam, Christique Ecclesiam suæ reddat tranquillitati. Tanto Orbis lucro, facile meorum librorum jacturam pensavero, quando meipsum nemo potest aut poterit à Christo divellere, nisi volens discesserò. At posteaquam afflatus est prophetico spiritu, divinat & illud, Festinare judicium meum, ac brevi fore, ut quasi sorex memet meo ipsius indicio prodam ac perdam. Sentit autem de Paganismo & odio Christianæ Religionis, quod homo versutus hactenus celarim, ut ipse putat, imo non putat, sed se putare fingit. Ego hactenus de Christo & Religione Christiana ea sensi

quæ

quæ digna ſunt eo, qui ſpem omnem fixit in Chriſto, doque operam, ut in dies ſentiam melius, certe ut magis amem. Quod ſi quid erro cum Papiſtis, confido me fore in numero eorum, quorum errori, ut ait *Lutherus*, Deus miſericorditer ignovit, eo quod ſeducti ſimpliciter errarunt. Mihi ſatis eſt ſi cum *Hieronymo*, *Chryſoſtomo* & *Bernardo* recipiar in divinæ miſericordiæ gremium. Verùm negat eſſe ſpem veniæ, poſteaquam ab ipſo prolata eſt lux veritatis. Quaſi non & ante *Lutherum* ſimilia docuerint *Hus* & *Wiclevus*. Quod ſi Deus ipſum tam diu verſatum in tam profunda caligine tandem miſericorditer ad tam admirabile lumen evocavit, decebat ut eadem lenitate uteretur in nos luteos homines adhuc in priſtinæ Eccleſiæ tenebris palpantes. Quanquam, ut ſerio loquar, ſi de moribus & ceremoniis agitur, optarim multa eſſe correcta, ſed auctoritate Synodi: ſi de dogmatibus, poſſem & ego quibuſdam accedere, ſi audirem publicam Eccleſiæ vocem. Meum animum nondum tranquillant aſſeverationes *Lutheri*, quantumlibet fortes, adeo inter legendum multa occurrunt quæ poſſent aſſeverationem infirmare. Qui agit contra conſcientiam ædificat gehennam. In tanto Orbis incendio, proſpiciat ſibi qui velit, mihi curæ erit hanc animulam Chriſto ſervatori tradere. Quod ſi *Martinus* illud ſibi propoſuit, perſuadere Mundo *Eraſmum* hoc agere callidis artibus & inſidioſis cuniculis, ut omnes Chriſtianos adducat in odium veræ Religionis, fruſtra nititur. Citius enim perſuaſerit omnibus, ſe aut odio lymphatum eſſe, aut mentis morbo teneri, aut à ſiniſtro quopiam agitari genio. Illud potius perſuadeat, quod verum eſſe Judaico more dejerat. *Vivit*, inquit, *Dominus*, *magnam ei faciunt injuriam, & defendendus eſt mihi contrà hoſtes ejus, qui eum* Lutheranum *accuſant, cum ſit, me nimis certò ac fideli teſte, nullo modo* Lutheranus, *ſed* Eraſmus *tantum. Relinquendus eſt*, inquit, *Papiſtis, qui tali Apoſtolo digni ſunt.* Quos appellet Papiſtas neſcio. Orthodoxis libenter adhæreo, ſive ille me relinquat, ſive non relinquat. Nec illud ingratum fuerit quod minitatur, ſe contemtum *Eraſmum* cum cæteris, quibus non eſt dignatus reſpondere, perennibus tenebris ac perpetuæ oblivioni traditurum. Cum quibus? Cum *Eckio*, cum *Emſero*, cum *Joanne Cochlæo*, &c. qui forſitan, ut ait, inclaruiſſent, ſi eos fuiſſet dignatus reſponſo. Poterat addere cum *Jodoco Clithoveo*, cum *Jacobo Latomo*, cum *Joanne Fiſchero* Epiſcopo *Roffenſi*, aliiſque multis, quorum nomina jam ſepulta ſunt, ac letheis aquis conſecrata. Quanquam me quidem jam olim dignatus eſt hoc honore in *Servo Arbitrio*. Dicet, non reſpondi, ſed pupugi tantum leviter, ut hominis oſcitantiam excitarem. Cum totus ille Liber nihil aliud crepet, quam *Eraſmum Epicurum*, *Democritum*, *Scepticum*, oſorem Chriſti, irriſorem Chriſtianæ pietatis, corruptorem Scripturarum, Spermologum, temulentum: pro his deliciis quoniam illi non egi gratias, ſed auſus ſum quæ objecit refellere, ſubito factus ſum vipera, & gigno viperaſpides. Sed uter eſt vipera, qui talia afflat venena, an qui repellit? qui infigit lethales morſus, an qui medetur? Cum autem ſic eſſet debacchatus in proximum, tamen pupugit tantum. Ac poſt editum hoc Opus conatus eſt ſcriptis ad me litteris mihi perſuadere, ſe candido & amico eſſe in me animo, ſive crederem ſive non crederem. Si ſic vellicat amicum dormitantem, quas plagas infligeret, ſi vellet hoſtem occidere? Sed hunc in modum ſibi blanditur *αὐτοκόλαξ*, ſibique perſuadet, homines non intelligere fucum, quo jactat ſe quibuſdam nolle reſpondere. Atqui ſi ſuæ confidit doctrinæ, ſi dignam judicat, quam omnes amplectantur, expediebat ut quibuſdam ſerio reſponderet, non ſcommatibus & convitiis, ſed Scripturis & argumentis. Nunc volitant per Orbem Libri, qui illi, ut audio, in os impingunt loca non pauca, in quibus ipſe ſecum pugnat, in quibus manifeſte corrupit ſacram Scripturam, falſa interpretatione detorquens ad ſua dogmata, qui rationes illius argumentis inſolubilibus ſubvertunt, & putat ſpecioſam victoriam quod non dignetur eos reſponſo. Atqui magis conveniebat atque etiam expediebat eos dignari reſponſo, quam ludibriis & contumeliis inceſſere. An dicet, non eſt otium? Verùm multum otii ſibi paraſſet, ſi prætermiſſis convitiis tantum Scripturis egiſſet & neceſſariis argumentis. Quod ſi invidet illis nominis claritatem, quid refert utrum nobilitet eos argumentando an maledicendo? Nunc cum tantum maledicit, & illis parit honeſtam famam apud plurimos, & gloriæ ſuæ non mediocrem inurit labem, præſertim apud cordatos & integros, quibus ubique placet moderatio, ſinceritas ac civilitas. Hoc dignius erat Euangelii præcone, qualis videri vult, quam his temporibus exulceratiſſimis animos hominum ad ſeditiones ac bella concitare. Longe aliud ſonat tuba Euangelica, aliud concha *Panis*, aut cornu *Alectus*. Sed vivit Dominus, qui non deſeret in ipſo ſpem habentes.

FINIS.

DESIDERII ERASMI PRAESTIGIARVM LIBELLI CVJVSDAM DETECTIO.

Eraſmus Rot. omnibus veritatem amantibus S. D.

IAM vetuſtiſſimum eſt, amici cariſſimi, ut ſub prætextu rerum optimarum, peſſima exempla irrepant in vitam mortalium: veluti conſpicimus hiſce temporibus, Libellos plus quam famoſos, abſque titulis, aut quod eſt ſceleratius, fictitiis titulis ſpargi in vulgus, ab his qui ſpiritus libertatem profitentur, & facinus, quod Ethnicorum leges capite puniebant, ab iis, qui nihil crepant niſi Euangelium, pro ludo jocoque duci. Proinde vidimus in hoc diſſidio, nullos magis remoratos ſucceſſum Euangelii, quam qui ſibi maxime videntur Euangelici: nec alios æque læſiſſe cauſam Pontificiam, quam iſtos quoſdam, qui maxime credunt ſeſe velut *Atlantes* nutanti Eccleſiæ humeros ſuppoſuiſſe. Ante paucos dies provolavit è latebris Libellus quidam, de quo difficile ſit pronuntiare, ſtultior-ne ſit, an malitioſior, cui titulus erat præfixus, *Doctiſſimi* ERASMI ROTERODAMI, *ac* MARTINI LVTHERI *opinio, de cœna Domini noſtri* JESV CHRISTI, *nuper edita decimo octavo die Aprilis.* Primum, illud non ſimplicitatem columbinam, ſed vulpinam aſtutiam ſapit, quod in ipſo ſtatim Libelli fronti ſpicio, meum nomen conjungit cum nomine *Lutheri*, eumque titu-

Digitized by Google

lum præfixit ſingulis paginarum frontibus: tum in ipſo Libello ſubinde repetit & inculcat nominum jugum, quo mihi plus conciliet invidiæ, quaſi multum inter nos conveniat, cum editis Libris abunde declaratum ſit, quantum ſit inter nos commercii. Deinde prælatum etiam eſt meum nomen cum doctrinæ præcellentis elogio, quo videatur amicus, me tam inepte glorioſum judicans, ut famoſis laudibus, & honorifica delecter contumelia. Inſuper & Germanice ſcriptum ſub hoc *Badenſe* Concilium evulgarunt, quo ſimplicibus, ac parum attentis, hujuſmodi fuco imponerent, meique nominis fumo in laqueum traherent incautos, nec mihi interim, linguæ vulgaris ignaro, promtum eſſet vel meæ infamiæ, vel aliorum periculis occurrere. Hæc quam ſapiant Euangelicam ſinceritatem, prudens lector facile perpendet. Jam illud manifeſtum eſt argumentum malæ conſcientiæ, quod cum Scriptores in ipſo ſtatim Operis limine Auctoris nomen præfigere ſoleant, hic nec Typographi nec loci nomen auſus eſt uſquam addere: & haud ſcio an is, cui ſcribitur, fictitio nomine notetur, quanquam id nihil refert, cum liberum ſit, cui velis tuas nænias dicare, qua re nec proditur Auctor, nec gravatur admodum is ad quem ſcribitur. Certe ſuum ipſius nomen, quiſquis eſt hujus ſceleris artifex, nuſquam auſus eſt apponere, niſi quod furtim in fine ſubnectit fictitium titulum *Ludovici Leopoldi*, ſed ita, ut dubites Auctoris-ne ſit titulus, an Typographi. Hæc techna malitioſe timida, ſatis admonere lectorem debet, nihil eſſe in hoc Libello ſani aut ſinceri. Quanquam autem ipſæ formulæ ſatis arguunt Typographum, neque levibus conjecturis colligi poteſt, quis ſit ille φιλάδωνυμος *Leopoldus*, cum ſuo inſtructore, tamen quoniam ipſi tantopere lucem reformidant, patiar ipſe quoque tantiſper illos in ſuis tenebris deliteſcere, donec ipſi ſe prodant.

Interim agam cum Libello, non minus ſcelerato quam ſtulto, declaraboque quam frivolis, quamque palam falſis argumentis, conetur ſimplicibus idiotis perſuadere, me de Euchariſtia ſentire cum *Caroſtadio*, aut ſi quis eſt alius ejus opinionis propugnator. Atque hujus calumniæ procemium hoc facit, quod ego prior in omnibus libris meis arguerim & Pontificias, & omnes humanas conſtitutiones: velut in *Moria*, in *Enchiridio*, in *Annotationibus in Novum Teſtamentum*, in *Adagiis*, aliiſque locis, quod idem me ſequutus fecerit *Lutherus*, ſed fortius & apertius. Quo ſtatim mendacio quid eſſe poteſt impudentius? Nullus eſt locus in omnibus libris meis, qui damnat omnes humanas conſtitutiones: alioqui damnarem & leges civiles, quas nec *Paulus* damnat, nec *Chriſtus*. Sed frequenter taxo Phariſaicos quoſdam, qui Chriſti populum onerant hujuſmodi conſtitutionibus, quæ magis conducunt ad ſuperſtitionem, quam ad veram pietatem: ad hæc quorundam ſuperſtitionem, ſeu præpoſterum judicium noto, qui propter traditiones hominum violant præcepta Dei, quique in ceremoniis, quæ ſunt adminicula duntaxat ad pietatem, conſtituunt finem pietatis. Hæc ut pie dicta ſunt, ita tum erant dictu neceſſaria. Quid autem *Lutherus*? Adimit Pontificibus & Epiſcopis omne jus condendi leges, ne cætera referam. Itaque palam eſt *Lutherum* non eadem docuiſſe ſimplicius, ſed prorſus alia, cum meis ex diametro pugnantia. Id teſtificantur utriuſque Lucubrationes, evidenter coarguentes impudentiſſimam iſtorum vanitatem, qui tales ſpargunt rumores apud imperitos: alii quo me lædant invidioſa ſuſpicione, nonnulli quo ſuam factionem inani nominis mei fumo communiant. *Moriam* ſcripſi tranquillis rebus, cum Mundus altum indormiret ceremoniis ac præſcriptis hominum, haudquaquam ſcripturus, ſi horum temporum tempeſtatem exoriturum præſciſſem. Sed attende, lector amice, ſtultiſſimam hujus Auctoris collectionem. Si *Moria* ideo tollit Papatum, eo quod attingit quædam vitia Pontificum, eadem opera tollit univerſos humani generis ordines, quoniam nullum omnino præterit intaxatum.

A Habes hujus calumniæ procemium, ipſa cauſa dignum. Nunc accipe probationes huic procemio congruentes. In pleriſque locis, ut inquit, appello panem & vinum Euchariſtiæ *ſymbola*, hoc eſt, ſigna, & *ſymbolicum panem*, id eſt, panem aliquid ſignificantem: dubitat tamen an hoc dixerim in *Adagiis*, an in *Querela pacis*, an in *Enchiridio*, an alio quopiam Librorum meorum. Quid impudentius quam velle impingere tantæ rei calumniam, & fateri ſe non meminiſſe loci? Age dic mihi quis ferat vel teſtem, vel actorem ſic intendentem furti crimen: Non memini quo tempore, quo loco, quid quibus furatus ſit, ſed tamen videor mihi deprehendiſſe, quod aliquod furtum commiſerit? At
B nihilo minus abſurde facit hic meus calumniator. Ait ſibi excidiſſe locum. Imo ipſe potius à mente exciderat. Nuſquam enim voco *panem ſymbolicum*. Sed hoc ſomnium concepit ex Carmine quod additur *Catoni*. Hic enim de ſacramento Euchariſtiæ loquens, *cibum myſticum* appello, quod ſub ſpeciebus viſibilibus recondita ſit gratia Spiritus inviſibilis. Carmen ſic habet,

Myſticus ille cibus, Graci dixere ſynaxin,
Qui panis vinique palam ſub imagine Chriſtum
Ipſum præſentem vere exhibet.

Atqui hic locus clare docet me non ſentire, quod *Caroſtadius* docuit. An non ſatis evidenter profiteor illic
C eſſe Chriſtum ſubſtantialiter, cum dico, *exhibet*. Nec hoc contentus, addo *ipſum*, excludens figuram. Ne hoc quidem contentus, addo, *vere*. Quid abeſt niſi, *ſubſtantialiter*? Atque hanc vocem nec recipit carminis ratio, nec Latini ſermonis elegantia. In eodem Carmine leguntur hæc,

Aſt ubi ſacrati me ad corporis atque cruoris
Cœleſtes epulas piſtaſque dieſque vocabit.

Ac mox,

—— *Sumam Chriſti venerabile corpus.*

An non hîc legis epulas ſanguinis & cruoris? Hæc cur non adduxit, qui jactat ſe diligenter excuſſiſſe libros meos? An tergiverſabitur, hæc & his ſimilia
D mihi falſo adſcribi? Nam & hanc rimam ſibi patefecit ad effugium, dicens multa inſcribi *Luthero* & *Eraſmo*, quæ non ſunt ab ipſis profecta. Quid accidat *Luthero* mea nihil refert; Ego certe nec tuli, nec feram vivus, mihi quicquam adſcribi, quod meum non ſit. Semper excipio quæ depravant Typographi, quorum error à me præſtari non poteſt. Jam ſi maxime ſcripſiſſem alicubi *panem ſymbolicum*, quid erat periculi? Si recipimus recentium opinionem, nonne ſpecies panis & vini ſymbola ſunt corporis & ſanguinis Dominici? Sin minus, nonne panis & vinum conſecratum ſymbola ſunt corporis & ſanguinis Dominici, ſub his latentium? Poſtremo corpus & ſan-
E guinem illic eſſe quodammodo ſenſibus noſtris expoſitum, nonne ſymbola ſunt eorum quæ cerni non poſſunt niſi oculis fidei? Tantum de mendacio panis ſymbolici. In *Adagiis*, nimirum in *dulci bello inexpertis*, deploro veſaniam Chriſtianorum, qui ſic inter ſe belligerentur, cum ex eodem veſcantur pane, & ejuſdem calicis ſint participes. In *Querimonia pacis* hæc mea ſunt verba: *Ethnicis etiam ſancta eſt amicitia, quam menſa communis conciliavit: & Chriſtianos cœleſtis ille panis, ac myſticus ille calix, non continet in amicitia, quam ipſe ſanxit* Chriſtus? Ac paulo inferius: *Audet quiſquam ad ſacram illam menſam, amicitiæ ſymbolum, audet ad convivium pacis accedere, qui bellum deſtinat in Chriſtianos?* Hactenus
F mea recenſui. Voco ſumtionem corporis & ſanguinis Dominici, ſymbolum myſtici corporis conjuncti capiti Chriſto, & membrorum inter ſeſe concordiam. Ubi nunc ſunt igitur illa verba, quæ excludunt veritatem corporis & ſanguinis Chriſti? Nec cauſari poteſt ſalaria metuſque Principum (quanquam & hoc inſigne mendacium eſt, cum ego hoc nomine ſalarium ab ullo Principe ut non accepi nec ambii, ita nec ambiam, nec accipiam) ſiquidem hæc mihi ſcripta

ſunt

Digitized by Google

sunt rebus adhuc tranquillis, cum nemo suspicaretur exoriturum tam effrontem, qui *Wiclevi* sententiam auderet revocare. Verùm esto, fuerit hic meus cavillator delapsus ab asino, certa memoria profert ex *Enchiridii* canone quinto, per quæ demonstret quid celem in corde. Illic docere studeo semper à visibilibus & carnalibus proficiendum ad invisibilia & spiritualia. Verba mea, quæ hic artifex pro suo commodo depravavit, sic habent: *Et, ut apud* Joannem *ipse dixit Christus*, Caro non prodest quicquam, spiritus est qui vivificat. *Mihi quidem religio fuisset dicere*, non prodest quicquam, *satis fuerat futurum*, Caro nonnihil prodest, sed multo amplius spiritus. *Nunc ipsa dixit veritas*, non prodest quicquam, *adeoque non prodest, ut juxta* Paulum *mortifera sit, nisi ad spiritum referatur. Aliqui vel ad hoc utilis est caro, quod infirmitatem nostram quasi gradibus quibusdam ducit ad spiritum. Corpus sine spiritu non potest subsistere, spiritus corpore nihil eget. Quod si Christo auctore tanta res est spiritus, ut sola vivificet, huc tendendum, ut in omnibus litteris, omnibus actibus spiritum respiciamus, non carnem. Et si quis observaverit, animadvertet hoc unum esse, quo nos vocant, inter Prophetas præcipuus* Esaias, *inter Apostolos* Paulus, *qui nulla pene Epistola non hoc agit, non inculcat, nihil fidendum esse carni, in spiritu esse vitam, libertatem, lumen, adoptionem, & fructus illos optabiles quos enumerat: carnem ubique contemnit, damnat, dissuadet. Attende, & deprehendes hoc idem passim agere præceptorem nostrum* Jesum, *dum in tollendo de puteo asino, in illuminando cæco die sabbati, in confricandis aristis, in non lotis manibus, in conviviis peccatorum, in parabola Pharisæi & Publicani, in jejuniis, in fratribus secundum carnem, in gloria Judæorum quod essent filii* Abrahæ, *in muneribus offerendis, in orationibus, in phylacteriis dilatatis, multisque similibus locis contemnit carnem Legis, ac superstitionem eorum, qui malebant esse* Judæi *in manifesto quam in occulto. Et cum dicit mulierculæ Samaritanæ*, Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem: sed venit hora, & nunc est, cum veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. *Idem facto significavit, cum in nuptiis aquam frigidæ & insipidæ litteræ vertit in vinum spiritus, ad vitæ usque contemtum animas inebrians spirituales. Et ne magnum putes quod ista contemsit* Christus, *quæ modo commemoravimus, imo contemsit & carnis suæ manducationem, & sanguinis potum, nisi & spiritualiter edatur atque bibatur. Quibus enim putas ista loquutus est*, Caro non prodest quicquam, Spiritus est qui vivificat? *Nempe non iis qui Euangelio de collo suspenso, aut cruce ærea, se tutos ab omni malo putant, idque perfectam Religionem existimant: sed quibus summum mysterium de sumendo corpore suo aperuerat. Si res tanta nihil est, imo si perniciosa, quid est cur ullis aliis rebus carnalibus fidamus, nisi adsit spiritus? Tu forte quotidie sacrificas, & tibi vivis, neque ad te pertinent incommoda proximi tui, adhuc in carne es sacramenti. Verùm si sacrificans das operam id esse quod illa sumtio significat, puta idem spiritus cum spiritu Christi, idem corpus cum corpore Christi, vivum membrum Ecclesiæ, si nihil amas nisi in Christo, si omnia tua bona putas omnibus esse communia, si omnium incommoda tibi perinde ut tua dolent, ita demum magno fructu sacrificas, nempe quia spiritualiter. Si te sentis in Christum quodammodo transfigurari, & jam minus minusque in te ipso vivere, Spiritui gratias age, qui solus vivificat. Multi quot quoque die sacris adfuerint numerare solent, atque hac tanquam re maxima freti, quasi nihil jam præterea debeant Christo, ita templis egressi ad pristinos mores redeunt. Quod carnem pietatis amplectuntur laudo, quod illic consistunt non laudo. Peragatur in te, quod illic oculis repræsentatur. Repræsentatur mors capitis: excute te intus in sinu, quod ajunt, quam prope sis mortuus mundo. Quod si te totum adhuc possident iræ, ambitio, cupiditas, voluptas, invidia: etiamsi contingas altare, procul tamen abes à sacro. Occisus est pro te* Christus, *macta & tu pecudes istas, sacrifica temetipsum illi, qui pro te semet immolavit Patri. Hæc si ne cogitas quidem, & in illis confidis, odit Deus pinguem tuam & crassam Religionem.* Hæc mea verba sunt in quinto Canone: quæ iste truncatim ac depravate retulit, quo magis servirent calumniæ. Hic appello lectorem sanæ mentis, num in his ullam vocem audiat, quæ arguit me sentire in Eucharistia non esse verum corpus & sanguinem Christi. Quo provocem homines à visibilibus ceremoniis ad profectum spiritualem, ostendo in omnibus ceu carnem quandam esse & spiritum, hoc est, visibile quiddam & invisibile: sed invisibile, quod vulgus mortalium negligit, longe præstantius esse eo quod videtur, quemadmodum in homine potior est anima quam corpus: atque hanc sententiam catholicam tracto per omnes rerum species, sermonem Dei, in quo frustra elementorum figuræ tangunt oculos, voces feriunt aures, nisi secreta vi tangatur ac feriatur cor: in jejunio frustra corpus arcetur à cibis, si animus non temperat à pravis cupiditatibus, atque item de cæteris: idem declarans & in novæ Legis sacramentis, nominatim Baptismo, Eucharistia & Unctione. In Eucharistia sunt elementa quæ oculos, tactum, olfactum, ac palatum movent: sunt verba quæ feriunt aures: est sumtio corporalis quæ cernitur, verùm in his non est spes salutis, nisi accedant ea quæ videntur. Ea partim sunt muneris, partim congruentiæ, partim exempli. Muneris sint fides reliquaque Spiritus dona, quæ per elementorum visibilium ministerium infunduntur. Congruentiæ sunt, ad quæ respondent signa sacramentorum visibilia, velut in matrimonio repræsentatur ineffabilis illa conjunctio divinæ naturæ cum humana in Christo Jesu. Item individua societas mystici corporis, quod est Ecclesia, cum capite Christo. Exempli, ut in Eucharistia significatur immensa Christi caritas erga genus humanum, pro cujus salute semetipsum in mortem tradidit, ut nos mutua caritate Redemtori respondeamus: significatur arctissima societas Christianorum inter ipsos, vel quod ex multis granis unus conficitur panis, & ex multis uvis confluit vinum: vel quod cibus potusque communis amicitiæ sodalitatisque symbolum sit. In his igitur qui præfert id quod est invisibile, visibilibus elementis, an is tollit elementorum veritatem? An qui in matrimonio præfert conjunctionem animorum, tollit conjunctionem corporum? Et qui baptismo visibili præfert fidei donum purificans corda, num tollit aquam, verba, & ministerium sacramenti? In Unctione, qui fidem & Spiritus Sancti gratiam anteponit oleo, num is negat illic esse oleum? Et in Pœnitentia, qui præfert odium peccatorum, fidem & gratiam Sancti Spiritus condonantem peccata, an negat illic esse verba & impositionem manus? Imo ne quis suspicaretur à me damnari quod est in sacramentis aut exercitamentis pietatis visibile, nominatim his verbis admoneo lectorem: *Quod carnem pietatis amplectuntur laudo, quod illic consistunt non laudo.* Rursus aliquanto post: *Non damnantur opera corporalia, sed præferuntur invisibilia. Non damnatur cultus visibilis, sed non placatur Deus nisi pietate invisibili.* Jam quanquam in Synaxi non est corpus sensibus obnoxium, tamen res est quæ sentiri potest, eoque nec hujus præsentia prodest, nisi adsint illa quæ natura sunt invisibilia. Jam mihi vide quam stupidus ratiocinator sit, qui scripsit hunc Libellum. Si negat in baptismo adesse veram aquam, qui dicit aquæ tincturam inutilem, nisi adsit invisibilis gratia Spiritus, ego negavi in Synaxi esse verum Christi corpus, quia docui corporalem sumtionem corporis & sanguinis Dominici nihil prodesse, vel obesse potius, nisi spiritualiter sumamus. Qui ex talibus argumentis tales colligunt sententias, nonne iidem possent ex vite colligere carduos, ex ficu sorba? Nemo magis asseverat in Synaxi substantiam corporis

Digitized by Google

& ſanguinis Domini tegi ſpeciebus viſibilibus, quam *Thomas Aquinas*. Et tamen ille docet eadem quæ nos docemus in Canone, nihil prodeſſe carnem ſacramenti, ſi deſit gratia ſpiritualis. Nonne idem docet *Paulus*, admonens ut ſe quiſque examinet, ne indigne accedens ad menſam Domini, condemnationem ſibi edat bibatque? Porro quod *Paulus* contemſit carnem Chriſti, dicens, *Etſi Chriſtum novimus ſecundum carnem, ſed jam non novimus*, non eſt negantis Chriſti veram carnem pro nobis immolatam ac reſuſcitatam, ſed præferentis id quod magis conducit noſtræ ſaluti. Qui diligentius curat animi quam corporis ſalutem, non abjicit corpus, ſed præfert animum. Contemnimus pravas cupiditates, contemnimus & plumbum præ gemmis.

Cogita mihi, lector, quam hic ſibi perſuaſit, idiotis nihil eſſe ſenſus humani, qui non veretur has nænias in vulgus edere, perinde quaſi ſubus & aſinis iſta ſcribat, non hominibus. Et audet homo perfrictæ frontis etiam mediocri præditos ingenio ad hujus argumentationis ſpectaculum invitare, nimirum teſtes futuros, quam ipſe nihil videat qui hæc ſcripſit, deinde quam impudenter mea verba truncarit, inverterit, ac depravaverit. Cæterum *Enchiridii* Libro ſic arrogat fidem, quod ante multos annos ſcripſerim, nondum oborto Principum metu. Imo & Carmen de ſumma fidei ſcripſimus ante multos annos, nullo terrore minante. Cur Carmini non creditur, & *Enchiridio* creditur? Nec mutavi ſenex ſententiam quam habui juvenis, niſi quod nunc variis argumentis in utramque partem vacillare poſſem, niſi me confirmaret auctoritas Eccleſiæ. Cum ſcriberem *Enchiridium* adeo non dubitabam de veritate corporis & ſanguinis, ut diverſa opinio ne per ſomnium quidem unquam tetigerit animum meum. Commentus eſt & alteram technam, qua mihi fidem abroget, etiamſi ſcribam adverſum ipſius opinionem, ſignificans me hoc facturum metu Majeſtatis Cæſareæ ac fulminis Pontificii: id quo fiat probabilius, facit me meticuloſum, videlicet juxta præcepta Rhetorum, cauſæ jungens naturæ vitium. Cæterum vir pius non vult contemni formidoloſos, ſed foveri, precibuſque ſanctis juvari, quo robur colligant. Hujuſmodi nænias gannit ille nugator, perinde quaſi ſtultis ludicram agat fabulam, ac non potius de re maxime ſeria tractet apud populum Chriſtianum. Certe timiditatem ab alio quovis potius opprobrari decebat, quam ab iſto, qui ſuo Libello non eſt auſus nomen ſuum adſcribere, quod ego, quamvis formidoloſus, ſum auſus in omnibus meis libris, in quibus de Principibus, Epiſcopis ac Monachis, multa liberrime vel reprehendo vel moneo. An non ridicule miles è mœnibus convitia jaculans, & in tuto latitans, in acie verſantibus exprobret ignaviam? Aut *Teucer* poſt fratris clypeum deliteſcens, *Trojanos* appellet formidoloſos? Sed bona timiditas eſt quæ cohibet à peccando. Sic enim reſpondit Philoſophus ille cuidam objicienti timiditatem, *Proinde*, inquit, *non pecco*. Haud iſte perpendit, quantum interſit inter temeritatem & fortitudinem, inter timiditatem & prudentiam aut religionem. Turbare res humanas nullo fructu pietatis, temeritas eſt, non fortitudo. Suſcipere negotium, cui par non ſis, audacia eſt, non pietas. Palam apud alios aſſeverare quod ipſe tibi nondum perſuaſeris, ſtultitia eſt. Reclamante conſcientia profiteri cum periculo capitis, quod non inſedit animo tuo, dementia eſt. Impugnare quod tot ſeculis Eccleſiæ conſenſu receptum eſt, impietas eſt. Qui novam lucem, qui ſpiritum, qui revelationem jactant, ſuæ profeſſionis rationem reddant Eccleſiæ Dei. Mihi gregario homunculo ſatis eſt Eccleſiæ ductum ſequi, præſertim cum Scripturarum auctoritas ſtet à nobis, à cujus recta pronuntiatione cur ad tropos deflectamus, nullam ſatis gravem video cauſam. Sed accipe aliud lemma, ſimile ſuperioribus. *Si diverſum*, inquit, *ſentiret, Librum ſcriberet adverſus eos qui negant veritatem corporis & ſanguinis in Euchariſtia*. Quaſi veto mihi non ſuperſit quod ſcribam, aut quaſi deſint qui ſcribant Libros ad hanc provinciam, me longe magis idonei. Exorſus eram & ipſe inter primos: Operis initium videre non pauci: ſed pia graviſque cauſa mihi perſuaſit ut abſtinerem: niſi forte levis aut impius eſt, qui conſulit publicæ tranquillitati, vitatque tumultum. Mihi & Operis ſuſcepti fides, & omiſſi juſtiſſima ratio conſtat apud viros bonos & eruditos: niſi fortaſſis & hanc vocabunt timiditatem. Orent illi pro timidis, nos orabimus pro temerariis, ut Deus adimat illis audaciam, & addat ſapientiam Euangelio dignam.

Hactenus non ſatis prodidit ſtultitiam ſuam, niſi clarioribus etiam argumentis eam traducat, ac, ne quid non audeat vir fortis abſque nomine, profert in vulgus arcanum, quod clam actum eſt inter inclytum Senatum *Baſileenſem*, & doctos aliquot, inter quos error hominum me quoque admiſcuit. Meam ſententiam (quoniam Germanice neſcio) Latine dedi: quam iſte ſuo more depravate refert. Talis enim à nobis prodita eſt hiſce verbis. S. P. *Magnifici Domini, Celſitudinis veſtræ hortatu perlegi Librum* Joannis Oecolampadii *de verbis cœnæ Domini, mea ſententia doctum, diſertum, & elaboratum, adderem etiam pium, ſi quid pium eſſe poſſet, quod pugnat cum ſententia conſenſuque Eccleſiæ, à qua diſſentire, periculoſum eſſe judico.* Hic putat rem eſſe mire evidentem. *Vides hîc*, inquit, *quid dicat bonus ille vir, modo velis intelligere.* Quid hîc dico, vir non bone? In eo Libello tria probo, doctrinam, argumentandi dexteritatem, & curam. Quoniam autem illic multa inſunt quæ pie dicuntur de ſumtione corporis & ſanguinis Dominici, quæ nec me legiſſe pœnitet, libenter & pium pronuntiaſſem, niſi dogma defenderet, quod Eccleſia velut impium damnavit. An ideo ſentio cum *Oecolampadio*, quod civilitate temperavi ſententiam? Dari ſolet hoc his de quibus ſpes eſt, futurum ut ſe vertant ad meliorem frugem. Datum eſt idem à me & aliis peculiaribus cauſis, quas hîc referre non expedit. An plus ponderis erat habiturum meum judicium, ſi pronuntiaſſem Librum hæreticum, impium, peſtilentem, non uno dignum incendio? Dixi quod ſenſi, & hoc majore cum fide, quod ſine affectibus. Nam tria illa elogia, doctum, diſertum, & elaboratum, poteram & *Porphyrii* ſeu *Arii* libris tribuere. An ille ſentit eum eſſe formoſum, cujus faciem dicit alienam ab omni forma? Ita-ne divitem pronuntiaret, qui ſic loqueretur: *Hic opulentus eſſet, ſi tantum poſſideret quantum optat?* Aut bonum virum pronuntiaret, qui ſic loqueretur: *Dicerem hunc eſſe bonum virum, ſi pareret rationi potius quam affectibus?* Equidem arbitror hunc ſyllogiſtam collecturum, vinum eſſe dulce, ſi quis dixerit amarum. Prodidit arcanum Senatus, nunc periculum eſt ne prodat ſeipſum homo futilis. Addit me privatis quibuſdam litteris ad amicos datis ſcripſiſſe, nunquam fuiſſe ejus opinionis, ut crederem in Synaxi nihil eſſe præter ſigna corporis & ſanguinis Dominici. Scripſi quidem, ſed ad illos qui mendacium hoc inſtillarant primum clanculum amicorum auribus, mox etiam in rumorem verterant. Et in his Epiſtolis nullum eſt verbum non ex animo ſcriptum, quod ad me quidem attinet. Harum aliquot quoniam eadem fide ſunt editæ, qua Liber hic recitat citatque mea, curabimus eas excudendas, ut ab utriſque ſcriptæ fuerunt, nominibus etiam additis. Ex illis apparebit, idem fuiſſe ſtudium ejus qui rumorem illum ſeminarat, & hujus qui nugaciſſimum hunc Libellum ſparſit in vulgus. An idem rumoris ac Libelli ſit auctor, alii viderint, mea non magni refert. Quæ nugatur interea de duplici interpretatione verborum, *Caro non prodeſt quicquam*, quoniam nihil faciunt ad id quod hîc agitur, ſciens prætereo.

Rediens ad me, offundit nobis agmen locorum, ex quibus liqueat me ſentire cum *Wiclevitis* de Euchariſtia. Primus eſt in Annotationibus, quas ſcripſi in *Marci* Caput XIV. Illic nihil annoto niſi duo, quorum alterum eſt, benedicere non eſſe quod vulgo dicunt, manu mota pingere crucis imaginem, ſed verba boni ominis dicere,

Digitized by Google

cere, hoc est, laudare Deum, eique precari gloriam & honorem, aut gratias agere. Alterum pertinet ad verba, quibus dicitur *Christus* consecrasse panem & vinum, quæ sic referuntur à *Marco*, ut in consecratione calicis videantur esse pronuntiata, postquam Apostoli biberant. Quo quidem in loco Theologi respondent, per tropum inversum narrationis ordinem. Verba mea subscribam ex Annotatione: *Qui pro multis effundetur*, indico Græcis ἐκχυνόμενον posse legi sensu præsentis temporis, id est, *qui pro multis effunditur. Jam enim*, inquam, *hoc repræsentabat, quod paulo post esset futurum. Qui tamsæpe asseverarunt quibus verbis* Christus *consecraverit, cum id nusquam expresse legatur, hunc annotent locum, quo res ita narratur, quasi* Christus *primo poculum porrexerit, deinde ubi bibissent, tum demum dixerit*, Hic est calix, &c. *Sic enim habent verba Evangelistæ*, Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus, &c. Et subjicio. *Quanquam hac in re nolim esse pervicaciosus, cum locus excusari possit per figuram* ἀποδόσεως. Hactenus ad verbum bona fide meo recensui, in quibus vides, lector, ne syllabam quidem esse, quæ significet in Eucharistia non esse verum corpus Domini. De calice loquuntur quæ recitavi, de corpore nulla illic mentio. Quo magis admiror oscitantiam hujus Scriptoris, qui, ne lecto quidem loco, blaterat quicquid in buccam venerit. Tractatur idem locus *Matthæi* XXVI. nec illic ullum est verbum in Annotationibus, quod vel minimam suspicionem possit gignere. Rursum *Lucæ* XXII. ac ne hic quidem ulla vox est, quam possis in suspicionem trahere.

Alius locus est in Paraphrasi, in prioris ad *Corinthios* Capite X. & XI. ubi jactat me palam multisque verbis satis significare in Eucharistia esse panem & vinum, quæ voco symbola, hoc est, signa aliquid declarantia. Illic in decimo Capite exponens Apostoli sermonem de esca & potu spirituali, quam *Judæi* quoque comederunt ac biberunt spiritualiter, loquor his verbis: *Nos quoque baptismo purgati sumus, ex aquo sacrosancti corporis cibo vescimur, de calice mystico bibimus omnes.* Ac mox: *Christus hæc in illis tum præludebat, quæ nobis palam ac vere præstitit.* Hactenus ibi. Nonne hîc est mentio sacrosancti corporis? Nonne profiteor nobis in Eucharistia vere ac palam exhibitum, quod Judæis exhibitum est in figuris? Rursum aliquanto inferius: *Nonne*, inquam, *poculum illud sacrum, quod nos in memoriam mortis* Christi *cum actione gratiarum sumimus & consecramus, consortium arguit, quod pariter sanguine* Christi *sumus redempti? Rursum sacer ille panis, quem exemplo jussuque* Christi *partimur inter nos, arguit fœdus ac societatem sumendam inter nos, velut iisdem* Christi *sacramentis initiatos*, &c. Quid hîc est quod siniſtram præbeat suspicionem? An quod prius dictum sacrosanctum corpus Dominicum, mox appello panem? Quid ni id faciam Paraphrastes, cum idem non semel faciat *Paulus* quem explano? Imo hoc nomine justius reprehendi poteram, quod consecrandi verbum addo de meo, veluti bifariam exponens *Pauli* sermonem, *Cui benedicimus.* Frivolum enim est quod quidam argutatur, consecrandi verbum non ex animo, nec sine tædio adjectum, cum duobus verbis, ut dixi, geminam indicarim interpretationem. Unus sensus est, *Cui benedicimus*, id est, pro quo gratias agimus. Alter, *Cui benedicimus*, id est, quem consecramus, ut hic proprie pertineat ad Sacerdotes. Prior interpretatio placuit Veteribus, nominatim *Theophylacto:* posterior à recentioribus adjecta est, & ideo hanc secundo loco subjicio. Quid autem obstabat illi consecrandi verbum? An quicquid consecratur statim in aliam rem vertitur? Nonne cerei consecrati manent cerei, & parietes consecrati manent lapidei? Quorsum in re seria conferunt argumentationes tam pueriles? Item aliquanto inferius: *Non potestis*, inquam, *simul bibere de sacrosancto poculo* Christi, *& exsecrabili poculo Dæmoniorum, nec potestis mensæ Dominicæ participes esse, simulque mensæ Dæmoniacæ.*

A Utor verbis quibus utitur *Paulus*, nisi quod eandem sententiam, ob simpliciores, crassius explano, quantum Paraphrastæ satis est. Neque enim illic disputo de cœna Dominica, nec satis adhuc constat, an *Paulus* illic proprie loquatur de consecratione corporis & sanguinis Dominici. Nam opinor non semper Apostolos consecrasse, quoties distribuebant panem, aut calicem porrigebant in memoriam Dominicæ mortis. Verùm hac de re nihil asserero, præsertim cum nihil attineat ad id quod nunc agitur. Posteaquam igitur palam factum est, quod hoc calumniæ rete nihil attraxerit, veniemus ad Caput XI. in quo nunc voco panem & calicem, nunc corpus & sanguinem Domini, videlicet *Paulum* B imitans, cujus sum Paraphrastes, dico id fieri in commemorationem mortis Christi. Sic enim nos docuit in Euangelio Dominus, sic docet *Paulus* dicens, *Mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Video tantum Apostolum in tanto mysterio religiosissime fuisse loquutum: ejus religionem sum imitatus ut decuit Paraphrasten, nisi quod sæpius appello corpus Domini quam ipse *Paulus.* Annotabo loca, ne quid videar refugere. Primus sic habet: *Nam ipse ut Apostolus accepi à Domino quod & tradidi vobis, nimirum quod Dominus noster* Jesus, *sub eam noctem qua per discipulum proditus est & captus, accepit panem, & gratiis actis Deo, fregit panem, ac dixit: sumite, edite, hoc est meum corpus,* C *quod pro vobis frangitur omnibus impartiendum. Hoc quod me facere videtis, posthac & vos facietis in memoriam mei.* Ac mox: *Ad eundem modum post distributum panem, & poculum sumsit in manus, cœna jam peracta, dicens: Hoc poculum Novum est Testamentum per meum sanguinem, ex hoc quoties bibetis, in mei memoriam facite*, &c. Ac mox iterum: *Christus hoc convivium mortis suæ commemorationem, & æterni fœderis symbolum esse voluit, cum nunc per luxum ac dissensionem apud vos celebretur. Mysticus est panis, cujus ex aquo participes esse debent omnes: sacrosanctum est poculum ad omnes ex aquo pertinens, haudquaquam paratum* D *ad placandam corporis sitim, sed ad arcanæ rei repræsentationem, ne vobis veniat in oblivionem, quo pretio sitis à pristinæ vitæ vitiis redemti. Proinde quoties ad edendum hunc panem, aut bibendum ex hoc poculo convenitis, non ventris negotium agitis, sed mortem Domini* Jesu, *mystico ritu repræsentatis, cujus jugis memoria vos in officio contineat, donec ipse rursus advenerit judicaturus Orbem.* Hactenus ex Paraphrasi recensui. Hîc unguem latum non digredior à sententia *Pauli.* Cum enim *Paulus* dicit *panem hunc*, ipso pronomine significat illum non esse vulgarem panem. Hoc explicans ajo, *Mysticus est panis, & sacrosanctum est poculum.* Quod *Paulus* ait, *mortem Domini annunciabitis*, sic explico: E *Mortem Domini* Jesu *mystico ritu repræsentatis.* Quod ille dicit, *donec veniat*, sic explano: *Donec ipse rursus advenerit judicaturus Orbem.* Nihil horum non fatebuntur esse religiosè dictum, qui maxime cum *Thoma Scotoque* sentiunt. Nam Dominus in Euang. *Joan.* seipsum panem vocat, qui de cœlo descenderit: unde nihil absurdi, corpus Domini in Eucharistia vocare panem. Quod si quis urgeat argumentum ex commemorationis vocabulo, non mecum agat, sed cum ipso Domino Paulòque qui sic loquuntur. Rursus si quis ex hisce verbis, *donec veniat*, argumentetur, *Christum* non venturum in terras, donec redeat gloriosus ad judicium: non excutiam quam hæc argumentatio sit ridicula, quasi *Christus* sibi terris interdixerit, aut quasi F loquatur de secreto ac spirituali adventu, ac non potius de manifesto, quo venturus est & impiis & piis omnibus conspicuus. Certe mecum agi non potest, qui à sacris Verbis non discedo. Si quem movet quod ante cum *Paulo* dixi panem & calicem, eundem movere debet, quod hîc cum *Paulo* voco corpus & sanguinem Domini. Sequitur enim in Paraphrasi, *Qui corpus & sanguinem Domini secus tractarit quam ipse tractari jusserit.* Ac mox, *Licet enim res sit salutifera corpus & sanguis Domini*, &c. Iterum mox, *Cum tremore*

Digitized by Google

mere ſumendum corpus Domini. Ubi nunc eſt iſte Libellus, qui dicit me vocare panem & vinum, eaque eſſe ſymbola, hoc eſt, ſigna rerum? Perinde enim facit me loqui, quaſi nuſquam appellarim corpus & ſanguinem Domini: cum id toties faciam in hoc ipſo Capite. Deinde ſic proponit artifex me vocaſſe ſymbola, quaſi panem & vinum intelligi velim ſigna corporis & ſanguinis Dominici: cùm ego palam exprimens quid ſentiam, appellem ſymbolum æterni fœderis. Verba mea ſic habent: *Chriſtus hoc convivium mortis ſuæ commemorationem & æterni fœderis ſymbolum eſſe voluit.* Non appello corpus & ſanguinem ſymbola, ſed ipſam ſumtionem appello ſymbolum concordiæ inter nos, & memoriale ſacratæ mortis qua redemti ſumus. Vides hîc, optime lector, quos fumos nobis objecerit iſte ſtultiſſimus Libellus. Jam quod ait me ſanguinem appellare vinum, manifeſtiſſimum eſt mendacium. Cum *Paulo* voco calicem aut poculum, vinum nuſquam: non quod in his verbis non poſſit accipi ſanus ſenſus, ſed quod hunc ſermonem nec in Euangeliis, nec in Apoſtolicis litteris inveniam. Nihil ſupereſt, niſi quod poſſet aliquis cavillandi ſtudioſus dicere: Cum hîc tot verbis tractes materiam Euchariſtiæ, cur nuſquam aperte pronuntias eſſe illic ſubſtantiam corporis & ſanguinis? Reſpondeo paucis, me illic Paraphraſim ſcribere, non diſputationem: deinde cum illa ſcriberem, nemo vocabat in controverſiam quod nunc diſceptatur, nec ego quicquam minus exſpectabam quam hoc futurum. His itaque relictis, quæ nec Paraphraſi ſatis congruebant, nec erant cuiquam ambigua, ea tractavi quæ faciebant ad *Paulini* ſermonis intellectum.

Supereſt unus locus in Actis Apoſtolicis, in quo perfricta fronte prædicat me eadem multis verbis ſcribere, quæ ſcripſeram in Epiſtolam *Pauli* modo citatam. Quo mendacio nihil eſſe poſſe impudentius, mox faxo ut intelligas Chriſtiane lector. Nam in hæc verba Lucæ: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*, ſic ſcribo Paraphraſtes, *Atque in ſumendo ſymbolo fœderis nunquam rumpendi, quam illi communionem vocabant. Id à Domino traditum erat hujuſmodi. Frangebatur panis, & ex eo cuique dabatur particula, atque hoc agentes in memoriam Dominicæ paſſionis, agebant gratias divinæ benignitati, qui per unici Filii ſanguinem ipſos expiaſſet à peccatis*, &c. Tantum illic de communione panis. Nimirum vel me tacente, lector, intelligis hîc me non eadem ſcribere quæ ſcripſeram in Epiſtolam ad *Corinthios*. Illic enim appello corpus & ſanguinem Domini, hîc non auſus à *Luca* verbis digredi, tantum appello panem. Si requiris cauſam: dicam. Quoniam Interpretes ambigunt, utrum hîc loquatur de corpore & ſanguine *Chriſti*, an de pane communi. Sic enim habet Gloſſa ordinaria. Proinde ſic temperavi ſermonem, ut ad utrumlibet ſenſum ſermo poſſit accommodari. Neque enim ſemper Dominus conſecrabat corpus & ſanguinem ſuum, quoties frangebat, aut porrigebat calicem. Cum paſceret hominum turbam in deſerto, accepit panem in manus, gratias egit ac benedixit, fregit, deditque diſcipulis, utique panem communem, non conſecratum in corpus ipſius. Rurſus in *Emaunte* à duobus diſcipulis agnitus eſt in fractione panis. Unde conjectant hunc morem ubique Domino fuiſſe peculiarem in conviviis. Quod apparet & Apoſtolos fuiſſe imitatos, non tamen ſemper conſecrantes corpus Domini. Sequitur enim in hoc ipſo Capite: *Frangentes circa domos panes, ſumebant cibum cum exſultatione.* Et hic locus tametſi poteſt de conſecratis panibus accipi, tamen hoc interpretes non audent affirmare. Nam *Chryſoſtomus* & *Beda* locum hunc diſſimulant. Sic igitur meam Paraphraſim ſum moderatus, ut neuter ſenſus excludatur, ſive de pane conſecrato in corpus Domini, ſive de pane communi velis accipere. Verba mea ſic habent: *Deinde toto die talibus ſtudiis peracto, per ſingulas domos frangebant panem, atque invicem capiebant cibum incredibili gaudio, ac ſinceriſſima ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, cujus beneficio tantam gratiam erant conſequuti.* Hactenus ibi. Nihil autem prohibet & in diſtributione panis non conſecrati in corpus Domini, eſſe ſymbolum aliquod concordiæ Chriſtianæ, & commemorationem mortis *Chriſti*. Quemadmodum & hodie in multis regionibus Sacerdos aut Æduus populo diſtribuit panem in multas partes diſſectum, quod idem faciunt Græci peracto Sacro. Et ex Græcorum monumentis deprehendimus, domi inter ſe virgines crebrius in die ſolere peragere Synaxim. Proinde demiror iſtum Scriptorem, qui voluerit lectorem ad horum locorum conſiderationem invitare, in quibus tale nihil invenitur, quale prædicabat copioſe perſpicueque comperiendum.

Quoniam autem in calce Libelli ſcribit, alia multa eſſe loca in ſcriptis meis, quibus indico me ſentire cum iſtis, proferam unum aut alterum locum ex Paraphraſibus, in quibus hæc materia tractatur, ſi quid forte excidit mihi, quod ullam præbeat ſuſpicionem malevolis. Certe niſi Scriptor hic fuiſſet incogitans, juſtiorem anſam habebat ex Paraphraſi mea in Caput *Matthæi* XXVI. ubi *Paulum* ſequutus appello panem, ſed eodem in loco appello corpus & ſanguinem. Porro quod illic dico non eſſe aliam hoſtiam exſpectandam pro peccatis, nihil aliud dico, quam *Chriſtum* non amplius moriturum, ſed ſatis eſſe pro redemtione gentis humanæ ſemel eſſe mortuum. Quod idem prædicat ipſe ſanctus *Thomas*, qui fortiſſime aſſerit Miſſam eſſe ſacrificium, & in Synaxi eſſe ſubſtantialiter corpus Domini. Rurſum *Marci* XIV. pari religione tracto locum. Sumtionem corporis & ſanguinis appello ſacroſanctum ſymbolum mortis Dominicæ, perpetuique fœderis, nec involvo rem fumis verborum, ne quiſquam ſuſpicari poſſit me ſecus ſentire de Euchariſtia, quam nobis tradidit Eccleſia. Item *Lucæ* XXII. Capite, tractans in Paraphraſi locum hunc, ſumtionem corporis & ſanguinis Dominici voco ſacrum Symbolum, quo Dominus conſecrarit Novum Teſtamentum. Vetus enim ſanguine pecudis conſecratum erat, Novum ſanguine agni immaculati. Nec hîc dico panem ſymbolum corporis, aut vinum ſymbolum ſanguinis, ſed ipſam conſecrationem ac ſumtionem appello ſymbolum. Cujus rei? Nempe ejus quam aliis in locis frequenter explicui, mortis Dominicæ, & noſtræ concordiæ. Rurſum explanans illud, *in mei memoriam:* ſcribo hunc in modum: *Mors mea non iterabitur. Sufficit enim unica victima pro peccatis omnium ſeculorum. Sed vos vobis hujus meæ erga vos caritatis memoriam frequenter renovabitis.* Ac mox de ſumtione noſtra ſubjicio: *Erit enim hoc ſacroſanctum ſignum fœderis inter nos initi.* Hîc adverte lector. Non dico panem ſignum corporis, quod fumoſus ille Scriptor videri vult, ſed ipſam conſecrationem ac ſumtionem appello ſignum fœderis inter Deum & nos. Hæc eadem ſi docet S. *Thomas*, fortiſſimus aſſertor ſubſtantiæ corporis in Euchariſtia, unde ſomniator iſte colligit me diverſum innuere? Niſi quod hoc eſſe verum ſupra modum cupiebat: & qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt. *Joan.* XIII. de cœna ſic loquor in Paraphraſi: *Poſteaquam igitur ſuprema illa & myſtica cœna peracta eſſet, in qua dato corporis & ſanguinis ſui ſacro Symbolo, perpetuam ſui memoriam facturus erat, & amicitiæ nullis unquam modis intermorituræ fœdus ſancire conſtituerat*, &c. Hîc datum corpus & ſanguinem appello ſacrum Symbolum, non panem aut vinum, nimirum ſentiens ipſam porrectionem eſſe ſymbolum amicitiæ nunquam interrumpendæ. Atque id quidem ex aliis Euangeliſtis adjeci, cum *Joannes* conſecrationem & ſumtionem non explicaret. Si mihi non placuiſſet corporis & ſanguinis mentio, licebat hîc omittere, & aliis in locis ubi non licebat, aliquo commento rem in alium ſenſum detorſiſſem. Rurſum *Joannis* VI. ubi Dominus per ænigmata commendat cœleſtem doctrinam ſuam, & juxta nonnullos etiam corporis & ſanguinis ſui ſumtionem in ſacramento, cum mihi liceret priorem duntaxat interpre-

pretationem ſequi, tamen hæc addo: *Panis vitalis eſt & hæc caro, quam videtis, quam impendam ac tradam in mortem, pro redimenda totius mundi vita, credite, ſumite, & comedite.* Tum aliquanto inferius clarius etiam loquutus de ſocietate corporis & capitis, ſubjicio: *Atque hujus ſocietatis vobis myſticum ſymbolum relicturus ſum carnem meam & ſanguinem meum, quod ne ipſum quidem ſumſiſſe profuerit, niſi ſecundum ſpiritum ſumſeritis.* Appello carnem & ſanguinem in Euchariſtia relictum myſticum ſymbolum, nimirum arcanæ communionis, quæ inter Chriſtum & Eccleſiam, quæque eſt myſtici corporis inter membra. Quis hoc Orthodoxus negat? Atqui Libellus hic offundit fumos, quaſi ſymboli nomine ſentiam panem & vinum eſſe ſigna corporis & ſanguinis, quæ re vera non adſint. Qui talibus offuciis conatur animis ſimplicium imponere, immane quantum abeſt à ſimplicitate Euangelicæ columbæ, ſimilior polypi ſubinde ſpeciem variantis. Reſtat unus tantum locus in Annotationibus in Cap. 1. *Corinth.* XI. qui patuit cujuſdam, ſed hominis ſtupidiſſimi, calumniæ, qui lapſus erat in ſenſu grammatico, quod nobis jam nimium frequenter uſu venit. Verùm in hoc loco tantum attingitur quæſtio, quibus verbis Dominus conſecrarit corpus & ſanguinem ſuum. Imo recitatur ſententia S. *Thomæ*, qui pronuntiarit hæreticam opinionem eorum qui negant in Euchariſtia adeſſe verum corpus & ſanguinem Domini: nec à nobis improbatur.

Abunde patefeci quam nihil hic Libellus habeat nec mentis nec frontis, qui ſic agit quaſi nemo mortalium legat meas Lucubrationes, quæ protinus coarguant ipſius nænias. Et in fine videlicet interpretatur gravis Auctor, quid ſentiam quoties appello corpus Domini, aut quoties Miſſam appello ſacrificium, meque vult ſenſiſſe videri quicquid ipſe ſomniarit. Quantum huic Scriptori tribuendum cenſeas, optime lector, neſcio, res ipſa loquitur eum magis idoneum qui paſcat porcos, quam qui ſcribat libros. Addam unum argumentum, in meis Lucubrationibus nihil inveniri, quod errorem habeat de veritate corporis & ſanguinis Dominici. Cum tot exſtiterint meorum operum iniquiſſimi cenſores, qui nihil non trahant ad calumniam, nullus tamen exortus eſt, qui hoc nomine mihi faceſſeret negotium, præter unum *Bucentam*, quovis *Coræbo* ſtupidiorem, quem nunc opinor pudet ejus næniæ. Poſtremo lubens rogarim hunc Scriptorem, quo conſilio fuerit adductus ad haſce nugas in vulgus emittendas? An ut me perpelleret ad profitendum ſi quid forte celem in pectore, quod ob metum Principum profiteri non audeam? hoc enim iſte comminiſcitur. Atqui non potuit hominem formidoloſum ulla machina citius impellere ad inficiandum quod celat in pectore: pie vero ſentientem, quod hac in re certe facio, cogere ad fortiter defendendum quod ſentit, & impugnandum adverſarium. An voluit nos ad ſuam profeſſionem compellere? Perſuadeat prius, & profitebor. Sed eſto, fingat me obticuiſſe, & hoc eſſe falſo perſuaſum idiotis, me tacite ſentire cum *Carolſtadio*: num multitudo peccantium excuſat errorem? Et num ideo videbitur omnibus eſſe verum, quia conſentit *Eraſmus?* Itane talibus præſidiis, hoc eſt, fucis & præſtigiis, nititur iſtorum Euangelium, & ſinceriſſimæ veritatis doctrina? Verùm ut hunc cum ſuis ineptiis miſſum faciamus, audio voces has vulgo quoque jactari, Euangelii victoriam in manibus eſſe, ſi velim profiteri quod in ſinu celo. Quibus pauciſſimis reſpondeo, hîc geminam agi controverſiam, de judicio dogmatum, & de moribus hominum. Dogmatum triplex eſt genus. Primum eſt eorum quæ citra controverſiam magnoque conſenſu tenet Eccleſia Catholica, qualia ſunt quæ expreſſe continentur in ſacris Litteris, & in Symbolo Apoſtolorum, quibus adjungi patiar quæ in Conciliis rite convocatis ac peractis decreta ſunt. Secundum eſt eorum, de quibus nondum evidenter pronuntiavit auctoritas Eccleſiæ, & de quibus inter ſeſe etiamnum diſceptant Theologi. Tertium eſt eorum quæ nobis ut Eccleſiæ oracula obtruduntur, cum ſint opiniones hominum, frequenter multum conducentes ad rixas & diſſidia, minimum aut nihil pietatem. In primo genere nihil eſt quod non ſemper ingenue profeſſus ſim in omnibus ſcriptis. Ex ſecundo genere ſi quid mihi certo perſuaſum eſt, ingenue profiteor, ſi quid ambiguum, nec probo, nec improbo. Si quid diſplicet, ſi nullum video fructum præter tumultum, muſſo. Si video fructus ſpem, communico. Hujus generis eſſe puto, an Confeſſio, quam ſacramentalem vocant, ſit inſtituta ab ipſo *Chriſto*, an ex ſacris Litteris depromta, an ex generali Eccleſiæ conſtitutione inducta: qua de re ſic ſuſpendo meam ſententiam, ut tamen interim obſervem perinde quaſi *Chriſtus* inſtituiſſet. De tertio genere multa admonui, velut indicans doctis excutienda. At iſti quærunt de ſingulis certam & indubitatam ſententiam. Verùm à me quærere ſententiam de his quæ manifeſta, legitima, & publica auctoritate tradita, receptaque ſunt ab Eccleſia, non videtur eſſe pietatis. De cæteris de quibus nondum expreſſe pronuntiavit Eccleſia, non eſt meum, hoc eſt, hominis nec eruditi, nec auctoritate publica prædita, pronuntiare. Quin & in tertio genere ſatis excuſabat me mea imperitia: quam ſi videor callide magis prætexere quam vere profiteri, adverſus hos qui favent novis dogmatibus, graviſſimum habeo teſtem *Martinum Lutherum*, qui libris editis toties prædicat me nihil ſcire rei Theologicæ: adverſus hos qui favent cauſæ Pontificis, habeo teſtes quamplurimos Theologos ſummi nominis. Proinde tales expoſtulatores admonere poſſum, ut mecum citra diſceptationem amplectantur, quæ citra controverſiam nobis afflatu Spiritus Sancti tradidit Eccleſia: deinde ut in dubiis aut eos conſulant qui ſcientia præcellunt & auctoritate, aut mecum ſuſpenſa ſententia exſpectent Eccleſiæ judicium: interim in his ſua quiſque conſcientia fruatur abſque tumultu & offendiculo infirmorum, quemadmodum docuit *Paulus* Rom. XIV. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Sed fingant me nihil neſcire: quid profuerit pronuntiaſſe de quibus nunc eſt controverſia? Tot ſunt hodie factiones. Num protinus omnes poſita contentione, diſcedent pedibus in meam ſententiam? Nequaquam, ſed junctus huic aut illi factioni, nihil aliud quam renovarem incendium. Quod ſi dividam moderque ſententiam, id quod ſolent arbitri, proſpicio non alium exitum quam expertus eſt ille Monachus, de quo refert Eccleſiaſtica hiſtoria, qui cum medius intercurreret inter duos gladiatores in arena commiſſos, cupiens illorum pugnam dirimere, ab utroque confoſſus interiit. Porro quod attinet ad corruptos Eccleſiæ mores, quos nemo non fatetur eo prolapſos, ut jam nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſimus: quid ego vermiculus aliud poſſum quam monere? Monui vero liberius quam mihi vel conveniat vel expediat. Hinc nimirum tantus in me fremitus iſtorum, qui Phariſæos nobis referunt. Nec hoc malum ſimplex eſt. Minima peſtilentiæ pars ab iis proficiſcitur, qui luxu, libidine, alea, venatu, præ ſe ferunt quales ſunt. Magis lædunt ea mala, quæ fuco pietatis obrepunt. In his ſunt ſacrarum Litterarum adulterinæ interpretationes, quibus fit, ut regula in hoc data, ut ad eam omnes corrigant vitam ſuam, applicetur ad cupiditates noſtras: & lux in hoc prodita, ut coarguat tenebras humanæ vitæ, prematur modio: atque hoc pacto ſepelitur vigor Euangelicæ doctrinæ, vocantis nos ad hujus mundi contemtum. Præterea multorum impietas qui poteſtatem à *Chriſto* traditam ad ædificationem Eccleſiæ & non deſtructionem, detorquent ad quæſtum ac tyrannidem. Ad hæc, conſtitutiones quædam ab hominibus ad quæſtum aut dominatum excogitatæ, inſuper tot ceremoniarum pompæ ab hominibus humano ſpiritu, ad hominum gloriam repertæ. Et in his quidem potiſſimum peccare ſolent Principes,

Digitized by Google

Episcopi ac Theologi. Cum his æque peccat vulgus hominum præpostere judicans de rebus plerisque, plurimi faciens quæ minimum habent momentum, aut officiunt etiam, rursus negligens quæ sunt præcipua. Hic læva mente multitudinis, potentes interdum abutuntur ad suum commodum: rursus ipsa multitudo partim adeo tenax est eorum quibus assuevit, ut etiamsi per cordatos Episcopos cœperint aliqua verti in melius, reclamet, cœlumque terræ misceat: partim adeo præceps est in malitiam, ut si quid relaxes Judaismi, non aliter quam equus excussis habenis ac sessore, per fas nefasque feratur ad extremam impietatem, & à Judaismo vocatus ad Christianismum, rapiatur ad Paganismum. Jam si lues hæc unam aut alteram civitatem occupasset, posset bonorum virorum consilio sanari, nunc fatale malum totam prope *Europam* pervasit, licet alibi magis emicet quam alibi. Quid hic faceret hominis privatum consilium huic aut illi Reipublicæ datum? Res tanta Principum ac civitatum sobrium consensum requirit, sed abdicatis interim privatis affectibus, ac procul ablegata temeritate præcipiti. Quod supereſt potissimum situm est in concionatoribus, ac ludorum magistris, qui teneram ætatem instituunt, in quibus deligendis oporteret summam adhibere curam. Dicent, plerosque Principes & Episcopos alio spectare. Primum igitur illud secum reputet populus, ne forte Deus nostris sceleribus provocatus tales animos inserat Principibus, quo nos puniat, id quod crebro legimus factum in Litteris sacris. Hoc igitur primum esto remedium, ut suam quisque malitiam agnoscens, vitam emendet, ita forte Dominus factus ex irato propitius, flectet Principum animos ad consilia salubriora. Alioqui querimoniis nostris occinet Scriptura, *qualis populus, talis Sacerdos*, & *regnare feci tyrannos & hypocritas propter peccata populi*. Neque sic est studendum rebus novandis, ut non consideres, an successura sint meliora. Etenim mutatio, præter seditionem quam fere solet adferre, plerunque vergit ad deteriora, ea est rerum humanarum infelicitas: nonnunquam remedia sunt ipsis malis, quibus mederi studemus, atrociora. Denique nullo seculo tam feliciter composita fuit res Christiana, quin multas magnasque querimonias fuisse comperiamus. De Pseudapostolis, desertoribus & hæreticis quoties queritur beatus *Paulus*? de Episcopis, Presbyteris, sacris Virginibus, Monachis quam multa queritur *Hieronymus*? Semper fuit & semper erit quod pii spiritualesque viri querantur & ferant. Proinde prudentiam in istis desidero qui mutare student omnia, nihilo levius peccantes, quam hi qui mordicus retinent quicquid receptum est, sive recte, sive secus: magis etiam in his qui id conantur simul ac repente facere, quod ne Monarchis quidem & Ecclesiæ primatibus successurum arbitror. Objiciunt, regnum hoc mundanum sic per omnes hominum ordines egisse radices, & hoc rete sic esse nodis indissolubilibus contextum, ut abrumpi possit, explicari non possit. Non hic excutiam quam sit impium rebellare potestati à Deo ordinatæ, nec quam sit infelix id tentare quod efficere non possis, si tamen verum est quod *Joannes Cochlæus* adversus *Melanchthonem* defendens liberum arbitrium litteris prodidit, quosdam animo concepisse, quod mihi sane nondum compertum est. Sed fingant esse fas, fingant esse factum, videlicet exstinctum Cæsareum nomen, Romanum Pontificem redactum in ordinem, Episcopos ad verbi divini ministerium velut ad pistrinum adstrictos, dissipata Sacerdotum & Monachorum collegia, abrogatas constitutiones humanas, antiquatas cæremonias, & si quid aliud est quod clamitant obsistere vigori Euangelico, num protinus vita carebit malis? Imo periculum est, ne pejoribus succedentibus, desideremus rejecta. Quid refert tanto rerum tumultu, non A effugere servitutem ac tyrannidem, sed mutare tyrannos fortassis in pejorem partem, mutare hypocrises, non effugere hypocrisim? Hic nobis in mentem venire debet, vulpis ex Apologis exemplum, quæ nuscas jam expletas expungi noluit ne succederent siticulosæ. Dicent, ergo-ne hæc & hæc perpetuo feremus? Respondeo, nota mala commodius feruntur quam ignota. Deinde non tam est laborandum ut luxentur rerum ordines, quam ut suos quique mores corrigamus privatim. Hoc agentibus aderit Deus, & Principum animos afflabit suo Spiritu. Tumultuum ac seditionum semper fuit infelix exitus. Quod de Principibus & Episcopis dico, idem sentio de civitatum magistratibus, B quorum consensus sobrius premet seditionem, dirimet partis utriusque parum moderatam vehementiam. Felicius res succedet, si sic medeantur vitiis, ut non lædantur homines, præsertim innoxii, deinde si qua recte sunt instituta non convellantur, nec omnis tamen tollantur quæ mutanda sunt, sed quædam suo tempori serventur, quædam ferantur. Postremo si quemadmodum paulatim mala quædam irrepserunt in consuetudinem, ita paulatim revocentur ad meliorem habitum. Quid efficit sector aut ustor, cum febris per omnes corporis venas sparsa est? Paulatim eximendus est vitiosus humor, donec redeat eucrasia. Ad hujusmodi consilium si Christi Spiritus dignaretur inclinare mentes Re- C gum, Præsulum, Magistratuum ac populorum, quod ego quotidianis precibus opto, non gravarer pro mea quantulacumque portione conferre meum consilium. Quod si quid interim novant Magistratus, quod jure meritoque corrigendum videtur, summa vigilantia curandum ne lædantur qui sanari possunt, certe cavendum ne innoxii malis nocentium involvantur, & ubique quantum licet civilis concordia servetur incolumis. Hæc ad illos qui spargunt querimonias injustas, me premere consilium quo possim mederi dissidio. Effudi quicquid celo in pectore. Fateor illic celo multa optima, multa item pessima, optima vota, bene cupiens rei Christianæ, pessimos dolores, quod conspiciam in dies rem in pejus vergere, utriusque partis intemperantia: vereorque ne fiat, ut post multas magnasque calamitates incipiamus velle, quod nunc audire non possumus. D

Nunc paucis mihi placandi sunt, quos illud male habet, quod litteris ad Concilium *Badense* scriptis reddiderim, ut ajunt, *Oecolampadii* causam deteriorem, quemadmodum & hoc Libello. Imo in illis litteris, *Oecolampadii* nulla mentio, tantum depello falsam insimulationem, quam ineptus ille mendaxque Libellus mihi impingit. Si quid aliis datum est lucis aut spiritus, nihil obsto Spiritui Dei. Cæterum non patiar mihi imponi sententiam, quæ nunquam desedit in animo meo, nec E profecta est ab ore meo, nec ullis litteris meis prodita est, neque significata. Quæ res si forte per occasionem officiat *Oecolampadiano* negotio, mihi non debet imputari, sed illi parum auspicato Libello, per quem si licuisset libenter eram quietem acturus in hoc negotio. Nec enim arbitror quenquam esse tam iniquum, ut æquum videri postulet, tantam habendam esse mihi rationem dissentientium, ut in horum gratiam ad calumniam, quæ me vocabat in manifestum famæ vitæque discrimen, debuerim esse mutus: præsertim reclamante conscientia, qui scrupum profecto præduram injecissem, si passus fuissem simplices, mei nominis fuco deceptos in eam pertrahi sententiam, quam ipse non ausim profiteri, quia mihi nondum persuasi. Meo fum officio functus, reddidi facti mei rationem populo. Quod supereſt, precor ut Dominus nos omnes faciat unanimes in doctrina sana, & caritate non ficta. Amen. *Basileæ*, Anno 1526. Mense *Junio*. F

FINIS.

DE-

Digitized by Google

* DESIDERIVS ERASMVS ROT.
GERARDO NOVIOMAGO S.

DOLEO *litteras tuas nobis ſero redditas: jam enim excuditur Epiſtola, qua invidiam per illos libellos mihi conflatam depello, quanquam abſtinens tuo nomine, quod immutavi. Miror per quos hic ludus ludatur. Bene vale.* Friburgo 3. *Decembr. An.* 1529.

DESIDERII ERASMI
EPISTOLA
CONTRA QVOSDAM,
QVI SE FALSO JACTANT EVANGELICOS.

Eraſmus Rot. Vulturio Neocomo S. D.

BIBLIOPOLA quidam reddidit mihi *Davidis* quondam *Ultrajectini* Præſulis galerum, villis hirſutum ſericis, mihi quidem nulli futurum uſui, ſed tamen hoc nomine gratum, quod mihi cum ipſius, tum *Philippi* fratris ejus, qui illi in dignitatem ſucceſſit, memoriam refricat: ſub quorum altero ſacris initiatus ſum, alterum habui ſingulari ſtudio meis faventem commodis: qui & annulum inſigni ſaphiro decoratum, germani *Davidis* olim geſtamen, ceu μνημόσυνον quoddam penes me eſſe voluit. Utriuſque certe memoria mihi ſacroſancta eſt, non tantum ob id, quod imaginibus magnum illum *Philippum* patrem, cognomento *Bonum*, nobis referebant, quo non temere reperias alium inter *Brabantia* Duces laudatiorem, verum etiam quod ſtudio pacis & Religionis amore præcelluerunt, in hoc quoque laudatiſſimum parentem nobis referentes. Alterius virtus crebris ſeditionibus fuit exercita, ac proinde illuſtrior: altero diu frui non licuit, quod ſenex jam ac vergente ætate pertractus ad hoc muneris, moxque magis etiam contra animi ſententiam auctoritate *Caroli* Cæſaris, bellorum tumultibus involutus, relictis terris, in feliciorem ſedem demigravit. Porro quod ſignificas tibi moleſtam egeſtatem, equidem nec tam ſum inops, ut non poſſim, nec tam parcus, ut graver amiculo aureos aliquot impartiri: ſed hæc benignitas quantulum haberet momenti ad tuam egeſtatem ſublevandam? Res mihi ſane mediocris eſt, minimumque ſupereſt meis neceſſitatibus. Multum impendii requirit hoc corpuſculum, etiam tum delicatum cum ætate floreret, aliquanto plus ſenectus, plurimum adverſa valetudo, geminuſque morbus, uterque immedicabilis. Nam ut adverſus ſenectutem nullum eſt à Medicis remedium, ita negant calculum in ſenibus eſſe ſanabilem. Jam bona pars mihi deciditur in famulos & præſentes & dimiſſos, in nuncios & γραμματοφόρους, in eos, qui noſtros labores induſtria ſua nonnihil ſublevant, hoc eſt, qui venantur vetuſtos codices, qui conferunt enotantque, qui noſtra relegunt, qui deſcribunt. Ad hæc, vix credas quanto rei familiaris detrimento reliquerim *Baſileam*. Nam illic præter alia commoda domum habebam alienis impendiis ſartam, aliena ſupellectile inſtructam, hîc ære meo paranda ſunt omnia. Poſtremo, ut pretia rerum accreſcunt ſupra modum, ita decreſcunt cenſus. Cæſar agit fabulam plane motoriam, ut ne creditores quidem nunc auſint illum appellare, tantum abeſt ut otioſus Conſiliarius, & appellator non minus piger quam verecundus, ſtipendium accipiam. *Ferdinandi* Regis eo ſtatu res ſunt, ut illius benignitas intrà benevolentis animi pomeria conſiſtat. Jam quod ex *Anglia*, *Flandriaque* ſolvitur, adeo venit acciſum & arroſum, ut interdum quarta pars abſit: Sive in cauſa eſt novata apud *Anglos* moneta, ſive mutata numiſmatum æſtimatio, ſive menſariorum ars. Quin jampridem nec ex *Anglia* nec ex *Flandria* quicquam adfertur, cum hactenus certiſſima fuerit illorum cenſuum ſolutio. Suſpicor aliquid monſtri ali. Eaque gratia famulorum meum fideliſſimum illuc emandavi, ingenti quidem ſumtu meo, ſed, quod mihi carius eſt, incolumitatis illius non levi diſcrimine. Verùm poſtquam, mi *Vulture*, induxiſti in animum Euangelicam vitam profiteri, miror paupertatem eſſe moleſtam, cum beatus *Hilarion*, ubi non inveniret quod pro naulo ſolveret, gloriandum duxerit, quod inſciens ad tantam Euangelii perfectionem perveniſſet. Gloriatur & *Paulus*, quod ſciat abundare & penuriam pati, quod nihil habens omnia poſſideat. Idem collaudat Hebræos quoſdam Euangelium amplexos, quod rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcepiſſent. Nemo tibi quicquam, opinor, eripuit, ſed ultro quod erat, licet exiguum, pro derelicto habuiſti, teque ipſe prudens ac volens iſti paupertati dedicaſti. Adde ſi *Judæi* non patiuntur inter ipſos eſſe pauperes, quanto magis convenit ut qui jactant Euangelium, fratrum inopiam mutua benignitate ſublevent: præſertim cum Euangelica frugalitas minimo ſit contenta. Si panis cibarius adſit & aqua, non deſiderant *Attica* bellaria qui ſpiritu vivunt. Neſciunt luxum, jejunio paſcuntur. Ipſi Apoſtoli confrictis manu ariſtis famem ſedaſſe leguntur. Alium fortaſſe deterreret, quod diploma *Leonis*, ut audio, devoveat omnes qui iſtius doctrinæ profeſſores, aqua, igni, aut hoſpitio juvant: Verùm id ego ſic interpretor, qui juvant ob ſectæ favorem, alioqui ſi germano fame periclitanti ſubveniam, non ob aliud, niſi quod germanus eſt, non arbitror diplomatis minas ad me pertinere. Idem exiſtimarim ſi hominem, licet damnatum, ſublevem, non ob aliud, niſi quia germanus* eſt, & quam diu ſpirat, ſpes eſt, illum ad meliorem frugem rediturum. Nam juxta *Theocritum*, *non eſt ſpes ulla ſepultis.*

Fortaſſis hîc tibi videbor cavillis ludere, at aliis non idem videtur. Dices, non poſtulo ſubſidium pecuniarum, tantum operam tuam ad Poetices profeſſionem requiro. Verecunde flagitat quiſquis queritur. At mihi, *Vulture* cariſſime, longe major etiam eſt otii quam nummorum penuria, nec iſthuc operæ quod petis, exiguo negotio præſtare queam, ut maxime præſtare valeam quod petis. Quid me jam tot annis ab iſto ſtudiorum genere alienius? Quod autem attingis de offenſione, non poſſim tali amico iraſci etiamſi velim, dolere me fateor, quod in iſtum labyrinthum temet conjeceris, unde utinam te poſſim eximere. Utinam tibi tum pro aliis quibuſdam fuiſſem in conſilio, qui nunc, ut ſcribis, deteſtantur ad quod pridem inſtigarunt. Sed harum rerum ſera eſt querimonia. Sanabilius erat malum, niſi te libellis editis Orbi prodidiſſes,

* Ex hoc Epiſtolio, quod antiquiſſimæ iſtius Libelli Editioni præfixum invenimus, diſcere eſt, qualis ille fuerit, quem ſub nomine ficto *Vulturii Neocomi* deſignatum voluit Eraſmus.

* Alia Editio, *homo.*

Digitized by Google

à quibus tamen ne monitus quidem temperasti. Parum erat evulgasse Epistolam ad *Spirense* Concilium, non magno intervallo prosiliit nobis ridiculus ille *Cometes Carolo* Cæsari dicatus. Cum iterum te meis scriptis admonuissem, ut à talibus jocis temperares, qui & Principum animos ad sævitiam irritarent, & adeo nihil juvarent causam, à cujus victoria, vestra pendet incolumitas, ut etiam gravissime lædant, placide quidem respondisti: sed perinde quasi te fuissem hortatus, ut simile quiddam iterum designares, ita rursus ad Concilium *Spirense*, cui tum Rex *Ferdinandus* præsidebat, missus est Libellus, nomen *Erasmi* litteris bene magnis præferens. Titulus erat *Epistola Erasmi*, cum esset fragmentum alicunde è libris meis decerptum, ut lector parum attentus existimaret meam esse sententiam, non esse fas in quenquam hæreticum pœna capitis animadvertere, eaque res Cæsarem, *Ferdinandum*, aliosque Principes, atque etiam Romanum Pontificem in meum caput irritaret. Post hoc fragmentum sequebantur quædam tuo nomine, simpliciter, ut ab omnibus audio, seditiosa. Nam mihi nondum vacavit legere. Hoc factum, tam abhorrens ab humanitatis amicitiæque natura, ego vehementer admiratus sum, alii magnopere detestati sunt. Cæterum quo minus tecum expostularim, migrationis negotia fuerunt in causa. Concoctum est hoc, aut potius dissimulatum, & ecce nundinis autumnalibus prorupit similis Libellus eandem canens cantilenam, qui in frontispicio prægrandibus litteris profitebatur *Annotationes Erasmi*, reliqua tuo nomine succedebant, magis ad excitandas seditiones, quam ad pietatem conducentia. Nisi forte non videtur seditiosum, hortari Principes, ut facultates Sacerdotibus ac Monachis adimant, & in bonos vestri similes conferant: aut non offenduntur illorum animi, cum audiunt: *noli occidere innocentes, noli tuo periculo recalcitrare Euangelio, sine verbum Dei in tua ditione prædicari.* Hæc quid aliud sunt, quam atrociissima convitia nondum persuasis, imo in diversum persuasis? Quos tu vocas innocentes, illi habent pro seditiosis & hæreticis: & quod tu vocas Euangelium, illis persuasum est esse doctrinam Satanæ. Prius igitur erat illis persuadendum: quod si non potes, aliis rationibus tractandus erat illorum animus. Jam finge mihi in tot libris alicubi excidisse, hæreticos non esse capite plectendos: An hoc erat humanitatis, quod videbatur ad mihi conflandam invidiam accommodatissimum, id truncatim decerptum, oculis & auribus Principum ingerere, prætermissis his quæ vel mitigabant atrocitatem dicti, vel quid vere sentirem explanarent? Si hoc faceret alienus in alienum, quis non desideraret in eo candorem & humanitatem? Nunc hæc facis amicus in amicum, & amicus Euangelicus in eum amicum, qui nunquam tibi neque facto neque dicto præbuit ansam dissuendæ necessitudinis. Jam hoc atrocius est, quod nusquam id doceo, non esse sumendum capitis supplicium de hæreticis, nec usquam adimo gladii jus Principibus, quod illis non adomit *Christus* nec Apostoli: tantum admoneo locis aliquot, ne sit hîc præceps Principum severitas, nec facile præbeant aures quorumlibet Theologorum aut Monachorum delationibus. Sunt dogmata Scholastica, de quibus dubitare non est semper impium, & in quibus inter ipsos sæpenumero non convenit: est error simplex, neque statim est hæreticus qui lapsus est in aliquo fidei articulo. Ubi non subest perversitas animi, ubi nulla est pervicacia, ibi sublevandus est caritate Christiana qui lapsus est, non occidendus. Præterea sunt Monachi ac Theologi, qui vel naturæ sævitia, vel stoliditate, vel gloriæ quæstusve gratia, vel denique privato ducti odio, deferunt atrociter non solum quæ frivola sunt, aut utramque in partem disputabilia, sed etiam quæ recte dicta sunt, perversissime calumniantur. Nosti *Jacobum Hogbestratum*, nosti *Nicolaum Ecmondanum*, nosti *Beddam*, quos nominasse sufficit, precor ut reperiant Deum sibi mitiorem judicem quam ipsi fuerunt aliis. Tales admoneo Christianæ mansuetudinis, ut, quod Ecclesiasticis viris dignum est, magis advigilent ut sanent, quam ut perdant. Talis fuit *Christus*, tales Apostoli, talis *Ambrosius*, *Cyprianus*, *Augustinus*, quorum caritas Cæsareum gladium ab occidendis Hæreticis, quantum poterat, cohibebat, ipsi lingua librisque rem Ecclesiæ gerebant, & frequenter pro occidendis intercedebant. Princeps non sine causa gladium portat, fateor, at certe Theologorum & Episcoporum est docere, arguere, mederi: docere errantes, arguere feroces, mederi deceptis: & quod Domini parabola admonuit de non tollendis zizaniis, vel ad illa rudis Ecclesiæ primordia, vel ad Apostolicos viros pertinet, quibus non est traditus gladius, nisi gladius Euangelicus, quod est verbum Dei. Hoc me sentire non potuit te latere, cum hac de re ante complures annos responderim *Lasco*, pridem *Bedæ*, ac nuper stolidissimis Monachorum *Hispaniensium* calumniis. Rursus est hæresis, quæ manifestam habet blasphemiam, veluti quæ *Christo* detrahit naturam divinam, quæ divinos Libros insimulat mendacii: Est quæ malitiosis artibus per tumultus ac seditionem tendit ad opes, ad regnum, ad rerum humanarum confusionem. An hîc alligabimus Principi gladium? Ut non liceat occidere hæreticos, certe blasphemos & seditiosos tum fas est, tum ad tuendam Rempublicam necessarium. Itaque ut peccant qui ob quemvis errorem pertrahunt homines ad ignem: ita peccant qui in nullos hæreticos arbitrantur profano Magistratui jus esse occidendi. Verùm cum hi, qui pro hæreticis habentur, suadent non occidendos hæreticos, vel cæco perspicuum fit non defendi veritatem, sed quæri maleficiis impunitatem. Quid aliud optarent prædones ac piratæ, quam persuasum esse, nulli Christiano Principi jus esse quenquam plectendi capite? Bonus est timor qui deterret à scelere. Quod si quis vult non timere Magistratum, quod bonum est operetur, & publica potestas non solum non erit formidini, sed erit etiam honori, juxta beati *Pauli* consilium. Necessaria est Principum severitas, quam ipsi sævitiam appellant. Atqui sæpenumero fit hominum vitio, ut Principes natura clementes, malorum improbitas cogat ad sævitiam, dum ipsorum lenitate abutuntur, ac primum contemnunt, mox etiam illudunt, & illorum mansuetudinem interpretantur impietatis approbationem. Hujuscemodi docent mei libri, si quando locus postulat: non hoc cujus suspicionem tuus iste ludus mihi conatur impingere, non quod ipse hoc de me sentias, sed ut imponas simplicioribus. Quæso te per amicitiam nostram, an tibi videor parum gravatus invidia, nisi studio tantum addas sarcinæ? Adversus tot viperas, adversus tot crocodilos, adversus tot excetras, ægre me sustineo favore Monarcharum, nec ulla res erat quæ poterat illos magis alienare, quam si illis gladium excutiam è manibus, easque sectas defendam, quas illi velut exsecrabiles radicitus evulsas cupiunt, & facerent, nisi rerum motus alio vocaret illorum animos. Obsecro te, amice, quid hostis in hostem faceret hostilius? Ut nihil in te contulerim officii, certe jam olim diligo te candidissime, tuis commodis perinde ac meis semper gavisus sum, incommodis tuis æque ac meis indolui. Quonam igitur scelere commerui, ut istis artibus caput meum adducas in discrimen? Nosti Monarcharum iras, scis quod fulmen vibrent irati *Joves*. *Indignatio Regis*, ait *Salomon*, *nuntii mortis:* nec semper adest vir ille bonus, qui placet iram ejus, sed frequenter adsunt mali qui oleum addant camino. Nec ignoras, quam multa nesciant Principes, quam ad multa parum sint attenti, tot nimirum distracti negotiis: nec te fugit quot artibus sit armata calumnia, quantumque valeat interdum apud summos etiam Monarchas. Sæpe jacet innocens priusquam sciat se delatum. Itaque non queo satis demirari, quo tandem consilio libellos istiusmodi alium post alium evulges. Si hoc agis ut me perdas, quo evanuit animus ille tuus, olim tam amicus, tam sincerus, tam candidus?

dus? Ubi leges amicitiæ? Sin hoc moliris, ut me compellas ad istius sectæ professionem, id jam pridem mea sponte fecissem, mihi crede, si animo meo probaretur fabula. Ut autem profitear ea quibus reclamat mea conscientia, nullus efficiet mortalium, ut nunc quidem affectus sum, mortem citius oppetiero. Sed ubi interim vestrum illud dogma, fidem persuadendam esse non cogendam? & in Euangelii negotio nihil adhibendum præter gladium verbi Dei? Quod si ista, ut arbitror, non facis malevolentia, sed animi gratia ludis, quæso quid hac voluptate crudelius? An non est aliud ludendi genus, quam cum amici pernicie deliciari? Sunt qui suspicentur, hinc emolumentum quæri vel tibi vel Typographis. An tantillum lucri tanti est, ut hoc amici summo dispendio captandum existimes? An desunt gratiosa nomina, quorum lenocinio pelliceatur emtor? Quod si isthuc operæ vel commodas vel locas aliis qui mihi male volunt, quid fingi potest, non jam dicam alienius ab amicitia, sed sordidius atque abjectius? Si magno conductus esses, præmii magnitudo utcunque facti turpitudinem elevaret, nunc si pretium est, non potest non esse vilissimum. Atqui lex amicitiæ postulat, ut quoties vita seu fama, quæ sæpenumero vita carior est, vocatur in periculum, amicus pro amico vel in capitis discrimen promte descendat.

Sed mittamus amicitiæ rationem: Si ex animo probas quod profiteris, si vere tibi persuasum est esse sanctum, pium, ac Deo gratum quod tueris, quo pacto magis valeas alienare bonorum animos à vestro negotio? *Cometen* dicasti Cæsari, nec tuum suppressisti nomen. An ille parum indignatur vobis, nisi talibus ludibriis magis etiam exasperetur? An Regem *Ferdinandum* habetis parum iratum, nisi talibus fomentis etiam atque etiam inflammentur, tum ipse tum alii Principes illi consentientes? Quorsum attinebat addere oleum camino? An vobis talium Monarcharum potestas videtur contemnenda? Hoc ut impium non sit, an tutum existimas? Atqui movere vos debet recens Agricolarum exemplum. Quid erat illis ferocius? Sed experti sunt verum esse quod scripsit *Solomon; Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur spiritus.* Et tamen hîc quieverunt Cæsar *Carolus* & Rex *Ferdinandus*. Interim non ago vestræ causæ judicem, habet illa judices legitimos Cæsarem & Pontificem. Sed interim fingamus esse piam, ubi illa serpentis Euangelici prudentia, qua *Paulus* sollicite cavet ne quod offendiculum det Euangelio, sed in omnia se vertit, ut omnes *Christo* lucrifaciat? Ubi columbina simplicitas, quæ nec inimicos novit lædere? An istiusmodi technis propagatum est Euangelium ab Apostolis? Atqui jactatis vos Euangelicam veritatem jam plus mille annis sepultam revocare nobis in lucem. Si verum dicitis, difficilius negotium agitis, quam olim habuerunt Apostoli. Nec enim paulo facilius erat Judaicos abrogare ritus, ac Gentium superstitionem destruere, quam ea convellere, quæ Ecclesiæ proceres magno consensu tot seculis ut oracula Dei, docuerunt, coluerunt, tenuerunt, hodieque tenent. Nam Gentium religio tantum habebat absurditatis, ut etiam qui inter illos litteras scirent aut paulo essent cordatiores, intelligerent esse mera figmenta, quæ de Diis ferebantur, à callidis hominibus in hoc excogitata, ut incondita multitudo, quæ Philosophiæ rationibus gubernari non poterat, Deorum metu utcunque contineretur. Et Prophetarum vaticiniis prædictum erat futurum, ut Gentes, relicto Dæmonum & simulachrorum cultu, verum Deum agnoscerent, quemadmodum & de Judaicis ceremoniis prædictum erat futurum, ut ad coruscantem Euangelii lucem velut umbræ evanescerent. At in his, quæ vos convellitis, quid obsecro vel absurdum vel ridiculum? Aut quis unquam Prophetes prædixit hoc futurum, ut totus Orbis ignoraret *Christum* ab Apostolis prædicatum, ac pro Deo coleret idola: tum quotquot in Apostolorum vicem successerant excæcati, nihil viderent in sacris Litteris, deinde post mille trecentos annos à nescio quibus novis Euangelistis ad veritatis cognitionem revocaretur? Adde quod Apostolorum prædicationi fidem adstruebat perpetuus dogmatum consensus ac miracula, cum vos non solum dissentiatis inter vos, sed iidem subinde novetis ritus pariter & dogmata, altera parte sitis omnino destituti. Arbitror autem nec miracula tantum attulisse momenti ad novandum Mundum, quantum Euangelistarum mores undiquaque puros & inculpatos. Non jam loquor de jejuniis aut vestibus, similibusque ritibus, quos simulant & hypocritæ, sed in afflictionibus alacritas, in perferendis injuriis lenitas, animus simplex, mansuetus, nulli malum cogitans, & de omnibus bene mereri studens, omnibus humanis rebus superior, & vitæ contemtor, præcipue commendabant illorum doctrinam. Avocabant illi à solitis, sed adducebant ad longe meliora. Vos strenue clamatis in luxum Sacerdotum, in ambitionem Episcoporum, in tyrannidem Romani Pontificis, in garrulitatem Sophistarum, in preces, jejunia, & Missas: Nec ista purgari vultis, sed tolli, nec omnino quicquam in receptis placet, sed zizaniam evellitis cum tritico, aut, ut melius dicam, triticum evellitis pro zizania. At quid interim nobis profertis melius & Euangelio dignius, ut ab assuetis recedamus? Circumspice populum istum Euangelicum, & observa num minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quam faciunt ii quos detestamini. Profer mihi quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Excussæ sunt è Templis Statuæ, sed quid refert, si nihilo secius in animo colantur idola vitiorum? Nec video quo consilio quidam tanto studio demoliti sint imagines, nisi ut esset conspirationis symbolum. Interim obtenditur horrendum idololatriæ crimen. Sed quis nunc est tam lapis, ut putet lapidibus ac lignis inesse sensum? Et si qui tales sint, quantulum erat negotii docere populum, imagines ad hoc tantum repertas, ut imperitis memoriam adjuvent? Excussæ sunt preces solennes, sed jam plurimi sunt qui nihil prorsus orant, cum frequens puraque oratio sit sacrificium maxime proprium Christianis. Abrogata est Missa, sed quid illi successit sacratius? Non enim jam confero ritus cum ritibus, inductos cum relictis. Nunquam illorum Ecclesias sum ingressus, sed aliquando vidi redeuntes à concione veluti malo spiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram præ se ferentibus: neque quisquam erat omnium, qui mihi viris aliquot honestis comitato deferret honorem, quem exhibemus quibuslibet, præter unum seniculum. Sic opinor discedunt milites à concione Ducis ad prælium, & ad θέριον ἄλκαρ exhortati. Quis unquam vidit in illorum concionibus, quenquam pro peccatis suis fundentem lachrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentem? Jam quanta pars ibi consumitur, in lacerandæ Sacerdotum vitæ, ac si verum narrant, frequenter in iis Sermonibus, qui magis faciunt ad seditiones, quam an pietatem. Abrogata est Confessio, sed interim ne Deo quidem confitentur plurimi. Abjectus est cum jejuniis ciborum delectus, sed interim gnaviter indulgetur crapulæ: & ita quidam effugerunt Judaismum, ut cœperint esse *Epicurei*. Protritæ sunt ceremoniæ, sed nihil accessit spiritui, imo multum decessit, meo quidem judicio. Ceremonias quasdam Judaicas observavit *Paulus*, ne Judæos alienaret ab Euangelio; saltem hoc animo non erant omnes ceremoniæ rejiciendæ. Nesciebant Apostoli præscriptos jejuniorum dies, verum: sed ultro injussique jejunabant quotidie. Nesciebant ciborum discrimina, sed sponte vilissimis utebantur, summamque in omnibus frugalitatem obtinebant. Nemini præscribebatur leguminum esus, sed ultro leguminibus erant contenti, si res ita tulisset. Nulli interdicebatur usus vini, sed *Timotheus*

Digitized by Google

volens tam vivebat abſtemius, ut *Paulo* monitore eſſet opus, qui præſcriberet modicum vini uſum ad fulciendam corpuſculi imbecillitatem. *Paula* mater *Euſtochii*, nec *Hieronymi*, nec Epiſcopi ſenis auctoritate perpelli potuit, ut anus vel in morbo guſtaret vinum. Si libertatem Euangelicam amplectimur, ſic excutiamus Legis jugum, ut caritas plus ultro præſtet, quam Lex imperabat. Excuſſum eſt jugum humanarum conſtitutionum, ſed ubi ſunt qui ſubmiſerunt cervicem ſuavi jugo Domini? Et interim conſtitutiones humanæ, conſtitutionibus humanis, imo parum humanis mutantur. Titulus modo mutatus eſt, vocatur enim verbum Dei, cæterum res adeo nihilo eſt mitior, ut complures boni viri præferant ultroneum exſilium iſti magnifice decantatæ libertati. Atque adeo proceres quidam & anteſignani iſtius factionis, cum nondum ad Epiſcoporum dignitatem, opes ac ditionem pervenerint, tamen ejuſmodi ſpecimen de ſe præbent, ut ego me malim in Epiſcoporum, quam in horum poteſtatem tradere, ſi detur optio: malimque Cæſaris potentiſſimi ferre jugum, quam quorundam Magiſtratuum Euangelicorum, quamvis humili ſorte. Sic excutiunt jugum hominum, qui veſtro Euangelio ſubmittunt cervicem. Magis vereor ne plerique pro gravi jugo hominum portent gravius jugum Diaboli. Excuſſa eſt obedientia Epiſcoporum, ſed ita, ut ne profanis quidem Magiſtratibus pareatur. Olim Chriſtiani ſub Ethnicis Principibus quiete vivebant, ſtudioſe caventes, ne quam ſeditionis occaſionem darent, exhibentes honorem cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributum cui tributum: hortabantur Chriſto initiatos, ut idololatris etiam Magiſtratibus obtemperarent, pro illorum incolumitate quotidie Deum orabant: At iſte populus tam Euangelicus, etiam *Turcarum* Principi dicitur deteſtabilis, quem ait ſeditioni natum. Quos ſubinde tumultus excitat? quoties quam levibus de cauſis procurrit ad arma? ne ſuis quidem Eccleſiaſtis ſatis obtemperans, niſi dicant blanda auribus; profligandi etiam, ſi liberius in vitam illorum invehantur, aut ab opinione diſſentiant. Initio tantum non Deus erat illis *Lutherus*, nunc iiſdem prorſus delirat, quod novum de Euchariſtia dogma non recipiat. Novam vero libertatem Euangelicam, impune facere ſentireque quod cuique libitum eſt. *Paulus* jubet tradi Satanæ eum, qui contra naturæ pudorem, novercam duxerat uxorem, hortaturque diſcipulos, ut ſubtrahant ſeſe à conſuetudine fratris inordinate ambulantis. Cum his vero, qui manifeſtis vitiis infames ſunt, ne menſam quidem vult haberi communem. Nunc circumſpice mihi ſodalitatem iſtam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames. Et hos quidam habent etiam in delitiis, tantum abeſt ut vitent. Apoſtoli quo magis vacarent Euangelio, aut abſtinebant ab uxoribus, quas ducere tum licebat, aut legitime ductas vertebant in ſorores. Nunc floret Euangelium, quod Sacerdotes & Monachi contra leges certe humanas, contra profeſſionem ſuam ducunt uxores. Condonetur hoc, circumſpice num caſtiora ſint eorum conjugia, quam aliorum quos ducunt pro Ethnicis. Agnoſcis, opinor, quas hîc fabulas tibi poſſim referre ſi libeat. Neque enim neceſſe eſt ut notiſſima referam, quæ vel Magiſtratus, vel plebes reclamante aut connivente Magiſtratu publicitus deſignavit. Profligatus eſt Monachiſmus, ſed utinam cum cuculla ſimul excuſſiſſent vitia, quæ huic hominum generi dicuntur eſſe peculiaria. Quid refert poſuiſſe cucullam, ſi manet obtrectandi morbus, ſi invidentia, ſi impudentia, ſi philautia, ſi fucus & ſimulatio, ſi otium, ſi cibus alienus, ſi petacitas, & oberrandi libido, ſi rerum alienarum curioſitas, ſi vindictæ cupiditas, ſi animus ad iracundiam præceps? Mihi videtur novum Monachorum exoriri genus, altero ſceleratius, de malis loquor Monachis. *Nota mala, mala non ſunt*, inquit ille. Stultum eſt igitur mala mutare malis, dementis etiam mala mutare deterioribus. Atque interim dum neminem amant præter ſeſe, dum nec Deo, nec Epiſcopis, nec Principibus ac Magiſtratibus obtemperant, dum mammonæ, gulæ, ventri & inguini ſerviunt, poſtulant haberi pro Euangelicis, & *Lutherum* magiſtrum * proferunt. At qua fronte *Lutherum* magiſtrum agnoſcunt, qui quod præcipue docet & inculcat *Lutherus*, in primis negligunt? Fidem ubique prædicat *Lutherus*, ea ubi ubi eſt, otioſa eſſe non poteſt, operatur per caritatem, nec operatur niſi bonum. Spiritum ubique prædicat *Lutherus*, at qui ſunt fructus ſpiritus? Caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. At nos in pleriſque videmus opera carnis, ſpiritus nullum veſtigium. Quid autem illis cum *Luthero*, qui quod illius doctrinæ caput eſt pili non faciunt? Quanquam hæc non ſunt *Lutheri*, ſed *Chriſti* & Apoſtolorum. Sit hoc diſputabile, utrum bona opera gignant fidem, an fides pariat bona opera, an bona opera juſtificent, nec ne: Illud certe extra controverſiam eſt, abſque fide non eſſe cuiquam ſpem ſalutis, & ex fide per caritatem neceſſario naſci bona opera, ut impudenter jactent fidem, qui non ſtudent bonis operibus, ac fruſtra ſibi promittant ſalutem, qui fide gloriantur bonis operibus deſtituta. Jam vereor ne ſub iſto nomine multi nobis oriantur Pagani, quo magis etiam ſint liberi, ſi nec cœlum credant eſſe, nec inferos, nec animos à morte corporis ſupereſſe. Atqui interim iſti jactant liberatas conſcientias. Perfecta pietas habet quietam conſcientiam, ſed habet & ſumma impietas. At ego malim irrequietam conſcientiam, quam fidei ſemen perpetuo ſtimulans non ſinat eſſe tranquillam. Inſanabile malum eſt, quod non ſentitur.

Sed ut ad rem redeam, ſi fidem tam habent in pectore, quam illis natat in labiis, quid eſt quod ſic ad callida conſilia technaſque confugiunt? non jam loquor de plebe, ſed de primoribus. Erat mihi familiaritas *Baſilea* cum quodam nondum prorſus afflato hoc ſpiritu Euangelico: Is cum ſtatuiſſet totus eſſe Euangelicus, primùm rumorem ſparſit me de Euchariſtia idem ſentire quod ipſe ſentiebat, cum ex colloquiis ſciret me diverſum ſentire. Tum enim ea quæſtio potiſſimum vertebatur. Expoſtulavi cum homine de techna tam parum amica. Primùm inficiari, mox tergiverſari, tandem faſſus eſt ſe ita fuiſſe quibuſdam loquutum: *Eraſmus bene ſentit de Euchariſtia, nimirum idem quod ego*: Rogavi quid ipſe ſentiret. Corpus, inquit, eſſe Chriſti. Hoc, inquam, ſane mihi tecum convenit. Sed ſentis illic eſſe corpus Chriſti ſubſtantialiter? Negavit cum averſatione. Atqui hoc mihi tecum non convenit, inquam. Cæterum quid profiteris apud tuos? Corpus illic non eſſe niſi in ſigno? Annuebat. Atque interim, inquam, dum audiunt *Eraſmum* idem ſentire quod tu, nonne bella techna falluntur? Obticuit. Is jam proficiſcens emiſerat unam atque alteram Epiſtolam, in quibus laudabat ſubinde meam prudentiam, ſubindicans lectori me non ex animo loqui, ſed callide diſſimulare quid ſentirem. Idem domi ſuæ reliquit Epiſtolam ad Magiſtratum *Baſileenſem*, qua hortabatur, armatis precibus mecum agerent ut aperirem animi mei ſententiam, cum ſemel Magiſtratui etiam ſcripto reſpondiſſem. Obſecro te, num hujuſmodi technæ reſpondent Euangelicæ ſinceritati? Ejuſdem, ni fallor, inſtinctu, ſub Concilium *Badenſe*, quod huic quæſtioni diſcutiendæ fuerat indictum, prodiit Libellus Germanice ſcriptus, ne mihi promtum eſſet reſpondere, quo frivolis argumentis probare conabatur artifex, quod *Lutherus* & *Eraſmus* de Euchariſtia ſentirent cum *Carolſtadio*, qui tum primum ſparſis clam Libellis inſulſiſſimis Germanice ſcriptis, ſemen hoc *Baſileam* recens invexerat. Quid hoc facto impudentius, præſertim quod ad *Lutherum* attinet? Is *Carolſtadium* ejecerat ob hoc dogma, & reverſum, ut erat conſtans rumor, adegit ad palinodiam. Id cum Libel-

* Alia Editio, *præferunt*.

lis

lis & Epiſtolis editis teſtatiſſimum eſſet, tamen homo ſuavis Orbi perſuadere conabatur, *Luthero* cum *Carolſtadio* convenire, utcunque diſſimularent. Ut autem perſuaderet idem me ſentire, collegerat loca quædam è Libris meis, quos multo ante ediderам quam hæc exſiſteret quæſtio, aut priuſquam ſomniaſſem quenquam de Euchariſtia dubitaturum, tantum abeſt ut ipſe dubitarim. An qui talibus artibus rem agunt, habere videntur fidem Euangelicam? Hoc erat illorum conſilium; priuſquam inveniat *Eraſmus* interpretem, priuſquam reſpondeat, priuſquam excudatur Apologia, jam hic Libellus per omnium manus volitans, omnibus perſuaſerit quod volumus. Is populi error pariet nobis in eo conventu victoriam. Denique ſi quid reſponderit, pauci legent Latina, & populi ſuffragiis tota res agitur. Senſi technam, &, quod unum licuit, jam profectis qui vocati fuerant ad illam Synodum, arripui calamum, & Epiſtola tum meam declaravi ſententiam, tum illius artificis fucum detexi. Eam Epiſtolam curavi Germanice vertendam, & utraque Lingua deſcriptam, per nuntium proprium miſi in Concilium, poſtulans ut publice recitaretur, id quod factum eſt, ac paucis poſt diebus emiſi Libellum apologeticum, quem in Epiſtola fueram Concilio pollicitus. Hoc facinus cum Apoſtolorum moribus collatum, ſi velim rhetoricis rationibus amplificare, vides quam fœcundam habeam materiam. Neque vero hîc tantum deſidero ſimplicitatem illam columbinam, ſed humanam etiam prudentiam. Facile divinare poterat me tantam contumeliam non tacite laturum, &, ut ipſe diſſimulaſſem, rem ipſam confutaturam impudens mendacium, præſertim apud eruditos, atque etiam illitteratos, non omnino ſtupidæ mentis. Quid igitur captavit? temporariam ejus uſuram fuci? Sed cum fœnore recidit deprehenſa vanitas, efficitque ut poſtea ne vera quidem dicentibus habeatur fides. At veritas Domini manet in æternum, nec Euangelii prædicatio volvitur per *etiam* & *non*, ſed in omnibus eſt *etiam*. Venatus eſt animos ſimplicium fraudi idoneos, quemadmodum multi nunc ſub umbra litterarum inſidiantur ætati teneræ, ſexuique muliebri. Immane quam hæc non ſapiunt Euangelicum ſpiritum, quem jactitant. Habes duorum iſtius doctrinæ procerum ſpecimen, quorum te ſimilem eſſe nolim.

Nuper, ut audio, quidam iſtius factionis Eccleſiaſtes non incelebris, verſo nomine dicavit librum filio Regis *Galliarum*, & inſparſit identidem voces aliquot Gallicas, ne in Auctorem Germanum cadat ſuſpicio, affictis & aliis aliquot conjecturis, ut Liber *Lugduni* à Gallo & ſcriptus & excuſus eſſe videatur. Agnoſcis eſſe veriſſimum quod dico, neque enim obſcurum eſt, quis hanc technam commentus ſit, & alias in luſu ſimili deprehenſus. Hunc ludum ſi ſibi permitteret in re vulgari & profana, tamen indignus eſſet gravi viro: nunc quid minus conveniebat in eum, qui ſe profitetur ſacroſancti Euangelii præconem? Appello tuam conſcientiam, *Neocome*, tam ſerium, tam ſanctum, tam arduum negotium, quod vos moliri jactatis, talibus facetiis peragendum videtur? Si ex animo judicatis eſſe pium quod tractatis, utique cupitis univerſos homines eodem pellicere. At quo pacto valeatis optimum quemque magis alienare? Sin perſuaſum quidem habetis Dei eſſe negotium, non hominum, & tamen reclamante conſcientia iſtis fucis hoc agitis, quo ſitis multitudine incolumes: ut homines fallatis omnes, non veremini Deum, cujus vindictam nullus poteſt effugere? Si ille maledictus dicitur, qui facit opus Domini negligenter, quanto eſt exſecrabilior qui facit fraudulenter? *Chriſtus* gloriam crucis non paſſus eſt tribui humanæ ſapientiæ, & iſti volunt eam aſcribi talibus ludibriis ac præſtigiis? Quod ſi rem ludicram eſſe creditis, & aliud agitis ſub Euangelii titulo, quem tandem ſperatis fore exitum iſtius tragœdiæ? Quem, niſi cruentum & infeliciſſimum? Sed ſive luditis, ſive ſerio agitis, ſaltem hoc erat veſtræ prudentiæ, non irritare talibus petulantiis animos Principum, neque ad purgandam famam meam compellere, quod quo facio diligentius, hoc magis magiſque gravo cauſam veſtram. Vides quantopere *Lutherum* obfuit fabulæ primum non omnino peſſimæ, odio, violentiaque ſcribendi, quem nunc velut *Aten Lita* ſequitur *Melanchthon*, componere ſtudens quod turbavit ille, ſed ipſa res docet, quanto celerior eſt offenſio quam medela. Videndum eſt itaque vobis ne moribus neutiquam Euangelio dignis ſubvertatis totum negotium, quod ſi impium eſt, recte facitis licet imprudenter: ſin pium, quod pluribus longe ſecus videtur, non ſolum imprudenter, ſed & impie facitis. Quid aliis accidat, ex me conjecturam facio. Vix credas, quantopere mores iſti animum meum alienent à toto hoc negotio. Quod etiamſi quando mihi ulla ex parte probatum fuiſſet, his rationibus adduci poſſem, ut reſilirem. Dices, nihil tam felix unquam fuit in rebus humanis quin malorum admixtu vitiaretur, ad bonos verte oculos. Fieri poteſt, ut mea ſit infelicitas, mihi adhuc neminem contigit noſſe qui non videatur ſeipſo factus deterior. Arduum eſt quod profitemini, & Apoſtolorum negotio durius, quemadmodum antea demonſtratum eſt, nec vos ſublevant ulla vel vaticinia, vel miracula: quod ſi vita quoque non ſolum non commendat doctrinam veſtram, ſed fidem potius abrogat, ſi neglecta hac commendatione fiduciam in improborum conſpiratione, in ſeditioſis tumultibus, in maledicis libellis, in armis, in fucis & technis reponitis, piget commemorare quid vobis metuam, ſed magis miſeret me tot hominum millium, quos ea calamitas involvet. Apoſtolorum doctrinam tot res Orbi commendabant, cœleſte erat ac plauſibile quod docebant. Narrabant ea quæ viderant oculis, audierant auribus, nihil adferebant quod non eſſet olim multis modis & figuris adumbratum, & Prophetarum oraculis prædictum. Accedebat tantus in prædicando conſenſus. Eadem loquebantur, quia eodem ſpiritu. Aderat præſentanea miraculorum vis, aderat ſpiritus ille igneus, qui ſeſe moribus illorum, atque etiam vultu oculiſque promebat. Nihil vi gerebant, tantum utebantur gladio Spiritus, neminem agebant in exſilium, nullius facultates invadebant, ac ne Gentium quidem idola frangebant, niſi forte precibus ad Deum fuſis. Denique non aliter * loquebantur apud ſuos, aliud in tormentis: Adde nunc tot martyrum mortes. Et tamen talis doctrina, tot rebus commendata, paulatim ac ſenſim occupavit Orbem. Vos poſtulatis, ut intra novem annos Mundus adſpernetur quod ante annos mille à majoribus eſt traditum, & in veſtra dogmata pedibus eat ac manibus, nulla harum rerum, quas recenſuimus, commendati. Quale eſt autem quod exigitis? Ut credamus Eccleſiam annis mille quadringentis caruiſſe Chriſto, ſed ſponſo ſtertente, ſponſam pro Deo coluiſſe larvas & idola, in ſacris Litteris enarrandis fuiſſe prorſus cæcam, miracula ſanctorum nihil aliud fuiſſe quam præſtigias Dæmonum.

Non hîc pergam collationem perſequi, tu ipſe conferto, ſimulque judicato, num æquum ſit quod à nobis flagitatis, & num veſtræ ſaluti bene conſultum ſit, dum iſta ſequimini. Si vos offendunt vitia Chriſtianorum, oſtendite nobis Eccleſiæ veſtræ ſpecimen, quæ non habeat maculam neque rugam, & amplectemur illam. Quod ſi noſtra ſcelera commeruerunt iram Domini, ſolet ille per *Pharaones*, *Antiochos*, *Cyros* & *Nabuchodonoſoras* punire ſuos, non per viros Euangelicos, quales haberi vultis. Quid vobis polliceamini neſcio: Mihi rerum procœmia, progreſſus & omnia ſigna, nihil aliud promittunt, quam calamitoſum exitum, nec vobis tantum triſtem. Multos ſecum trahit ingens ruina. *Qui bene conjiciet, vatem hunc exiſtima optimum*, habet Proverbium: nec fortaſſis eſt aliud certius divinandi genus, quam ſi quis ex præteritis ac præſentibus colligat futura. Euangelica pietas à minimis initiis paulatim crevit in majus ac melius, & optimus quiſque

* Alia Editio, *aliud*.

que se illi jungebat, hanc doctrinam fere leviſſimus quiſque amplectitur. Ad Romanos Pontifices cæteroſque Præſules ſero repſit opum amor, delitiæ & damnandi * libido, vos ſtatim regnare vultis, ſtatim vultis diteſcere. De delitiis quid attinet dicere? Monachorum Ordines hominum inventum eſt, donemus iſtud, ſed quot egregios viros *Franciſcanorum* & *Dominicalium* ſodalitia nobis dederunt, ſive ſpectes eruditionem, ſive ſanctimoniam? *Primum bonos gignit Ægina*, ut Græci ſolent dicere, & hæc eſt rerum humanarum infelicitas, ut ab optimis initiis, paulatim in pejus degenerent. Pudet autem referre quales ſint veſtri inſtituti primitiæ; quam non auſpicata primordia. Jam mihi ſpecta, quam omnia fere cedant in diverſum. Conabantur demoliri Pontificum, Epiſcoporum ac Monachorum tyrannidem, quod per illos non liceret veſci quibuslibet, nec veſtiri quomodolibet: atqui hanc libertatem minimo facileque parare licebat ab Epiſcopis aut Romano Pontifice. Nunc, antea contemtis Theologis ac Monachis, per vos data eſt magna tyrannis excutiendi facultatibus ſi quibus male velint: conjiciendi in vincula, denique exurendi, quod jam experti ſunt complures, nemo non metuit. Antea licebat varias agitare quæſtiones, de poteſtate Pontificis, de condonationibus, de reſtituendo, de purgatorio: nunc tutum non eſt hiſcere ne de his quidem, quæ pie vereque dicuntur. Et credere cogimur quod homo gignit ex ſe opera meritoria, quod benefactis meretur vitam æternam etiam de condigno: quod beata Virgo poteſt imperare Filio cum Patre regnanti, ut exaudiat hujus aut illius preces, aliaque permulta, ad quæ piæ mentes inhorreſcunt. Antehac nemo magnopere moleſtus erat veſcenti carnibus modo privatim, nunc pro hæretico trahitur in carcerem, & de capite periclitatur, qui vel valetudine coactus guſtarit ovum in Quadrageſima. Antea licebat conſpuere Monachos ac Theologos, eoſdem nunc ſic armaſtis, ut capitale ſit quenquam verbo laceſſere. Antea licebat vobis proficiſci quo lubebat, nunc aut latitatis metu, aut paucis civitatibus velut obſeſſi continemini. Antea Clericos conſecratio tuebatur à rigore profani juris, nunc Sacerdotes æque atque cerdones à carnifice torquentur, cæduntur, ſuſpenduntur, decollantur, exuruntur ſine ulla regradatione. Sic effugiſtis regnum Pontificis. Excuſſiſtis aliquot locis Epiſcopos, Canonicos ac Monachos, ſed muſcas jam propemodum ſaturas, ac pro his ſiticuloſas adſciviſtis. Hæc ſunt renaſcentis Euangelii veſtri præclara auſpicia, quid immineat malorum vos divinate.

Verùm jam dudum piget hujus † comparationis, multoque proclivius eſt præterita reprehendere quam corrigere. Atque utinam per quoſdam veſtræ profeſſionis liceat mederi priſtinis. Utinam res utcunque cœpta, ad eam moderationem redigatur, ut quæ officiunt pietati, commoda prudentique curatione ſanentur: quæ pia ſunt in his animo Chriſtiano conſentiamus: quæ nec admodum conducunt ad pietatem, nec officiunt, ſinamus in his unumquenque in ſuo ſenſu abundare: & probatis omnibus, ſibi quiſque quod bonum putarit teneat. Quæ ſunt ardua, nec adhuc ad plenum diſcuſſa videntur, ſic in aliud tempus differantur, ut interim maneat inter ſententia diſcordes, benevolentiæ concordia, donec & illa Deus alicui revelare dignetur. Denique ſi quid irrepſit hominum vitio, fiat idem quod à probis Medicis fieri ſolet, vitia rerum tollantur, non res ipſæ. Sed interim meminerimus nunquam tam feliciter actum fuiſſe cum rebus humanis, ut non multa fuerint condonanda. Cum primis autem junctis votis Dominum oremus, ut ex irato nobis factus propitius, ſuo Spiritu conciliet animos omnium in Euangelica ſinceritate, utrique vitam in melius commutemus. Nec enim dubium eſt quin hæc Orbis miſeranda calamitas divinitus noſtris ſceleribus infligatur,

Una manus nobis vulnus opemque feret.

* Alia Editio, *dominandi*; & quidem recte.
† Eadem, *contentionis*.

A Nec tamen vetat pietas, hujuſmodi malis, quæ probabile eſt vel Deo volente, vel ejus permiſſu nobis immitti, adhibere remedia, niſi forte ſuam voluntatem evidenti ſigno declaret, quod in Vetere Teſtamento factum ſemel atque iterum legimus. Neque enim ſi peſtilentiæ lues ingruerit, nefas eſt opem quærere malis: neque ſi *Turcarum* vis irrumpat in Chriſtianos, vetamur ad arma confugere: neque non licet debitorem inficiantem, ad reddendum quod debet, adigere, aut adverſus calumniantem tueri famam noſtram, modo id fiat per eos, per quos oportet, & conceſſis rationibus. In morbo Medicum adhibere licet, ad magos, ad incantatrices confugere fas non eſt. Agaricum & Scammonium ſumere nulla lex vetat, ſuperſtitioſis applicaturis, ac magicis precaminibus uti, vetat Chriſtiana pietas. Hoſtium incurſum legitimo bello depellere fas eſt, maleficiis, veneficiis, aliiſve dæmoniacis artibus eos perdere fas non eſt. Itidem ab improbo debitore licet legibus vindicare nummos tuos, aut à ſycophanta famam aſſerere, at idem dolo, vi, aliiſve malis artibus non licet. Quanquam hîc quoque peccant qui fidunt humanis remediis magis quam Deo. Vult Deus ut quod noſtra poteſt induſtria, vigilanter adhibeamus, ſed hactenus, ut in ipſo ſit tota noſtra fiducia: & ſi res ceſſerit ex ſententia, nihil hîc tribuamus nobis, ſed univerſam laudem Deo transſcribamus. Servavit B per Medicum, liberavit per arma, vindicavit per leges. Sic enim illi viſum eſt, ſed nihilominus abſque his omnibus poterat opitulari: at citra illius auxilia nihil opis tuliſſent hæc omnia, quantumvis diligenter adhibita. Ita Dominus interdum permittit exſiſtere ſchiſmata & hæreſes in Eccleſia ſua, ut ſuorum & exerceat patientiam, & erudiat imperitiam. Quis enim neſcit Eccleſiam per hæreſes fuiſſe vehementer & corroboratam & illuſtratam? nec ideo non ſemper acerrime reſtitit hæreticis, non quidem armis, neque venenis, nec dolis, nec calumniis, ſed armis ſpiritualibus, & hactenus ſemper vicit, non ſuis præſidiis, ſed divino favore. Illa tamen interim quod ſui muneris C erat, gnaviter adhibuit, monens, obſecrans, arguens, revincens, jugulans gladio Spiritus, inſanabiles demum à Chriſti corpore ſegregans. Nullum autem hujuſmodi malis remedium præſentius quam ſi cauſas, quibus offenſus Deus eas calamitates nobis immiſit, amputemus, non his incorrectis, tantum ad confiſcationes, carceres, gladios & ignes confugiamus. Iraſcitur Deus Paſtoribus, quod gregem Domino cariſſimum, quem ter amare, ter paſcere debuerant, negligunt, deglubunt, deſerunt ac produnt, eoque nobis immittit lupos hæreticos. Prima ſit cura Paſtorum, ut officii ſui meminerint, & in melius commutata vita, tum demum adverſus lupos armentur. Offenſus eſt Deus otio, luxu, ſuperbia, libidine Sacerdotum, pro delitiis amplectantur ſtudium ſacrarum Litterarum, pro luxu ſobrietatem, pro libidine caſtimoniam, pro ſuperbia pœnitentiam, ac deinde Domini præſidium implorent adverſus hæreſeon & ſchiſmatum auctores. Hujus mundi Principes interdum offenſi duritia populi, detrectantis pendere quod illis debetur, conniventes patiuntur illum ab hoſtibus infeſtari, quo vel ſic docti reſipiſcant, & agnoſcant quantum ſuo Principi debeant. Hi ſi protinus ad Regis auxilium confugiant, nihil egerint, niſi ſubmoveant irarum cauſas. Quod dico de Sacerdotibus, idem de Monachis, de Clericis omnibus ſentiendum arbitror. Quem ex his adhuc conſpeximus his calamitatibus doctum ad frugem meliorem ſe recipere? Quis abjecit concubinam? quis luxum vertit in jejunium? quis opes, quibus hactenus equos, canes, amicas aluit, effudit in pauperum ſubſidia? quis ſtrepitu, deliciiſque valere juſſis ſolatium omne in ſacris Libris repoſuit? Quis Monachorum abjecta hypocriſi veram pietatem amplexus eſt toto pectore? Et haud ſcio an populi mores ſint etiam corruptiores. Quod ſi ſimul omnes agnoſcentes peccata noſtra, ſuppliceſque confugeremus ad D E F

Do-

Digitized by Google

Domini miſericordiam, non eſt ſurdus, mihi crede, nec inexorabilis. At ſi perſeverantes in his, ob quæ Deum nobis iratum novimus, nec perſeverantes modo, verum etiam pejora prioribus adjicientes, oleum addimus camino, fruſtra noſtris freti conſiliis pollicemur nobis malorum finem. Nunquam tam feliciter actum eſt cum Eccleſia, quin inter paucos bonos multos pertulerit malos. Quoties clamat *Paulus* in Pſeudapoſtolos, in canes, in malos operarios, in falſos fratres, in ventris mancipia? Solent omnium rerum fervere principia. Erat tum temporis rarus ac puſillus Eccleſiæ grex, & tamen in hoc erant diſſidia, factiones, contentiones; in hoc erat qui palam uxoris loco novercam haberet; in hoc *Demas* qui relicto Euangelio ſecutus eſt ſeculum; in hoc qui inſincere prædicarent Euangelium, qui mentirentur, qui circumvenirent, qui fraudarent fratres, qui circumciderentur; in hoc quæ otioſæ circumibant domos alienas, garrulæ & curioſæ, oneratæ peccatis; in hoc erant viduæ quæ collecta ex Eccleſiæ cibo laſcivia, deſerto Chriſto, ſeſe reflecterent ad Satanam; in hoc erant qui blandiloquiis ſeducerent corda ſimplicium; in hoc erant qui mentirentur ſibi apparuiſſe Angelos: hæc aliaque multa tum fuiſſe liquet ex Epiſtolis Apoſtolicis. Tantum malorum jam tum lactens raraque tulit Eccleſia, & miramur ſi in eadem tam numeroſa, tam late diffuſa, ſunt quæ bonis diſpliceant, & ob vitia quædam inſperſa, cenſemus univerſam Eccleſiæ ſcenam invertendam? Optabile quidem eſt, omnes Eccleſiæ Præſules eſſe quam maxime ſacra doctrina, ſtudio pietatis, caritate, ſinceritate morum ornatos. Paſtores ſunt ovium, ſed & ipſi ſunt oves, homines hominum curam gerunt. Nec tamen eſt quorumlibet horum vitia corrigere: denique ut boni ſint, magna pars populo in manu eſt. Præbeant ſe laici dociles, non deerunt illis Doctores per Dei providentiam. Clament inſtanter ad ſummum Paſtorem, ut ille placatus proſpiciat ſuo gregi. Quamdiu trahitur per hujus ſeculi fluctus Eccleſiæ ſagena, necdum ad littus pervenit, malis bona permixta feramus oportet, eaque ſemper fuit, ſemperque futura eſt rerum humanarum conditio, ut plus habeant aloes quam mellis. Quod ſi quis undiquaque tantum decerpat mala, nimirum illi nulla vitæ portio placebit, ſed probabit *Sileni* ſententiam, *Optimum eſſe non naſci, proximum quam ocyſſime aboleri.* Quod ſi in æſtimandis rebus, ſiniſtrum duntaxat oculum intenderit occluſo dextro, ea quoque quæ rectiſſima ſunt, videbuntur peſſima.

Porro cum Eccleſia, quemadmodum res cæteræ mortalium omnes, habeat rudimenta, progreſſum & ſummam, nunc ſubito illam ad primordia revocare, nihilo ſit abſurdius quam virum adultum ad cunas & infantiam velle retrahere. Multa ſecum defert tempus & rerum ſtatus, multa commutavit in melius. Olim clanculum in ædes privatas conveniebant pauci Chriſtiani, nunc in Templum publicum & conſecratum congregantur omnes. Utrum decentius? Nimirum hoc. Olim in cœnis ſumebatur Euchariſtia, in quibus, teſte *Paulo*, alius eſuriebat, alius ebrius erat, nunc à jejunis ſumitur ad ſacram menſam. Utrum religioſius? Olim in Eccleſia alius habebat hymnum, alius apocalypſim, alius pſalmum, alius loquebatur Linguis, alius prophetabat, & interim garriebant mulierculæ, nunc certis hominibus diſtributa ſunt officia, cæteri taciti compoſitique auſcultant, aut orant. Utrum religioſius? Olim in nocturnis vigiliis curſitabatur ad ſepulchra martyrum, à pueris, puellis, viris, monachis, uxoribus, ſacris virginibus, atqui flagitia, quæ ſub umbra pietatis admittebantur, perſuaſerunt ut hoc vigiliarum genus tolleretur. Noctu populus obambulabat cum crucibus * argenteis, canens hymnos, & interdum, dum diverſæ profeſſionis ſibi occurrebant chori, hymni verſi ſunt in rixam, cruces † in arma. An non igitur & hoc recte ſublatum? Olim corpus Domini dabatur in manum, ut domi cum vellent ſumerent, qui accepiſſent; at cum exſiſterent qui tractarent indigne, qui ad artes magicas abuterentur, mutata eſt in melius conſuetudo. Olim populi ſuffragiis creabantur Epiſcopi, ejuſdem libidine dejiciebantur, interdum lapidabantur. Res erat plena tumultus, interdum & cædis. Itaque res ipſa perſuaſit, ut penes paucos ac certos homines eſſet jus deſignandi Epiſcopos, aut etiam ſubmovendi. Olim Epiſcopi apud populum loquentes, cogebantur ſcenicum quiddam exhibere, non aliter quam hiſtriones, quorum actio niſi placeat populo non optimo judici, ſibilis ejiciebantur è proſcenio. Atque interdum audiebantur indecoræ acclamationes, incompoſitæ manuum jactationes, aliique turbulenti geſtus, ſibili, cachinni, ſi quid diſplicuiſſet, aliaque quæ vulgus è theatris ac circis ſecum ferebat in Eccleſiam Dei. Queritur hoc frequenter *Joannes Chryſoſtomus*, nonnunquam & *Hieronymus*. Nunc è ſuggeſto dicentem taciti, multaque cum reverentia auſcultant omnes. Utrum, quæſo, Templo dignius? Olim totus populus canebat, & Sacerdoti reſpondebat, Amen. Ibi ſtrepitus tonitruo non abſimilis, & ridicula vocum confuſio ſpectaculum exhibebat indignum cultu divino, nunc deſignati ſunt qui canant decenter, cæteri pſallunt in cordibus ſuis Domino. Recens Eccleſia nullam ſpeciem Muſices recipiebat, nec ſine reclamatione recepta eſt, ſed modulatæ recitationi ſimilior quam cantui, primum apud Græcos, deinde apud Latinos, cujus ſpecimen adhuc videre licet in Precatione Dominica, aut ſi quid aliud eſt ejus generis: nunc, ut eſt natura rerum humanarum, eo degeneravit uſus, ut in multis Templis fere nihil audiatur præter immanem boatum, aut ineptum vocum garritum, qui citius invitet ad laſciviam quam ad pietatis affectum. At non ideo Muſica omnino ſubmovenda è Templis, ſed quod prave irrepſit, arte corrigendum eſt. Seculis aliquot abominabile cenſebatur in Templis Chriſtianorum videri pictam aut ſculptam imaginem. Id juxta illorum temporum rationem ſuadebat pietas, partim ob Judæos, qui ex præcepto Dei deteſtabantur omnia ſimulachra, alioqui proclives ad idololatriam: partim ob eos qui ex Gentibus venerant ad Euangelium, in quibus probabile eſt aliquandiu reſediſſe veteris inſtituti reliquias. Nunc imaginum uſus eo proceſſit, ut non ſolum modum exceſſerit, verum etiam à decoro receſſerit. Videmus in Templis, quæ parum decore pingerentur in porticibus aut popinis. Nihil tamen neceſſe eſt in totum ſubmovere picturas, quæ plurimum habent & voluptatis, & ornamenti, & utilitatis, ſed quod eſt vitii corrigendum erat. Olim Eccleſia nullas habebat Scholas publicas, duntaxat in re Theologica, ſolus Epiſcopus erat doctor omnium. Sed quanto rei Chriſtianæ bono inſtitutæ ſunt Scholæ, præſertim apud nationes barbaras? Nunc quæſtus & ambitio vitiavit hoc bonum quæſtiunculis ad oſtentationem magis quam ad pietatem facientibus. An ideo tollendæ Scholæ? Nequaquam, ſed ad Chriſtianam ſobrietatem revocanda ſunt ſtudia. Atqui ex iſto ſodalitio exſtiterunt, qui privatim ac publice docuerunt, diſciplinas humanas nihil aliud eſſe, quam retia Dæmonum: tantumque profecerunt, ut perquam raros in iſto grege conſpicias, qui ſerio dent operam litteris, vel ſacris, vel profanis: quæſtui, voluptati ſtudetur affatim. Olim liberum erat Monachorum genus, ſed cum increſcens turba ſe per Orbem ſpargeret, exordiis ab *Ægypto* profectis, multaque flagitia ſub obtentu pietatis committerentur, jamque per hos metueretur totius Eccleſiæ confuſio, neceſſario redacti ſunt in vitæ genus adſtrictius. Et huc certe conducunt veſtium diſcrimina, quo vitentur facilius, ſi mali ſint. Olim adverſus hæreticos non pugnabatur, niſi gladio Spiritus: verùm poſteaquam eo pervicacia ſtudiorum efferbuiſſet, ut res ad cruentum Orbis tumultum ſpectare videretur, coacta eſt Cæſarum poteſtas, legibus & armis publico occurrere diſcrimini. Olim Eccleſiæ Præſides

* Alia Editio, *candelabris*. † Eadem, *candelabra*.

alebantur his quæ ſponte deferebat populus, nec aliis armabantur præſidiis quam doctrina, precibus & lachrymis: atqui apud nationes efferas ipſa perſuaſit neceſſitas, ut adverſus populares incurſus, opibus, ædificiis, & miniſteriis munirentur. Quid multis? Si *Paulus* hodie viveret, non improbaret, opinor, præſentem Eccleſiæ ſtatum, in hominum vitia clamaret. Et quibuſdam nihil uſquam placet niſi quod ipſi inſtituerunt, quanquam ne in his quidem conſtantes. Medendum itaque vitiis, ſed citra tumultum, & illud obiter cavendum, ne morbo ſint atrociora remedia. Quod ſi altera pars nihil omnino novari patitur, altera nihil patitur relinqui, quis erit contentionis finis? Si Præſules Eccleſiæ, ſi Principes profani, ſepoſitis mundanis affectibus, nihil ſibi proponant, niſi Domini gloriam, & Eccleſiæ ſpirituale commodum, malum abſque magno tumultu poterit ſedari. Hîc igitur erat ambiendus honeſtis rationibus & Monarcharum, & Præſulum favor, potius quam alienandi illorum animi. Supereſt inſtanter orare, ut hanc mentem *Chriſtus* omnibus inſpirare dignetur. Verùm hiſce de rebus plura quam ſtatueram. Quod ſupereſt, facerem quod antehac feci, hortarerque ut ad nos te reciperes, ſi ſperarem me quicquam profecturum. Dominus adſpiret animo tuo, quæ ſaluti tuæ conducunt. Ignoſces libertati meæ, *Vulturi* cariſſime. Cum hæc quæ facis mecum reputo, multa in te deſiderare cogor, in primis priſtinum illum animi tui candorem, & in nos peculiarem etiam quandam benevolentiam, tum prudentiam non vulgarem, ad hæc mentem ſobriam, denique totum illum *Vulturium*, quem olim cum multis bonis doctiſque viris & novi, & amavi. Saltem hoc impetrem abs te, ut ſi minus in gratiam meam, certe tua ipſius cauſa, poſtremo negotii reſpectu, quod tu pium ac ſanctum exiſtimas, ego nondum omnino deſpero ad aliquod temperamentum poſſe reduci, temperes ab iſtiuſmodi næniis. Eſt ſatis argumentorum, ſi libet vacatque ludere, ut citra noxam amici, jocis indulgeas. Sin prodeſſe cupis, multo alia tibi ineunda eſt ratio. Hæc puta tibi ab homine vere amico ſcripta eſſe. Dominus te ſervet. Apud *Friburgum Briſgoicum* 4. Novembris, Anno Domini 1529.

Eraſmus Roterodamus Eleutherio ſuo *S. D.*

QVID *ais*, Eleutheri *lepidiſſime? Tot beneficiis me oneravit* Vulturius? *Amavit, fateor, idque fecit mutuum, in officiis quoque puto me cum illo paria facere. Sed fac me meritis inferiorem, quid eſt quod expoſtulas? Traducitur, inquis, indigne per ora hominum. Quo nomine, ut Euangelicus? Hoc ipſum ille tot libellis editis non paſſus eſt cuiquam obſcurum eſſe. Ejus rei vel illud argumentum eſt, quod in ſcholiis, quibus ex tuo conſilio contaminavit, pene dixeram concaeavit Epiſtolam meam, pro* Vulturio *verum nomen expreſſit. Quin hoc ipſum, quod tu pro crimine objicis, amici non vulgaris officium eſt. An non amantis eſt ab errore revocare? Sed non errat, inquis. Utinam ita ſit! verum hoc quoque officioſum eſt, admonere, ne male ſaltando fabulam, ex bona faciat malam. Quod quidem mihi videor ſatis comiter atque etiam amanter feciſſe. Clam, inquies, admonendus erat. Id à me non ſemel eſt factum, ſed quam hoc tulerit æquo animo, ſat arguunt libelli, quos emiſit non ſine magna mei nominis invidia. Sed quis, obſecro, cacangelicus tibi narravit, eam ad* Vulturium *Epiſtolam primum à me clam miſſam* Simoni *Medico, ut* Agrippinæ *excuderetur prius quam accepiſſet is ad quem erat ſcripta? Siccine decet veritatis profeſſores indulgere mendaciis? Imo primum miſſa eſt manu deſcripta ad* Vulturium, *admonitum fore ut forſitan typis excuderetur: poſt excuſa eſt* Friburgi *multo antequam perveniret* Agrippinam, *quo me inſcio perlata eſt per famulum meum: quod ſane factum nolebam, vel eo, ne meus Typographus aliquid caperet detrimenti, ſi illic iterum excuderetur. Nihil igitur opus erat hîc tuo officio, ut exemplar ad* Vulturium *& univerſam ſodalitatem mitteres, eumque tam horribili nuntio ad bellum exſtimulares. Quod de* Bucero *dubitas, ſcito mihi hominem ne de facie quidem eſſe notum, tantum abeſt, ut inter nos ulla interceſſerit familiaritas. Mihi tamen perſuaſeram in eo paulo plus eſſe civilitatis ac prudentiæ, quam præ ſe fert ille liber, multo melle condiens aconitum. Ita-ne vero viſum eſt tibi bellum facinus, quod* Huttenus *in* Leonis *Bullam edidit Poſtillas, ut ad illius imitationem invitares* Vulturium? *Quin eadem opera ad omnium ſtratagematum, quæ terra marique geſſit* Huttenus, *æmulationem invitas? Quid autem confectum eſt illis ſcurrilibus ſcholiis? An hinc melius habet Euangelium? Aliquanto deterius, opinor. Magiſtratus* Argentoratenſis *Typographum conjecit in carcerem, ſatis declarans quantopere probaret* Vulturii *operam. Sed dulcis eſt vindicta. Etiam-ne diſpendio veſtræ cauſæ emta? O lenitatem Euangelicam! Ubi vero dictum eſt à me, vos velut aviculas cavea incluſas contineri? Nonne plurimi latitant metu, nonne plerique nuſquam eunt, niſi publica fide Principum? Quis autem fuit ille nugator, qui dixit me vix audere* Friburgum *egredi? Mihi vero licet etiam* Baſileam *redire ſi velim, &* Argentorati *habitare ſi lubeat. Cur, inquis, non proficiſcitur* Lovanium? *Cur non* Coloniam? *Cur non* Lutetiam? *Quin addis, cur non* Toletum, Romam, *aut* Hieroſolymam? *Ægre migravi* Friburgum, *tantum abeſt ut animi gratia debeam per omnes civitates obambulare. Quid mihi negotii eſt* Lutetiæ, *aut* Agrippinæ? *Sed finge mihi non eſſe tutum proficiſci quolibet, unde hoc periculum, niſi quod in vos lenior fui quam illi volebant? Hoc ſcilicet decuit mihi à vobis hominibus æquiſſimis objici. Ego-ne tendo exſtinctum Euangelium? Jam aures nobis iſtiuſmodi vocibus occalluerunt: Euangelium, Euangelium, Euangelium. Sed quis Angelorum iſtuc tibi patefecit me hoc conſilio in vos ſcribere, ut Sophiſtis me reconciliem? Quaſi neſciam quid quod pacto ſcribendum ſit, ſi contenta conſcientia tantum hoc agerem ut cum illis redeam in gratiam! Nec me fugit quod ais quoſdam Sophiſtas vociferari, me hujus auctorem tragœdiæ. Sed iidem ante ad ravim uſque clamarant, mihi cum* Luthero *convenire. Id cum jam nemo crederit, repererunt aliud clamandi argumentum. Vos autem cum ſciatis utrumque pariter eſſe falſum, tamen gaudetis quocunque modo negotium exhiberi* Eraſmo. *O ſancta pectora!* Pius Albertus Carpenſis, *dum excuſſus propriis aliena negotia curat, edito Libro conatus eſt hoc quod iſti grunniunt perſuadere: Cui nos reſpondimus, ſed ille conductis pluribus operis, redintegravit pugnam: Opus ingens jam opinor ad calcem properat in officina* Badiana. *Valetudinarius avocarat animum à ſcribendo, ſed in gratiam* Franciſci *ſodalium edidit, ac nondum abſoluto Libro deceſſit. Hoc nimirum eſt, juxta proverbium,* infixo aculeo fugere. *Spero tamen animam illius inter Seraphicas mentes ludere. Nam corpus triduo ante mortem* Franciſcano *cultu decoratum eſt, ac mortuum eodem ornatu* Franciſcanorum *humeris per mediam urbem religioſa pompa deportatum in Monaſterium, nec quicquam omnino ceremoniarum prætermiſſum eſt quæ ſolent γνησίοις* Franciſci τέκνοις *impendi. Quid audio? Blandior* Luthero *illa ad* Vulturium *Epiſtolæ, quod ſperem illum cauſa caſurum? Quod hoc enthymematis genus eſt obſecro? Blandimur his, quos ſperamus caſuros? Sed cum vobis hæc cauſa communis ſit, exceptâ Euchariſtia, qui fit ut in vos ſcribens, ut dicitis, illi blandiar?* Adeo, *inquis,* offendit Sophiſtas in opera *Auguſtini* præfatio, ut nunquam ſit illis propitiis uſurus. *Equidem mihi videor in ea præfatione ſic temperaſſe ſtylum, ut nemo merito poſſit offendi. Verùm an continuo vos triumphatis, ſi Sophiſtas non placat* Eraſmus? *Jam ſi quid illic illos offendit, ſuſpicor illud eſſe, quod ajo, beatum* Auguſtinum *ſolo gladio verbi divini pugnaſſe cum hæreticis. Id cum*

pro

Digitized by Google

pro vobis faciat, tamen gaudetis mihi male vertere. Mira vero caritas! Quam porro candide interpretaris nomen Vulturii, *quasi illi intendam avaritiæ crimen: sciebam in illum citius hasuram profusionis notam quam avaritiæ. Sed si nesciebas* Vulturium *esse jactum talorum, saltem scire poteras me allusisse ad verum illius nomen juxta Linguam Germanicam. Ideo feci, ut apud pauciores traduceretur. Sic illum appellavi* Vulturium, *quemadmodum nunc te voco* Eleutherium, *tibique permitto, ut quemadmodum ille pro* Vulturio *suum nomen innotescere maluit, ita pro* Eleutherio *dicaris qui es. Postremo comminaris etiam* Vulturio, *ut si vere cupiat esse Christi discipulus, hanc maculam eluere festinet. Ita-ne germani Christi discipuli sunt, qui statim parant vindictam? An illud effectum est illis præclaris scholiis, ut omnes magnifice sentiant de* Vulturio? *Quæ nisi ex tuo consilio edidisset, auditurus erat quod ego. Quid tandem? pecunia inexplebilis? Profer mihi vel unum, unde aliquid non dicam extorserim, sed petierim; Et ego tibi multos proferam, à quibus ultro delata non accepi, multos quibus fortunulas meas quantulascunque impartivi. A* Joanne Frobenio *nonnihil accepi, imo non accepi, sed ille obtrusit, ut promerito, sed vix trientem accepi eorum quæ detulit: Et vobis* Erasmus *est pecuniis inexplebilis? Ab hoc vitio puto me pariorem etiam quam sit* Vulturius. *Multis vitiis inferior sum, fateor, sed avaritia nunquam fuit in me manuum injectio. Hujusmodi Epistolis Euangelici sese vicissim animant ad pietatem, in quibus vanitatis est plurimum, nulla mica sinceri pectoris. Ego cum multis pristinam amicitiam colo, à quorum tamen dogmatibus dissideo. Vos ex amicis tam acres inimici statim reddimini, si quis à vobis dissentiat! Et ista tam pia, tam ad rem Euangelicam facientia, erant tibi scribenda scilicet, etiam contemtis Medicorum præscriptis. Opto tibi utriusque hominis sanitatem.* Friburgi 6. *die Martii, Anno* 1530.

Erasmus Roterodamus Grunnio suo *S. D.*

QVID *ais sapientissime* Grunni? *Strinxit* Erasmus *calamum in omnes Euangelicæ pietatis professores? In universos igitur Christianos. Quanquam nec in vos strinxi, sed amanter admonui ne quorundam inconsulta temeritate hoc eveniat civitatibus, quod evenit Agricolis. Verùm multi sunt in vestra sodalitate, tam sinistris animis ut fallendi sint, si quis eis velit benefacere. Si tam essem cupidus ulciscendi, quam vos esse video, sentiretis quid possim. Sed quod hactenus egi non desinam agere, ut si fieri possit ad arma non veniatur, sed utriusque partis obsequio, quod quidem liceat incolumi pietate, sua tranquillitati restituatur Ecclesia. Non efferantur Principum animi, quibus persuasum est vos esse plusquam hæreticos, cum audiunt, nolite occidere innocentes, nolite obsistere Euangelio?* Sed nihil, *inquis,* deterruit *Mosen Pharao* magis ac magis sæviens in populum Dei, quo minus loqueretur quæ præceperat Deus. *Ignosce, mihi* Grunni *carissime, hactenus non credidi* Vulturium *fabulari cum Deo. Quod si* Mosi *conferendus est, edat miracula, & has calamitates, bella, penuriam, pestilentiam suis precibus a nobis depellat. Non vos pudet istius magniloquentiæ? Quid? Optant fratres, ut mihi* Vulturius *resistat in faciem? An hoc est resistere, scurrari scholiis? Ita demum feliciter resistet, si suos sodales revocet ad ejusmodi mores, ut nihil eorum quæ illic deploro competat in quenquam illorum.* Nihil, *inquis,* moliendum sine Dei consilio. *Ita-ne scholia illa divino afflatu prodita sunt? Jam an ideo sitio pecuniam, quod homo senex quassaque valetudinis habeam quo corpusculi necessitatibus succurram? Nec interim vel ætas vel valetudo à me impetrat, ut vivam in otio, sed laboro manibus, ne cui sim gravis, & habeam unde largiar aliquid necessitatem patienti, secus quam multi faciunt ex vestro sodalitio. Sed desino ad tuas nenias respondere. Opto vobis mentem aliquanto saniorem, aut certe Euangelio digniorem.* Friburgo 5. *Martii, Anno* 1531.

FINIS.

DESIDERII ERASMI RESPONSIO AD EPISTOLAM APOLOGETICAM,

INCERTO AVCTORE PRODITAM, NISI QVOD TITVLVS, FORTE FICTVS, HABEBAT,

PER MINISTROS VERBI, ECCLESIAE ARGENTORATENSIS.

Des. Erasmus Rot. Dilectis in Christo fratribus Germaniæ Inferioris, & Frisiæ Orientalis, S. D.

PRODIIT hîc Liber quidam scriptus ad Inferioris *Germaniæ* fratres, *Frisiæque* Orientalis, qui suspicionem multis præbet in istis Regionibus esse permultos, qui novis hisce sectis addicti sint, quæ se nunc Euangelii titulo venditant. Is utcunque ad vos scriptus, revera adversum me scriptus est. Gravius tamen doluit mihi patriæ nostræ calamitas, quam mea privata injuria. Quare cum primis vos obtestor per salutem animarum vestrarum, ne qua res vos dimoveat ab Ecclesiæ Catholicæ consortio, nec circumferamini omni vento doctrinæ, neque cito transferamini ab Euangelio quod à Christi sponsa traditum, hactenus servastis: nec facile moveant animos vestros Epistolæ aut Libelli, multum mansuetudinis ac pietatis præ se ferentes, sed dijudicate Spiritus an ex Deo sint. Solet enim Satanas se transfigurare in Angelum lucis, quo magis imponat simplicibus & incautis. Consistite firmi in lapide Christo, continete vos in arca, ne pereatis diluvio: manete in navicula Christi, ne vos fluctus absorbeant: perseverate in ovili Ecclesiæ, ne fiatis præda lupis ac Satanæ, qui nunquam non obambulat venans quem devoret. Saltem exspectate religiosissimi Cæsaris ac Principum, reliquique consilii decretum. Per hos enim, ut spero, Dominus dignabitur hasce rerum undas componere, qui solus imperat mari & consilescit, tantum nos aliquantisper, ut apparet, dormientem vellicemus piis operibus, excitemus claris & indefessis precibus. Ex una secta complures in dies nascuntur. Certe prius finite ut inter illos conveniat, quam vosmetipsos huic aut illi addicatis. De singulis inquirere sobria diligentia non datur vitio, periculosa est addictio, quæ simul atque semel animum occupavit, adimit judicii sinceritatem, fitque

Digitized by Google

ut quæque res non ideo nobis pia videatur, quod eſt ſuapte natura pia, Scripturis & rationi conſentanea, ſed pium eſſe videatur quodcunque dogma ſecta produxerit. In his rebus ſi libet eſtote præcipites, quæ poſterioribus conſiliis, ac melioribus corrigi poſſunt. In hoc negotio, quo periclitatur ſalus animarum veſtrarum, ſi fortes eſſe non poteſtis, ſitis ſaltem cunctabundi. Blanda dictu ſunt iſta: Nullus obligatur ad confitendum Sacerdoti, Pontificum præſcriptiones de jejuniis ac delectu ciborum rejiciendæ ſunt, Non eſt cur quiſquam ſeſe maceret operibus ſatisfactoriis, *Chriſtus* dependit abunde pro nobis, nec ad ſalutem refert bona an mala ſint opera noſtra, tantum crede illum pro te redimendo mortuum, & ſalvus eris, qualiacunque fuerint opera tua: In Euchariſtia non eſt niſi panis & vinum, Pontificum & Epiſcoporum ſanctiones non obligant quenquam, Vota ut ſuſcipienda non ſunt, ita reſcindenda ſunt quæ ſuſceperis, Jus contrahendi matrimonii nullius auctoritate poteſt cuiquam interdici. Hæc aliaque ſimilia prima ſpecie blandiuntur auribus, ſed etiam atque etiam videndum eſt, ne poculum melle prælitum habeat aconitum diſſimulatum. Eſtote ſimplices ſicut columbæ, ne quem lædatis aut circumveniatis, ſed iidem eſtote ſapientes ſicut ſerpentes, ne vos Satanas mille inſtructus artibus circumveniat, corrumpatque ſenſus veſtros à ſinceritate quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Verùm cohortationi dabitur alius locus, interim paucis attingam ea quæ iſti ſparſerunt Libris editis apud vos, non perinde ob id, ut vobis me purgem: tales Libelli apud cordatos nihil me gravant: ſed quod exiſtimem vos cautiores futuros lecta Apologia noſtra, quam quanto potero compendio vobis abſolvam. Admonueram amicum quendam, ex animo dolens quod ſeſe ſectis involviſſet, tamen interim adeo non mutans meam in illum benevolentiam, ut, quod nunc inter amiciſſimos rarum eſt, pecunia quoque mea paratus fuerim opitulari & exſuli, & egeno. Hac occaſione nonnihil etiam de ſectis horum temporum admonens, cum ipſo nihil aliud expoſtulans, niſi quod meo nomine ſuis Libellis characteribus prægrandibus præfixo, non parum mihi moveret invidiæ, adeo ut amici, pro me ſolliciti, me putarint admonendum. Primum contemſi, ubi rurſus idem factum eſt, per litteras expoſtulavi, & his editis apud omnes volui purgatus eſſe. Ea res graviter offendit quoſdam *Argentorati*, non dubium quin inſtinctu illius quicum expoſtularam: nam antea nullus erat Eccleſiaſtes præſertim *Argentorati*, qui me verbo adſpergeret, nec cuiquam ut id faceret cauſam, ni fallor, dedi, niſi forte contumeliam atrocem interpretantur, ſi quis nolit ab Eccleſiæ Catholica recedere, & ipſorum Euangelio dare nomen. Epiſtolam appellant apologeticam, quaſi ipſi proprie à me ſint impetiti: nec cujuſquam nomen habet titulus, tantum eſt, *per Miniſtros verbi, Eccleſiæ Argentoratenſis*. Atqui cum præter duos Eccleſiaſtas neminem norim *Argentorati*, quî mihi veniſſet in mentem omnes perſtringere? Non eſt mei moris quenquam laceſſere, nedum ignotos, multo minus in ullam Rempublicam petulanter invehi, præſertim *Argentinenſem*, cui ut multis nominibus debeo, ita præ cæteris faveo. Hoc certe laudis illi debetur, quod non alibi res geſta vel moderatius, vel minore tumultu. Similiter Epiſtola venit ad me Miniſtrorum verbi nomine ſcripta, cum exiſtimem totius negotii duos tantum architectos eſſe. Lecto titulo ſepoſui Libellum, hoc animo ut nunquam legerem, erat enim immodica loquacitas, fumi plurimi, convitia non pauca, poſt ubi contigit otium, cœpi carptim inſpicere, tandem & devoravi. Utinam in animis omnium eſſet milleſima pars ejus ſanctimoniæ, quam Libellus multis locis præ ſe fert! Non potuerunt ſeſe melius depingere, quam in eo Libro expreſſerunt, adeo miris fucis hoc agunt, ut in me concitent omnes Euangelicas Eccleſias, (ſic enim vocari malunt quam hæreticas) ac Principes qui videntur huic negotio nonnihil favere, tum populum Euangelicum univerſum. Quid porro mirum, cum iſti novum prodiderint dogma, fas eſſe fucis ac technis uti, quod legibus etiam Cæſareis permiſſum eſt, modo citra fraudem cujuſquam? quaſi vero ſi quid profanæ leges permittunt in re profana, idem liceat in negotio Euangelico, aut quaſi dum primogenitum Regis Gallorum dicato Libro vocant in ſuſpicionem veluti qui non abhorreat ab iſtorum inſtituto, in nullius fraudem cedat fucus: dumque fingunt Opus à Gallo ſcriptum, non onerent Gallorum gentem invidia. Quin & hoc artis eſt Euangelicæ, quod omnium Eccleſiarum nomine prodiderunt Librum, ne quis certus ſit, in quem ſtringam telum, & ſi quid liberius reſpondero, chorum univerſum in me provocem. Ejuſdem artis eſt quod toto Libro, quicquid in genere dictum eſt, proprie detorquent ad Eccleſiam *Argentinenſem*. Atqui ſi ſermonem generalem voluiſſent refellere, non ita loquendum erat: nos hîc non facimus, ſed hoc quod objicis nuſquam ſit in ulla Eccleſia noſtræ profeſſionis. Rurſus cum ego in Epiſtola teſter expreſſe, me non loqui de omnibus Euangelicis, ſed tantum de mihi notis, illi interpretantur me, utcunque teſtor, univerſum tamen Euangelicum populum impetere. Et ſi quid in mores quorundam dictum eſt, illi nobis narrant quid ipſi doceant, ut frequenter illud proverbium mihi veniat in mentem, ἄμας ἀπήτων, &c. Si quid nacti ſunt in ſcriptis meis, quod pro ipſis videtur facere, id cum laude mea citant, ſimplici ſcilicet animo, cum alicubi habeant hæc verba, *Si quid* Eraſmus *actus Spiritu Chriſti, vel neſciens pro nobis ſcripſerit*, &c. Quis non agnoſcit morſum Euangelicum. Imo non omnes ſectarum profeſſores taxavi, ſed tantum addictos, qui non judicio, ſed ſtudio mordicus tenent quicquid ipſis traditum fuerit. Vix interim temperabam à riſu, quoties ſeſe Chriſto & Apoſtolis martyribuſque comparant, quod faciunt ſubinde. Hoc ſibi ſumunt pro confeſſo, quod docent Chriſtum pure, quod Orbi ſincere tradunt Euangelicam veritatem. Ubique prædicant Litteras ſacras, quaſi apud nos nec *Chriſtus* ſit, nec Euangelium, nec ſacræ Litteræ. Ipſi cum & à ſummo Pontifice, & à Cæſare, & à Theologorum Scholis, denique maximæ totius Orbis partis conſenſu damnati ſint hæreſeos, liceat enim manifeſta loqui, ſaltem nobis æquum jus concederent, ut hac in cauſa pares ſimus. Ipſi *Arianos* habent pro hæreticis. Quo freti, niſi judicio Præſulum & Orbis conſenſu? At *Ariani* pernegabant ſeſe hæreticos, ſed aſſeverabant Scripturam à cæteris perperam intelligi. Miris modis urgent ne hæretici trucidentur, cum ipſi Anabaptiſtas plectant capite, qui multo paucioribus articulis damnati ſunt, & in ſuo ſodalitio plurimos habere dicuntur, qui à perditiſſima vita ad emendatiſſimam ſe converterint, utcunque delirant in opinionibus, nec ullas Eccleſias aut urbes occuparunt, nec ſe fœderibus communierunt adverſus vim Principum, nec quenquam ſua ditione aut facultatibus ejecerunt. Denique nituntur & illi Scripturarum teſtimoniis, aliquanto evidentioribus quam hi qui dicunt, *hoc eſt, corpus meum*, id eſt, *hic panis eſt ſignum corporis mei*. Atque inter iſtos quidam tam procaciter rem gerunt, ut Principum animos ad clementiam propenſos cogant ad ſævitiam. In vitam Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, Sacerdotum ac Monachorum mire diſerti ſunt, de quibus ita loquuntur, quaſi inter eos nullus ſit non ſceleratiſſimæ ac deploratiſſimæ vitæ, cum arbitrer inter illos eſſe longe plures, qui Chriſto in ſinceritate ſpiritus ſerviunt, quam inter iſtos. Mendacium mihi ſubinde fortiter impingunt, cum totus hic ſanctiſſimus illorum Liber mendaciis ſcateat & hypocriſi. Mirificis præſtigiis exaggerant quam ſobrie, quam caſte, quam innocenter vivatur ſub Euangelio, quæ majore fide alieno ore prædicarentur. Quid *Argentorati* fiat neſcio, alicubi ſcio nuſquam fuiſſe majorem luxum, plus adulteriorum quam inter Euangelicos, ſic enim appellari gaudent.

Hoc

Hoc nec ipſi negant Euangelici, utinam omnes ad bonam frugem ſeſe recipiant, ut hic habear vanus! Nonne *Lutherus* coactus eſt viſitatores mittere, qui populum in omnem licentiam ruentem cohiberent? Nonne idem dixit ſe malle priſtinum Papæ ac Monachorum regnum, quam hoc hominum genus, ſub Euangelii prætextu in *Sogdianorum* vitam ſeſe proripientium? Nonne idem ſuis ad me litteris deploravit *Melanchthon?* Nonne idem in colloquio faſſus eſt *Oecolampadius?* Quin & ipſi non ſemel in hoc Libro deplorant plurimos eſſe perditiſſime viventes ſub Euangelii titulo, ſed illos, inquiunt, exſecramur, non agnoſcimus. Atqui cum ego non in alios ſtringam calamum, quam quos ipſi quoque damnant, nulla eſt inter nos controverſia, quemadmodum neque nos tuemur impiorum Epiſcoporum aut improborum Monachorum ſcelera. Hoc intereſt, quod illi citra exceptionem damnant nos omnes, ego teſtor me non loqui de mihi ignotis. Proinde quid frontis habet, quod quæ non dicuntur niſi in improbos, ſic interpretantur, quaſi in ipſos proprie dicta ſint, qui volunt haberi probatiſſimi? Sed improbo, ut ajunt, ipſorum dogmata, imo profiteor me illic non agere judicem cauſæ, cum habeant judicem Cæſarem, tantum hoc queror, quod nihil illis placet in hoc Eccleſiæ ſtatu, quodque cum tam multa ſubmoveant, nihil ſuccedat melius. Et utramque partem admoneo, qua ratione poſſit Eccleſia priſtinæ tranquillitati reſtitui, pene ſeverior in meos quam in illos. Monere quid oporteat fugere, magis eſt illorum ſectam juvare quam traducere. Amicus utramque partem admoneo, ſi qua poſſint in unum coaleſcere. Quod iſti veluti pluſquam hoſtiliter factum interpretantur, poterat & ab amico fieri officioſe. Quanquam hoc obſcurum eſſe non poteſt, mihi non omnia probari quæ iſti faciunt: quæ ſi probaſſem, non tanto meo tum periculo tum diſpendio, reliquiſſem civitatem cui tot annis aſſueveram, ſed jam pridem ipſorum ſodalitio totus adhærerem. Etiam cum agerem illic tum dictis tum ſcriptis haud obſcure præ me tuli, me diſſentire ab iſtorum dogmatibus. Verùm hîc homines religioſi ſcilicet nolunt judicare de mea conſcientia, ſed hoc Deo ſoli καρδιογνώστῃ relinquunt: ſed interim inſinuant eſſe quod metuam aut ſperem, quaſi vero in ſinu cum ipſis ſentiam, ſed metus ac ſpes à profitendo deterreat. Plane me ſpes ac metus deterrent ab iſtorum ſodalitio: metuo gehennam ſi reclamante conſcientia profitear quod reor impium eſſe: ſpero Dominum meis peccatis citius propitium futurum, quod ab ipſius ſponſa non defecerim, utcunque laceſſitus. Gratulentur illi ſibi quantum velint, ego non alio nomine mihi magis gratulor, quam quod nulli ſectæ nec aſſenſus ſim, nec nomen dederim, nec videor mihi daturus unquam favente Chriſto. Quin omnibus perlubens perſuaſerim, ne ſe cuiquam addicant ſectæ, quam non agnoſcit Eccleſia Catholica. Sunt qui cum judicio legunt iſtorum Libros, at ego multos novi qui ſimul atque ſeſe addixerant, prorſus exſuerint hominem. Fingunt me miro odio flagrare in Euangelicos: Id ſi verum fuiſſet aliter ſtrinxiſſem in illos calamum. Sed primum religione quadam abſtinui, cujus rei nunc me pœnitet: deinde *Gamalielem* quendam egi, & adhuc propemodum ago. Poſtremo cum viderem multos Eccleſiæ proceres ad omnia monita obſurduiſſe, ſuſpicabar hos immiſſos à Deo, ut eorum improbitas excitaret nos à lethargo, ac malum nodum malus cuneus protruderet. Adeoque non ſævii in illos, ut magnates quidam ac docti me clamitent in hoc rerum conflictu deſertorem egiſſe, meumque calamum Eccleſiæ periclitanti defuiſſe, nonnulli etiam in ſuſpicionem vocarint quaſi diſſimulanter iſtorum inſtituto faverem. Me quidem nihil movet verborum religio, folia ſunt iſta, at *ex fructibus*, inquit Dominus, *cognoſcetis eos*. Ejuſmodi fumis nihil commoveor, vim ſpiritus requiro, quam in iſtorum ſcriptis non ſentio, cum hac in re exiſtimem mihi quoque nonnihil eſſe naſi. Sed tamen hujuſmodi verborum præſtigiis periclitantur incauti. Fuit hoc ſemper proprium hæreticis ſimulata Religionis ſpecie ſimplicibus imponere. *Maximus Arianus* pene ſanctius ac religioſius loquitur quam *Auguſtinus*. *Manichæi* non ſolum dictis, ſed prodigioſa vitæ ſeveritate pietatem ſimulabant. Si quos agit Spiritus Sanctus, non ſolum in actionibus, ſed etiam in oculis, ipſaque quod ajunt, fronte relucet. At hunc arrogant iſti ſibi magna confidentia. Quod ſi *Zwinglius* & *Bucerus* ſunt afflati Spiritu, quid prohibet & in noſtris eſſe ſimili donatos chariſmate? *Eraſmus* ex ſe nihil eſt niſi homo, nec poteſt capere quæ ſunt Spiritus. Quaſi vero iſti ſint Dii. At ego homo ſequor illos quibus non defuiſſe Chriſti Spiritum, credimus aliquanto probabilius, quam ſi credamus *Bucerum* aut alium huic ſimilem ex afflatu ſacri Spiritus ſcribere aut facere omnia.

Sed ut verboſiſſimam iſtius, quiſquis eſt, querimoniam in pauca conferam, prætermitto prolixam rixam qua cum *Plinio* & *Tacito* delitigat, ea quæ propius ad rem pertinent delibabo. Cum, ut dixi, non loquar niſi de mihi notis & compertis, nec his omnibus, nec ullum crimen cuiquam objiciam niſi in genere, tamen ajunt, me omnia ferme in eos effudiſſe, quæ ſæviſſimi quique hoſtes hactenus voce ſcriptiſque ſparſerunt. Quiſquis meam legit Epiſtolam, an non protinus videbit hoc eſſe manifeſtum mendacium? Ne ea quidem effutivi, quæ vulgo notiſſima feruntur, atque adeo diligenter cavi, ne quid excideret quod *Vulturii* etiam famæ poſſet officere. Quæ vulgo in iſtos jactentur nihil moror, nec ad me pertinent. At ſunt non pauci, qui libris editis hæreticos, ſchiſmaticos, hoſtes Eccleſiæ, blaſphemos ſubinde vocent. Quid tale legitur in libris meis? Verùm ipſi, quo mihi moverent invidiam, ex Epiſtolis meis ſublegerunt quædam verbula, ex quorum ſingulis excitant miras tragœdias, nuſquam non ex muſca facientes Elephantum, aut ſi quid Elephanto grandius. At ſi ea verbula tantam habent vim ut univerſos Principes in ipſorum exitium concitent, quanto melius latebant in turba Epiſtolarum? Et ſi tantopere periclitatur, quod mihi non placeat, populus Euangelicus, ante complures annos hoc ingenue profeſſus ſum editis libris. Quæ muſca fuit illis per me infeſtior? Hîc ſi commemorem quid alii narrent, quid ſcripſerint de Eccleſiaſtis, tum demum fieret evidentior iſtius vanitas. In Epiſtola ad *Vulturium* neminem taxo nominatim, nec alios noto quam quos ipſi quoque deteſtentur, præter unum atque alterum. Nec horum tamen arcana profero, ſed ea tantum attingo, quæ ipſi ſcriptis editis voluerunt eſſe nota mundo. Quod ſi ſe voluiſſent purgare de criminibus, ſunt alii quibus oportuerit reſpondere potius quam mihi. Quorſum igitur attinent illa vaniſſima toties repetita, quod luculenta mendacia, quod atrociſſima crimina in innocuos Chriſti confeſſores effuderit *Eraſmus?* Dicit alicubi, *ne nobis parcas*, Eraſme, *effunde in nos quicquid habes.* Nunquam me huc provocabunt, ut tam abjecte calumniatorem agam, & ad tantam deſcendam illiberalitatem. Hanc provinciam aliis ſi libet delegent. Tot ſcripſimus Apologias, adverſus quem unquam quantumvis petulantem criminibus egimus? Ab hac civilitate nullius me depellet improbitas. Quin & illud non minus vanum quam ſeditioſum, quod ſcribit me per totam ad ter venerandum *Vulturium* Epiſtolam queri, quod ſpernant conſtitutiones Pontificum & Epiſcoporum, quod oppedant Scholaſticorum dogmatibus, quod imagines ejecerint, quod Miſſam abrogarint, aliaque permulta, cum ipſa Epiſtola declaret me tantum queri, quod cum iſta novarint, nihil ſuccedat melius: & ſi maxime damnarem quod iſti faciunt, quid aliud facerem, quam quod jampridem fecit Eccleſia Catholica? Certe in totum ſublata iſta nunquam probavi, nec probaturus ſum, correcta cuperem permulta. Hîc vero nobis recenſent longum Eccleſiarum catalogum, quas omnes hæc mea damnet Epiſtola. Enumerent ſexcentas Eccleſias, una Catholica plus apud me ponderis habet: nec hoc cupio diſſimulatum, me iſtas Eccleſias ſi tales ſunt, quales hîc

Digitized by Google

partim vidimus, partim audimus, non probare, nec istam invidiam magnopere formidamus. Illud tribuit insigni cuidam improbitati, quod scripserim istos veritatem Euangelicam plus mille annis sepultam in lucem revocare, &c. Negant unquam tale aliquid ab ipsis auditum. A quibus? Ab *Argentinensibus* Ecclesiastis? In illos proprie non scripsi, sed in genere in totam cohortem. Legant quæ jactat *Lutherus* de suo Euangelio, videant quomodo tractarit probatissimos Ecclesiæ Doctores, actum me vanitatis arguant. Quid *Argentorati* loquantur nescio, quanquam cum docent summam impietatem, & idololatriam esse adorare Eucharistiam, quod factum est ante ætatem *Augustini* & *Cypriani*, &, ut est credendum, ab ipsis traditum Apostolis, nonne damnant totam Ecclesiam? Confugiant ipsi ad illam nulli cognitam Ecclesiam, sub cujus titulo cuique liceret quod libet. Si quid tribuendum externis quoque judiciis, mihi tot Patrum, tot Conciliorum, & Orbis Christiani consensus pro oraculo est, maxime cum & Scripturæ stent à nobis. Revocant (ut ajunt) veteris Ecclesiæ ritus, revocent potius veteris Ecclesiæ sanctimoniam. Ritus ἀδιάφορα sunt, nec pios faciunt, nec impios, & ante annos mille quingentos scripsit *Petrus: Obedite præpositis vestris, non solum commodis verum etiam difficilibus*. Ista externa pro temporum ratione mutari possunt. Et *Paulus* post Christum multa instituit in Ecclesiis pro illius ætatis ratione. Ex sese non magni refert linea veste quis ministret altari, an lanea, sed magni refert, an in altari credas adesse Christum, an panem ac vinum tantum. Quod si nemini licet instituere quicquam præter id quod Scripturis continetur, cur *Joannes* Baptista suis discipulis præscripsit certas preces, certaque jejunia? Cur *Jacobus Hierosolymorum* Episcopus decrevit de suffocato, sanguine & immolato simulachris, quod nulla Scriptura Gentibus præscripserat? Cur post hoc decretum *Paulus* ausus est dicere: *Omnia munda mundis*, Et, *Omne quod in macello venit, comedite*. Cur nostri majores ausi sunt pro temporis qualitate diversum statuere? nisi forte nobis fas non est vesci gallina suffocata, aut fartis ex sanguine? Postremo si nihil aliud proponunt, quam quod fuit ab Apostolis constitutum, cur ipsis auctoribus viri ac mulieres promiscue canunt in Ecclesia? cum *Paulus* sanxerit, ne qua mulier loqueretur in Ecclesia. Ad hæc cujus Apostoli institutum est, ut Psalmi cantarentur redacti in rythmos in fine concinentes, mutatis etiam, quod est necesse, multis verbis? Proponunt nobis summam fidei suæ, multa repetentes de tribus Personis, ejusdem essentiæ, de Patre, qui per Filium suum redemit genus mortalium, de Sancto Spiritu, qui operatus est per sanctos Apostolos, deque similibus, quasi nos damnemus totam ipsorum doctrinam, aut quasi *Ariani* non habuerint plura cum Catholicis communia, quam isti nobiscum. Sed interim sibi constanter sumunt afflatum Spiritus Christi, cæteros dissentientes tradunt Satanæ. Improbata vero dogmata sua tectioribus verbis admiscent, veluti non esse nisi duo Sacramenta, Baptismum infantulis non salutis sed honoris causa dari, qui tamen non prosit nisi prædestinatis, imo nulli sit necessarius: in Eucharistia non esse verum corpus & sanguinem Domini, itaque à Christo dictum, *hoc est corpus meum*, ut ab *Ezechiele* dictum, *hæc est Hierusalem*, mirum audis argumentum & inevitabile telum! Frequenter hoc inculcant, mire gloriantes se hujus novi dogmatis auctores, à solo Christo petendam salutem, quasi nos petamus à Divis, aut ab Imaginibus, aut à Sacrificis salutem. Atqui cum peccator sibi ipsi displicens, nondum tamen valens à vitiis recedere, ambit piorum hominum preces, ut per illos impetret bonam mentem, num ab alio petit salutem, quam à Christo? Non ab alio, sed per alium. Idem dici potest de Divis. Jam cum reddunt rationem, quare missas, preces horarias, & cantum, aliaque sustulerint, ita loquuntur, quasi nullus hæc pie tractaverit usquam tractetve, quasi ob quorundam vitia res per se salutares debeant funditus tolli potius quam repurgari. Si protinus tollendum quo plures abutuntur, istorum Euangelium esset tollendum, sub cujus umbra tam multi perditissime vivunt, id quod nec ipsi negant: Tollenda potestas Principum ac Magistratuum, quod innumeri sua potestate ad quæstum, rapinas ac tyrannidem abutuntur. Denique quid erit tandem reliquum in rebus humanis? Sed Magistratibus plurimum tribuunt, quibus à Deo datus est gladius ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. Atqui gladium habent & qui damnant ac puniunt ista profitentes, quæ docent, ut schismaticos & hæreticos. Cur his non obtemperant? cur non obediunt summæ potestati Cæsaris ac Regum? Sed oportet, inquiunt, magis obedire Deo, quam hominibus. Atqui profanus Magistratus non judicat nisi de his quæ palam legibus vetantur, de fide Catholica sunt alii judices. Horum judicium sequutus Cæsar, plectit illos si nolint resipiscere. At istorum Magistratus unde docti sunt? Ab ipsis reis, non enim dicam hæreticis. Et Pontificum & Episcoporum potestas à Deo est, cur hanc non agnoscunt? Non habent, inquiunt, nisi gladium verbi. Sed hoc gladio jugulati sunt isti ac traditi Satanæ. Immerito, inquiunt. Quo argumento? Quia contra divinas Scripturas fulmina vibrant in innoxios. Sed harum interpretationem sibi proprie sumunt, cum interim inter se de re tanta dissentiant. Ita denique fiet, ut nulla Scriptura valeat, nisi juxta sensum ipsorum, nulli Magistratui sit obediendum, nisi qui ipsis consentiat. Non est, inquiunt, Magistratui parendum, nisi juxta Scripturæ divinæ regulas utatur potestate. Scripturas autem interpretari, nostrum est, non aliorum. Agnoscunt publicam potestatem in omnibus, quæ non adigunt ad impietatem. At quæ tandem impietas est certis diebus à cœna temperare, iis qui hoc citra corporis incommodum, imo cum animi & corporis commodo facere possunt? Quæ impietas est canere laudes Deo in Templis? aut dicere preces horarias? Dicuntur, inquiunt, ad quæstum, dicuntur lingua tantum. At non ab omnibus, imo permulti psallunt lingua simul & affectu. Cæteri sedulo monentur, ut qui psallunt spiritu, psallant & mente, monentur ut præcipue spectent utilitatem proximi potius quam quæstum. Quanquam & hîc dignus est operarius mercede sua. Qui altari servit, quocunque modo, par est ut de altari vivat. Verùm Sacerdotes, inquiunt, non vivunt de altari, sed luxuriantur Ecclesiæ stipendiis. Luxus igitur amputetur, non Sacerdotium. Perlubenter autem rogaverim istos, an in Templis ipsorum omnes canant mente. Longe aliter narrant, qui versantur in illorum cœtu, non Catholici, sed illius professionis homines, qui confirmant jamdudum plerisque à viris fastidiri cantiunculas, quod à me ceu malitiose dictum quiritantur in hospitam civitatem. Quid hoc ad dignitatem civitatis, si qui refrixerunt ad pietatem? Hoc incommodum illi cum omnibus civitatibus est commune. Nimium felix illa futura sit, si nihil haberet, quod mutatum cuperet. Dicent, uti solent, hoc luculentum mendacium à perditissimis nebulonibus ad me delatum. Miram Euangelicam modestiam! perditissimos nebulones appellat, ignarus in quos hoc dictum jaciatur. At si eos nominem, qui mihi quædam retulerunt, puderet nimirum, si quid frontis habet, tales appellare perditissimos nebulones. Nunc hoc, ut alia pleraque, mihi retulerunt, qui sectæ isti dedere nomen. Si populus Euangelicus fovet perditissimos nebulones, cur mihi indignantur, cum in quibusdam desidero mores Euangelio digniores? Iidem referebant multos sic adesse concioni, ut satis præ se ferant, nihil affici iis quæ dicuntur, sed tantum adesse, ne videantur deesse sectæ suæ. Quod si Ecclesiastæ tanta sævitia clamitarent in vitia suorum, quam clamitant in vitia Sacerdotum, demirabor, si tres habituri sint auditores. Sed *Argentorati* canunt omnes, & quidem frequentes. Utinam illorum cantiones Deum ita deliniant, ut eum nobis ex irato reddant propitium! Sed cur hoc memorant, cum ego de *Argentoratensibus* non

Digitized by Google

non ſim locutus? Quod vero ſcribunt hos eſſe mores Eccleſiarum ipſorum, ut ſobrietatem amplectantur, quæ minimum abſit à jejunio, ſcio multos etiam Symmyſtas non ſine riſu lecturos. De *Argentinenſibus*, quod crebro repetendum eſt, non loquor, non novi quid illic agatur. De his loquor, quos mihi propius noſſe contigit. Sed *Paulus* Apoſtolus in ſuis, ut ajunt, Eccleſiis tulit ebrioſos, contentioſos, fraudatores, Judaiſſantes, &c. Fateor, Sed in hos acriter invehitur, oportune, importune, arguens, increpans, obſecrans, quoſdam etiam tradidit Satanæ. An iſti idem faciant, ipſi viderint. Mihi tale nihil unquam auditum eſt. Idem *Paulus* vetat cibum capere cum eo, qui cum fratris, hoc eſt, Chriſtiani titulo commendetur, tamen avarus ſit, aut adulter, aut maledicus. Num idem iſti faciunt? Sed mirum non eſt, ſi qui nuper venerant à contaminatiſſima vita, ab idolis ac profundis ignorantiæ tenebris, ſubito fingi ad perfectum Chriſtianiſmum non poſſent. Verùm iſti, unde quæſo venerunt? A Chriſtianiſmo ad Euangelium, nonnulli à Sacerdotio ac Monachiſmo. Ad hæc quî ſcire potuit hic Scriptor, qui mores ſint in omnibus ipſorum Eccleſiis? Et ſi tales ſunt ubique mores, quid opus erat *Luthero* viſitatoribus, qui ſuos à Paganiſmo revocarent? Poſtremo ſic colligunt: Si *Paulus* & *Eraſmus* non damnant ſuas Eccleſias, cum habeant multos impuræ vitæ admixtos, cur à nobis plus exigit? Imo cur ipſi ſuas Eccleſias damnari nolunt ob admixtos malos, & noſtras damnant eadem de cauſa? Quanquam aliis eſſet in promtu quod reſponderent, in Eccleſia Catholica paratam eſſe remiſſionem peccatorum, cum in hæreſi male vivant, etiam qui bene vivunt. Quanquam & hoc falſum eſt, quod illorum Eccleſias in totum damno. Habent illæ ſuos judices, tantum ab his qui tanta fiducia ſibi vendicant Spiritum Chriſti, tanta libertate clamant in mores omnium, requiro, ut plus in vita præſtent ſanctimoniæ, quam adhuc videmus. Illud non video cur exiſtimarit commemorandum.

Ait ſe noſſe quendam inſignis Eccleſiæ Canonicum, qui dixerit, jam nullum *Tiguri* poſſe haberi ſcortillum, quo hoſpiti gratificentur, cum ingens, antequam irrepſiſſet hoc Euangelium, elegantium ſcortorum illic fuerit copia. Hunc locum oſtendi Canonico quem petere videntur, nam addunt quædam verba, unde deprehendi poſſit, de quo ſentiunt. Is ridens negavit ſe unquam in vita quicquam tale à quoquam audiſſe, tantum abeſſe ut ipſe hoc dixerit. Et eſt is vir omnium teſtimonio, cum alias vitæ inculpatiſſimæ, tum homo minime vanus. Simili candore perſtringit & alium quendam Vicedecanum, additis aliquot notulis, unde curioſus percipere valeat, quem mordeat. Eum ait male audire, quod conſtuprare ſoleat alienas uxores, cum ego, qui domeſticam cum illo conſuetudinem egi, nullum unquam impudicitiæ veſtigium in eo deprehenderim, vel dicto, vel facto, & longe alium de illo rumorem eſſe ſciunt, qui noverunt hominem. Sed Canonico male volunt, quod de ſecta ipſorum parum bene ſentiat: Vicedecanum oderunt, quod initio viſus in iſtos propenſior, mature reſilierit. Quam hæc indecore ſcribuntur ab eis, qui de ſe nihil dici volunt, niſi quod oculis conſpexeris, manibus contrectaris! Male audiunt, inquiunt. Sed fingamus utrumque verum eſſe, quod rumor detulit, an ideo purgati ſunt ipſi ab omnibus criminibus, quod uno falſo ſunt impetiti? An ideo deficiendum eſt ab Eccleſia Catholica, quòd unum habeat Vicedecanum adulteriis inquinatum? Jam quod ſcribit, quæ Sacerdotibus eripiuntur, in ſubſidium pauperum & ſtudioſorum converti, hoc an *Argentorati* fiat neſcio, novi certe ubi ſecus fiat. Ac vereor ne pluribus locis id accidat, quam expediat. Quod autem jus habeant in Sacerdotes, viderint ipſi, nam addit pro ſuo jure: *Cum Magiſtratibus mihi non eſt concertatio.* Habent Cæſarem, certe Deum habent, cui reddituri ſunt rationem. Et ſi quid delinqueret Magiſtratus, cui potius imputandum, quam his qui velut è Scripturarum auctoritate perſuadent hæc pie fieri? Criminantur & illud, quod ſcripſi, quotquot in locis regnat hoc novum Euangelium, ibi frigere ſtudia litterarum. *Noremberga*, inquit, *ſunt decreta ſatis ampla ſalaria Linguarum Profeſſoribus.* Scio, ſed qui illic vivunt ſcribunt auditores eſſe pene nullos, & Profeſſores non eſſe minus pigros ad docendum, quam auditores ad diſcendum, ut non minus opus ſit ſalario diſcipulis quam doctoribus. Quid iſtorum Scholæ, quas habent perque urbes, perque pagos ſparſas, nobis parituræ ſint, neſcio, hactenus neminem audivi, qui in ſecta didicerit litteras. Pelliciunt doctos ſalariis, & litteratos juvenes artibus attrahunt, ut per hos commendentur, magna ſtudiorum invidia. Sed magni refert quid in Scholis eorum tradatur. Dogmata & Linguæ potiſſimum. At iſtorum dogmata non omnibus conveniunt, nec Linguæ abſolvunt eruditionem. At non video, quo pacto conſentaneum ſit, fore qui magni faciant diſciplinas, cum nullus honos huc invitet. Sublato Sacerdotio, ac ritibus Eccleſiaſticis, ademta ſpe fortunarum ac dignitatum, ad quas antehac litteræ provehebant, quis vellet gravibus impendiis curare liberos erudiendos? Porro quod ſcribit, hoc eſſe ſuæ caritatis, Sacerdotes ac Monachos, quibus non ſuppetit aliunde unde vivant, ſuis emolumentis minime ſpoliare: Fortaſſis id fit *Argentorati*, at quibuſdam in locis non ſine riſu legetur. Datur aliquid his qui ſacram veſtem volunt ponere, & ipſorum parere legibus, reliquis licet ire quo velint, ne id quidem integris facultatibus. Quis autem æquo animo ferat tutorem, qui ſuo arbitrio adimat ipſius facultatibus? Quemadmodum nec illud abſque riſu legetur, quod ajunt ſe neminem velle lædere, neminem cogere, à ſeditione longe lateque abhorrere, minimis ſalariis contentos prædicare Euangelium. An contenti ſint Deus novit, illud in confeſſo eſt, quoſdam gnaviter egiſſe cum Magiſtratu de augendo ſalario. Sed faciat Magiſtratus periculum, offerat cuique concionatori aureos mille, ſi recuſant, fatebor illos eſſe contentos ſuis ſalariis. Quid autem hoc eſt, neminem lædere? Hoccine eſt neminem lædere, Canonicos depellere à Collegiis, Monachos è Monaſteriis, Abbates & Epiſcopos ditione ſpoliare, movere cives magiſtratu, virulentis Libellis etiam in Regum ac Principum capita debacchari? Hæccine longe lateque diſcrepant à ſeditione? Neminem, inquit, occidimus. His nimirum habenda gratia qui ceſſerunt, alioqui vidiſſemus cruentam pugnam. Nec piratæ quenquam occidunt, ſi nemo reſiſtat. Hæc an nuſquam fiant aliis relinquo judicandum. Atroces certe multorum querimonias audimus quotidie. Non eſt Euangelica virtus neminem lædere, qui te non lædat, ſed immane ſcelus eſt lædere innocuum. At maleficium beneficio repenſare, id demum eſt Euangelicum. *Nos*, inquit, *ſinimus hoſtes noſtros inter nos tuto vivere.* An hoc ubique fiat dubito. Quos autem vocant hoſtes? omnes Catholicos? Quid magni faciunt? An non & ipſi quotidie veniunt ad alias urbes, vel animi gratia, vel negotiandi cauſa? At idem non eſt tutum Eccleſiaſtis. Nec noſtris Epiſcopis tutum eſt apud ipſos verſari. Præterea nihil intereſſe cenſet inter damnatos & non damnatos? Nos certe nemo damnavit. Et tamen quot damnati feruntur ac diſſimulantur apud nos? Quod ſi nulli læduntur, cur tam multi ceſſerunt è ſuis urbibus? Cur apud Cæſarem querelarum plena ſunt omnia? *Licet illis*, inquit, *nobiſcum vivere civium jure.* Quam vero ſuave vivere cum illis, quos habent pro hæreticis, & illorum jugo præbere cervicem! Qui ſi perſiſterent in ſua fide, quam putant eſſe ſinceriſſimam, non ſunt ignari, quem favorem Magiſtratus ac populi ſint experturi, ſi quid ſecus, ut ſunt res humanæ, accidat. At non ſumus, inquiunt, hæretici. Ut non ſint, illis tamen perſuaſum eſt magnis auctoribus, ſi errant, errant cum tot Scholis, cum Pontifice, cum Cæſare. An hoc non eſt cogere: niſi audis noſtras lectiones, nihil

Digitized by Google

ex Præbenda numerabitur? Ne quis proficiſcatur tali die ad tale feſtum, ne quis audiat Miſſam, aut accipiat Euchariſtiam in vicinis pagis, ſi fecerit, libra damnatus eſto. Niſi quis acceſſerit tempore Paſchæ ad menſam Eccleſiaſtæ, ſumturus panem & vinum pro Chriſto, exſpectet Senatus judicium. Hæc ſi negabunt *Argentorati* fieri, non admodum reluctabor: ſin affirmabunt nuſquam fieri, nihil aliud quam impudentiæ notam lucrifacient. Qui vero poteſt eſſe ſincerus amor inter eos, qui religione diſſident? Et hac de cauſa impar conjugium prohibuit Eccleſia contrahi. Hîc mihi patebat dicendi campus latiſſimus, ſed quid attinet ea commemorare, quæ vulgo decantatiſſima ſunt? Fateor in nulla civitate rem moderatius geſtam quam *Argentorati:* nam imagines non videbantur abjecturi, niſi fœderis legibus coacti.

Poſt hæc diluturus crimina, quæ, ut ait, ipſis impingo, precatur, ſi purgandi ſui cauſa uſquam à vero receſſerit, aut quicquam reticuerit, dicendove obſcuraverit, ut *Chriſtus* id manifeſta ultione Orbi declaret, Amen. Hæc præfatus, in ipſa ſtatim criminum propoſitione recedit à vero. Principio ſcripſi illos artibus uti Euangelica profeſſione indignis, tum ei quoque negotio, quod agunt, officientibus. Id ita recenſet, quaſi crimen hoc impingam omnibus Eccleſiaſtis, cum in Epiſtola paucis notem. Atque hoc eſt unum crimen, quo tot egregias Eccleſias uſque ad *Friſiam* Orientalem porrectas intolerabili injuria affeci. Verùm admiror hoc illos vocare crimen, cum ipſi libris editis profiteantur, eſſe fas Euangelium fucis ac technis promovere. Hoc crimen non erat diluendum, ſed ego magis notandus ſtultitiæ, qui rem honeſtam pro crimine objecerim. Alterum erat, quod ſcripſeram illos diverſam ab Apoſtolis cauſam agere. Hoc certe obſcure dictum eſt ab iſto. Scripſi non eſſe eandem rationem negotii Apoſtolici & iſtorum, ſed proclivius fuiſſe quod agebant Apoſtoli, quam quod iſti moliuntur. Deinde quod addunt, nulla vitæ innocentia inſtructos, nuſquam eſt in Epiſtola mea, tantum ajo: *quod ſi vita quoque non ſolum non commendat doctrinam veſtram, ſed potius abrogat*, &c. Ubi nunc eſt *Chriſtus* ultor? Addiderunt & illud de ſuo, *tanquam in hoc devotis animis ſimus ut omnium rerum πανολεθείαν invehamus.* Hoc nuſquam eſt in meis ſcriptis. Tantum dixi, me metuere funeſtum hujus negotii exitum, & utinam vanus ſim augur! Qui ſibi tantum permiſit in ipſo limine, quid ab hoc exſpectandum eſt in progreſſu? Fateor, expoſtulavi cum eo cui tum ſcripſi, quod jam bis editis libellis, quibus meum nomen majuſculis præfixerat, & me vocaret in invidiam, nec ſuæ cauſæ prodeſſet. Id quoniam viſum eſt illi facinus lepidum, tertio jam idem fecit. Quem ſi ſciſſem eſſe talem, qualem ſe declaravit, ſyllaba cum eo non expoſtulaſſem. Putabam me amico ſcribere, nec ſuſpicabar tantam Euangelii metamorphoſim. Etiamſi ex animo faverem iſtorum cauſæ, admonerem talibus Libellis, quales ille prodit, nihil aliud quam irritari Principes, & impediri quod agunt. *Licet*, inquiunt, *ex editis libris, & jam omnium factis excerpere, quod videtur.* Sed quid ſibi volebant illæ prægrandes litteræ? Quid tale exordium talibus Epiſtolis præfixum? *Nihil*, inquiunt, *erat in illis ſeditioſum.* An non ſeditioſum hortari Principes, ut facultates adimant Sacerdotibus ac Monachis, & in uſum pauperum conferant? quaſi hoc ſoleant facere Principes, nec dubium eſt, quin ſentiant de pauperibus Euangelicis. Cur ex uno me citavit aliquid, cum *Jo. Brentius* toto Libello nihil aliud agat, quam de non occidendis hæreticis? Ego Theologos ac Monachos admoneo Chriſtianæ clementiæ, quorum aliquot videmus adeo propenſos ad occidendum, ut ſi Principes illorum animis obtemperaſſent, vidiſſemus ingentem ſtragem hominum. Quin & ipſos Principes ab occidendo deterreo, ſi liceat aliis rationibus mederi malo: verùm quos ego illic voco hæreticos, ille vocat innocentes. Nec illud verum eſt, licere quovis modo ex aliorum ſcriptis decerpere. Ex diſputatione, ſi quædam per ſe referas, videbuntur peſſime dicta, ſi in contextu legas non eſt cur reprehendas. *Stunica* cum me maxime vellet gravare invidia, quid aliud fecit quam quod ex Lucubrationibus meis loca quædam congeſſit? Sed per me ſane ludat ut lubet *Vulturius*, apud cordatos nihil me lædet, ipſe ni caverit, aliquando impinget in ſuum *Temeſæum* genium. *Paulus*, inquiunt, *titulum aræ apud* Athenienſes *torſit in argumentum Euangelii.* Primùm probabilius eſt verum quod *Paulus* narrat illic aram fuiſſe titulo ignoti Dei. Sed ut donemus eſſe verum, quod prodidit *Hieronymus*, nonne his verbis, *reliquiſque Diis ignotis*, comprehenſus eſt & verus Deus? Quid igitur fuci fecit *Paulus?* Merus autem fucus eſt, quod (ut ajunt) mea verba ſimplici animo, bonaque fide citarint. Ipſa res aliud loquitur. At quæ tandem eſt iſta veritas, quæ nobis invitis erupit? Mira vox ſit oportet, quam per me, veluti per aſinam *Balaam*, expreſſit Spiritus. Hortatus ſum, inquit, ad ſpiritualem ſumtionem corporis & ſanguinis Chriſti, ſine qua corporalis illa non ſolum nihil prodeſt, verum etiam exitialis eſt. Quid hoc facit ad iſtorum impium dogma? An non *Paulus* idem ſuaſit *Corinthiis?* An non *Auguſtinus?* An non idem hodie quicquid eſt Orthodoxorum Theologorum? An hinc ſequitur in Euchariſtia nihil eſſe præter panem & vinum? Non pudet hæc tam abſurda libris editis ingerere oculis hominum? Nunc belle excuſatur *Pellicanus*, à cujus nomine tamen mea temperavit Epiſtola, quod iſte pro ſua civilitate ad invidiam mei putavit addendum, qui faſſus eſt ſe multis dixiſſe, quod cum ipſo de Euchariſtia ſentirem, idem mihi faſſus eſt ſe tale nihil unquam ex me audiſſe. Sed ſuſpicatus eſt, inquit, te conſentire. Unde? Quia ſpiritualem manducationem laudavi, ut præcipuam? Quid hoc ad rem? Num ideo non ſparſit novum rumorem? Quin idem ſuſpicabantur illi de *Paulo* & *Auguſtino*, & omnibus Theologis, in quorum ſcriptis idem legitur, quod in meis? Quis autem tam ſtupidus eſt, ut in Epiſtolis, quas urbem relicturus edidit, non ſentiat illius obliquas ſtrophas laudatæ prudentiæ? Semel reſponderam Senatui me de Euchariſtia ſentire cum Eccleſia Catholica: Apud ipſum *Pellicanum* teſtatus ſum me ab ea ſententia, quam tum primum apud me profitebatur, prorſus abhorrere. Quid opus erat illis obliquis Epiſtolis? Quid opus erat precibus armatis, ad quas hortatur Magiſtratum? Sed eam Epiſtolam iſti non viderunt. At Guardianus, qui præerat reliquiis ejus ſodalitatis, eam in cubiculo *Pellicani* reperit: is qui vidit mihi narravit. Sed armatas, inquiunt, non intellexit violentas: nam id eſſet levitatis eximiæ. Quid igitur dixit armatas? blandas opinor & amicas. Quaſi non fuerit illic à quibuſdam populariter jactatum, me debere teneri, nec dimitti, donec de ſingulis quid ſentirem ederem. Sciebam quid quidam audire cuperent. Si quid dixiſſem catholice, futurus eam prudens & callidus diſſimulator: Si gratificatus fuiſſem quorundam auribus, & corpus & animum meum expoſuiſſem periculo. De facto nulla eſt ambiguitas, armatæ preces non aliæ ſunt quam quæ vim addunt recuſanti, proinde non inepte pronuntiant in ſuum ſymmyſten, factum hoc eſſe eximiæ improbitatis. Ego nihil aliud dico, quam ejuſmodi facta non reſpondere Euangelio. Nonne pulchre defenſus eſt *Pellicanus?* Invitus ad iſta deſcendo, in quibus dum civilitatem meam tueri conor, interdum mihi prodenda eſt cauſa mea. De *Pellicano* nihil queſtus ſum, niſi quod ipſe ſcripto voluit plurimis eſſe notum. Miſeret me veteris amici potius quam iraſcor homini. Nihil ſimile in eo deprehendi priuſquam decreviſſet totus eſſe Euangelicus.

Supereſt defendendus *Leopoldus*, qui inſcio, ut ajunt, *Pellicano* librum ſuum confecit. Unde id ſciunt? credunt. At aliud narrabant, qui veniebant *Tiguro.* Non diſſimulavit, inquiunt, *Leopoldus* ſuum nomen,

Digitized by Google

ut mentitus est *Erasmus*. Quis pro *Ludovico Leopoldo* intelligeret *Leonem Judaum*, nisi forte symmystæ? Quis auctor suum nomen adjicit in calce libri in angulum? Sic autem erat adjectum, ut magis videri posset Typographi. Sed *Leopoldus*, ut ajunt, nusquam dicit me sentire cum *Luthero*, tantum mea quædam bona fide recitavit. At quisquis legerit illius Libellum ac meam responsionem, intelliget illum nihil aliud agere, quam ut insinuet me sentire, quod ipsi docent de Eucharistia: quod idem sentire vult *Lutherum*. Recitat, ut inquit, mea verba. Ut recitet, stulte colligit: imo ne recitat quidem verba mea, sed frequenter impudentissime depravat, truncatimque refert. Prima statim citatione vide quantum mendacium: in plerisque, ut ait, locis appello panem & vinum Eucharistiæ symbola, hoc est, signa & symbolicum panem, cum hæc verba nusquam sint in scriptis meis, sed audivit ab aliquo, nam *Leopoldus* videtur mea non legisse. Dubitat tamen, an hoc dixerim in *Querela pacis*, an in *Enchiridio*, an in alio quopiam Librorum meorum. Vides bonam citantis fidem? Verba, quæ citat ex *Enchiridio* Cap. v. depravate citat. Imo eo ipso in loco carnem & sanguinem appello his verbis: *Christus contemsit carnis sua manducationem, & sanguinis potum, nisi & spiritualiter edatur atque bibatur.* Et hic est locus qui palam declarat, quid celem in corde metu Pontificis ac Cæsaris homo videlicet meticulosus: nam & hoc præstruxit: *Si diversum*, inquit *Leopoldus, sentiret* Erasmus, *scriberet adversus eos, qui negant veritatem corporis & sanguinis in Eucharistia.* Qui sic loquitur, nonne dicit me cum ipsis sentire? Quin & sententiam meam, quam Senatui *Basileensi* scripto tradidi, depravate refert. Ea cum palam profiteatur me sentire cum Ecclesia Catholica, ac dissentire ab *Oecolampadio*, tamen hic ita loquitur: *Vides hic quid dicat bonus ille vir, modo velis intelligere.* Itidem stultissime refert Annotationem in *Marc.* Cap. xiv. cum illic pronuntiem hæreticum esse, negare in Eucharistia veritatem corporis & sanguinis. Addunt locum ex Paraphrasi in prioris ad *Cor.* Cap. x. & xi. ubi jactat me palam multisque verbis satis significare in Eucharistia esse panem & vinum. Cum illic habeantur hæc mea verba: *Nos quoque baptismo purgati sumus, ex æquo sacrosancti corporis cibo vescimur, de calice mystico bibimus omnes.* Ibidem crebro repeto hæc verba, *Corpus & sanguis Domini.* At ibidem corpus Christi voco panem, voco, sed addo, sacrum. Quî minus id mihi liceat, cum *Paulus*, cujus Paraphrasten illic ago, idem faciat eodem in loco? Quin & illud improbe mentitur, me vocasse panem & vinum symbola corporis & sanguinis Domini, quasi sentiam hæc elementa esse signa corporis & sanguinis absentis, cum ego dilucide, quid sentiam explanans, ipsam sumtionem appellem symbolum æterni fœderis. Impudentius etiam mendacium est, quod ait me sanguinem appellare vinum, nusquam appello vinum, sed appello sacrosanctum poculum. Adducit locum ex Actis, ubi prædicat me eadem scribere quæ scripsi in Epistolam ad *Cor.* cum ipsa res doceat hoc esse vanissimum. Addit alia multa esse loca in scriptis meis, quibus indico me sentire cum ipsis. Hoc mendacio quid impudentius? Alia multa sunt loca, quæ declarant me sentire cum Ecclesia Catholica, nullum est verbum quod suspicionem præbeat diversæ sententiæ. Cur illa dissimulavit *Leopoldus*? subindicat illa mihi falso tribui. Qui Libri sunt editi meo nomine, qui mei non sunt? Cum scripto edito evidentissime declararim, quantis mendaciis, quam stolidis sycophantiis scateat *Leopoldi* Libellus, tamen hic quisquis fuit, non veretur ejus facere mentionem, & audet etiam patrocinari, audet affirmare illic mea verba bona fide recitari, audet negare mihi impingi, quod cum ipsis sentiam. Vanissimum Libellum à manifesto mendacio *Leopoldus* est auspicatus, dicit me cum *Luthero* damnare omnes constitutiones humanas. Os impudens, ubi legit hoc in scriptis meis? Sed quid mirum est sic ineptire *Leopoldum*, cum *Zwinglius*, quem quidam habent pro semi-

A Deo nihilo sanius ratiocinetur, ex verbis meis, quibus expono locum Pauli, *Calix cui benedicimus, Benedicimus*, inquam, *& consecramus*, consecrandi verbum ait non ex animo, nec sine tædio additum. Quod si non adjeci ex animo, non probo consecrationem. Sed quæ tandem necessitas compulit, ut adderem, cum *Paulus* eo verbo non utatur? Si dixissem *consecramus & benedicimus*, fuissem ex animo locutus. Nunc quia sequitur, non ex animo adjectum est. O graves argumentationes, & tamen calumniosas! Non pudet istos tam manifestis *Leopoldi* næniis patrocinari? Potui, ut ajunt, in tempore rescire de libro, cum liber tum demum venerit, cum jam proficiscerentur disputaturi. Et erat Germanice
B scriptus, tum ipse eram occupatissimus aliis. Quid, inquit, ille libellus ponderis habuisset in re tanta? Habuisset apud idiotas & rude vulgus. Nos, inquiunt, nullam causam dedimus concipiendæ de nobis istiusmodi suspicionis. Qui vos? Ecclesiastæ *Argentoratenses*? de vobis illa scripta non sunt. Nondum enim prodierat in Theatrum ille, qui quædam in libris *Lutheri* & *Pomerani* falsavit, & ad suum dogma non vertit, sed invertit: nondum, qui doceret nos, esse fas in Euangelico negotio fucis ac technis uti, qui fictis titulis commendarent libros suos. Et qui talia faciunt ac docent,
C nunc scribunt, nunquam tali suspicioni locum dedimus. Verbo, inquiunt, Dei nitimur, facessat omne mendacium. Appello, ut ajunt, *Carolstadii* libros insulsissimos, quos tamen non legi, nam erant Germanice scripti, sed docti qui legerant ita prædicabant. Atque ipse etiam *Oecolampadius*, qui sententiam amplectebatur, probationes damnabat. Deinde sic placuerunt Senatui, ut suppresserint. Tot scatebant convitiis. Non cecinit, inquiunt, palinodiam. Cur igitur dicitur *Luthero* reconciliatus? In libro, inquit, aliud scripsit. Nimirum jam extra *Lutheri* potestatem constitutus. Qui tamen in eum fuit mitior, quam *Zwinglius* in *Balthasarum*, quem *Tigurini* sex, ut ajunt, menses detinuerunt in carcere, nec nisi publica recantatione dimissus est, imo non di-
D missus, qui fugit è carcere. Certe *Basilea* publicus erat rumor, *Carolstadium* recantasse: & quid mali fuisset, si à tanto errore resipuisset? Postremo qui damnat asseverationem dogmatis, quod prius asseverarat, nonne canit palinodiam? De *Leopoldo* & *Carolstadio* satis.

Supereſt alter Ecclesiastes, quem ajunt hujus, cui nunc respondemus, Libri certe maxima ex parte architectum, eoque nomen suum supprimit. Vocetur si libet *Bucephalus*, is ficto titulo scripsit Librum ad primogenitum Regis Galliæ, admixtis aliquot verbis Gallicis, quo videretur à Gallo scriptus ad Gallum. *Pius*, inquit, *dolus est, qui nocet nemini, prodest multis.* Primum, nulli nocet hæresis? Hoc protinus audiret ab alio: nam hoc de istis pronuntiatum
E est. Non læditur tantus Princeps ac Natio religiosissima quæ gravatur invidia? Quod autem simile exemplum ab Apostolis aut probatis Ecclesiæ Doctoribus profectum est? Si hic fucus nulli nocet, cur *Lutherus* tam indigne tulit suos libros per hunc fuisse corruptos? Cur *Pomeranus* de simili temeritate illius questus est? Quod ab aliis & ab ipsis adeo legibus falsi gravissimo crimine notatur, huic lepido Euangelistæ pius dolus est. De *Vulturio* jam respondi, cujus simplicitatem, bonam fidem, ac sinceritatem satis habeo compertam. Dabitur tamen hoc amicitiæ pristinæ, ne quid atrocius in illum scribam. Si *Cometes* res erat seria, Libellus erat ridiculus, tam inepte
F tractatus. Libellos illius, quibus meum præfixerat nomen, nondum potui nancisci, sed homines optimæ fidei, qui legerunt, narrabant illic excitari Germaniæ Principes, ut Sacerdotes ac Monachos exsuerent suis facultatibus. Idem habetur in Epistola cui titulus *Argyrophylax*. Atque haud scio an eadem fuerit Epistola. Si nihil in illis erat mali, cur statim hîc Magistratus minime stultus vetuit eos distrahi, adeo ut nullum liceat reperire? Id porro factum est, antequam scirem libros huc allatos. Alterum videram *Basileæ*, sed non dignatus sum legere. Nec idem ille scribit quod ego, sicut hic asseverat. Ego nolim hæreticos persuasione simpliciter errantes

Digitized by Google

ſtatim ad ignem pertrahi, ille qui pertrahuntur appellat innocentes. Si illi ſunt innocentes, impii ſunt Principes qui eos capite plectunt: & ſi illi tenent veritatem Euangelicam, Cæſar pluſquam hæreticus eſt, qui jubet illos occidi. *Vulturio* tribuit meram ſanctimoniam, quam optarim quidem tum illi tum mihi adeſſe, patiarque illum interim iſtis frui laudibus: nec mea refert quantum æris vel ſui vel alieni reliquerit, quanquam plus opinor alieni. Quam religioſe ſervarit amicitiæ leges, quam Euangelica fide duxerit uxorem ſuam, ipſe novit, nec me clam eſt. Sed illum ſuæ ſanctimoniæ relinquamus. Agricolarum exemplum in hoc produxi, ne rem per tumultum agentes, ſimilem exitum iſti ſortirentur. Alibi negat eum tumultum exortum ab Euangelio, ſed à ſævitia dominorum. Iſtud haud inficior, ſed illud in propatulo eſt, plurimos qui ſe Euangelii titulo venditabant, fuiſſe poſt admixtos ei turbæ. Et novi quendam ex præcipuis Euangelii columnis, qui cum dicerem me Ruſticis timere miſerum exitum, tantum arriſit, indicans ſe ſperare meliora. Cumque Eccleſiaſtæ nunquam non ſævirent in vitam Sacerdotum, in Ruſticos pene erant elingues. Populus autem Euangelicus multos habebat admixtos, qui adeo non improbabant eam fabulam, ut Magiſtratus de Reip. ſalute ſollicitus, magis metuerit à ſuis, quam ab exteris, ac Senatus *Baſileenſis* unum ex Euangelii columnis juſſerit ire in exſilium, quem ſatellites narrabant ſe nocte Paraſceves deprehendiſſe, non adorantem crucem, quod iſti nefas eſſe ducunt, ſed in *Paphia* Deæ myſteriis operantem. Illa vereor ut quiſquam abſque riſu legat. *Sic abhorremus*, inquit, *a rebus novandis, ut nemo magis.* Si pro ſua Rep. reſpondet, patiar, ſi de omnibus loquitur, magis abhorret in parte *Lutherus*, qui nec imagines ſuſtulit nec prohibet quenquam ſi velit ſacrificare, nec ad ſuam menſam compellit quenquam, nec Canonicos templis, nec Monachos monaſteriis exigit per vim. *Cupimus*, inquit, *Monarchis per omnia placere.* Cur igitur quidam templa ſpoliant ab illis exſtructa? *Sed cum præcipiunt*, inquit, *impia contemnendi ſunt.* Verùm impium erit quicquid ipſis incommodum eſt. An non plerique apud *Saxones* negarunt Cæſari ac Regi *Ferdinando* ſuppetias adverſus vim *Turcarum*, ſequentes dogma *Lutheri*, cujus nunc ille palinodiam cecinit? Nonne voces haſce jactarunt Euangelici, ſe malle pugnare pro *Turca* non baptizato, quam pro *Turca* baptizato, hac nota deſignantes Cæſarem? Omitto quæ *Romæ* geſta ſunt, quam Euangelice ſe geſſerunt *Viennæ*. Quis eam hiſtoriam non deteſtetur? Nec illa ſine riſu legent omnes, *percutienti alapam dextram, obvertendam & lævam: auferenti tunicam, concedendum & pallium, &c. & docemus*, inquiunt, *& meditamur.* Si tales ſunt *Argentorati* Eccleſiaſtæ, magnopere gratulor ei Reip. cæterum hæc indecore ſcribant, qui demoliuntur aliorum exſtructa ſumtibus, qui occupantes Collegia ac Monaſteria dicunt, veteres migrate coloni, qui armati procurrunt in forum. Quid interim Eccleſiaſtæ? Ne quem laedatis niſi quis vos prior læſerit, parate tamen arma & bombardas, ne quis vos opprimat. Scio quoſdam conjectos in carcerem, quod verbum ipſis excidiſſet in Eccleſiaſtas, quendam etiam de capite periclitatum. Mitto quæ de *Zwinglii* clementia vulgo jactantur. Sit falſa *Heſiodi* ſententia: *Non omnino perire quod populari rumore ſpargitur.* Quod ſi vere meditantur patientiam Euangelicam, cur tam amarulentis & criminoſis libellis quidam debacchantur in hunc & illum? *Zwinglius* in *Emſerum*, *Lutherus* in Regem Angliæ, & *Georgius* Saxoniæ Ducem, ac Cæſarem, *Jonas* in *Fabrum*, in me *Lutherus*, *Huttenus* & *Otto?* Propugnamus, inquiunt, Euangelion. Alius hîc recinet, hæreſim, ſed donemus, quid opus tot convitiis & ſannis? Ubi interim ſiniſtra maxilla ad ictum præbita? In hoc ipſo libello quot figurati morſus, quantum artificium onerandi me invidia, quantum ſtudium concitandi in me Principes, Civitates & Regiones, quantum veneni melle verborum tegitur? *Sed Eraſmus*, inquit, *quoque queritur de ſeculo, quod protulit aliquot qui Pontificis auctoritatem propemodum antecenebani Chriſto, cere-*

moniis metiebantur totam pietatem, Confeſſionem in immenſum arctabant, quo Monachi regnabant impune, jam manifeſtum Phariſaiſmum medit[illegible]es. Convenit, inquit, *nobis cum* Eraſmo, *qua ille damnat ea ſola nos convulſa volumus.* Sed agedum, nuncubi *Eraſmus* docuit Miſſam eſſe abominationem, altaria demolienda, Euchariſtiam eſſe idololatriam, Confeſſionem nec neceſſariam eſſe nec utilem, ceremonias omnes rejiciendas, Pontificum conſtitutiones omnes adverſari verbo Dei? Si ceremonia eſt quicquid ſignis externis geritur, & baptiſmus eſſet tollendus. Quanquam qui dicit *aliquot* (qua voce ſum uſus) non damnat omnes, nec iſti vitia ſola convulſa volunt, ſed bona cum malis pariter ſublata. *Eraſmus*, inquiunt, *ſcribit Imagines in Templis non ſolum exceſſiſſe modum, verum etiam à decoro receſſiſſe.* At nuſquam ſcribit omnes promiſcue ſubmovendas, & in ignem conjiciendas, exceptis aureis & argenteis. Taxat *Eraſmus* operoſum hoc Muſices genus in Templis quibuſdam receptum, at non damnat eos qui Pſalmos religioſe canunt in Templis, qui preces horarias decenter recitant. Sic colligit ex meis verbis, homo mire dialecticus. Eſt aliquid abſurdi in his quæ convellimus, ergo recte totum convellimus. Eſt aliquid vitii in corpore, totum igitur corpus tollendum eſt. Ubi didicit hanc dialecticam? Prætereo totum illum locum, quo ut doceant ſe pares Apoſtolis, probare conantur, Chriſtianiſmum, qui hactenus fuit, nihilo meliorem eſſe ſuperſtitione Ethnicorum, nihilominus fuiſſe prædictum ab Apoſtolis quod iſti nunc moliuntur, quam prædictum erat à Prophetis, Gentes relicto Dæmonum cultu verum Deum agnituras, Judaicas ceremonias ad coruſcantem Euangelii lucem evanituras. Cujus aures ferant eam blaſphemiam? Sed quod interim loca, quæ ex Novo Teſtamento in Pſeudapoſtolos ac malos Chriſtianos & hæreticos ſunt dicta, notant tantum, non etiam recitant, prudenter faciunt, ne protinus in ipſos retorqueantur. Præclara vero vaticinia, quæ cum veterum Prophetarum oraculis conferantur. Sed audiamus *Chryſippeum* enthymema: *Quid accidit*, inquiunt, *Eraſmo, ut cum ipſe toties invehatur in cantum Eccleſiaſticum, in preces ſine mente demurmuratas, in ſophiſticas Theologorum argutias, nunc nos roget quid ſit abſurdum in his quæ nos convellimus?* Atqui ego res ipſas non damnavi, ſed hominum quorundam mores bonis rebus utentium male, iſti res ipſas per ſe bonas convellunt. Quid iſti accidit ut calumniaretur quod non intelligit? Impingunt mihi mendacium, quod ſcripſerim iſtos jactare, ſe veritatem Euangelicam plus mille annis ſepultam, in lucem revocaſſe, quod dicant priſcos Eccleſiæ Doctores nihil vidiſſe in ſacris Litteris. *Hoc nos*, inquiunt, *non diximus.* Qui ſint iſti, *nos*, neſcio. At quid aliud in libris ſuis jactat *Lutherus* & *Zwinglius?* Nam in genere ſum locutus, qui *Hieronymum*, *Auguſtinum*, *Chryſoſtomum*, *Gregorium* cum cæteris dicit in carne fuiſſe, caro autem nihil ſapit eorum quæ Dei ſunt, cum divinæ Litteræ non intelligantur niſi per Chriſti Spiritum, quem adeo illis non tribuit, ut vix liberet à gehenna, nonne facit quod dixi? Cum vero *Lutherum* in nullo reprehendant, præterquam in cauſa Euchariſtiæ, veriſimile eſt eos hîc cum illo ſentire. Deinde cum ipſi quoque vocent idololatriam, blaſphemiam & Chriſti contumeliam, contraque ſacras Litteras invecta, quæ Veteres tot retro ſeculis & docuerunt & religioſe ſervarunt, veluti de jejunio quod fuit tempore *Origenis*, de cantu Eccleſiaſtico qui fuit ante *Ambroſium* & *Auguſtinum*, de ſacrificio Miſſæ, de Euchariſtia, de Invocatione ſanctorum, de Statuis in Templo quod non damnat *Gregorius*, & ipſe *Hieronymus* tundebat pectus coram imagine crucifixi, de libero arbitrio, de Monachiſmo, deque aliis compluribus nonne belle ſentiunt de priſcis Eccleſiæ doctoribus? Relegant ſuorum libros, ac tum dicant hîc eſſe multa non Θεοπνευστα à me dicta, dicant *Eraſmi* dictum eſt, non noſtrum, nolo dicere τὰ σῦκα σῦκα. Nec ſatis eſt illis ſua vaticinia priſcis æquaſſe, præferunt. Referam unum è multis. Act. Cap. xx. *Paulus* ita loquitur: *Scio quod introibunt poſt abitum meum*

lupi

lupi graves in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. In utros ista magis competunt? in nos, qui quod à mille quingentis annis tradidit Ecclesia tenemus, an in eos qui novis dogmatibus tantos excitant tumultus? Quid autem prædixit *Christus* apud *Matth.* Cap. XXIV. *Videte ne quis vos seducat: Multi enim venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos seducent: Et multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.* An non hæc plane παλίμβολα sunt? Quemadmodum illa quæ scribit *Paulus* posterioris ad *Thessa.* Epist. Cap. II. sic nos veluti compellans, *rogamus vos, ut non cito moveamini à vestro sensu neque terreamini.* Quis autem est ille homo peccati & filius perditionis? Romanus, ut arbitrantur, Pontifex. At is daturus est eis diversam interpretationem. 1. *Tim.* Cap. IV. quid docet *Paulus?* Prædixit exorituros, qui prohiberent nubere, qui juberent abstinere à cibis. Hæc in eos quadrant, qui simpliciter damnant omne matrimonium, ceu suapte natura spurcum. Hos exsecratur Ecclesia Catholica. Cæterum qui semel duxit uxorem, nonne is recte vetatur inire matrimonium? Nonne *Paulus* vetuit novercam uxoris loco haberi? Nonne *Joannes* Baptista damnat matrimonium *Herodis?* Ecclesia non arcet à matrimonio, nisi qui matrimonium abjurarunt. Quod si se non continent, deplorent suam vel temeritatem vel imbecillitatem, non damnent Ecclesiam. Audiamus jam vaticinium *Joan.* Epist. 1. Cap. II. *Filioli novissima hora est, & sicut audistis, quod Antichristus venit, jam Antichristi multi facti sunt: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis,* &c. Vident hæc statim ipsis in os posse regeri. Similiter quod habetur ejusdem Epist. Cap. IV. nonne nobis dicta videntur? *Carissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Quid porro in Epist. *Pet.* II. Cap. II. *Fuerunt & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* De quibus vaticinatur *Petrus?* Judicet sensus communis: in nos certe ista non competunt. Hujus generis sunt istorum vaticinia propheticis dilucidiora, quæ *Paulus* auctoritate sua interpretans confirmavit.

Post hæc suam inter se dissensionem cum Apostolorum ac Veterum dissensione conferunt. Apostoli nusquam dissenserunt in dogmatibus fidei. Nam quod quidam ajunt *Petrum* in fide errasse, & ob id à *Paulo* reprehensum, non recte scriptum est ab *Augustino*, quem parum attente sequuti sunt recentiores. Nec est eadem ratio de dissensione Priscorum & istorum dissidio. Ignoscitur *Origeni* & *Cypriano*, quod quædam disputarint ex Scripturis non satis intellectis, de quibus nondum erat Ecclesiastica auctoritate pronuntiatum. Sic in multis ignoscitur & *Chrysostomo*, & *Ambrosio*, & *Hieronymo*, & *Augustino*. Jam an hoc verum sit, quod isti nusquam dissentiunt in his quæ sunt ad salutem necessaria, viderint ipsi. Nos arbitramur certe de Eucharistia sententiam ad necessitatem salutis pertinere, ne cætera multa commemorem. Nec ideo scripsimus eos novare dogmata, quod quædam nunc proferunt, quæ initio tacuerunt, sed quod in libris dictisque suis doceant inter se pugnantia. Id si falsum est, refellant eos qui tot loca proferunt, in quibus *Lutherus* & *Zuinglius* à se ipsis quoque dissentiunt. Extant illorum libri, ne mihi sit hoc operæ sumendum, quanquam possum & alia quædam referre ab illis prætermissa. Doceant inter doctrinam *Lutheri* & *Zuinglii* nullum esse discrimen. Alium igitur fucum quærant oportet quo suum excusent dissidium. Verùm hoc quoque sibi volunt ignosci, quod initio quædam ignorarint, velut *Antiochiæ* fratres expostulant cum *Petro* quod baptizasset *Cornelii* familiam, & erant inter Judæos qui Gentibus volebant imponere onus Legis, nonnulli volebant totam Legem admiscere Christo. Hujusmodi lemmatibus patrocinantur suorum dogmatum discrepantiæ. At ego de grege fratrum non disputo: Apostoli, quibus isti se comparant, nunquam, ut dixi, dissenserunt in dogmatibus fidei, Legis ceremoniæ per se malæ non erant, nec ciborum delectus, nec Deus voluit suam Legem subito rejici, ne videretur fuisse impia, cum abolendæ quoque ceremoniæ typum haberent Christi, sed paulatim antiquari. Cæterum quoniam Dominus jusserat illos incipere ab *Hierosolymis*, tota *Judæa* & *Samaria*, tandem venire usque ad extrema terræ, fieri potuit ut *Petrus* dubitarit, quando Deo visum esset, palam doceri Legis ceremonias abolendas, & à *Paulo* monitus sit jam esse tempus. Porro *Petri* difficultas, quam præ se ferebat in baptizando *Cornelio*, & murmur fratrum adversus *Petrum*, & *Pauli* objurgatio, nihil aliud erant quam Dei dispensatio hoc agentis, ut omnibus liqueret earum rerum novationem non levitate hominum, sed Dei voluntate fieri. Sed quando quisquam Apostolus probavit idololatriam? At isti Missam probarunt initio & sacrificarunt, cum eam nunc existiment summam esse idololatriam. Hoc excusent sua rhetorica si queant. *In hoc*, ut ait, *à me dissentiunt quod scripserim Apostolos initio dissimulasse Christi divinitatem.* Idque ita referunt, quasi Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum receperint aliquos ad gratiam Euangelicam, quibus non indicarint Christi divinitatem. Absit ut ea cogitatio mihi unquam venerit in mentem, sed ex probatorum Auctorum sententia annoto, quod *Petrus* prima concione apud rudem illam multitudinem Christum appellat virum approbatum à Deo, de divinitate silet, quam si tum expressisset, non habuisset attentum auditorium. Itidem *Paulus* apud *Athenienses* nondum mysterii capaces, Christum appellat virum per quem Deus statuisset servare mortalium genus. Quis enim tum tulisset hominem cruci affixum appellari Deum? Hoc pro ratione temporis apud indoctos. Cæterum discipulis non dubium quin in primis aperuerint divinæ naturæ mysterium. Jam cum à Christo mitterentur per Judææ civitates prædicaturi Euangelium, vetiti sunt dicere Jesum esse Messiam, tantum aberat ut prædicarent Deum. Quid est ergo quod isti non agnoscunt? Fateantur potius se non intellexisse quod scripsi. Auferant igitur fumos verborum, desinantque se cum Apostolis conferre. De Synodis nihil interim disputo, quas ipsi fortiter contemnunt, neque nos tuemur illic acta omnia. Ad mores redit oratio, multaque commemorant de lenitate ac mansuetudine suorum & præcipue *Cattorum* Principis, quæ si à me fuissent scripta, clamarent me Magistratibus & Principibus adulari. Sed hæc quoniam ad magnates attinent, non est animus respondere, præsertim cum mihi quæ procul gesta sunt parum sint explorata. Quid *Cattorum* Princeps sentiat nescio, quæ vulgo jactantur nihil moror, quæ isti prædicant de his quos putant suo favere instituto, nihil me movent, nihilo magis quam ea quæ de seipsis nobis ingerunt. Illud non potui non ridere, quod in argumentum Euangelicæ lenitatis adducunt, quod cum tam diu in Epistolis meis tam dira falsaque crimina in eos congerens, Monarcharum & omnium mortalium animos in ipsos provocarim, tamen id impune tulerim. Et ubi sunt ista dira falsaque crimina? Quin clamant in *Eckium*, in Episcopum *Roffensem*, in alios complures, qui serio cum istis sectis belligerantur. Omnia crimina semel objiciunt, qui pronuntiant hæreticos & schismaticos. Videant quibus flosculis ipsos ornarit, in hoc Principum conventu, *Joannes Eckius*. Ego semper pro viribus Principes à sæviendo revocavi, & ipse adeo non fui sævus in eos, ut multis viderer colludere. Tot vulgo volitant dentatissimi libelli, plenique amarulentia, & convitiis tam acerbis, ut non temere quicquam simile reperias apud Ethnicos, & nobis toties jactant admirabilem illam mansuetudinem, quæ percussa dextra maxilla, percutiendam præbet lævam. Nos, inquiet, non ista facimus. Cum meus sermo sit generalis, ne dicat, nos non facimus, sed quod objicis nusquam fit. Sibi tutum esse volunt in Episcopos, Reges ac Principes quicquid libet convitiorum effundere, experiatur qui velit, an si simili modo debacchetur in Ecclesiastas, aut Magistratus istorum, impune sit ablaturus. Ego pri-

vatam quorundam manſuetudinem abunde ſum expertus. Novi quendam, quem plus decem annis non aliter atque filium adamavi, meque viciſſim ille non ſecus ac parentem obſervabat, indole quam dixiſſes probitati natam: Simul atque hauſit ſpiritum Euangelicum, præter omnem exſpectationem cœpit eſſe bonus aleator, pernox chartarum luſor, non inelegans ſcortator: cœpit diſcinctus geſtare prælongum enſem, cogitare de matrimonio. Poſtremo verbulo læſus, ex tali amico qualis eſſe videbatur, ſubito mutatus eſt in viperam, vindictæ aviditſimus, perinde quaſi matrem ipſius ferro necaſſem. Quid alterum commemorem, ſupra modum Euangelicum, qui nunquam à me verbo læſus, ſed tum voce tum ſcriptis meis prædicatus, nonnihil etiam officiis meis adjutus, cum mecum nunquam expoſtulaſſet, poſt abitum, pluſquam hoſtilem præ ſe tulit animum, nec ſatis habet linguæ ſpiculum in me vibrare, librum in me ſcriptum recitat ſuis compotoribus. Ob quod meritum meum? Quia cum furente nolui furere. Quanquam per me tum licuit illi facere quicquid libuit. Apud Epiſcopum *Chriſtophorum* eum candidiſſime excuſavi. Cum à Magiſtratu immineret illi periculum, clam ſcripto admonui. Nec erat intempeſtiva admonitio, juſſus adire Magiſtratum, maluit vertere ſolum. Atque hic unus eſt ex proceribus Euangelicis. Quando præberent alteram maxillam percuſſori, qui tale præmium referunt bene meritis? Quî potuit *Huttenus* ſtringere calamum in hominem à quo ſic erat adamatus, ſic ſcriptis editis prædicatus, nec mediocribus adjutus officiis? An non huic ceu propugnatori Euangelii plaudebat populus Euangelicus? Et tamen hunc quidam præcipuus iſtius doctrinæ defenſor, in Epiſtola quadam appellat furioſum, *Lutherus* dolet adſperſum *Spongia*.

Quid nunc de vulgo memorem? In quo multos novi, leviſſimarum etiam injuriarum impatientiſſimos, & pro quamvis frivola offenſa atroces vindictas molientes. E multis unum attingam. Quidam juvenis erat conjectus in carcerem ob non leve facinus: Adegerunt amici, ut per Oratorem Regis Angliæ, qui tum forte aderat, impetrarem illi veniam. Factum eſt, dimiſſus eſt, mulcta remiſſa eſt: quo nomine, veluti pro ſummo beneficio, coactus ſum Senatui gratias agere. At ille bonus vir eodem die quo liberatus eſt, eorum per quos liberatus eſt, vino ebrius, fanda atque infanda dixit in me, diſtricto gladio mortem etiam minitans *Eraſmo*. Rogatus poſtridie num illa dixiſſet ex animo, excuſavit temulentiam. Euangelica purgatio! Deinde contulit ſe *Conſtantiam*, & apud *Boizemum*, quem noverat eſſe mihi junctiſſimum, finxit ſe fuiſſe famulum *Eraſmi*, hac commendatione ſuaviter ibi tractatus eſt hebdomades aliquot. Inde ſe contulit *Wittenbergam*, abſoluturus Euangelium ſuum. Habes exempla manſuetudinis, nunc accipe exemplum bonæ fidei & veritatis. Expoſtulabam cum quodam vehementer Euangelico, quod in ſua patria obambulaſſet per ludimagiſtros ac pædagogos, qui domi pueritiam inſtituunt, eiſque ſedecim fere tradidiſſet articulos, ſupervacaneam eſſe Confeſſionem, Pontificum conſtitutiones nihil obligare, & hujus generis aliquot: cum inficiaretur cætera quæ objiciebam, hoc ingenue faſſus eſt. Reverſus eſt in patriam me diſſuadente, minimum abfuit quin fuerit comprehenſus, tamen elapſus eſt. Cum mihi totam hiſtoriam denarraſſet, rogabam quid commeruiſſet, ut tanto ſtudio peteretur à ſatellitibus. Neceſſe eſt, inquam, ut aliquid feceris dixeriſve, quo deprehenderint te non eſſe alienum à ſectis. Ille ſancte dejeravit ſe nec feciſſe, nec dixiſſe quicquam. Quid ais, inquam, impudens, nonne mihi faſſus es tali præſente de diſſeminatis articulis? Negavit. Quo magis urgebam, hoc magis abjurabat. Alius quidam irrupit in ædes meas, expetens colloquium meum. Ut ex famulis cognovi πλανήτλω eſſe, juſſi dicerent mihi non eſſe otium. Juſſus abire ſemel atque iterum, nihil, inquit, moror *Eraſmi* verba, pecuniam illius volo.

Quid factum? Poſt totam horam, cum jamdudum abiiſſe crederem, forte cubiculum egreſſus, reperi cum famulis garrientem admodum familiariter. Fuerat autem *Franciſcanus*, quod ipſe ultro apud meos effuiverat. Inter colloquendum incidit ut diceret ſe recta *Norenbergam* iturum. Scripſi ad *Bilibaldum*, dedi ſeptem aſſes. Ille pilum non pertulit, ſed cum per occaſionem unum è famulis miſiſſem *Venetiam*, illic virum reperit Euangelicum. Alius quidam adiit me, querens de extrema egeſtate, & offerens obſequium ſuum. Nolui ſtatim in famulitium admittere ignotum, ſed datis quatuor aſſibus, juſſi ut poſtridie rediret ad me. Rediit, tradidi illi libellum, ut eum transſcribendo diſceret ſcribere, pactus cum illo duobus aſſibus in ſingulos dies, addidi præ manibus, præter quatuor ante datos, aſſes quatuordecim. Ille bonus vir nactus viaticum, profectus eſt inſcio me *Tigurum*, ibi neſcio cui locavit operam ſuam. Ubi ſex diebus nuſquam apparet, jubeo perquiri, ajunt profectum. Librum meum depoſuerat apud hoſpitem ſuum, at ille abjurabat quicquam apud ſe relictum. Nec prius recepi codicem, donec ille litteris authenticis mandaſſet, ut redderetur. Rediit, nec reddidit pecuniam, nec perſcripſit quod receperat, nec mihi ſaltem gratias egit, imo cum aliquot ſodalibus præteriens, ne moto quidem pileo ſalutavit. Taceo multos qui irruperunt in ædes meas ſubornati, ut mihi litteras aut Libellos redderent, ludibrii cauſa confictos. Comperi quoſdam qui ultro adibant quos mihi ſciebant familiares, offerentes officium ſuum ſi quid vellent ad *Eraſmum*. Acceptas litteras perferebant ad fratres, ut ſcirent arcana noſtra. Hujus generis centum hiſtorias proferre valeam. Quod ſi negant tales eſſe Euangelicos, mecum profecto faciunt, & ideo poſui Pſeudeuangelicos. Verùm hujuſmodi multa colluvies, quæ initio non poſtremas partes gerebat in hac fabula, multos bonos alienio-res reddidit ab hoc negotio. Proinde mihi non debent ſuccenſere, ſi minus probo quos ipſi quoque damnant.

Sed ad id quod inſtitueram redeo. Adducit & hoc exemplum Euangelicæ manſuetudinis, quod apud ipſos etiam qui ſectæ ipſorum adverſantur commodiſſime vivant. Id quale ſit in præſentia non excutiam. Certe multorum querelas audio, nonnullos video profugientes, aliquot etiam deſciſcentes, comperta tandem iſtorum ſanctimonia. Illud rurſus impudentiſſimæ vanitatis eſt, quod cum, ut ajunt, *Argentorati*, *Baſileæ*, *Conſtantiæ* tam multi ſe converterint ad vitam incorruptiſſimam, ego perinde ſcribam de eis, quaſi nemo in eis cœpiſſet vivere emendatius, imo quaſi nemo eſſet non ſeipſo factus deterior. Os impudens, ubi ſic loquitur *Eraſmus*? Imo teſtatur ſe paucos noſſe, nec ſcribere niſi de notis, & quod ſcribo veriſſimum eſt, idque multis experimentis docere poſſim, ne putent me populi rumoribus niti. Quos antea noveram puros, candidos & fuci ignaros, ubi ſe ſectæ dedidiſſent, loqui cœpiſſe de puellis, luſiſſe aleam, abjeciſſe preces, factos ad rem attentiſſimos, impatientiſſimos omnis injuriæ, vindices, obtrectatores, vanos, viperinis moribus, ac prorſus hominem exſuiſſe. Quæ de luxu quorundam vulgo ferebantur, non referam. Expertus ſum, ſi quid erat negotii, duriores eſſe minuſque fidos pleroſque Euangelicos quam cæteros. Si tam multi facti ſunt meliores, gaudendum eſt, & fieri poteſt ut inſcio me tales aliquot ſint. Quomodo vivatur *Romæ* aut inter Canonicos nec mea refert, nec admodum novi. Nam iſti placuit ſimpliciter mendax hyperbole, nemo melius novit, cum vix quiſquam minus norit. Verùm ne conferat nunc ſuos Eccleſiaſtas cum noſtris Epiſcopis, ubi ad dignitates ac opes illorum pervenerint, tum erit conferendi tempus. Nunc ut adſit animus, deeſt facultas. Omnes Epiſcopi Romani uſque ad vigeſimum primum, ni fallor, martyrii gloriam tulerunt, videbimus qualis futurus ſit qui *Zuinglio*, aut *Oecolampadio*, aut *Capitoni* vigeſimus ſucceſſe-

Digitized by Google

ceſſerit. Tamen inter Epiſcopos noſtros novi, quorum ſanctimoniam malim, quam mille Euangelicorum. Proinde quod mihi falſo impingunt, me ſic loqui de Euangelicis quaſi nemo recte vivat, id vere poteſt in iſtos retorqueri, qui ſic loquuntur de Sacerdotibus, Monachis & Epiſcopis, quaſi ſint omnes ſceleratiſſimi, & hoſtes Chriſti. Scripſeram illos preces & jejunia tollere, hîc vociferantur, *Quid eſt, ſi hæc calumnia non eſt?* Totidem verbis in illos recinam, *Quid eſt, ſi hæc calumnia non eſt?* Dixi illos tollere jejunia ab Eccleſia indicta, preces horarias ab Eccleſia præſcriptas, id cum ipſi fateantur, quid quiritantur de calumnia? Nec ſimpliciter damnavi quod ſuſtulerint, ſed quod cum illa ſuſtulerint, multi nihil prorſus nec orent, nec jejunent. *Vera*, inquiunt, *precatio non poteſt ab homine præcipi, cum ea non ſit in hominis poteſtate.* Nec hoc ſibi ſumit Eccleſia, verùm ea præſcribit quæ ad ſpiritualem precationem conducunt, provehuntque, in quibus præcipua ſunt jejunium, eleemoſynæ, ſacra lectio, & precum vocalis recitatio, ad id quod exigi non poteſt, hortatur tantum. *Cur*, inquiunt, *ſibi ſumunt Pontifices, quod ſibi non ſumſerunt Apoſtoli?* Quia tum ultro precabantur & jejunabant, noſtræ ſegnitiei capiſtro fuit opus & ſtimulis, & probabile eſt ſi tali ſeculo vixiſſent Apoſtoli, duriores etiam conſtitutiones noſtris moribus impoſituros. Jam & illud inficiantur, quod Miſſam ſuſtulerint. Quid igitur ſibi volunt tot Libelli de abroganda Miſſa? Aut qualis eſt illa Miſſa, quæ caret corpore & ſanguine Chriſti? Ea cum auferant, tamen audent dicere, quod quæſtum modo aliaque Sacerdotum, non rei vitia ſuſtulerint. Num Apoſtoli celebrarunt Miſſam abſque corpore Chriſti? nam veſtes & ritus media ſunt, non zizania, quæ pro tempore vel omitti poſſunt, vel adhiberi, vel mutari. Dolet illis hyperbole, quod ſcripſerim illis in receptis nihil placere. Proferant igitur, quod in totum probent *Lutherus* & *Zuinglius* in receptis: nihil invenient.

Porro quod ait à me ſcriptum, ipſos pro bonis, aut certe tolerabilibus, peſſima quæque invehere, hoc in mea Epiſtola non arbitror uſquam legi, & ſi ſcripſiſſem, plurimorum applauſu ſcripſiſſem. Verùm ea *δείνωσις* viſa eſt illis commoda ad mihi movendam invidiam. Exigunt à me ut eorum nomina proferam, quos ajo, poſt ſuſceptam Sectæ profeſſionem factos ſeipſis deteriores, cum ipſi protulerint unum Principem mihi quidem ignotum, quaſi nuſquam appareant, aut quaſi vulgo non ſint obvii, quos ſibi volunt nominatim commonſtrari. Sinant me hîc meam tueri civilitatem: quod ſi urgent, relegabo eos in *Saxoniam*, ubi ſunt qui viſitatoribus eguerunt, qui Cæſari ſuppetias adverſus *Turcam* negarunt, qui leges matrimonii omnes commiſcuerunt. A viſitatoribus diſcant quos caſus audierint. Sed quid opus eſt quenquam nominare, cum ipſi fateantur occaſione Euangelii, multos licentius in ſcelera ruere. Ipſi igitur eos pro me nominent. Rurſus congerit aliquot manifeſta mendacia, permitto, ut ait, mihi ut ob aliquot malos admixtos totam iſtorum profeſſionem damnem. Hoc nuſquam eſt in Epiſtola nec aliis ſcriptis meis. Imo contrarium legitur. Tantum dico quorundam impuram vitam officere negotio quod agunt. Id ipſi non negant. Rurſus illa verba, *quaſi apud nos nihil niſi ſcelera docceantur*, cum nihil tale ſit in ſcriptis meis, demiror iſtius ſcriptoris impudentiam: quemadmodum & illud falſiſſimum eſt, *quaſi noſtra doctrina nemo hactenus diſcipulus fuerit, qui non factus ſit ſeipſo deterior*, cum ego tantum negem me noſſe quenquam. Pauciſſimi ſunt quos ego novi propius, *Argentorati* nullus. Et poſt tam impudens mendacium exclamat hic rhetor: *O gravem contumeliam Chriſti*, &c. Nec his contentus, *quos hic*, inquit, *tantus Eccleſia Catholica vindex tanquam bipedum nequiſſimos meraque portenta omnium odiis & extremæ Principum ſævitiæ expoſuit, addicit, devovet.* Quis non admiretur hanc *δείνωσιν* ex meris mendaciis profectam?

Et hic eſt ille manſuetudinis Euangelicæ doctor, qui præter cauſam ad ſeditionem excitandam ſic cornu Alectûs perſonat. Ego ſemper ad moderationem & tranquillitatem hortatus ſum, & hortor etiamnum. Iſtud claſſicum in alios decuit intendere. Fortaſſis hoc illi excidit imprudenti, quod meam Eccleſiam vocat Catholicam: quod ſi noſtra Catholica eſt, videlicet ipſorum Eccleſiam hæreticam pronuntiat. Jam alius ſic colligeret: Quiſquis ex Orthodoxo fit hæreticus, nonne ſeipſo fit deterior? Verùm hoc ut non ſenſi animo, ita non eſt conſilii defendere. Imagines ſic ejectas ſemper improbavi. Qui picturas tollit è vita, præcipuas tollit vitæ delicias, atque adeo rem non uno modo frugiferam. Sæpe plus videmus in picturis quam ex litteris concipimus. Proinde falſum eſt quod ait, imagines nihil adferre utilitatis. Et olim in Templo Judæorum erant imagines, Cherubim, facies hominis prominentes, & Leunculorum effigies. Nec probabile eſt hoc ſenſiſſe Deum, ne qua omnino haberetur imago, ſed ne idolum more Gentium. Multæ imagines proponuntur, non ut adorentur, ſed ut vel exornent ædificium, vel ibi verſantem admoneant alicujus bonæ rei. An inutile ſit, ſi in Templorum porticibus pingeretur tota vita Chriſti, ut qui illic ſpatiantur otioſi, habeant frugiferam aliquam confabulandi aut cogitandi materiam? Quanquam apud Chriſtianos nulla proponitur imago proprie adoranda. Nam quod honoris illis impenditur, ei impenditur quod repræſentant. Quod ſi citra diſcrimen omnis imago tollenda eſt, tollendi erant & Atlantes & tibicines, quos fabri addunt fulciendis columnis, tollendus & gallus ſacræ turris faſtigio imponi ſolitus. Probabile eſt igitur Deum non de quavis imagine ſenſiſſe, ſed de Gentium ſimulacris, quibus velut animatis immolabant: & ſi id maxime ſenſiſſet, præceptum erat illorum temporum, quemadmodum alia permulta. Nunc nihil eſt periculi ab idololatria. Nec hoc innuo quod interpretantur, vitiorum idola in illorum pectoribus remanere, ſed indico quid ſit præcipuum. Idem illos admonuit *Lutherus*. Quod ſi ſe tales autumant, ut in pectore nihil ſentiant carnalium affectuum, ſine cauſa monui de tollendis pectoris imaginibus. Sed ipſi fatentur ſe adhuc luctari cum carne, unde miror cur offendantur.

Quod ſcripſi me non videre quid ſibi velit imaginum demolitio, niſi ut ſit conſpirationis ſymbolum, ſtolidiſſime exaggerat, quaſi accuſem illos ſeditioſæ conſpirationis adverſus Principes, quod exiſtimant eſſe crimen nefarium, cum nihil aliud ſenſerim, quam de fœdere, quod aliquot civitates inter ſe coierunt, in quod non ſunt recepti *Argentoratenſes*, niſi profligatis imaginibus. Hoc fœdus cum *Vulturio* etiam carmine celebrarit, cur in me ſic debacchantur quod ejus fecerim mentionem, quanquam ibi de *Argentinenſibus* non ſum proprie locutus, ſed in genere. Hoc fœdus adverſum quos ſit initum non ſum curioſus: quid multi jactent Euangelici, vulgus quoque novit. Conſpirandi verbum anceps eſt, tam in bonam quam in malam partem vergens. Nec omnis conſpiratio ſit adverſus Principes: & poſſet eſſe adverſus Principes quoque legitima. Auferant itaque mihi tragicas iſtas exaggerationes. Ego fœdus illorum nec probo, nec improbo. Ad *Toletanum* Præſulem, ut ait, ſcripſi me augurari illos moliri novam Democratiam. Quid hoc ad Eccleſiaſtes *Argentoratenſes?* de vulgo loquor in genere. Et tamen illud pronomen *nos nos* ſemper habet in ore. Hoc augurium an ſit vaniſſimum, rerum exitus probabit. Iſte pronuntiat ante tempus. Sunt civitates quæ non agnoſcunt Principem, de illis potiſſimum ſcripſi. *Hîc*, inquit, *eſt Ariſtocratia.* Ridiculum, an Ariſtocratia verti non poteſt in Democratiam? Et ſi jam multæ civitates in hoc profecerunt ut Epiſcopos abdicarint: non poſſint aliæ huc proficere, ut Principes ſuos ejiciant? Non licuit ad amicum ſcribenti ſignificare quid de quorundam animis divinarem? Et an non quod divino vidimus tentatum ab Agricolis? Quod ad-

Digitized by Google

didi de callidis consiliis, ex ejusdem Sectæ viris accepi. Quosdam mihi videri prorsus hominem exsuisse scripsi, sed de his duntaxat scripsi, quorum mores habeo compertos: An qui nec læsus, & beneficiis affectus, nec amicitiæ meminit, nec fidei, aut civilitatis, quam hostis præstat hosti, non videtur exsuisse hominem?

Et hic homo vanissimus tragicis verbis impingit mihi manifesta mendacia, quibus tamen non tam ipsos lædam, quam me prodam contumelioſum in Christum. Audis lenitatem Euangelicam? Audis Apostolicam sinceritatem? Cum subinde repetat manifesta mendacia, nondum tamen ullum probavit mendacium. Depingit nobis quam sancte res geratur *Argentorati*. An verum dicat, nescio, certe optarim esse verissimum, illud inficiari non possint, totum hoc negotium, quod tam multis verborum phaleris exornat, geri sine Christo, cum jactet ea tantum fieri, quæ *Christus* instituit. Redeuntes à Templo meis oculis vidi, nec erat tanta turba, ut non liceret singulos contemplari. Nunquam sum ingressus illorum Templa, ne viderer illis assentiri, & si veniſsem non fuissem illis gratus, cum scirent me diversa sentire. Verùm ab his qui Sectam illam profitebantur sæpe diligenter percunctatus sum, quid illic ageretur, nominatim an concionante *Oecolampadio* vidissent aliquem illachrymantem aut ingemiscentem pro peccatis, negarunt, sed multos oscitantes se vidisse ajebant, suspirantem aut illachrymantem neminem. De his loquutus sum, de quibus propius licuit cognoscere, de *Argentorato* nihil. Et hoc videri volunt unum insigne mendacium, quo me declarem contumelioſum in Christum. Multo alia narrant etiam hi, qui Sectæ illi dedere nomen. Dicent illos non esse Euangelicos. Quid ni? Quisquis male sentit de illis non est Euangelicus. Quod scripsi, *vereor ne Phariſaismo succedat Paganismus*, cum non intelligant tamen calumniantur: Phariſaismum ad nostrorum quorundam superstitionem referebam, quem isti sic excuterent, ut metuerim ne multi jam habenis, quibus utcunque coercebantur, liberi, prorurent in Paganicam licentiam. Quid hoc ad Ecclesiastas, aut ad ceremonias *Basileenſium?* Non dubito quin multi sub hoc Euangelii pallio lateant, titulo Christiani, animo Pagani. Atque hoc plerunque videmus accidere, ut dum sedulo magis quam circumspecte vitamus malum aliquod, incidamus in aliud gravius, ac de calcaria, quod dici solet, feramur in carbonariam. Quod ego metuo, jam compertum est. Nam nuper *Basileæ* tale portentum exusserunt. Ex hujusmodi nugis hic vir modestissimus toties impingit mendacia, magna, dira, falsa, venena libris editis effusa in membra Christi. Non vult quicquam scribi, nisi quod oculis viderimus, auribus audierimus, cum ipse tot historias nobis decantet, quid actum sit apud *Hessos*, apud *Tigurinos*, apud *Basileenses*, apud *Bernates:* unde haustas, nisi ex aliorum relatione? Et ubi est hic mendaciorum acervus, quem in Epistola congero? Priusquam Sacerdotes cederent urbe, narrabant non adversarii, sed symmystæ, à quibusdam Ecclesiastis nullam fieri concionem, in qua non stomacharentur in Canonicos. Quod si Canonici voluissent contendere, nonne vidissemus in ea civitate tristissimam rerum faciem? Dixi sic excussam Confessionem, ut plurimi ne Deo quidem confiteantur: sic excussum cum jejuniis ciborum delectum, ut interim à multis gnaviter indulgeatur crapulæ. An non hæc fuit publica querela vulgi, non solum laniorum? Opinor hoc nomine & *Oecolampadio* multos displicuisse. An hîc quoque requirunt exempla? Sed demiror illos hoc inter mea mendacia referre, cum ipsi fateantur esse permultos, qui per occasionem Euangelii, sese in omnem scelerum licentiam effuderint. At hos non agnoscunt pro suis. Desinant igitur mihi indignari, neque vanitatis accusare, cum de illis in genere sim loquutus, nullam Rempublicam, nec ullum Magistratum notans. Et toties occinitur nobis, *nos nos*. Narrant nobis quid *Argentorati* doceant, cum ego de popularium quorundam moribus sim loquutus, non de doctrina, quæ qualis sit *Argentorati*, non novi. At vide Scriptoris hujus oscitantiam. Paulo ante detestabatur tales, quales noto, & mox subjicit: *cur* Erasmus *nobis falsa impingit:* Si pronomen, *nobis*, indicat Ecclesiastas *Argentoratenses*, de his non loquor. Si populum universum Euangelici nominis, in hoc sunt quos notavi, vel ipsis fatentibus. Et tamen cum eadem loquamur ambo, *Erasmus* est mendax, ille nihil loquitur nisi veritates Euangelicas. *Scripsi*, ut ait, *sic excussum ab ipsis jugum humanarum constitutionum, ut nemo interim cervicem submiserit suavi jugo Domini.* Imo non sic loquor, vir Euangelice, sed *ubi sunt*, inquam, *qui submiserunt cervicem*, &c. Non inficior esse, sed ostendi cupio. Gratias agunt pro insigni testimonio, quod dixerim Apostolos nescisse præscriptos jejuniorum dies, nec ciborum delectum. *A nullo*, inquit, *exigi potest, quod non instituerunt Apostoli.* Si profani Principes habent jus statuendi aliquid in externa Republica, quî minus Ecclesiæ proceres habent jus statuendi in statu Ecclesiastico? Sed impudentius hæc dicuntur ab his, qui ipsi à suis multa exigunt, quæ non sunt ab Apostolis instituta. Cæterum quid hoc testimonium meum sublevat illorum causam, qui sic contemnunt præscripta jejunia, ut nunquam omnino jejunent? Exigunt à me quibus humanis constitutionibus ipsi gravent, in quos habent jus. Quærant hoc ab illis, qui suis civitatibus pridem cesserunt, & quotidie demigrant. Quid autem attinet eas proferre, cum quicquid ab istis geritur, aut istorum hortatu instituitur, ad publicam utilitatem à Spiritu Dei profectum sit? Nullum vero novi Episcopum, cui non auderem me tuto credere, & Cæsaris favore semper hactenus fui sublevatus, quemadmodum & ab Aula *Brabantica*. Abitus à *Brabantia* præcipua causa fuit, ne quod tum agebatur, odiosum adversus *Lutherum* negotium, in meos humeros protruderetur. Quod à Magistratu nullum sit intentatum periculum, isti cum ignorent, tamen affirmant. Si fortiter tutatus fuissem causam Ecclesiæ Catholicæ, fortassis fuissem periculo non levi vicinus. Sed quid audio, etiam pateratum odor ad istorum nares pervenit? nam id obiter intorquent. Solus Archiepiscopus *Cantuarienſis* dedit mihi poculum, sed cum nondum innotuisset *Lutherus*. Post hunc *Albertus* Card. *Moguntinus*, priusquam *Lutherus* gravi laboraret invidia, imo cum vix notus esset. Tertius quidam nuper dedit, post hunc quartus, nullus unquam mihi vel nutu significavit, ut scriberem adversum Sectas. Nec me pudet ejusmodi munerum quæ à summatibus viris ultro deferuntur. Nam hoc genus testimoniis me vehementer ornari puto, quæ si minus in me competunt, certe plausibilia sunt monumenta, principes viros favere litteris ac pietati, quibus bonis me præditum existimant. Adeo vere me non habent Episcopi *πρόμαχον*, ut dicar in tanto Ecclesiæ discrimine dormitare. Quam multa falso hîc congerit, ex animi sui somnio, qui non patitur quicquam dici, nisi sensibus compertum. Nescio an hoc ad me pertineat, quod indicavit quosdam hîc ditescere. A *Frobenio* minimum accepi, quodque vix sufficiebat uni alendo amanuensi, & hoc ipsum quod conatus est dare, videlicet ædes, in quibus habitabam, constanter recusavi. Interim ob absentiam ex pensione Cæsarea teruncium non accepi, sed in Germania, ubi carissima sunt omnia, meæ pecuniæ jam aliquot florenorum millia consumsi, neque cuiquam assem debeo. Unde venirent divitiæ? Nec paucis eget hoc corpusculum, neque parvo mihi constant amanuenses, postremo nec frugi sum paterfamilias, nec esse possum cyminopristes.

Jam tantum non insanit, quod scripserim me vereri, *ne plerique pro gravi jugo hominum portent gravius jugum Diaboli.* Tales cum & ipsi fateantur Euangelico nomini permixtos, quid est quod sic in me efferantur? Tales cum & ipse quosdam norim, quid mirum si dixi me vereri deteriora? Hunc locum ita claudit:

Quic-

Digitized by Google

Quicquid falsorum criminum sibi in nos evomere Erasmus *permittit, ab ipsissimis certe diabolis, id est, calumniatoribus ipsi ingestum.* Hanc amarulentiam in me evomunt patientissimi illi Euangelici, cum hactenus ne unum quidem crimen probare potuerint, aut ullum mendacium. Tantum audio, *nos, nos*, quasi tantum scripserim in Ecclesiastas *Argentinenses*. Sed homo civilis sublevat me, ea mendacia non confinxi ex me, sed hausta à diabolis, ira præcipiti percitus evomui in membra Christi. Cum narrem vel comperta, vel ab his relata, qui sunt ejusdem professionis, ubi sunt isti diaboli? *Nos*, inquit, *tribuimus honorem, cui debemus honorem, ac modis omnibus tranquillitati studemus.* Si pronomen *nos* proprie demonstrat *Argentoratenses*, nihil repugno, fieri potest ut verum dicat. Atqui si sentit in toto corpore professentium Euangelion nullos esse, qui nec honorem habeant, quibus debetur, & publicam tranquillitatem turbent, vanus rumor fuit, *Augustæ* Magistratum aliquamdiu milites alere coactum adversus populi tumultus. In ea civitate, in qua tum agebam, quoties edicto cautum, ne diversæ partis homines convitiis sese provocarent? Quam hoc parum servatum est ab Euangelicis quibusdam, de omnibus non loquor. Quoties edixit Magistratus, ne ab Euangelicis fierent clancularii conventus, quoties ibi concursum est adversus edictum Senatus, & adversus datum jusjurandum? Testis est tum Tribunus plebis, nunc Consul, qui auctore Senatu illos, qui ferme trecenti apud *Augustinenses* convenerant, discussit, & perjurium magno stomacho exprobravit. Rursus cum tot armati forum obsiderent, & imagines demolirentur, non obscurum est quid Senatui responderint. Et in hoc cœtu multi fuisse dicuntur operæ armatæ, contra vetustum Senatus Edictum. Cum in conventu quodam Senatus proponeret conditiones, quibus cum Catholicis transigeretur, quidam è turba voce tumultuosa clamavit, *hoc nolumus, hoc nolumus, boni Domini:* qui adstitit, mihi narravit. Eodem tempore vir clarissimus *Jacobus Sturmius* suæ civitatis tum Legatus & Consul, nonne populum è suggesto graviter objurgavit, quod pleraque faceret per tumultum, idque cordatissimo quoque approbante? Cum Senatus toties edixisset, ne quis daret occasionem seditionis, quidam præcipuus Euangelii zelotes pulchre potus à convivio nuptiali venit in summum Templum, reperit *Marium* concionantem, à quo cum nihil diceretur, quod ad Sectam ullam pertineret, nam tum finiebat concionem, ille seditiosa voce succlamavit, *Mentiris Monache, ut te percutiat mala pestilentia.* Hoc si quis Catholicus fecisset in Ecclesia diversæ communionis, quod præmium retulisset? Quid supplicii de illo sumtum est? cessit in vicum aliquem ad triduum, & rediit. Audis clementiam Euangelicam. Si commissum fuisset à Catholico, de capite erat periclitandum. Similium exemplorum nullus est numerus. Cum ibidem timeretur seditio, multique civium conjecti essent in carcerem, quidam rigidus Euangelii satelles, utinam nunc juxta nomen suum aliquid boni faciat, jussus est exsulare. Post etiam *Pharellus*, ni properasset, ducendus in carcerem. Hæc nulli non notissima sunt, quæ non referuntur in Magistratus ignominiam, sed in laudem potius, qui sua vigilantia inconditæ multitudinis violentiam temperarit. Ea natura est vulgi tumultus ciere. Quid hæc ad Respublicas? Quid ad Magistratus? Quid ad Ecclesiastas? nisi quicquid etiam ab improbis actum est, ipsorum actum est impulsu. Habitus est honos Magistratui, sed grata præscribenti. Quis honos habitus est Consuli, qui clam profugit? Atqui erat is summus Magistratus. Quid honoris habitum est Magistratui *Argentoratensi* ab his, qui toties adversus edictum excuderunt stolidos Libellos? Is qui *Vulturii* scholia excudit, ob honorem habitum Magistratui, conjectus est in carcerem. Possem innumera recensere, sed desino. At desinant & isti hoc dicere falso falsius, quod scripserim aliquos sic excussisse jugum Episcoporum, ut nec profano Magistratui pareant. Generalis est sermo meus, quem si hic patronus volebat refellere, docendum erat nusquam in ipsorum Ecclesiis fuisse contemta Magistratuum edicta. Negat Euangelicos unquam movisse tumultus, aut procurrisse ad arma. Cum proxime procursum esset ad arma hinc atque hinc ad pugnam paratis viginti millibus, nonne ob paululum pecuniæ procursum est? Nonne hîc primum ab Euangelicis arma sumta sunt? Nam hi erant petitores. Cerasorum expeditionem fuisse, istorum jocus est non meus. Et homo effrons urget me, quos tumultus, quæ narrem arma, & adjicit: *Quis te*, inquit, *adeo commovit in tot innocuas Christi Ecclesias?* Hoc si rogasset hominem parum civilem, qui σῦκα nihil aliud vocare posset quam σῦκα, illico recineret, quis vos commovit adversus innocuas Christi Ecclesias per totum Orbem Christianum sparsas, ut eas vestris dogmatibus ac defectionibus turbaretis, tot oviculas ab ea distraheretis, & orco mitteretis? Ego tam incivilis non sum, ut hoc pacto respondeam, tantum queror esse qui se falso jactant Euangelicos, cum nec tranquillitati studeant, nec Magistratui dicto sint audientes.

Hîc denarrat nobis historiam vanissimam, quam illic ubi res gesta est, nec ipsi Euangelici poterunt absque risu legere, Catholicos sumsisse arma, Euangelicos inermes supplicem Libellum Senatui porrexisse, Statuam putrem forte contactam hasta concidisse, motos è Senatu, qui vehementer Euangelium oppugnarant. Imo cum Senatus edixisset, ne quis fieret concursus, & in id edictum non semel jurassent omnes, nec Euangelici finem facerent nunc hic nunc illic conveniendi, tandem Catholici adierunt Senatum, postulantes, ut edictum suum tuerentur: si metus obstaret quo minus id facerent, se vitæ suæ periculo Senatus auctoritatem defensuros. Pro hoc studio Senatus egit gratias, pollicitus se fore hujus animi memorem. Addiderunt Catholici, ni id faceret, se non passuros ejusmodi seditiosos concursus. Deinde cum multo etiam frequentiores concurrerent, semel Catholici armati convenerunt. Nec Euangelici quoties conveniebant prorsus erant inermes, habebant enses & pugiones. Ubi senserunt Catholicos esse in armis, induerunt & ipsi arma. Ibi Consul Catholicus *Melchior*, ut alias sæpe, egregiam operam navavit Reipublicæ: nam oratione severa suos compescuit, & ab armis discedere compulit. Negat fuisse jactatum, suffigendum in crucem Consulem, nisi clam fugisset. Adeo hic Scriptor par sibi jus sumit mentiendi, & mihi mendacium impingendi. Imo hoc ab armatis Euangelicis jactatum fuit, in foro palam: qui audierunt, retulerunt. Et in illorum potestate erat tum etiam ipse Senatus. Habebant bombardas in foro dispositas, illic incensa pyra pernoctabatur, donec extorsissent quæ volebant. An revocatus sit Consul, nescio: audio vita defunctum: atque hominem vergentis ætatis ac valetudinarium ab uxore & ædibus depellere, quid aliud est quam occidere? Quem autem non terreret illa exceptio, nisi commiserit aliquid in Rempublicam? Atqui oppugnasse Euangelium, dixisse aliquid in hunc aut illum Ecclesiasten, fuisset contra Rempublicam. Cæterum ii qui dicuntur oppugnasse Euangelium, persuasum habent se oppugnasse sceleratam & impiam hæresim ei Reipublicæ pestilentem, atque hoc nomine sibi deberi gratiam maximam. Ego non sic ago, tantum arbitror æquum esse, ut si sibi permittunt damnatam ab Orbis primatibus doctrinam tueri, veniam dent illis, qui eam doctrinam, quam vere Christianam esse habent persuasum, non possunt illico deserere. Pro nobis, inquient, stetit major populi pars. Et maxima populi pars in *Christum* clamavit, Crucifige: Et major Episcoporum pars damnavit *Athanasium*. Non statim melior, quæ major. Quis autem dedit promiscuæ turbæ jus pronuntiandi de articulis fidei? Sequebatur, inquient, judicium Ecclesiastarum. Alius responderet, sed eorum, quos

quos Cæsar & Eccleſiæ primates damnarunt hæreſeos. Verùm immerito, ajunt. Qui unquam hæretici non jactarunt ſe præter meritum damnatos? Nonne eadem fuit *Donatiſtarum*, *Arianorum* & *Manichæorum* querimonia? Quid eſt, ait quidam, ſi hic non eſt afflatus Spiritus? Quaſi non idem probabilius dicere valeat *Mahumetes*. Hæc commemoro, non quod his convitiis illos notatos velim, ſed ut declarem viris litterarum imperitis non oportere eſſe capitale, ſi Religionem à majoribus traditam non ſuſtinent relinquere, recuſantque ſe eis addicere ſectis, quas vident à ſummis utriuſque ſtatus principibus, à probatiſſimis hoc ævo Theologis damnatas.

Jam quæ narrat de tumultu *Bernatum*, de tumultu *Tigurino*, de tumultu *Rotwilenſi*, de tumultu *Heſſorum*, quoniam earum rerum levis & inconſtans rumoris ad nos permanat aura, aliis cedam reſpondendi provinciam, nihil tamen dubito, quin & hic multis fucis rem phalerarit. Quid enim aliud exſpectes ab eo, qui profitetur Euangelion technis ac fucis propagandum? Hîc perinde quaſi rem pulchre peroraſſet, debacchatur in me convitiis. Ego vero mihi non duco probro à talibus inceſſi, quos pro damnatis habet Orbis Chriſtiani multo maxima pars. Ipſi ſe laudant, & *mutuum*, ut habet proverbium, *muli ſcabunt*: At oportet Eccleſiaſten habere bonum teſtimonium, etiam ab his qui foris ſunt. Quid divinius *Luthero*, ſi illi de ſe prædicanti crederemus. *Paulus* dicit: *Puto quod & ego Spiritum Dei habeam*: Iſti ſibi ſic arroganter vindicant Spiritum, ut aliis contumelioſe adimant. *Paulus* ait ſe peccatorum primum. Iſte dicit: *Reputate num ab incunabulis ſic vitam inſtituerim, ut an bonorum virorum loco habendi ſimus, quiſquam bonus unquam dubitaverit. Quis me arguet de peccato*, ſolus *Chriſtus* potuit dicere. Et, *annis jam non paucis, cum in divinis, tum in humanis litteris ita ſtipendia fecimus*, inquit, *ut temere quod docemus non ſit*. Quanto decentius laudaret illos os alienum. Facilis eſt victoria, ſi reo concedas jus pronuntiandi, tum de ſeſe, tum de actoribus ac judicibus. Quoties Catholici moliuntur aliquid pro defenſione ſuæ fidei, ſeditioſus tumultus eſt: quoties ipſi faciunt eadem pro ſuo inſtituto, ſanctiſſimus eſt Euangelii zelus: quodque manifeſtius eſt, quam ut excuſari poſſit, ὑποκορίζει, ſed tam impudenter, ut videatur *Indis* ſcribere, qui nihil rerum geſtarum alioqui ſcire potuerint. Nec unquam hic patronus recedit à ſuo colore, quod in genere dicitur, detorquet ad omnes, ſingulas, univerſas, & totas Eccleſias, quaſi tot Reſpublicas, tot Eccleſias, tot Principes funditus exſtinctos velim. Quî ſic? Quia non probavi mores quorundam, qui ſe falſo venditant Euangelii titulo. Numerent Reſpublicas ſuas & noſtras, Eccleſias ſuas & noſtras, Principes ſuos & noſtros, & agnoſcent quanto plures ipſi funditus exſtinctos volunt, quos toties clamitant in Chriſtum blaſphemos, Euangelicæ veritatis hoſtes, vaſa iræ, innocentum occiſores. Nullum tam atrox dictum in meis libris uſquam invenient. Qui tantopere deteſtatur ſeditionis crimen, nonne hoc libro declarat ſe ſeditionibus excitandis natum? Quin in eos iſta exaggerat, qui tot libris editis declarant ipſos eſſe manifeſtos hæreticos & exitiales ſchiſmaticos, qui ipſorum Eccleſias appellant conciliabula Satanæ, Eccleſiaſtas interfectores animarum, aliiſque pingunt coloribus. Hi potius hoc agunt, ut omnes ipſorum Eccleſiæ funditus tollantur. In eos clament, qui Cæſarem exſtimulant, ut in iſtos omni genere ſuppliciorum ſæviat. Ego quod ſemper egi, etiamnum ago, ut Principum animos à ſæviendo revocem, utinam pari ſtudio ipſi ſe revocent à contentioſis dogmatibus! Dixi in aliquot civitatibus rerum ſummam eſſe penes populum. Ubi ex infima plebis nota ſedent in Senatu, ubi moventur Senatu qui populo non placent, ubi populus non paret Edictis, niſi commodis, ubi populus contra Senatus Edictum didicit armatus occupare forum, & bombardis diſpoſitis minari civitati, an non illic rerum ſumma eſt penes populum?

Impingunt aliud luculentum mendacium: Scripſi *Othonem* ex ædibus *Capitonis* prodiſſe ad excudendum Libellum, quem in me ſcripſerat. Imo hoc ipſe *Capito* ſuis ad me litteris propria manu ſcriptis faſſus eſt. *Othonem Baſilea* reverſum biduum apud ſe fuiſſe, priuſquam Libellum excuderet: ut nihil frontis habet hic Euangelicus rabula! De *Thraſone* nunc diſſimulo, tametſi ex ipſius *Capitonis* litteris ſatis deprehendi, quam eſſet ab ipſo alienus, & famulus, quem *Argentoratum* miſeram, retulit illos interdum in eodem lavare balneo. Quanquam alios referre poſſum ſupra modum Euangelicos, à quibus ille ſtudioſe colitur. Sed quid hîc reclamatur? Nonne *Huttenum* plerique Euangelici habuerunt in deliciis? Vitam hominis norunt omnes. Etiam *Lutherum* male habuit mea *Spongia*, cum tam multa ſuppreſſerim, quæ partim in me commiſerat, partim vulgo quoque decantabantur. Si *Hedio* preſſit litteras, unde reſcivit ille *Thraſo? Othoni* fuiſſe conſcium *Capitonem* initio minime ſuſpicatus ſum, & mirabar illam accuratam excuſationem. Nulla in re ſe excuſavit diligentius, cum nullus expoſtularet, ego ne ſuſpicarer quidem. Scripſit ad me bis, non hoc contentus, ſcripſit bis ad *Oecolampadium* eadem de re, ad *Beatum Rhenanum*, & niſi fallor ad *Frobenium*. *Oecolampadius* cum ex prioribus litteris *Capitonem* mihi excuſaret, rogabat nunquid de ipſo ſuſpicarer, abſit, inquam, ut de tali amico talem ſuſpicionem demittam in pectus meum. Cum acceptis poſterioribus denuo mecum loqueretur, rogavit idem. Reſpondi me nihil antea ſuſpicatum, tantum ex tam anxia purgatione levem concepiſſe ſuſpiciunculam: arriſit *Oecolampadius*, velut aſſentiens. Sed ad *Hedionem* ſcribens, nego me quicquam inimice ſuſpicari de *Capitone*. Quæ hîc pugnantia, ſi quod prius non feci, poſtea cœpi ſuſpicari, aut ſi quod faciebam, civilitatis cauſa diſſimulavi? Quod autem crimen eſt, ſi tribuo illi vafriciem? Eandem tribuo interim *Paulo* Apoſtolo. *Otho* nunc eſt reverens Dei & utilis Reipublicæ doctor, cum, ut ante dixi, quidam Eccleſiaſtes, & haud ſcio an hic ipſe, qui putatur hujus Libri opifex, ſuis ad me litteris appellarit nebulonem vix ſuæ tolerabilem Eccleſiæ. De *Hedione* nihil queſtus ſum, niſi quod Epiſtolam nec preſſit, nec diſſimulavit, ſed miſericorditer ſublevavit illius ſanctiſſimi negotii contra Senatus Edictum molitores, verùm ejus miſericordiæ illum poſt pœnituit. Poſteaquam enim illos bis ſublevaſſet, alioqui puniendos acriter, quod ipſe ſuis ad me litteris faſſus eſt, cum ſentiret illos tertio ad eundem rediſſe ludum, negavit ſe velle poſt illis opitulari, ſed mihi permiſit, facerem de illis quod vellem, cum ter ictus eſſem. Sed illi erant fratres Euangelici. Succurrendum erat ſcilicet illis meo malo. Et iſti ſunt viri timentes Deum, & omnis honeſtatis amantes, iſti qui parent ſuo Magiſtratui, iſti qui ſtudent prodeſſe omnibus, lædere neminem. Et hæc ſunt illa manifeſta & immania *Eraſmi* mendacia. Jam quod addit de damnatis diſciplinis, nonne *Lutherus* totam Philoſophiam *Ariſtotelicam* appellat diabolicam? nonne idem ſcripſit omnem diſciplinam tam practicam quam ſpeculativam eſſe damnatam? omnes ſcientias ſpeculativas eſſe peccata & errores? Nonne *Melanchthon* aliquando damnavit Scholas publicas? Nunc hic dicit, maneant Scholæ, quæ bonæ ſunt, vitia corrigantur. Quin idem dicit de rebus Eccleſiaſticis, quas indiſcriminatim convellunt? Nonne paſſim & publice clamabat *Pharellus*, omnes humanas diſciplinas eſſe inventa Diaboli? Poſt ubi viderunt hoc fore incommodum Sectæ, verterunt orationem, cœperuntque conducere Profeſſores, quo fructu quove animo, neſcio. De *Argentinenſi* Eccleſiaſta, qui diſciplinas omnes pro concione damnarat, excepta Lingua Hebraica, & paucula portione Linguæ Græcæ, ipſe fatetur fuiſſe rumorem per Orbem ſparſum, quam hic vere id excuſet, neſcio, apud me

Digitized by Google

me certe caret fide, qui fucos probat in viro Euangelico.

Patrocinaturus *Zwinglio*, ſermonem auſpicatur à luculento mendacio: *Nuſquam*, inquit, *non facit ſeditioſum* Zwinglium, nec adfert niſi duo loca tribus verbis perſtricta. Ea latebant in acervis Epiſtolarum. Nec tamen appello *Zwinglium* ſeditioſum, ſed improbo quod rem Euangelicam ſeditioſe gerat. An non hæc mea vox fuit, ad primum guſtum libellorum *Lutheri:* Res exibit in ſeditionem? Hujus rei teſtis eſto ſi velit *Capito*. An non ſeditioſe rem gerit, qui tanta petulantia debacchatur in Cæſarem, Reges, ac Principes præpotentes? In Pontificem, Cardinales & Epiſcopos? Mihi ſemper diſplicuit, quod initio *Zwinglius* tam odioſe ſcriberet Epiſcopo ſuo. Deinde, nonne imaginum ejectio per ſe res eſt ſeditioſa? Etiam cruenta, ſi Canonici & Catholici voluiſſent tueri, quod tuendum putant. Nonne belle probatum eſt, quod *Zwinglium* nuſquam non facio ſeditioſum? Sed quamobrem tantopere nunc horrent ſeditionis vocabulum, cum *Lutherus* ſcripſerit eam eſſe peculiarem Euangelii naturam, movere ſeditiones: celebreturque *Zwinglii* dictum, *Euangelium vult ſanguinem?* Poſtremo, cum *Lutheri* in ſcriptis violentiam damnent etiam qui ſunt illi juratiſſimi, cum *Carolſtadius* agnoverit petulantiæ crimen, cum hic fateatur *Pharellum* incircumſpectiore zelo rem geſſiſſe, quid eſt quod mihi idem dicenti indignantur? An fides erat ruitura, ſi fuiſſent incolumes imagines? Rurſus, an non ſeditioſum vaſa ſacra conflare in monetam? exigere Abbates ſua ditione? movere magiſtratu qui veterem Eccleſiæ diſciplinam deſerere noluerunt? Nec cuiquam obſcurum eſt, quicquid Senatus facit, Euangeliſtarum inſtinctu facere. Prætereo quædam frivola, quæ arrodit. Addit à me notatos Euangeliſtas *Baſileenſes*, quod *Lutherum* in me inſtigarunt. Fieri poteſt ut hoc verum ſit, à me tamen nuſquam ſcriptum eſt, ſed ne cogitatum quidem. Ad *Michaelem Lincolnienſem* Epiſcopum in genere ſcribo, *iſti novi Euangeliſtæ*, ſentiens de quodam apud *Auguſtam*, de quo mihi quidam vir probatiſſimæ fidei ſignificarat, quod *Lutherum*, qui librum inſtituerat quidem, ſed quorundam arbitror hortatu intermiſerat, acriter ut perficeret exſtimularit. Unde vero novit iſte aſſeverator, neminem fuiſſe *Baſileæ* qui *Lutherum* inſtigarit? An ſi quidam dehortati ſunt, ideo nemo fuit qui hortaretur? Alibi vocat me ingratum hoſpitem, quod quorundam ibi mores mihi non probentur. Si *Baſileenſis* Senatus velit omnibus bellum indicere, quibus diſplicent aliqui cives, habiturus eſt multum negotii. Nec ipſi Senatui placent omnes omnium Euangelicorum mores, vel hoc argumento, quod in multos animadvertunt. Fateor me multis annis uſum ejus civitatis hoſpitio, ſed illi, ni fallor, viciſſim talem hoſpitem præſtiti, ut ſibi gratulari poſſit, ſi nunquam contingat hoſpes incommodior. Quod ſi fas eſt aliquid magnifice de me ipſo dicere, arbitror mihi civitatem *Baſileenſem* non minus debere, quam ego debeam illi. Ærarium illius teruncio non minui, illic de meo aliquot florenorum millia conſumſi. A *Frobenio* minimum accepi, ne ex legato quidem obolum, quod mors illi fuerit ſubita. Atque ita illic vixi, ut nemini ſit quod de me queratur, niſi quod Sectæ noluerim dare nomen. Poſtremo *Oecolampadius* præfans in *Eſaiam*, me recenſet inter ornamenta illius Reipublicæ, ſi mea repudiant teſtimonia.

Supereſt *Pharellus*, bone Chriſte, quam pius, quam innocens vir! In quem quid ſcripſerim non referunt. Si nunc eſt converſus ad meliorem frugem, gratulor homini. Qualis olim erat, mihi valde diſplicuit, ſeditioſus, acidæ linguæ, & vaniſſimus. Sic rem geſſit in *Monte Pellicardi*, ut bis inde profugerit. *Baſileenſis* Senatus, cum cuperet civitatem eſſe tutam à ſeditione, juſſit *Pharellum* ire exſulatum. *Oecolampadius*, cujus menſa tum utebatur, non ſemel objurgavit hominem, quod obtrectandi nullum faceret finem, teſtatus ſe non poſſe ferre in convivio tam amarulentas obtrectationes. Id mihi narravit, qui in eadem menſa accumbebat, vir integritatis rariſſimæ. Appellarat me *Balaam*, hac de cauſa cum illo expoſtulanti, nihil certi reſpondit, ſed ſic elapſus eſt, ut diceret negotiatorem quendam *Dupletum* hoc dixiſſe, is enim jam abierat, & fieri poteſt ut dixerit, ſed à *Pharello* doctus. De colloquio noſtro ſcripſit Epiſtolam ad fratres *Conſtantiam*, in qua ſæpe in decem verſibus non erat unum verbum verum. Omitto jam leviora. Talem expertus, ſi talem depinxi, nihil mirum. Nunc qualis ſit neſcio. Quid *Carthuſianus* quidam in illum dixerit & aſſeverarit, mea nihil refert. In Epiſtola tamen ficto nomine illum noto, hîc modeſtus maluit verum ponere, quo magis addat invidiam. Et hîc rurſus occurrit illud inſigne mendacium, me concionatores omnes, omnes ipſorum Eccleſias infinitis mendaciis deturpare. Atque interim quicunque pugnant pro Eccleſia Catholica, appellat confeſſos innocentiæ hoſtes, & ſibi videtur nunquam mentiri. Cumque toties iteret, inculcet, infinita mendacia, ne unum quidem adhuc probavit. Sacerdotem *Baſilea* virgis cæſum, mox urbe ejectum, non nomino. Quid refert quando deſierat concionari? iſtius erat profeſſionis. Is ut publicus ferebat rumor, & in carcere, & extra portam, cum à carnifice dimitteretur, publice teſtatus eſt, ſe poſteaquam ſe illi Sectæ addixerat, in omne flagitiorum genus proruiſſe: quid de tota Secta dixerit, non referam. Nam audita narro, ſed de propinquo. De ruſtico, qui in * veteri pago ſubito poſt ſumtum panem, quem vulgo appellant hoſtiam, exanimatus eſt, nihil ſcripſi, niſi quod publicus, iſque conſtans rumor ferebat. Nec ita multum iſtius narratio diſſonat à mea. Accepit hoſtiam, eam fractam more Sacerdotum comedit, mox bibit & periit. Nec dubito quin hanc rem denarret, ut cætera omnia. *Leniter*, inquit, *inclinans in Ædituum exſpiravit:* quin potius dixit, obdormivit in Domino. Si nihil peccavit, cur cadaver in profano ſepultum eſt? Sed favet homini quod irriſerit Euchariſtiam, & ille crimine iniit gratiam.

Reſtat adhuc unum mendacium, ſed luculentum, nam homo civilis innumera prætermittit. Scripſi alicubi, ubicunque regnat *Lutheraniſmus*, ibi frigere litterarum ſtudium. Si hoc non erat verum, cur *Lutherus* tam ſollicite coactus eſt homines ad litterarum amorem revocare? Cur idem coactus eſt facere *Melanchthon*, qui non diſſimulabat eſſe verum quod dico? Quam floreat Academia *Wittenbergenſis*, neſcio. Si quid eſt illic bonæ litteraturæ, *Melanchthoni* debetur. Quid fiat in pagis, neſcio. Certe nuper cœperunt aliquot civitates conducere Profeſſores, ſed opus erit ut & auditores conducantur. Tam ardet ſtudiorum amor! Non excutio nunc, quo id conſilio fiat. Conferat Academiam *Wittenbergenſem* cum *Lovanienſi*, aut *Pariſienſi*, quanquam & hæ nonnihil detrimenti ſentiunt ex *Lutheraniſmo*. Typographi narrant ſe ante hoc Euangelium citius diſtrahere ſolitos tria voluminum millia, quam nunc diſtrahant ſexcenta, vel hoc arguit quam floreant ſtudia litterarum. Quid autem iſti fere docent niſi Linguas? Sed proferant nobis vel tres, qui in *Lutheraniſmo* feliciter in litteris progreſſi ſunt. Hîc paucitas litteris ſe dedentium imputatur Sacerdotibus, nam in hunc campum libenter exſpatiatur, cum in *Anglia* tot ſtudioſorum Collegia ſint Epiſcoporum impendiis magnificentiſſime exſtructa, & additi cenſus ampli, tot adoleſcentes aluntur eorundem & Sacerdotum munificentia. Nec in *Anglia* tantum, verum & in *Brabantia* & in *Gallia*. Quod alibi ſcripſi (nihil enim non excutiunt) quod quidam Euangelici ducant uxores dotatas, quod nihil quærant niſi cenſum, & uxorem quoſdam videri non ob aliud ducere, niſi quia vetitum eſt: Priora duo per ſe nota ſunt, in quoſdam, nec enim in omnes dictum eſt, fatentur hoc ipſi ſymmyſtæ paulo ſaniores. Tertium demiror cur

* Alia Editio, *novo.*

Digitized by Google

negent, cum hoc ipsi doceant, impias Pontificum leges fortiter abrumpendas, & quædam ob hoc ipsum facienda, quia Pontificum edictis interdicta sint. Si hoc libris editis docent *Lutherus* & *Zwinglius*, quid in me destomachantur? Ficulnum vero patrocinium, si ideo putant sibi licere contrahere matrimonium, quod multi Sacerdotes contra leges divinas alant concubinas. Assumunt quod obiter laudans Apostolorum spontaneam continentiam dixerim, Apostolos, cum eis liceret ducere uxores, abstinuisse à conjugio, si qui duxerant, vertisse in sorores. *Christus* in Euangelio dixit, *qui potest capere capiat*, nec usquam legimus ab illo abrogatum Apostolis ducendi jus. *Nullus igitur*, inquit, *nos cogere potest ad cœlibatum*. Verùm Apostoli non abjuraram matrimonium. Quis coegit istos abdicare sibi jus contrahendi matrimonii? Saltem hoc differunt ab Apostolis. Efferunt honorabile conjugium, & torum immaculatum, sed innui nonnullos Euangelicos, nam in genere loquutus sum, nihilo castius colere conjugium, quam Catholicos. Jubet me proferre fabulas. Quid attinet, cum vulgo narrentur? Negat esse notissima cum falsa sint, & tamen ipse fatetur de duobus. Ego novi Monachum, qui pro una duxerit tres. Novi Sacrificum, virum alioqui probum, qui duxit uxorem, quam post comperit alteri nupsisse. Similia permulta de Monachorum & Monacharum conjugiis referuntur, qui ductas repudiarint eodem jure quo duxerant. Jam an inter Euangelicos minus indulgeatur libidini, an non minus sit adulteriorum: Quid *Argentorati* fiat, nescio, quid alibi compertum sit, mecum novit populus. Jam ut donemus istis Euangelii præconibus esse fas uxores ducere, quis non jure admiretur oviculas mactationi destinatas, nihil in hoc Mundo quærentes præter Christi gloriam, tot curis districtos, tot afflictionibus obnoxios, quibus accedit & paupertas, onus tum miserum tum grave, non posse vivere sine uxoribus, quas tam multi ob leviores causas aut non ducunt, aut ductas nollent? At istis omnis tagœdia exit in catastrophen comicam. Ubi contigit uxor, occinitur valete & plaudite. Quæ malum est ista tanta salacitas, quam tot mala non possunt excutere, unde tanta carnis rebellio in his, qui se jactant agi Spiritu Christi?

In Epistola ad *Aurbachium Stromerum* scripsi, nobis ex hoc Euangelio novo gigni genus hominum, quod mihi minimè placeret. Hic homo dialecticus putat grave crimen admissum, quod non dixerim ex occasione Euangelii gigni, cum ipsorum Euangelium sine dubio sit Euangelium Christi. An quod per occasionem gignit, non gignit? An non *Lutherus* glorians scripsit hanc esse Euangelii naturam, ut conjunctissimos distrahat? Deum immortalem! quanta calumniandi scabies hunc tenet, qui è syllabis venatur, quod arrodat, quod genus est & illud: In Epistola scripseram Apostolos ne Gentium quidem idola fuisse demolitos. Hic miratur quid mihi acciderit, cum hæc scriberem, quasi id temporis Christiani habuerint idola. Verùm si complexim legas, nihil est scrupuli. Apostoli adeo non submovebant, quæ mala non erant, ut ne Gentium quidem idola sustulerint. Atque hoc loco rursus quod in genere dictum est, sic interpretatur quasi dictum sit in universos. Et hic scilicet erat exclamandi locus, *O inconsultam iram & temerariam, ὦ φιλαυτίαν!* quanto decentius quis ad ista reclamet, *Iò Bacche*. Taxavi quosdam qui se jactant *Lutheranos*, cum id, quod præcipue commendat, negligant, fidem. Id rursus sic interpretatur, quasi in omnes Euangelicos dictum sit. Si nulli sunt tales in istorum grege, tum vociferetur in me: si sunt admixti plurimi, quid est quod seditiosè quiritatur, *nos, nos, nos?* Et interim non vult nos scire, qui sint isti *nos*. Sed en tibi aliud crimen: *Lutherum* comparavi *Atæ*, *Melanchthonem Litæ*. Hoc eo detorquet, quasi ob id dixerim *Aten*, quod fidem tantopere prædicarit. Unde hoc somnium illi venit in mentem? Imo locus ipse declarat me loqui de violentia scriptionis, quæ turbavit Orbem, ac plurimorum animos offendit. Jamdudum me piget hujusmodi nugalibus respondere. Rursum quod dixi me vereri ne sub umbra Euangelii exorirentur, qui nihil omnino crederent, sic interpretatur, quasi in eos omnes dictum sit. Imo jam nunc aliquot tales exoriuntur magno piorum hominum dolore. Et qui tales sunt sub nulla umbra tutius latere possunt, quam sub istorum Euangelio. Deinde multi parum firma fide, cum vident convelli prisca Ecclesiæ decreta, & ipsos inter se variare dogmatibus, incipiunt dubitare de tota fide Catholica. Quid hîc habet, quod clamet *nos, nos, nos?* Exagitat, quod dixerim *ad bonos verte oculos*, cum quid his verbis senserim non intelligat. Verba mea sic habent: *Dices nihil tam felix unquam fuit in rebus humanis, quin malorum admixtu vitiaretur. Ad bonos verte oculos.* Hic enim sermo affingitur Euangelico monenti, ut præteritis iis, qui improbe vivunt sub Euangelii obtentu, oculos vertamus ad eos, qui pie vivunt. Ille sic interpretatur, quasi senserim etiam optimum quemque apud ipsos his vitiis obnoxios esse, quæ commemoro: & in margine annotavit, *Præcipua Christi contumelia*. Quid non blateraret in me si quid simile accidisset? Non pudebit istum Apostolicum virum unquam tam stolidi facti? cum ego Latine ac dilucide sim loquutus. Adsimili errore impingunt mihi, quod mentitus sim istos docere Sanctorum miracula esse Dæmonum præstigias, meque redarguunt per Apostolos alioque sanctos, qui miraculis inclaruerunt, cum ego loquar de miraculis, quæ fiunt ex invocatione Divorum. An non hæc docuerunt *Zwinglius* & *Oecolampadius*, qui & apparitiones animarum tribuunt Dæmonum ludibriis? Quid hoc calumniatore impudentius? Rursus quod dixi forsitan meæ fuisse infeliciratis, quod hactenus neminem mihi nosse contigit, qui non sit factus seipso deterior, huc detorquet, quasi in universos dictum. Objicit mihi *Oecolampadium*, *Capitonem*, *Zwinglium*, & plerosque alios, rogans in quo degenerarint. Cum *Pellicano*, posteaquam se prorsus addixit Euangelio, nihil habui commercii, is certe Epistolis editis multo alium se declaravit, quam exspectaram, aut quam olim se præbuit. Cum *Oecolampadio*, cujus ingenium & doctrinam amavi, fateor, nihil jam annis aliquot fuit familiaritatis. Cum *Zwinglio* semel atque iterum egi convivium, colloquutus aliquoties ante annos octo. Quo tempore hominem libere admonui, ut à novis dogmatibus abstineret. Eam admonitionem tum aut boni consuluit, aut probe dissimulavit. Cum *Hedione* semel duntaxat, quod sciam, egi convivium, nec inter nos ullus fuit sermo peculiaris. *Capitonem*, fateor, amavi familiariter, visus est mihi tum vir pius & humanus. Nulli horum remisi civilis amicitiæ tesseram, familiaritatem abrupi, ne vulgus existimaret nos in dogmatibus consentire. *Pellicanum*, ex quo *Tigurum* commigravit, vidi nunquam, ne *Capitonem* quidem posteaquam se contulit *Argentoratum*. Itaque quales olim fuerint utcunque nosse potui: quales nunc sint haud novi, nisi si quid ex Libellis conjici potest, à quibus tamen jam triennium abstinui, sentiens me tali lectione nihilo fieri meliorem. Si quid in eos vulgo jactatur, non sum tam levis ut ea mittam in litteras: & si quid nossem arcani criminis, haud evulgarem, utcunque provocat hic seditionis artifex. Certe *Vulturius* alio candore fideque fuit olim, quam nunc se declaravit esse. In summa, quantum è scriptis aliisque signis conjicere licuit, nullus est omnium, in cujus fidem hujus animulæ salutem velim committere. Porro quod in hoc quoque sese æquant Apostolis, quod nihil omnino gerant vi, scio multos non sine risu lecturos. Fortasse nec hoc quod suos martyres conferunt cum priscis Ecclesiæ martyribus, qui sanguine suo testimonium reddidere Christo. Si illos recte conferunt cum *Stephano* & *Laurentio*, merito Cæsar conferendus est cum *Nerone*, *Diocletiano*, & *Maxentio*.

Calumniosum mendacium appellat, quod dixi, se-

cun-

cundum istos Christi sponsam tot annis cæcam fuisse, stertente sponso. Negat sponsum stertere unquam, quasi non dixerim hoc εἰρωνικῶς. Atqui qui vocant abominationem & idololatriam, quod Ecclesia tot annis religiose coluit & docuit, nonne illis cæca fuit stertente sponso? Qui docent Baptismum nulli necessarium ad salutem, qui docent in Eucharistia nihil esse nisi panem & vinum, aliaque permulta similia, qui dicunt veteres Ecclesiæ Doctores scripsisse meras ineptias, & periculum esse ne omnes sint apud inferos, nonne faciunt cæcam Ecclesiam? Erat & illud ingens mendacium, quod *Lutherum*, quem prius tantum non pro Deo habebant, nunc illis scripsi delirare. Nec agnoscunt hyperbolen, non admodum inverecundam. Cujus dogmata ut oracula suscipiebant, adeo ut pro illis irent in ignem, quem Pontificibus, Synodis generalibus, & omnibus Ecclesiæ Doctoribus præferebant, quem nusquam labi prædicabant, quantulum abest ut pro Deo habuerint? *Nunc*, inquiunt, *non delirat omnino nobis. Nobis, nobis*, qui sitis, nescio, in genere locutus sum. Eas voces, *delirat* Lutherus, *scribit humano spiritu*, quotidie audiebamus *Basileæ*. Si semper velint respondere per *nobis*: omnia mentitus est *Erasmus*. Nam mihi de ignotis quidvis ipsi possunt confingere. Illud qua fronte multi lecturi sint, nescio. Scribit, *profer vel unum, cui teruncius à nostris ademtus sit, eo quod diversam Religionem sequatur*, cum constet alicubi multos pecunia mulctatos, quod Eucharistiam recepissent in vicinis pagis: de spoliatis templis, de accisis censibus multorum taceo. Exagitat & illud, quod scripsi, levissimum quemque istis sectis accedere, nimirum de vulgo ac mihi notis loquens. Sunt enim in his plerique tenues, decoctores, profugi, desertores instituti sui, novarum rerum ac licentiæ cupidi, juvenes, mulierculæ incogitantes, operæ mercenariæ, parum cordati, errones, milites, quidam etiam criminibus infames, per hujusmodi magna fabulæ pars initio gesta est alicubi, rursus testor me de notis loqui. Quales sint *Argentorati* non novi. *Quæ stulta sunt*, inquit, *Mundi, elegit Deus, sed inter istos sunt aliis titulis clari, quos hic non referam.* Ut ostendat non esse leves omnes, qui Euangelium amplectuntur, profert nobis Principem *Hessorum*, quem eximium Germaniæ decus vocat, & Electorem *Saxoniæ* Ducem, quorum uterque mihi ne de facie quidem notus est, uterque longo regionum intervallo à nobis dissitus, ut ad nos vix tenuis famæ perlabatur aura. Quid illi probent, improbentve, nescio. Mihi non fit verisimile illos per omnia probare, quæ ab istis vel fiunt, vel scribuntur, præsertim de Eucharistia. Itaque cum illa scriberem, nihil minus cogitabam, quam de Principibus, & tamen nihil prohibet eundem esse Principem & levem. Quam contemnant opes Euangelistæ, quantumve habeant in scriniis, nescio: de quibusdam parum secundus est rumor. Hic scilicet ex arte movet affectus à misericordia, clamitans ipsos solos esse, quibus & paupertas & divitiæ probro dentur, quis non illachrymet? At quid mirum si inter multos egenos, sint aliquot opulenti? Paupertas si necessitatis est, nulli probro vertenda est, sed illi risu digni, qui se venditant Euangelii nomine, cum nihil habeant Euangelicum præter egestatem. Eos quoque merito quis taxet, qui sub umbra nominis Euangelici colligunt opes. An nulli sint qui hoc egerint, tempus omnia retegens patefaciet. De regno quod scripsi, plebem lingua temperare, Magistratum nihil gerere, nisi ex ipsorum sententia, senatu movere, qui à doctrina ipsorum dissentiunt, conjicere in carcerem, qui verbo ipsos tetigerit, fœderibus sese communire, an non hoc est regnare? Damnavit hoc in illis egregius ille vir, *Jacobus Faber*, cum metu cesserat *Galliis*, & in *Germaniam* concesserat. Multa præteream oportet, tanta est hujus loquacitas, tam tragica verborum singulorum exaggeratio. Dixi quosdam istorum importunis scriptis, ac seditiosa prædicatione effeciisse, ut res in diversum cesserit, & pro captata libertate duplicata sit servitus, iisque tyrannis sit addita, quos conabantur à tyrannide dejicere. Si nusquam sunt aut fuerunt, in quos ista quadrent, mentitus est *Erasmus*: sin multi tales sunt, nihil frontis habent isti, qui nusquam non exaggerant, quod diris, immanibus, atrocibus, in ipsos confictis mendaciis Principes & Orbem universum in eorum exitium concitaverim. Sed non audebunt, opinor, inficiari, *Lutherum* violentia scribendi, convitiis & sannis multorum animos vel abalienasse, vel etiam adversus doctrinam ipsius irritasse. Hoc ipsi fatentur in hoc ipso Libello. Idem fatentur de *Pharello*. Quid? Videtur *Lutherus* omnia fecisse, ut Pontificem, Regem *Angliæ*, Ducem *Georgium*, Cæsarem, quem & ipsum odiose perstringit, ad Euangelium pelliceret? Videtur *Zwinglius* nihil intentatum reliquisse, ut Episcopum *Constantiensem* attraheret? Omitto cæteros. *Reprehenderunt*, inquit, & *Apostoli vitia Judæorum ac Gentium*, sed illorum objurgatio multo caritatis melle condita est, nec omnino quicquam simile. *Christus* interdum stomachatur in Pharisæos, sed is noverat omnium corda. *Paulus* appellat Pseudapostolos, canes & operarios malos, abstinens interim à nominibus. Hæc omnia videri possint blandimenta, si conferantur cum his quæ quidam Euangelici scripserunt in Pontificem, Episcopos omnes, in Sacerdotes, & Principes Christianos. Nec statim quemlibet decet, quod decuit *Paulum*. Indecore clamant in alios, in quos possunt atrociora retorqueri. Quæ, inquient? Ut nihil aliud, hæresis & schisma. Qui verbis odiosis proponit, quæ commode proposita fortasse probari poterant, num is omnia facit, quæ poterant omnes allicere? Doctor *Wesselus* multa habet cum *Luthero* communia, sed quanto Christianius ac modestius ille proponit sua dogmata, quam istorum plerique faciunt. Non inficiatur hic Bucephalus inter Monachos olim exstitisse viros eximios: quin fatetur & hodie tales esse aliquot? Cæterum qui potuerunt esse pii, qui ceremoniis utebantur, qui sacrificabant, dicebant preces, jejunabant ex præscripto, utebantur delectu ciborum, quæ omnia constanter affirmant adversari Euangelio? Adeo-ne rapuit istum mihi maledicendi libido, ut eodem in Opere loquatur pugnantia? Dejecerunt, ut inquit, in multorum conscientiis regnum Pontificis, sed idem antea in suis conscientiis fecerant innumeri, nihil habentes pensi. Quanquam ego de conscientiis non sum loquutus, sed de externa tyrannide, sic enim illi vocant Ecclesiasticam potestatem. Interim quod dixi de sævitia quorundam Theologorum ac Monachorum, sic interpretatur quasi in singulos & universos dixerim, videtur omne proloquium indefinitum habere pro universali.

Probat hoc votum meum, *ut quæ officiunt pietati commoda prudentique curatione sanentur, quæ pia sunt, in his animo Christiano consentiamus, quæ sunt ἀδιάφορα, sinamus in his suo quemque sensu abundare: quæ sunt ardua, nec adhuc ad plenum discussa, sic in aliud tempus prorogentur, ut interim maneat inter sententia discordes, benevolentiæ concordia, donec & illa Deus olim revelare dignetur. Denique si quid irrepsit malorum, fiat quod a probatis Medicis fieri solet, vitia rerum tollantur, non res ipsæ.* Hoc consilium meum probat hac sane lege, ut ipsi nobis pronuntient, quæ pietati officiant, quæ sint media, quæ ardua: & inter ardua ponit dogma de Eucharistia. Hoc demiror qua fronte nobis concedent, qui fortiter affirmant esse sceleratissimam idololatriam adorare panem pro Christo, cum vestes sacras, & imagines, preces horarias, præscripta jejunia nullo pacto ferant. Si dogma de Eucharistia tam arduum est, ut nondum ingenium humanum potuerit assequi, cur asseverant quod non intelligunt? cur nos tot onerant convitiis, qui simpliciter quod ab Ecclesia traditum est amplectimur? His igitur conditionibus nobis offerunt pacem, si Pontifices, Episcopi, Principes & plebeji simul resipiscamus, & quicquid ab istis factum est, aut futurum, fateamur esse merum Euangelion. Id ni fiat, dira minitantur.

Digitized by Google

Petunt ut ſimus uno Sacro contenti, ſed abſque Chriſto, contra quam tot ſeculis credidit Eccleſia. Cæterum *Eraſmus* ſcripſit, nullum reperiri locum in Scripturis divinis, unde certo conſtet Apoſtolos conſecraſſe panem & vinum in carnem & ſanguinem Domini. Quid tum poſtea? Num igitur non conſecrarunt? Sed nec ullus eſt locus unde conſtet eos non conſecraſſe. At finge Apoſtolos nunquam conſecraſſe, quod dictu abſurdum eſt, cum audierint à Domino: *Hoc quotieſcunque feceritis, in memoriam mei facietis:* Et *Paulus: Hoc accepi à Domino, quod & tradidi vobis:* Nec dubitandum ſit, quin & ipſi fecerint, & aliis faciendum tradiderint. Num ideo vanum eſt quod *Chriſtus* inſtituit, Eccleſia tenuit? Sed iſtis perſuaderi non poteſt, hunc eſſe germanum ſenſum Scripturæ. Unde igitur conſtat illis non eſſe ibi corpus Domini? Negant Patres hoc ſenſiſſe, quod nos interpretamur. Ad id quid reſpondeam, niſi manifeſtum eſſe mendacium, cum tot ſint loca in Priſcorum libris, quibus evidentiſſime declarant quid ſentiant? Sed *Eraſmus* dixit, ſe poſſe in *Oecolampadii* ſententiam pedibus ire, niſi impediretur tanto Orbis conſenſu. Dixi, fateor, ſed quid hoc eſt aliud, quam profiteri me cum Eccleſia ſentire Catholica, quam voco Scripturarum interpretem, & quod iſti docent hæreticum videri? Quidam hoc adjecerant, mihi videri meliorem *Oecolampadii* ſententiam, ni obſtaret Eccleſiæ conſenſus. Hoc falſo falſius eſt: dixi in privato duntaxat colloquio, eam eſſe ſimpliciorem & expeditiorem, hoc eſt, paucioribus quæſtionum difficultatibus involutam: ſi meliorem judicarem, eam profiterer. *Plurimorum*, inquit, *conſenſus interdum maximus eſt error.* Sed multo frequentius paucorum conſenſus maximus eſt error. Si iſte non credit Eccleſiæ, facit quod ſolent hæretici: ſi novam quærit Eccleſiam, facit quod ſolent ſchiſmatici. Fatetur Chriſtum haberi & edi à fidelibus, nec quicquam vult addi, cum ipſi addant non ſubſtantialiter, ſed ſpiritualiter. Si illi clament, in Euchariſtia eſt corpus Domini, ſed in ſigno tantum, non in ſubſtantia: noſque profiteamur corpus Domini, nihil addentes, quid aliud efficiet noſtrum ſilentium, quam ut illis videamur aſſentiri? Nec pudet iſtum denuo Chriſtianiſmum, qui fuit hactenus in Eccleſia, conferre cum impia ſuperſtitione Ethnicorum, imaginem Crucifixi cum imagine *Veneris*, noſtros Divos cum Dæmonibus, ſomnia *Platonicorum* de prima cauſa & *logo*, cum firmatiſſima fide Chriſtianorum, de Patre, Filio & Spiritu Sancto! Ait Gentes non coluiſſe idola pro Diis. Ne loquar de vulgo, ipſe *Plato* docet ſtatuas ſcite factas animari à Dæmonibus. Si Gentes non coluerunt ſimulachra pro Diis, mentitus eſt *Paulus*, qui ſcribit Gentes coluiſſe creaturam pro Creatore: inſigniter delirat *Eſaias* Cap. XLIV. Si quid hujuſmodi fuiſſet à me ſcriptum, quam atrociter impingeret blaſphemiæ crimen? Hæc eo toties inculcat, ut perſuadeat hoc quod agunt, non eſſe minoris facilitatis, quam quod egerunt Apoſtoli: ac Gentes Judæoſque non minus probabiliter potuiſſe tueri ſuam Religionem, rejecto Euangelio, quam nos tuemur Eccleſiæ Catholicæ ritus ac dogmata. Hoc non minus impium quam abſurdum, ut illis donemus, fateamurque paria, quæ nihil habent ſimile, cum ipſi fateantur initio opus fuiſſe miraculis, merito requiremus & ab iſtis miracula. Si nobis tot Eccleſias objiciant pro miraculis, reſponderi potuit olim *Arianos* plures habuiſſe Eccleſias quam Orthodoxos, & *Mahumeticam* Sectam latius patere quam Chriſtianam Religionem, quanquam iſti ſi cum Orthodoxis conferantur, quota portio eſt Orbis Chriſtiani? Si martyres ſuos nobis objiciunt, conſtantiores ſunt in ſua perſuaſione *Judei*. Porro nihil eſt facilius quam apud homines fingere Spiritus teſtimonium. Ut ex illis multi ſint vita innocentes, certe nullius adhuc videmus tam inſignem ſanctimoniam, ut miraculorum loco poſſint eſſe mores Apoſtolici. Mihi indignatur, quod attigerim ipſorum, ut ait, Eccleſias, innocuas & nihil niſi Chriſtum quærentes, cum ipſi non vereantur totius Orbis Eccleſias, Eccleſiæ primates, univerſumque gregem Chriſti, idololatriæ & blaſphemiæ ſcriptis omnibus inſimulare. Sed jamdudum me tædet hujus Scriptoris glorioſæ loquacitatis: nihil novant, ut ait, niſi quod officiebat pietati, nullam dare volunt ſeditioni cauſam, ſed omnia fieri omnibus, quatenus licet incolumi ipſorum doctrina, quam certo certius ſciunt Chriſto probari. Parati ſunt propter Euangelium omnia perdere, modo ne *Chriſtus* ipſis auferatur. Student prodeſſe omnibus, lædere neminem. Aguntur Spiritu Dei, unde non poſſunt recedere. Quid multis? Illos poſt Euangelicum agonem manet æternæ vitæ præmium, nos, ni reſipiſcamus, exitium atrocius ſupplicio *Sodomorum*, nos, inquam, qui occidimus innocuos verbi Miniſtros, qui totis viribus repugnamus Euangelicæ veritati, qui Spiritui Sancto pertinaciter reſiſtimus, qui colimus idola, qui blaſphemi ſumus in Chriſtum, qui perperam interpretamur canonicam Scripturam, qui prorſus ignorantes Chriſtum, Satanam colimus: tales enim facit omnes, qui à dogmatibus ipſorum diſſentiunt, in me ſic debacchatur, nihil aliud crepans quam luculenta *Eraſmi* mendacia, contumelias & injurias in Chriſtum, quod in quorundam Euangelicorum mores auſus ſim hiſcere. Et non vident iſta tam atrocia crimina, in Cæſarem, in tot Orbis Chriſtiani Principes, in tot civitates Chriſtum religioſe profitentes, in tot Eccleſias, in tam late patentem Chriſti gregem recidere? Atqui ſeverior aliquis diceret, in conciliabulis hæreticorum nec eſſe Chriſtum, nec Chriſti Spiritum, nec ſacras Litteras, nec pietatem, nec veniæ ſpem. Sunt qui hæc de iſtis & ſentiant & ſcribant, qui Principes exſtimulent ad tale genus hominum funditus è medio tollendum, quin in eos iſta evomunt quibus in me debacchantur? qui hactenus calamum cohibui, quamlibet à ſummatibus viris etiam convitiis efflagitatus, qui diligentius, quam iſtos ſcire expediat, hoc ago, ut citra ſanguinis effuſionem componatur diſſidium, adeo ut cenſuerim ſatius eſſe Sectas hoc quo nunc ſunt loco ſinere, donec vel tempus vel Deus ipſe remedium aliquod adferat, quam totam *Germaniam* miſceri cædibus. In *Eckium*, in Epiſcopum *Roffenſem*, in *Jodocum Clithoveum*, in *Joannem Cochleum* elingues ſunt, in *Eraſmum* bilem omnem effundunt, ut appareat privatum eſſe odium, & ebrioli cujuſdam inſtinctum. Sed hunc ſtomachum ſi conceperunt è ſcriptis meis, quibus teſtor mihi non probari Sectas, cur tam diu diſſimularunt? Sed nondum commigrarat *Argentoratum* ille mirabilis concitandæ ſeditionis, & mox turbatis rebus, alio profugiendi artifex: ille qui loca ex omnibus Epiſtolis meis ad calumniam idonea enotaret, moxque fingeret ſibi librum à fratribus clam ereptum. Qui adeo flagrabat impotenti odio, ut hunc librum è mendaciis & convitiis non aliter contextum, quam cento contexitur ex pannis, non potuerit exſpectare, ſed furtim emiſit inſulſiſſima ſcholia, & interim mihi ſcribebat blandas Epiſtolas: Eram dominus ac præceptor, à quo libenter admoneretur, qui ſine imagine mei non poterat vivere, qui proximis ad me litteris etiam conſolatus eſt me, hortans ut læto eſſem animo, contemnens rabulas loquaces & ſcribaces: denique jamdudum edita Epiſtola mea, quod me facturum ſcripſeram, in ſuis ad amanuenſem meum litteris volebat mihi commendari, & interim hæc parabantur, tanta arte mordacia, ut magis lædar laudatus, quam convitiis affectus. Et hi ſe cum Apoſtolorum ſanctimonia conferunt, cum hoc *Vulturii* factum propius accedat ad exemplum *Judæ* proditoris, quam *Chriſti*. Illa magnifica verba, cum talibus conjuncta moribus, quos in multis comperimus, quid aliud eſſe poſſunt quam mera hypocriſis? Sed quid aliud exſpectemus ab his qui profitentur eſſe fas Euangelion, hoc eſt, Sectam, ſaltem exterioris Eccleſiæ judicio damnatam, fucis ac technis propagare? Cur hic artifex non appoſuit nomen ſuum? Miniſtri verbi apud *Argentorateuſes*. Omnes ne?

ne? Qua fronte igitur tantum laudum congerunt in
seipsos? Præclaram vero laudem hic, quisquis fuit, con-
ciliavit *Argentoratensibus*, qui tales alant concionato-
res; tum Ecclesiastis, qui tam vano, tam calumnioso,
tam seditioso Libello vel adfuerint, vel faverint! Equi-
dem optarim illi Reipublicæ feliciora, quam ut non ha-
beat sapientiores Ecclesiastas, quam hic est qui scripsit
hunc Librum.

Exciderat unum mendacium: Ajunt me mitiorem
esse in *Lutherum* quam in ipsos, *Melanchthonem* à me
laudatum etiam. Laudavi *Melanchthonem* ob ingenii
candorem, & industriam in provehendis bonis litteris,
sed semper exceptis dogmatibus. Is cum plurimum tri-
buat *Luthero*, tamen non est adeo offensus, neque *Dia-*
tribæ, neque duobus Libris *Hyperaspistis*, ut mihi re-
nunciarit amicitiam, aut quicquam in me scripserit ama-
rulentius, cum isti ob attactum vel admonitum verius
Vulturium tam impotenter in me debacchentur. Quam
fuerim mutus in *Lutherum*, declarant duo libri quibus
illi respondeo. Quod si *nos* pronomen, rursus declarat
Argentinenses, in neminem Ecclesiastarum adhuc quic-
quam scripsi atrocius. In populum *Argentoratensem* ne
verbum quidem unquam effutivi, ut qui illic neminem
norim. In Ecclesiastas quid effudi convitiorum? Tan-
tum indico me nonnihil suspicari de *Capitonis* vafricie.
Cum *Hedione* leviter expostulo, quod Epistolam meam
ad Senatum, nec reddiderit, nec dissimularit. *Otho-*
ni nunquam respondi. Typographus ille famulo meo
negavit se esse Euangelicum. Et hæ sunt graves illæ
causæ, cur tam querulum hunc Librum in me evulga-
rent. Nec dubito quin Magistratui persuaserint me gra-
viter læsisse famam ejus Reipublicæ, cum nec in Ec-
clesiastas, nec in populum, nec in Magistratum, us-
quam stringam calami cuspidem. Ajunt se in hoc in-
cumbere, ut omnibus fiant omnia, parati summa cum
mansuetudine & modestia reddere cuilibet poscenti,
vitæ doctrinæque suæ rationem. Poterat aliquis hoc
credere verum, nisi hic Liber tam maledicus, tanta ar-
te ad seditionem instructus, reclamaret. Manifestæ va-
nitatis est & illud, quod ait multos hoc summis eniti
viribus, ut ipsos exstinguant funditus, cum hactenus
tanta lenitate tolerentur à Cæsare, Principibus & Epi-
scopis, quibus non erat difficile sic istos tractare, quem-
admodum tractati sunt Agricolæ tumultuantes; sed qui-
dam Principum lenitate abutuntur, semper ad deterio-
ra proruentes, & hoc, ut videtur, agentes, ut ipsi Prin-
cipibus sint formidabiles, utcunque jactant se omni carnis
præsidio destitutos, solo verbo Christique præsidio fretos,
veritatem prædicare. Si *Vulturius* est, ut hic asseverat,
in ovili Christi, gaudeo: certe in eadem Ecclesia non
sumus, nec est quod posthac metuat *Erasmum* hortato-
rem, posui omnem de illo sollicitudinem. Quin & il-
lud illi per me licebit, quoties volet scholiis ac libellis
meum nomen in frontispicio præferentibus ludere. Nec
mihi tamen, nec ulli mortalium, cui nasus sit ullus,
persuasurus est, se hæc animo puro simplicique facere.
Si tam excelso animo nunc fert paupertatem Euange-
licam, bene habet, quanquam pridem non unis ad me
litteris de exsilio egestateque sua questus est. Quod si tan-
topere displicent illi Episcopi, conferat se licebit ad
suum Principem *Carolum Gelriæ* Ducem, cui notus est,
cuique scribit tam familiariter.

Deventum est tandem ad epilogum hujus sanctissimi
Operis. Negant, ut ait, se adferre nova dogmata, sed
instaurare vetera: Quasi vetera non sint, quæ ad hunc
usque diem ab annis mille quadringentis docuit ac ser-
vavit Ecclesia, magno Orbis consensu, aut quasi ipsis con-
stet, quid Apostoli tradiderint suis Ecclesiis. Si Mini-
stri verbi nihil addere debent Scripturis, cur *Paulus* au-
sus est quædam statuere in Ecclesiis, quæ Dominus non
docuit? An non illud novum dogma: hic panis conse-
cratus est corpus Domini, hoc vinum est sanguis Do-
mini? Corpus sub pane est sine sanguine, sanguis sub
vino est sine corpore, neutri adest anima? An non no-
vum est: in Eucharistia nihil est nisi panis & vinum?

An non novum, baptisma nulli necessarium esse? Do-
cent purum & putum Euangelion: quodnam? Ut per
fidem ab uno Deo, per unum Servatorem & conciliа-
torem nostrum *Jesum Christum* omnis & justitia & salus
petatur. Quid his verbis religiosius? At quantum in
his latet veneni? Impium est invocare Divos aut cole-
re, cum nihil possint apud Deum. Impium est orare
Sacerdotes, ut in Sacro precentur Deum pro ipsis. So-
la fides justificat, nec refert cujusmodi sint hominis
opera. Nihil opus est operibus satisfactoriis: nam hoc
est diffidere Christo, qui pro nobis dependit. In Pur-
gatorio nulla est satisfactio per cruciatum: inutilis est
Confessio: nam hoc est justitiam ab homine petere.
Hæc omnia latent sub illis religiosissimis verbis. Cæ-
terum quo consilio toties in hoc sermone prætermise-
rit Spiritum Sanctum, non satis intelligo. Vereor ne
sub hoc quoque lapide dormiat scorpius, quem nobis
post injecturi sint. Nam & hoc profitentur, se initio
quædam dissimulasse, quæ suo tempore pro captu ho-
minum proferunt. Negant se alio spectare, quam ut
prosint omnibus, hoc si suo nomine proprie scribunt
Ecclesiastæ *Argentoratenses*, ἐφέξω: Sin omnium nomi-
ne quos Euangelii titulus complectitur, nimis impu-
dens mendacium est. Atqui ego in genere sum locutus.
Negant se recessisse ab Ecclesia, cum sint ejecti & pro-
scripti ab his, quorum vita talis sit, ut quidvis potius
illos comprobet esse, quam Ecclesiæ consortes. Hoc
Cæsari ac *Ferdinando* defendendum relinquo, qui se pu-
tant Ecclesiæ consortes. Quanquam cum ipsi doceant,
soli Deo cognitum esse quis ad Ecclesiam pertineat,
præterquam quod quisque sibi conscius est: cumque
doceant, nihil ad justitiam referre qualia sunt nostra
opera, unde judicant illos alienos esse ab Ecclesia? Ex
affectu mentis? Hunc solus novit Deus. Ex factis? Ea
qualia sint, nihil refert, modo fides adsit. Ajunt se idem
negotium agere quod agebant Apostoli. Id si verum est,
nos quotquot ab illis dissentimus, aut Judæi simus opor-
tet, aut Ethnici idololatræ. Litterarum studia quan-
tum provehant nescio, certe gravant illa non medio-
cri invidia. Morigerantur omnibus Principibus, Epi-
scopis & Magistratibus, quatenus licet illæsa pietate;
sed quicquid ab ipsis non traditur probaturve, lædit
pietatem. Abhorrent ab omni tumultu & seditione sic,
ut non alius magis; verum, si nemo repugnet illorum
instituto. Non agnoscunt eos qui sub Euangelii titulo
serviunt ventri suo. Quam multos hîc commemorare
possum, quos multi suspiciunt pro coryphæis, non modo
agnoscunt. Et quid prodigii, si sunt in hoc numero qui
nepotes, ganeones & aleatores amplectuntur, cum sint
qui eadem faciant? An nullis artibus instructi, nulla
malorum fiducia freti, sola in Christum fiducia nitan-
tur, aliis judicandum relinquo. Nunc audi *dinosin*, &
illacryma: *In tam mites*, inquit, *oviculas, in quas fre-*
mit armatus mundus, tam diris mendaciis & calumniis
importunis debacchatus est Erasmus, *ac veluti classicum*
cecinerit toti Orbi. Quis ita lenis, inquit, *quis ingenii*
tam mitis & boni, qui non quamprimum sumenda arma
putet in eos, qui professi salvificum Euangelium Jesu Chri-
sti, *vivant tamen ipsi flagitiosissime, & confundant, in-*
vertant, perdantque seditiose omnia, optimis pessima suf-
ficiant, solvant potestatem Principum, plebem in optimos
quosque arment, subinde tumultus excitent, ad arma iden-
tidem nullis de causis procurrant, foveant quoque scele-
ratissimos, sint in bonos meri Phalarides, omnem religio-
nem aboleant, ut certissimus exspectetur Paganismus. Ec-
quis enumeret, quot quamque immania & importuna in
nos crimina ea simul falsissima, quaque diritate torsit? Sic
ille. Utrum hæc est vox mansuetissimæ & omnibus pla-
cere cupientis oviculæ, an lupi potius, ejulatu cæte-
ros lupos ad lanienam provocantis? Dicas hunc quis-
quis est rhetoricen didicisse. Sed Rhetoribus quidam con-
cedunt mentiri, modo in loco & arte, at idem Euange-
lico viro turpissimum est. Esse qui sub Euangelii titu-
lo perdite vivant, fatentur ipsi quoque: quod perdant
seditiose omnia, quod optimis pessima sufficiant, à mul-

Digitized by Google

tis in eos dicitur, à me nihil aliud ſcriptum eſt, quam quod cum vetera novent, nihil tamen adferant melius. Quod ſolvant poteſtatem Principum, quanquam à me ſcriptum non eſt, tamen multis videbitur ab ipſis veriſſime dictum, ac pulchre quadrare in quoſdam, qui procaciſſime proſcindunt quoslibet Orbis Monarchas, qui nec Pontificem, nec Epiſcopos ſuos agnoſcunt, qui nec Cæſarem interim habent pro Cæſare. Ego nihil aliud ſcripſi, quam mihi videri quoſdam iſtorum moliri Democratiam. Quod plebem arment in optimos quoſque, non ex meis ſcriptis depromtum eſt, ſed ex ipſorum conſcientia. Quod nullis de cauſis procurrant ad arma, belle exaggerat, cum ego dixerim frivolis de cauſis: Quod foveant quoſdam impure viventes, perſpicuum eſt, nec ipſi inficiantur: Quod in bonos ſint meri *Phalarides*, à me nuſquam eſt ſcriptum, ſed faciebat ad *dinoſin* rhetoricam. Eos omnem abolere Religionem à plurimis dicitur, à me nuſquam eſt dictum. Certiſſimum exſpectari Paganiſmum, nuſquam in meis legitur: tantum dixi me vereri, ne ad hunc modum luxatis, & in dubium vocatis omnibus ſuccedat Paganiſmus. Quantum hîc in una *dinoſi* mendaciorum, quanta diritas, quantum ſeditionis excitandæ ſtudium? Ac toties recinit nobis illud *nos*, *nos*, quaſi quicquam horum ſcripſerimus in *Argentoratos*. Et ubi eſt iſta diritas in ſcriptis meis? Durius pene tracto meos, & illi ſilent, iſte vociferatur. Mire vero gravantur gratia & auctoritate mea, cum iſti pro ludo habeant conſpuere *Eraſmum*. Ægre habet hunc, quod hoc tempore prodierit Epiſtola mea, quo tractatur de perdendis Sectis: non prodiſſet, ſi me intactum reliquiſſent. Si fuit intempeſtiva purgatio mea, illi imputetur, qui bis inſperſit lutum. Appellat non ſolum litterarum, verum etiam omnis rectioris judicii hoſtes, qui meam Epiſtolam curarunt Germanice vertendam. At Magiſtratus, qui id me diſſuadente curavit, putat ſe hiſce titulis indignum. Belle vero me excuſant, quod hæc tam dira, tam luculenta mendacia non ex me confinxerim, ſed à vaniſſimis & perditiſſimis delatoribus ſtulta credulitate receperim, cum non narrem, niſi aut confeſſa, aut comperta, pleraque ab ejus Sectæ ſymmyſtis delata. Jam proferant vel unum Euangelicum, qui per me ſit periclitatus, cum ſint quibus caverim, quibus fortunulis meis ſim opitulatus.

Nec tamen ullum hic finem facit iterandi, dira, ſæva, cruenta, incredibili crudelitate conficta mendacia. In hominem nihil dicam, neque enim certo novi quis ſit, certe Liber hic vaniſſimus eſt, ſycophanticus & ſeditioſus, nec minus ſtultus quam indoctus. Audi mihi furioſum artificem: *Inceſſit* Eraſmus *ea quæ in tot jam Regionibus & Rebuspublicis, non per iſtos ſceleroſos Euangelii fucos, ſed per ſinceros ejus ſectatores, pientiſſimos Principes, graviſſimos Senatores, conſentiente & id optante ex plebe optimo quoque ad ipſiſſimum Dei verbum immutata ſunt. Taxantur nominatim* Tigurum, Baſilea, Argentoratum, *horumque Eccleſiaſtæ, quos nova Eccleſia Patriarchas, & novi Euangelii Epiſcopos vocat. Et hos ſolos*, inquit, qui ſcilicet *Chriſti* gloriæ ex animo ſtudent, *nos hîc defendere volumus*, &c. Seditioſe ſpiritus, ut paucis reſpondeam: Si mihi perſuaſum eſſet, vos omnes ſequi ſinceritatem Euangelii, jam eſſem in caſtris veſtris. Id non eſſe, ſat arguit veſtra inter vos diſſenſio. Et ſi perſuaſum haberem, quicquid mutatum eſt, ad ipſiſſimum Dei verbum novatum eſſe, non poſſem non probare. Atqui cum iſti nuſquam non inceſſant ea quæ tot ſeculis recepta ſunt, in quot pientiſſimos Principes, in quot graves Senatores, in quot Regiones, in quot Civitates, in quot hominum millia contumelioſi ſunt? Objiciunt nobis Euangelion, Chriſtum, Chriſti Spiritum, Scripturam, nihil horum Eccleſiæ Catholicæ deeſſe putamus. Sed ubi à me taxatur *Tigurum?* An quia ſcripſi amico, quam ſeditioſe *Zwinglius* rem gerit *Tiguri?* Ubi taxo *Baſileam?* an nominaſſe taxaſſe eſt? Nullam Rempublicam uſquam laceſſo, ſed nullam minus quam *Argentinenſem*, & tamen ingeruntur ad invidiam nomina Civitatum. Iſta ſcribunt, qui ſic abhorrent à ſeditione ut nemo magis. Eccleſiaſtas appello *nova Eccleſia Patriarchas*, & *novi Euangelii Epiſcopos*, ſed aliquanto civilius opinor his, qui eoſdem vocant Hæreſiarchas. Nam Epiſcopi vocabulum ipſi ſibi vendicant... An non novum adferunt Euangelion, qui ſecus interpretantur quam hactenus interpretata eſt Eccleſia? Anima Scripturæ ſententia eſt. Fruſtra conſentiunt in verbis, qui ſenſu diſſident. Nec poteſt ſubſiſtere novum, niſi ſubverſo vetere. Ubi tandem Eccleſiaſtas reos perago læſæ majeſtatis? Ita, ut ajunt, ſcripſi ad *Botzemum: Qui ſe venditant Euangelii titulo ſic ferme rem gerunt, ut vel ad nequitiam, vel ad opes, vel ad anarchiam, & quicquid libet audendi impunitam licentiam ſpectare videantur?* Quis non perſpicit hoc in Eccleſiaſtas non eſſe tortum, in quos citius cadat regni ſuſpicio, quam anarchiæ? In populum Euangelicum hæc dicta ſunt, nec in totum tamen, cum addam *ferme:* Poſtremo in Pſeudeuangelicos, quos & ipſi deteſtantur: id meus arguit ſermo, *qui ſe venditant Euangelii titulo.* Cur offendit ſinceros Euangelii præcones, nam tales videri volunt, quod in falſo nomine Euangelicos dictum eſt? Quis igitur erat locus querimoniæ de atrocibus & exitialibus calumniis in nos, & in nos intentatis? Toties enim illud *nos*, *nos*, audire cogor, cum nondum liqueat, quod animantium genus ſub illa lateat ſyllaba? Et ubi eſt illa temeraria ira, quæ mihi ſenſum humanitatis excuſſit. Sibi magis irati videntur, qui Principes in ſe irritant, nec id facere deſinunt. Qui nihil non torquet ad calumniam, qui nihil non tentat quod faciat ad ſeditionem, qui toties ſine cauſa repetit luculenta mendacia, atroces calumnias, injurias in Chriſtum, nunc dicit, cum fecerimus id tam ſimpliciter, tam candide. Et ne quid omittat homo ſimplex & candidus, profert & illud in medium, quod ſcripſi ad *Oecolampadium: Optimum erat hoc temporis ſtatu à vobis nec laudari, nec vituperari: quod ſi non queat obtineri, ſuggillari malim quam prædicari, præſertim noſter. Jam*, inquit, *cum certo ſciamus, nos eſſe Chriſti, non poſſumus quenquam ſolide laudare, niſi eundem noſtrum quoque faciamus.* Cujus ſint, neſcio, quid de illis pronuntiatum ſit, ſcio. Si hæc offertur conditio, non ambio ab illis ſolide laudari. Quod ſibi prædicant eſſe certum, apud me vehementer ambiguum eſt. Tandem ipſe fatetur, quod toto libro in me exagitat. *Cogimur*, inquit, *ſæpe non tam demirari quam deplorare, adeo parum Euangelici vigoris relucere in vita, cum datum ſit noſſe tam multa non infeliciter.* Atqui hoc ipſum eſt quod ego queror, paucos reſpondere titulo Euangelii. Sic celebrat ſuam civitatem, in qua ſcribit ac vivit. Quo ſpectet Magiſtratuum animus, novit Dominus. De his nunquam quicquam pronuntiavi. Perquam feſtivum illi videtur, quod veniam precatur, quod mihi non tribuit magnificos titulos, ſed tantum appellat ERASMVM, ſæpe majuſculis, ſubinde & Theologum contumeliæ cauſa nominans. Sed cur omiſit illos ſplendidos titulos? *Non conveniebat*, inquit, *ut cui adſcribamus tot luculenta mendacia, tot injurias in Chriſtum, eidem tribuamus honorificos titulos.* Quantum otii fuit huic nugoni tam frivola garrienti? Poſtremo excuſat infantiam ſuam, meamque prædicat eloquentiam inimitabilem. Quid habebat eloquentiæ extemporalis Epiſtola? Verùm cum hîc nihil omiſſum ſit artificii, tamen ita de ſe prædicat, *ſed viſum eſt Domino noſtra ut reliqua, ita & in hac parte humilia eſſe, & crucem referre, &, noſtra ſola veritate & afflatu Spiritus nituntur.* Id ſi verum credi volunt, alios libellos emittant oportet. Excuſans volumen prolixius, *non ſatis*, inquit, *perpenderamus* Eraſmi *Epiſtolam eſſe tam fœcundam criminum.* Imo nondum araneus ille ſuppeditarat venenum, ex Epiſtolis meis undique collectum, cujus emblemata quædam agnoſco: atque is, ni fallor, codicem unde collegit, mea emit pecunia. Si tanta quamlibet frivola excuſandi tenet iſtum ſedulitas, quin illud excuſat, quod profeſſus ſe reſponſurum ad Epiſtolam *Vulturio* ſcriptam, bonam voluminis partem

Digitized by Google

tem occupavit exaggerandis his, quæ *Vulturius* ex Epistolarum voluminibus decerpsit, quod nomina, quæ illic vel latebant, vel dissimulata fuerant, hic studiose explanat & inculcat, ut omnium calamos irritet in *Erasmum:* Quod librum mihi respondentem, scripsit ad *Frisios* Orientales, & Inferioris *Germaniæ* fratribus: Quod Epistola, qua se profitetur doctrinæ vitæque suæ velle rationem reddere, tot strophis, tot convitiis, tot mendaciis scatet? Eat nunc, & renumeret harum rerum catalogum, & comperiet in ipsum vere competere, quæ falso mihi impingit, luculenta mendacia. Recte fecerint, si quod pollicentur, præstiterint, si per bonam famam ac malam sic tueantur innocentiam suam, ut pudefacti obmutescant, qui nunc ipsis obtrectant. Veneram ad loquacissimi voluminis umbilicum, simulque putabam fucorum esse finem, verùm ut à fuco cœperat, ita in fucum desinit. Titulus Auctorem fecit incertum, finis nec Typographum indicat, nec locum excusi voluminis, quæ res arguit & hanc Editionem esse furtivam adversus Magistratus edicta, per eos qui nunquam non parent jussis Magistratuum. Adjectum est, *Argentorati* 21. Cal. Maji, An. 1530. ut lector parum attentus, ibi putet excusum, cum sit scripti voluminis titulus. Quanquam & hic sese prodit impostura: nullus enim est dies 21. Cal. Maji. Præclarum vero de libro suo præjudicium nobis prodiderunt, quem ipsi declarant Magistratui non fuisse placiturum. Id ni fuisset, utique civitatis nomen adscripsissent. Atque hinc liquet quam mala conscientia rem gerant, qui Magistratibus suis hîc diffidunt, quos habent causæ faventes. Jactant hunc librum facere ad promovendum Euangelium, atqui inter Magistratus sunt aliquot tam cordati, qui perspiciunt talibus scriptis impediri quod explicatum esse cupiunt, & abalienari quos vellent allici.

Hactenus ad Epistolæ Apologeticæ nænias. Quod reliquum est, obtestor vos, amici carissimi, ne qua falsæ religionis specie imponat simplicitati vestræ, ne quis vos effascinet, ut ab Ecclesiæ consortio recedatis, sed stantes in timore Dei, exspectate divinum oraculum per eos, penes quos Dominus Ecclesiæ gubernacula esse voluit. Non fugit illos, multa irrepsisse in usum Ecclesiæ, quæ prorsus amputanda sunt, multa quæ corrigenda, & huc incumbunt serio Monarchæ, ut turbata tranquillentur, depravata corrigantur, impia resecentur. Sunt permulta, quæ privato cujusque studio citra tumultum queant corrigi: sunt quibus peculiaribus plebiscitis liceat mederi. Velut festorum turbam Episcopi aut Magistratus possunt minuere, per eosdem sordidum hoc Sacrificulorum genus amoveri, Sacerdotum indecorus quæstus coerceri, vita recentior refrenari, tyrannis, si qua est, premi. Si cui non placet Monachorum vulgus, eligat è multis optimum quemque. Si totum displicet genus, suos quisque liberos & uxores ab illorum consortio contineat. Nemo cogitur ut illis donet, legetve quicquam. Si in sua quique parochia curent, ut sint idonei verbi divini dispensatores, excludentur Ordines Mendicantium nullo tumultu. Si Canonicorum collegia sese ad sacrarum studia Litterarum, vitæque puritatem convertant, magna invidia gravabunt Monachos impure viventes. Quin & ipsi Monachi sibi mederi possunt, si quod dicuntur, esse studeant. Jam quædam amore publicæ tranquillitatis facile remittent Præsules, velut obligationem jejuniorum ac ciborum interdictum, tametsi quid hæc gravent, non video. Cui nihil nocet piscium esus, utique non gravatur, imo voluptatis nonnihil habet varietas: cui per ætatem, inopiam, valetudinem, aut aliam quampiam ob causam, incommodum est jejunium, eum non obligat lex Pontificia. Cujus & animo & corpori conducit jejunium, cur se queritur gravatum? præsertim quando Ecclesia, translata in prandium cœna, multo tolerabilius reddidit jejunium. Si quis infirmo est animo, aut sibi ignotus est, consulat utrumque Medicum: si quis sibi notus, rectam habet conscientiam, sibi potest utrumque præstare Medicum. Qui non eget Pontificum indulgentiis, nemo cogitur assem dare: si quis opus habet, cur queritur? Si quis votis irretitus est, quæ præstare non potest, nisi prætermissis his quæ propius faciunt ad salutem, quærat solutionem nulli non paratam, minimoque parabilem. Qui non est irretitus, abstineat à votis. Tantum illud curæ sit, ne libertas quæratur carni. Confessionis onus, qua ratione sibi quisque possit reddere levius, in *Exomologesi* jam bis edita monstravimus. Et si quid de hac novandum, exspectetur Ecclesiæ vox. Postremo, si quis est firmiore conscientia, modo ne erronea, nec remordet animus, fruatur sua firmitate, ne turbet aliorum infirmitatem. De repurgando toto Ecclesiæ statu Principibus erit curæ, per quos res absque tumultu geri poterit. Vos interim manete in unitate corporis, non declinantes ad dextram, neque ad sinistram, diligenter caventes à quibusdam, quorum sermo blandus, sed pestilens, ut cancer serpit. Objicitur mala vita Sacerdotum, exaggeratur Pontificia tyrannis, attollitur Monachorum Phalarismus *, promittitur libertas spiritus, hæc esca est, sed sub ea videte, ne lateat uncus chalybs mortem allaturus. Quid autem stultius, quam sic odisse Sacerdotes, aut Monachos improbos, ut ipse te reddas illis deteriorem, nec illos tamen reddas meliores? Nullum enim est vitium hæresi aut schismate deterius. Congerantur in unum Sacerdotem, luxus, libido, ambitio, avaritia, & si quid præterea criminum est, totam hanc vitiorum lernam una superat hæresis. Nunquam tam bene fuit actum cum rebus mortalium, ut non multum fuerit querelarum, tum de Sacerdotum ac Principum, tum de populi moribus. Aliis temporibus alia vitia magis regnarunt, nullo tempore non fuerunt. Ita indignemur Sacerdotibus ut & illos & nos homines esse meminerimus. Quæ ferri non possunt, ea Principum auctoritate resecabuntur, multo efficacius quam per nescio quos imperitos medicos, qui malum dum sinistre medentur, nihil aliud quam exacerbant. Rectius hoc agat *Christus* per *Carolum* Imperatorem summa potentia, summa clementia, parique religione præditum. Hujus animo non defutura sunt *Germanorum* Principum auxilia. Plurimæque res nobis bonam spem porrigunt eodem incubiturum summi Pontificis animum, eam sui propositi significationem dedit. Non succedet Ecclesiæ correctio, nisi à summatibus oriatur. Id solus Pontifex ac Cæsar præstare valent, & hanc mentem illis indidit *Christus*, nisi nos fallunt omnia. Nos interim agentes superioris vitæ pœnitentiam, præparemus nos instanti regno Dei. Ne quid vos moveat quorundam præpropera ferocia, nec hic rerum tumultus ita perturbet, ut despondeatis animum. Graviores procellas olim & tulit & vicit Ecclesia. Sub *Arcadio* ac *Theodosio* Imperatoribus quam immedicabilibus dissidiis tumultuabatur Orbis, cum nihil usquam purum esset ab *Arianis*, *Origenistis*, *Donatistis*, *Circumcellionibus*, *Marcionistis*, *Manichæis*, *Anthropomorphitis*, *Pelagianis*, quæ pestes non uti nunc, intra populares homines sese continuerunt, sed ipsos Ecclesiarum antistites implacabilibus odiis committebant, nec ipsis Imperatorum aulis intactis. Habebat Imperator intra eadem mœnia, imo intra palatii muros, Paganos, *Arianos*, *Manichæos* & Orthodoxos, & tamen auctoritate prudentiaque sua inter tam inconditos rerum motus publicam tranquillitatem tueri potuit, citra cruentas pugnas: tot monstris paulatim repurgavit Orbem, Paganorum & hæreticorum templis, primum ademtis privilegiis, mox cum excitarent seditiones, sublatis è civitate templis, postremo funditus deletis sectis omnibus. Accedebant his malis, *Hunnorum*, *Wandalorum* & *Gothorum* incursiones. Quanto proclivius erit *Carolo* Cæsari hisce malis finem imponere, qui Reges omnes habet concordes, Principes morigeros, si pauciſſimos excipias, omnes, Episcopos omnes consentientes, tum Orbis partem multo maxi-

mam,

* Forsan, *Phariſaiſmus*, quamquam illud potest ferri.

mam, nec dubitandum est quin pro singulari vitæ pietate *Christum* quoque faventem habeat. Interim ne quis vos dimoveat à recto mentis statu, tantum orate Dominum, ut per famulos ac vicarios suos nobis tranquillitatem reddere dignetur. Apud *Friburgum Brisgoiæ* 1. Augusti, An. 1530.

FINIS.

DESIDERII ERASMI SPONGIA

ADVERSVS ADSPERGINES HVTTENI.

Erasmus Rot. eruditissimo Ulricho Zwinglio, apud inclytam Helvetiorum civitatem Thurregium concionatori, *S. D.*

QVONIAM *isthuc primum hinc allatum est venenum*, Zwingli *doctissime, visum est convenire, ut eodem primum iret antidotus, non quod metuam ne apud te aut ullos cordatos viros laederet existimationem meam* Huttenica *criminatio, sed ut his quoque mederer, qui vel mihi parum sunt æqui; vel naturæ vitio, libentius ea credunt quæ lædunt famam hominis, quam quæ commendant. Quis enim vir bonus, aut cordatus, non detestetur hoc exemplum, quod* Huttenus, *nec verbo, nec facto unquam læsus à me, sed sic toties etiam editis voluminibus à me prædicatus, ut nemo neque benignius aut candidius, neque crebrius, toties meis litteris apud Primates viros commendatus, subito velut ex insidiis talem Libellum emisit in amicum, etiam tum candidissime atque amantissime de ipso prædicantem, cum ista scriberet, nihil omnium minus suspicantem, quam ut ab* Hutteno *nasceretur aliquid tragœdiæ. Quid excogitari potuit alienius ab omni humanitate fideque* Germanica? *quid optatius aut gratius bonarum litterarum hostibus? quid ipsis bonis litteris incommodius? quid Euangelico negotio perniciosius, aut si libet etiam* Lutherano, *cui se jactat favere? Bellum indixerat Romanensibus, & amicum sincerissime amantem, nulla expostulatione præmissa, tam amarulento Libello inexspectantem aggreditur, ut in nullum hostem adhuc scripserit virulentius. Et interim auxit, ut audio, Libellum, quasi parum ibi fuisset veneni, nec videtur unquam facturus finem, posteaquam semel bellum indixit & Musis & Gratiis. Equidem non invideo illi* Helvetiorum *humanitatem, qui concedunt latebras, quo tutus sit interim ab his qui venantur illum ad supplicium. Sed tamen curandum est, ne sic abutatur* Helvetiorum *humanitate, ut apud eos tuto latitans, tales Libellos ejaculetur in capita quorumlibet de studiis publicis benemerentium, interim nec Pontifici parcens, nec Cæsari, nec* Germaniæ *Principibus, ac ne* Helvetiæ *quidem gentis integerrimis viris, quorum de numero est* Lodovicus Berus. *Hæc quoniam scribit apud* Helvetios *latitans, metuendum est, ne quid hinc olim invidiæ aut incommodi perveniat ad hanc gentem, quam optamus publica tranquillitate, cunctisque bonis esse florentissimam. Nihil autem facilius quam serere dissidia, cum difficillimum sit mederi malo semel nato. Bene vale.*

DESIDERII ERASMI PVRGATIO AD EXPOSTVLATIONEM VLRICI HVTTENI.

NVNC vicissim audi, si vacat, Rhetorem *Laconicum Asiano* respondentem, non breviter modo, verum etiam civiliter: tantum enim spongia detersurus sum, quæ ille in me adsperserit, nihil autem criminum aut convitiorum in adversarium regeram. Dabitur hoc vel amicitiæ pristinæ, vel meæ perpetuæ consuetudini. Scio, non fert contemtum *Hutteni* generosus animus. Proinde cum multos lacessierit antehac acidis Libellis, nec ullus illum hactenus responso dignatus sit, & hoc honoris feret à vetere amico. Precor autem, optime lector, ut hîc te mihi præbeas attentum. Neque enim te cupio testem modo hujus conflictationis, verum etiam cognitorem ac judicem. Hujus tragœdiæ proœmium hinc exstitit, quod *Huttenus* cum *Basileam* advenisset, non est admissus ad nostrum colloquium. Ac dictu mirum, quam atroces hinc conetur excitare tumultus. Sed hos fumos omnes discutiet veritatis simplex ac dilucida narratio. Verbum non affingetur. Res enim sic habet: *Henricus Epphendorpius*, qui quoties in hoc argumento mihi nominabitur, honoris causa nominabitur, primus obnuntiavit *Huttenum* esse *Basileæ*. Hoc statim exhilaratus nuntio, percunctari cœpi, quid valeret, ecquid tuta omnia, num faveret Magistratus, aliaque consimilia, quemadmodum solemus de his, quibus ex animo bene volumus. Certe id temporis *Hutteno* ex animo bene cupiebam, ut si quis alius. Ad cætera gratulatus, de sola valetudine dolebam, quam ajebat vehementer afflictam. Tandem rogabam *Epphendorpium*, placidis verbis persuaderet *Hutteno*, ut si nihil esset nisi vulgatis consalutatio, temperaret à congressu, quod ea res nihil esset illi commoditatis allatura, me gravatura esset invidia, jam plus satis gravatum. Cæterum à pristino meo in illum affectu nihil decessisse. Quod si qua in re officium meum desideraret, id fore promtissimum. Hoc se renuntiaturum recepit *Epphendorpius*, nec dubito, quin qua est civilitate præditus, commodius etiam retulerit, quam ego mandarim. Certe profitetur se quanta potuit civilitate meam orationem pertulisse. Ubi me revisit post unum atque alterum diem, rogo num boni consuluisset *Huttenus* meam colloquii deprecationem. Imo, inquit, suaviter arrisit, & in bonam partem interpretatus est. Rursus testificatus animum erga illum meum, officium defero, si quid à me præstari vellet *Huttenus*. Post dies aliquammultos, rogavi familiarius *Epphendorpium*, diceret ingenue, num *Huttenus* videretur eodem animo accipere deprecationem meam, quo ego facerem, & num quam animi offensi significationem daret. Negavit ille se quicquam tale in *Hutteno* deprehendere, sed abiturus adjecit: Fortassis, inquit, cuperet tecum colloqui. Roganti, num istud dixisset *Huttenus*, negavit, sed est fortassis, inquit, quod cuperet tecum colloqui. Tum ego: Quanquam, inquam, cupiebam invidiam defugere, tamen ea res non tanti est apud me, quin facile contemturus sim, si quid habet seriæ rei, quod mecum agat: aut si alioqui hæc res illi cordi est, si quo modo ferre possem hypocausta, ipse convenirem hominem. Ille fortassis ut est affectus, non potest abesse ab hypocaustis. Quod si potest ferre frigus hujus aulæ, libens cum illo confabulabor usque ad satietatem, & curabimus ut sit luculentus focus. Ad hoc respondit *Epphendorpius*, *Huttenum* corpore misere affecto semper versari in hypocaustis. Interea discedit

Hut-

Digitized by Google

Huttenus Milthuſium. Narrat *Epphendorpius*, quam feliciter elapſus eſſet è periculis. Ea res mihi voluptatem attulit. Teſtis enim eſſe poteſt *Epphendorpius* me id temporis etiam animo ſollicito fuiſſe, ne quid accideret *Hutteno* ſecus quam vellemus. Itaque cum eo rediturus eſſet *Epphendorpius*, oneravimus eum mandatis, admoneret *Huttenum*, ne ſecuritate ſua veniret in aliquod periculum, non enim deeſſe qui venarentur illum, haberet ſuſpecta omnia. Ediderat libellum quendam in Medicum hujus urbis, plane ridiculum. Mirabar apud *Epphendorpium*, unde illi in morbo, in tanta rerum anguſtia, tantum otii, ut luderet talibus libellis. Reſpondit illum talibus jocis avocare animum ſuum. Mallem, inquam, illum hac ætate ſibi deligere aliquod argumentum, in quo nervos omnes ingenii expediat, & per quod honeſti nominis memoriam tranſmittat ad poſteros. Reſpondit *Epphendorpius*, illum totum in hoc eſſe, ut ſtylum abſolveret. Hæc dum ego ſimplex & candidus amicus ſollicite verſo pro meo *Hutteno*, redit ab illo *Epphendorpius*, annuntians, *Huttenum* vehementer in me ſtomachari, & neſcio quid atrocis Libelli adverſum me habere in manibus. Ea res ut obtigit præter meritum & exſpectationem, novitate ipſa percelluit animum meum. Roganti quid eſſet cauſæ, reſpondit *Epphendorpius*, hoc urere illius animum, quod non eſſet admiſſus ad colloquium. Atqui, inquam, ajebas illum hoc boni conſulere. Verum, inquit, ſed poſteaquam abiit, mire cœpit offendi, nec videtur poſſe placari. Jam is rumor latius etiam ſpargebatur, adeo ut *Beatus* quoque *Rhenanus* ſollicitus adiret me. Is me permittente accerſit & *Epphendorpium*. Conſultatur de remedio. Reſpondi, me non poſſe præſtare, quid huic aut illi ſubito veniat in mentem. Mihi ſatis eſſe, quod animum præſtem, cui nemo merito poſſet iraſci. Nam quod ad colloquium attinet, tu ſcis, inquam, *Epphendorpi*, quam nullam habet in me ſtomachandi cauſam. Viſum eſt illis, ut *Huttenus* antequam prodiret Liber aliqua placaretur Epiſtola. Reſpondi, mihi videri optimum diſſimulare. Nam ejuſmodi ingenia tum maxime ferocire, ſi quis conetur placare. Cum illi conſentirent à me diſſentientes, ſcripſi *Hutteno*, meum animum nullius mali ſibi conſcium eſſe, ſi quid falſo delatum eſſet, aut alioqui ſuſpicaretur, expoſtularet privatim per Epiſtolam, me non dubitare, quin illi per omnia ſatisfacturus eſſem. Conſideraret interim an hoc quod moliretur, conduceret publicis ſtudiis, negotio Euangelico, ac rebus etiam ipſius, ut tum habebant. Non me mea fefellit opinio. Retulit *Epphendorpius* Epiſtolam atrociſſimam. Jam enim exiſtimabat, me hominem meticuloſum formidine tremere. Proponit aliquot capita criminum, quod *Capitonem Capnioni* in litteris Hebraicis prætulerim: quod ipſum *Huttenum* in Epiſtola ad *Hochſtratum* perſtrinxerim: quod *Capnioni* perfidiæ labem adſperſerim: quod Theologis *Lovanienſibus* & aliis nonnullis ſim blanditus. Denique quod ſubito deſciverim ab Euangelico negotio, & ad hujus ſubverſionem totum animum intenderim. Et interim promittit ſe Libellum intra triduum per famulum miſſurum. Atqui hujus exemplar, jam hîc per multorum manus verſatum, miſſum erat *Thurregium*, & populus mihi narrabat, quid *Huttenus* in me ſcripſiſſet. Reſpondeo per litteras ad capita, quæ primis litteris propoſuerat, multa monens, quæ non minus in rem ipſius erant, quam meam. Reſpondet paulo mitius, jam exſtincto *Franciſco Sichino*, & hanc fert conditionem, Librum jam eſſe miſſum Typographo, ut obticeſcerem: ita pacem atque etiam amicitiam fore inter nos, ſi vellem, ut antea. Tandem redditus eſt Libellus, nec obſignatus, nec obligatus. Eum premere cum jam nec ipſi *Hutteno* eſſet in manu, tamen erant qui ſerio agerent, ut miſſa etiam pecunia, ſi Superis placet, impetraretur ab *Hutteno* ne prodiret. Ego conſtantiſſime reſpondi: Optimum fuiſſe, Librum ejuſmodi nunquam ſcribi, cæterum poſteaquam jam ſparſus eſſet, & exiſſet auctoris manus, nihil eſſe melius, quam evulgari quamprimum typis. Et id me curaturum meo ſumtu pollicitus ſum, ſi volente fieret *Hutteno*. Interea commigrat *Thurregium Huttenus*. Inde ſcribit ut hoc factum in *Aten Homericam* rejiciamus, poſt hæc omnia prudentius acturum ſeſe. Præterea nihil actum eſt inter nos. Hæc omnia ſic habere, nemo poteſt eſſe teſtis magis idoneus, quam *Epphendorpius*, qui ex tot meis libris, ac familiaribus colloquiis, ſatis animadvertit, me purum amici animi affectum tum obtinuiſſe erga *Huttenum*, & à nullo minus ſuſpicatum hoſtilia exoritura, quam ab illo.

Ubi eſt igitur iſta inhumanitas, quam *Huttenus* verbis exaggerat? ubi contemtus tanti viri? ubi metus ſevæ illius expoſtulationis, quam ſuſtinere non potuiſſem? Blande rogavi, ne ſine cauſa gravaret amicum invidia, plus ſatis gravatum. Non detrectavi colloquium, ſi quid eſſet ſeriæ rei. Detuli amici officium, etiam uſque ad pecuniam, quam mea tenuitas impartire potuiſſet. Poſtremo obtuli colloquium, etiamſi nihil eſſet ſeriæ rei, modo ita ſederet animo illius. Delectus eſt huic negotio interpres gratioſus ac civili facundia, qui ſi quid etiam habuiſſet odii res ipſa, generoſus, cognatus & civilis interpres lenire potuiſſet. Liquet igitur, quam non ſuo loco dicta ſint illa toties *Hutteno*, *Repuliſti à colloquio.* Ego ut tum eram affectus, vel *Conſtantiam* uſque non gravatus fuiſſem adequitare, ſi ſenſiſſem hoc ſerio referre *Hutteni*, tantum abeſt ut à colloquio ſubmoturus fuerim. Tantum apud me valebat amicitia, quam ante complures annos Muſæ inter nos conciliarant, ac ſemel initam mutua quædam aluerant officia. Teſtantur hæc meæ Lucubrationes, quam non vulgariter adamarim ingenium & venam *Hutteni*: nam immodicam illam libertatem condonabam ætati, ac temporis progreſſu correctum iri ſperabam. Videbam in ejus ſcriptis amplam, ſplendidam ac paratam verborum ſupellectilem, naturæ ſatis, rationem, judicium & conſilium ſperabam ætate, uſu, ſtudioque acceſſura. Jam ſi quis conſideret, quo in ſtatu res meæ tum fuerint atque etiam nunc ſint, quo loco res *Hutteni*, nimirum prudentiam judicabit deprecari colloquium, quod alteri ſit otioſum, alteri oneroſum: & inhumanus videbitur non qui deprecatur, ſed qui deprecanti iraſcitur. Verùm urget me *Huttenus* meo teſtimonio, qui candorem illius prædicarim, quod neminem ſolitus ſit degravare invidia. Fateor à me prædicatam ingenuitatem *Hutteni*, qui cum cæteri libellos emitterent, aut nullis, aut fictis titulis, ipſe ſuo titulo addito, præter ſe neminem gravaret ſuſpicione. Quid iſtuc ad hanc cauſam? Si laudavi candorem in *Hutteno*, ea res illum movere debebat, ne hîc eſſet ſui diſſimilis. Si quis laudet vinum probum, an is poſt accuſabitur vanitatis, ſi contingat vinum aceſcere? Utinam hîc tantùm me vanum reddidiſſet *Huttenus*! *Ultro*, inquit, *abſtinuiſſem ab ea voluptate, quam nunquam non capio ex congreſſu tuo, ſi vidiſſem inde te gravandum invidia.* Hoc ſi ſponte ſua facturus erat, cum conſtet noſtrum colloquium invidia carere non potuiſſe, cur indignatur mihi, qui hoc tam civiliter admonuerim ut faceret, quod ille vel non monitus erat facturus? Quos inimicos habeat *Huttenus* non exquiro, nec mihi perinde ab illis invidiam metuo. Sed hic congreſſus permanaturus erat *Romam* ad Pontificem, in *Hiſpaniam* ad Cæſarem, in *Brabantiam*, ubi ſtrenuos habeo ſycophantas, in *Angliam*, ubi non deficiunt, qui me volentem nolentem faciant *Lutheranum*. Si paululum eſt veri, multa ſolent affingi. Hujuſmodi rumorum invidiam metuebam. Id ſatis perſpicere potuit *Huttenus* ex meis ad *Laurinum* litteris. *Quid opis*, inquit, *ſperes ab eo amico, in rebus afflictis, qui rebus adhuc integris, congreſſus invidiam detrectet?* Imo illi ſunt amici certiſſimi, qui ſe ſervare norunt integros occaſioni, ibi timentes periculum, ubi nihil commoditatis ſit amico: non enim nunc diſſero, quam illi res ſint integræ; certe optarim illi ſecundiores, modo ipſe ſibi ſumat animum fortuna meliore dignum: *Omnes*, inquit,

gratulantur Hutteno: *Magiſtratus alius ſuper alium reverenter adeunt, multi omnium ordinum quaſi certatim irruentes inviſunt, ſolus* Eraſmus *clauſum ſe domi tenet.* Quis unquam vidit *Eraſmum* brumæ tempore ſalutandi gratia prodire domo? Deinde non eſt meum elevare humanitatem Magiſtratuum hujus urbis, quam & ego non ſemel expertus ſum. Erat magnæ humanitatis, fateor, quod *Huttenum* admiſerunt, ſed majoris, quod dimiſerunt. Addam & illud laudis: Malunt hoc ſuum officium fileri, quam jactari: ea eſt illorum modeſtia. Utinam autem *Huttenus* ſic ſeſe gereret, ut bonorum humanitate perpetuo poſſet uti! Sed iidem qui permittebant hoſpitium, admonebant, temperaret à verbis unde tumultus aliquid naſci poſſet, multo minus approbaturi tales libellos. Verùm ſi qui ſunt, quos non gravat hæc invidia, cujuſmodi ſunt multi ignoti, aut tam potentes, ut poſſint contemnere, quid hoc ad me, qui vix ſubſiſto adverſus invidiam, nec habeo quo me tuear, niſi ſolam innocentiam? Deſinet autem mirari, me tantillum metuere invidiam, qua nulla peſtis nocentior, qui perpenderit, quod Card. *Moguntinus* pridem *Huttenum* è ſua familia dimiſerit, non ob aliud, niſi quod nollet per illum invidia degravari. *Franciſcus Sychenius* quo conſilio dimiſit *Huttenum* ab ſeſe, niſi quia vitabat invidiam? Qui *Hutteno* ſanguine conjunctiſſimi ſunt, cur malunt illum abeſſe à poſſeſſionibus paternis, niſi quod metuunt invidiam? Hæc cum nulli ſint obſcura, ſolus *Eraſmus* metuit invidiam. Non oportuit contemni, quem Reges ac Principes dignati ſunt alloquio ſuo. Per me ſane non minuetur majeſtas *Huttenici* nominis. Sed non contemnit, qui declinat invidiam, niſi forte contemno Regem *Gallorum*, qui me cupidus cupidum exſpectat, & ad ſalutem meam pertinebat eſſe in *Gallia*. Et tamen abſtinui, metuens invidiam, quod inter illum & Cæſarem nondum ſatis conveniat. Cum eſſem proxime *Brugis*, detrectavi colloquium Regis cujuſdam amantis mei, non quod contemnerem, ſed quod inde metuerem invidiam à *Romanenſibus*, quam tamen non potui prorſus effugere. Atque utinam *Huttenus* ita temperaſſet ſua conſilia, uti quemadmodum tum reſpectu Principis ſui, cujus negotium agebat, honorifice acceptus eſt apud *Gallos*, ita nunc quoque inter magnos haberetur gratioſus, poſſetque ab omnibus citra invidiam amari colique.

Jam vero mihi vide, quam odioſam cauſam comminiſcitur detrectati colloquii. Dicas Equitem eſſe natum non ad equitandum, ſed ad calumniandum. Sciebam ipſum, ut ait, quædam mecum expoſtulaturum, atque ideo mihi male conſcius, fugitabam illius alloquium. Unde tandem iſta nova *Hutteni* auctoritas, ut illum expoſtulantem, ſenex juvenem, ſuſtinere non potuerim? Unde repente ex *Hutteno* factus eſt *Cato Cenſorius?* Solet olim mecum loquens, reverentem quandam modeſtiam præ ſe ferre, quæ certe magis illius decebat ætatem, quam iſta linguæ calamique petulantia. Sed unde conjectare potui, quod haberet aliquid, quod mecum vellet expoſtulare? Cum eſſet *Sletſtadii* (ut ſcribit in ſuis ad me litteris) dederat hoc in mandatis *Beato Rhenano*, ut mihi ſignificaret, eſſe quod in me deſideraret *Huttenus*. Atqui *Beatus Rhenanus*, nec verbum ullum ſcripſit ad me ex *Sletſtadio*, nec huc reverſus, jam hinc profecto *Hutteno*, ſignificavit unquam ſibi fuiſſe colloquium cum *Hutteno*. Nec id omnino prius reſcivi, quam ex litteris *Huttenicis*, quas ad me dedit ex *Milthuſio*. Eas legenti mihi, forte fortuna aderat *Epphendorpius* & *Beatus*. Cum ventum eſſet ad eum locum: *Beate*, inquam, hîc tu vocaris in jus, opus eſt tibi patrono. Ibi *Beatus* ingenue faſſus eſt id quod res erat, ſe nihil unquam ſignificaſſe, & cur non feciſſet, rationem reddidit. Ac poſt otium rem omnem ſic nobis explicuit, ut cogerer hîc deſiderare ſimplicitatem illam *Germanicam* in *Hutteno*, qui hoc argumentum calliditate quadam affectarit, ut haberet quo calumniaretur meam conſcientiam. Neque enim *Beato* quicquam ſeorſum aut ſerio mandavit, aut ejuſmodi quod operæ pretium eſſet me ſcire. Tantum omnibus qui aderant audientibus ajebat, me non perinde favere *Luthero*, id interpretabatur metum, dicebatque ſe mihi animum additurum. Ac poſt ſimilia quædam mandavit illi, cum putaretur *Baſileam* repetiturus, nihil interim minitans, aut ullam ſignificationem dans ſtyli in me acuendi. Ac ne id quidem ſeorſum actum eſt, ſed in medio ſtrepitu ſimul ridentium ac nugantium congerronum. Atque interim honorificentiſſime de me loquebatur, ut *Beatum* nulla potuerit ſubire ſequturæ tragœdiæ ſuſpicio. Deinde cum negotia *Beatum* diutius remorarentur in patria, *Huttenus* quaſi liberans illum mandatis indicavit ſe mox *Baſileam* aditurum, mihique plus ſatis meticuloſo additurum animum. Ita conquievit *Beatus* nihil ſuſpicans oriturum mali. Nec oriturum erat, ſi contigiſſet colloqui. Decem verbis ſatisfeciſſem *Hutteni* ſtomacho. Certe *Beatus* aliquanto poſt reverſus eſt *Baſileam*, quam hinc diſceſſiſſet *Huttenus*. Is cum præſentibus aliquot amicis, quorum erat *Lodovicus Berus*, me ſalutaret, rogabat quomodo mihi conveniret cum *Hutteno*. Reſponſum eſt, optime. Atque ita tum mihi plane perſuaſum erat. Rurſum cum iterum me ſalutandi gratia conveniſſet, *Epphendorpius* exhibuit *Hutteni* ad ipſum litteras, in quibus mandabat, admoneret me ne inſectarer *Lutherum*, ſe quidem plurimum favere mihi, cæterum me non poſſe ipſo uti amico, niſi à *Luthero* impetendo temperarem. Cum autem id temporis nihil minus cogitarem, quam de *Luthero* ſcriptis impetendo, videbatur inter nos futura tranquillitas. Cum apud nos nihil interim eſſet ortum novæ rei, paulo poſt adfertur horribilis nuntius, *Huttenum* vehementer infenſum, ſcribere in *Eraſmum*.

Hæc pluribus commemoranda duxi, ut perſpicuum ſit me nec quicquam cognoviſſe ex *Beato*, neque de animo *Hutteni* offenſo quicquam potuiſſe ſuſpicari. Hoc igitur fundamento ſublato, corruit quicquid hîc calumniæ ſuperſtruit *Huttenus*. Cur non idem hæc mandavit hîc *Epphendorpio* Achati ſuo, quod illic mandarat *Beato?* At ille renuntiavit *Huttenum* ſereno tranquilloque eſſe in me animo. Quod ſi ego ſenſiſſem animum *Hutteni*, quem tum vere amabam, aliqua ſuſpicione exulceratum, nihil opus erat ambire colloquium, ipſe ultro vel congreſſu vel litteris naſcenti malo medicatus fuiſſem. Nam ea, de quibus volebat expoſtulare, quam ſint frivola, mox aperiam. Sed prodo conſcientiam inſinceram, quod in litteris ad *Laurinum* prætexto hypocauſtum fuiſſe in cauſa, quo minus congreſſi ſimus, velut amoliens à me crimen inhumanitatis. Imo ſoleo libenter in ſcriptis meis amicorum meminiſſe per occaſionem, cumque plures eſſent cauſæ cur detrectaſſem colloquium, ſolam in litteris edendis eam refero, quæ nihil haberet odii, tametſi *Huttenus* hanc odioſam vocat in quadam Epiſtola. Illud ſane ridiculum, quod frequenter obambulans, ut ait, præter domum meam, evocare conatus ſit me ad colloquium, nec me id fugiſſe. Scilicet ſoleo brumæ tempore obſidere ad feneſtram, proſpiciens ſi quis prætereat. Sed quid opus erat ſic elicere? Nunquam fere non patebat oſtium domus meæ, præter morem hujus urbis, licebat ingredi & poſtulare colloquium. Quod ſi fores erant occluſæ, licebat pulſare. At tu deprecabaris, inquit, colloquium. O novum pudorem! Utrum igitur verecundius erat, adire detrectantem colloquium, an mox ſcribere talem Libellum in amicum nihil ſuſpicantem? Debuerat ſaltem Epiſtola expoſtulare prius quam hanc occeptaret tragœdiam, cum tot ſcribat Epiſtolas. Solet hoſtibus miſſis fecialibus denuntiare bellum, & amicum inopinantem adoritur? At forſitan dicet ſe non nihil ſignificaſſe *Epphendorpio* de animo in me ſuo. Iſtud ego quî divinare potui, cum *Epphendorpius* conſtanter affirmaret apud me, ſe nullam alienioris animi notam deprehendere in *Hutteno?* Id eſſe verum ipſe *Epphendorpius* non negat, & frequenter profeſſus eſt, cum apud me, tum apud alios complures, quorum eſt *Beatus, Glareanus, Botzemus*, aliique nonnulli.

Vides

Digitized by Google

Vides igitur lector, quam hîc nihil à me commissum vel inciviliter, vel superbe, vel parum amice, vel ex mala conscientia. Nunc mihi finge aliquid admissum præter leges Gratiarum, cum fateatur me talem amicum, qualem vix habuit alium, cum fateatur meis laboribus etiam publice multum debere *Germaniam:* nonne prius oportebat expostulare quam talem edere libellum, quo nullum adhuc in quenquam scripsit virulentiorem, & interim expostulationem vocat. Atque in Epistola quadam mitissimam vocat pro rei atrocitate. Ubi nunc igitur illi communes amici, quibus dolet *Huttenum* repulsum à colloquio? cum *Epphendorpius* sciat non esse repulsum, & factum *Hutteni* improbet, quod ne possit inficiari *Huttenus*, ipse suis ad me litteris testatur.

Atque hactenus de detrectato colloquio. Nunc ad crimina veniendum est, quibus ille natura mitis *Hutteni* animus ad tantam sævitiam exasperatus sit. Ea videlicet oportet esse vehementer atrocia. Fatetur nostram amicitiam fuisse non vulgarem, fatetur me magnifice meritum ac mereri de publicis studiis. Atque hîc mihi plus tribuit quam agnosco. Sumit sibi primam laudem veritatis: ea decet *Germanum*. Non patitur abrogari sibi laudem humanitatis: ea decet litteratum. Negat sustinere se, ut à quoquam instigetur adversus amicum: decet hoc fortem ac prudentem Equitem. Nec puto illum ignorare, quam nihil sit tribuendum linguis delatricibus, per quas sæpenumero tota etiam regna subvertuntur. Nec fugit eum, quam ægre sit renuntiandum amicitiæ, præsertim quæ minime vulgaris fuit: quam non temere capienda sit adversus probatum amicum suspicio. Postremo quando morum quoque laudem sibi vindicat, non potest illum fugere, quid reverentiæ debeat juvenis seni, cano, amico, benemerito, & benemerenti. Quid enim nunc aliud ago, quam assiduis meis laboribus rem Euangelicam promoveo? Atrox igitur flagitium intercesserit oportet, quod compulerit *Huttenum* humanitatis antistitem, ut (violatis omnibus Gratiarum legibus, oblitum omnis meæ beneficentiæ pristinæ, spreta reverentia, quæ debebatur huic caniciei, quam ipsam magna ex parte debeo laboribus, quibus publicæ utilitati inservio, nulla præmissa expostulatione, quæ fieri solet inter publicos hostes, prius quam signa committantur) librum in *Erasmum* evulgarit, tot mendaciis, tot convitiis, tot amarulentiis undique scatentem? Non abrogo ipsi laudem veritatis, sed hoc indicat ipsa res, illi, cum hæc adornaret, suggestorem fuisse in consilio longe omnium vanissimum. Cæterum jam audiamus horrenda crimina, quibus dilutis, veniam ad illud omnium atrocissimum, si verum esset, quod ego prius stare solitus à parte Euangelica, nunc subito mutatus in diversum aggrediar totum Euangelium una cum *Christo* subvertere, cum hic ipse *Hutteni* libellus offenderit me toto pectore sudantem in provehendo negotio Euangelico, nec ab hoc studio conquieverim unquam in tantis rerum tumultibus ac discriminibus.

Primum igitur crimen illud est: Inter Epistolas meas exstat quædam ad *Jacobum Hochstratum*, cujus initium est: *Antehac legenti mihi*, quam si cui vacabit legere, protinus intelliget, quam sit impudens calumnia, quod intendit *Huttenus*. Expostulo enim illic cum *Hochstrato*, quod amarulentius quam deceat Theologum, insectaretur *Capnionem:* quod incomparabilem virum Comitem *à Nova Aquila* suis scriptis odiose perstrinxisset: quod me quoque in libro, quem adversus *Capnionem* scripsit *de Cabala*, præter occasionem ac meritum attigisset. Ad id, quod tum institueram, puto nihil argumentorum esse prætermissum. Sed offendit *Huttenum* quod illum appellem *R. Patrem*, quasi vero non in mediis etiam bellis Reges honorent sese solennibus titulis. Certe nullus tam fuit suspiciosus præter *Huttenum*, qui me judicaret ejusmodi titulis adulatum *Hochstrato*. Erant qui illum suspicarentur irrisum. Sed offendit serio, quod in eadem perstrinxerim ipsum, quod agens de Epistolis, quas *Capnion*, *Buschius*, Comes *à Nova Aquila*, & *Huttenus*, satis atroces scripserant in *Hochstratum*, hæc verba subjecerim: *Harum omnium amarulentiam nullo pacto ferre potuissem, nisi scripta ea prius legissem, quibus ad hanc intemperiem videbantur efferati.* Hactenus Epistolæ meæ verba recensui. Quis autem est usque adeo vel nullius, vel perversi judicii, ut non videat hæc mihi dicta ex affectu *Hochstrati*, cui haud dubie videbantur ea virulentissime scripta? Atque hoc ipsum quod *Hochstratus* mihi largitur, in ipsum retorqueo, qui suis scriptis causam dederit tam amarulentæ scriptioni. Ejusdem prudentiæ est, quod cum alicubi scribam me rei Theologicæ rudem, ac nullius judicii, rogat unde mihi hæc nova ruditas, aut non intelligens, aut certe dissimulans, hîc aliorum sermonem referri, non meum, quo tamen abutor ad colligendum id, quod adversus ipsos facit. Est autem hoc efficacissimum argumentandi genus, telum ab adversariis contortum, in ipsos retorquere. Hîc scio me clamabit *Huttenus* artificem. Imo hoc in arte dicitur consilium, quod qui non intelligit, ne velit videri facundus. Quod si ab hoc argumentandi genere nec *Christus*, nec Apostoli abstinuerunt, æquum est mihi dari veniam. Sed magis exulcerat animum illius, quod in eadem sequitur Epistola: *Eas igitur non simplici cum dolore legi, nunc illorum, nunc tuam vicem ingemiscens, subinde metuens, ne bonis & æquis viris, tam acerba convitia, non omnino in immerentem contorta viderentur.* Quid hîc stomachatur *Huttenus*? Significo bonis & æquis viris videri eas Epistolas non omnino in immerentem scriptas. Sed oblique dicis, inquit, & figurate. Verùm sic expediebat causæ quam agebam. At interim non habet quod queratur *Huttenus*. Neque enim ipsi impingo intemperiem aut vanitatem, sed accuso *Hochstratum*. Fortasse sic me volebat *Huttenus* scribere: *Spurcissima latrina, tun' audes viros heroas tuis merdosis libellis adspergere?* Forsitan sic decebat scribere *Huttenum*, at non decebat *Erasmum*. Si sanabilis erat *Hochstratus*, erat apta civilitas: sin erat insanabilis, magis illum apud bonos gravabat mea modestia, quam gravasset procacia. Cæterum cum is locus ad quatuor viros ex æquo pertineret, cur nec *Capnion* unquam offensus est, cujus Epistola mihi vere displicebat? non quod magnopere sollicitus essem, quid scriberetur in *Hochstratum*, sed quod dolerem optimum senem ad tantam animi perturbationem perductum, quantam illa præ se ferebat Epistola. Cur non est offensus *Buschius*? Nam Comes, vir emunctissimo judicio, delectatus est etiam illa Epistola, & gratias egit, quod nunquam fecit *Hochstratus*. Postremo cur *Huttenus* hac de re non expostulavit mecum, cum esset in *Brabantia*? jam enim volumen erat editum. Hoc cum ita perspicuum sit, ut vel cæco, quod ajunt, appareat, quorsum attinet ille verborum tumultus, quem hic excitat *Huttenus*, de sua leni moderataque scriptione, de mirabili illa veritate, cujus ubique tenacissimus est, de mea levitate ac simulatione? *Huttenus* me auctore non cœpit esse hostis *Hochstrato*. Jam enim Triumphum in eum scripserat antequam me vidisset, aut nosset. Hoc Carmen meo consilio pressit biennium. Et interim me de *Hochstrato* quam atrocissime loquentem facit. Arbitratur hoc artis esse.

Sed præstiterit antequam ad cætera crimina progrediar, paucis admonere lectorem, quibus in rebus tota hujus Libelli sita sit eloquentia. Sita est in assumtionibus, affictionibus, sermocinationibus, & exaggerationibus: nam convitia passim adspergit, condimenti vice. Assumtionem appello, cum ait exempli causa: ERASMVS *impingit* REVCHLINO *crimen perfidiæ.* In his mirum quam nihil habeat frontis. Nihilo plus habet in affingendis causis: *Dicet aliquis: Qua res commovit* Erasmum, *ut qui tantopere prædicarit* Reuchlinum, *subito mutatus, tam fœdam notam illius nomini studuerit inurere?* Hic affingit inhumanitatem & invidiam fuisse in causa, quod pati nequiverim, quosdam dicere *Reuchlinum* alterum esse *Germaniæ* oculum. Atqui quod assumis, aut per se constare debet, aut erat idoneis argumentis probandum,

dum, ſi velis bonum præſtare Rhetorem. Deinde cauſa debet eſſe talis, ut probabiliter competat in naturam ac mores hominis. Frequenter autem me loquentem facit, non qualia dixerim, ſed qualia in eo negotio dici poterant. Idque facit non ex vero, ſed ex ſuo commodo. Id fortaſſe licet vetuſtarum rerum Scriptoribus, veluti ſi quis ſcribat vitam *Alexandri* Magni. Cæterum in cauſa recenti, cujus tam multi teſtes eſſe poſſint, non eſt idem jus. Quanquam dum mihi attribuit orationem, parum meminit decori, quem ſplendidius ac magnificentius loquentem facit, quam ſoleam. Deinde nihil eſt tam frivolum, quod ille tragicis verbis non exaggeret, cum oporteat orationem, ut veſtem corpori, ſic rebus eſſe congruam. Hæc admonitio nonnihil lucis addet lectori in tota oratione. Ac primum in affingenda oratione, vide quid ſtatim aſſumat: Me laudare nunc *Hochſtratum*. Oſtendat quæſo locum ubi mihi laudatus ſit *Hochſtratus*. Certe illa Epiſtola, quam adulatricem vocat, & plena libertatis eſt, nec aculeis vacat. Nam quod illum alicubi non familiarem quidem, ſed veterem amicum appello, quis non intelligit ſubeſſe ironiam? Nunc ſermocinationem audiamus: *Tu ſolebas*, inquit, *qui hoc laudas ſcelus nunc, exclamare hunc eſſe ab iratis Superis immiſſam terris peſtem, quæ litteras ac ingenia conficiat. Hanc eſſe calamitoſam optimorum ſtudiorum vaſtitatem ac perniciem. Hoc immite omnis humanitatis exitium, hanc illam eſſe facem, qua illud exarſiſſet hoc tempore incendium, unde periculum ſit, ne conflagrent omnes recte ſtudioſi.* Quis non ſtatim intelligat hanc phraſim *Hutteni* eſſe, non *Eraſmi?* Ait me neminem non hortatum, ut ſtringeret calamum in *Hochſtratum*. Proferat unum, & vicerit. Nam illud prorſus artis rhetoricæ ſchema putat, quod humanitatis gratia nolit proferre Epiſtolas homicidas, videlicet ut plus relinquat in ſuſpicione. Non deprecor quin proferant, modo proferant omnes. Illæ convincent me nunquam fœderatum fuiſſe *Lutheranis*. Mihi in *Hochſtrato* jam olim diſplicuit animus ille ferox, infenſus bonis litteris, & concitandis tumultibus natus, gloriæ ſitiens ex aliorum malis collectæ. Nec amicitiam hominis unquam ambii, nec ſimultatem cum illo volui exercere, videlicet conſulens otio ſtudiorum meorum. Quid autem inhumanius quam hîc recenſere quid effutitum ſit in liberis compotationibus, aut confabulationibus amicorum, cujus nec meminit is qui dixit, nec hi qui referunt? Verùm ubi res agitur ſerio, tum apparet quid habeas animi. Scripſeram *Reuchlino*, etiam ante quam viderem, ut in *Hochſtratum* & illius ſodales moderatius inveheretur, non quod bene vellem *Hochſtrato*, ſed quod *Reuchlino*. Si *Capnion* omnia ſua ſolitus eſt effundere in ſinum *Hutteni*, non dubito quin & has Epiſtolas oſtenderit. Cum Comes *à Nova Aquila* me litteris conſuleret, an deberet ſimultatem remittere *Hochſtrato*, hoc tum promiſſa palinodia ambienti, dedi conſilium ut animo Chriſtiano remitteret injuriam. Atque is, cum me virulentiſſime impetiſſet *Leus*, meum mihi conſilium ingeſſit, admonens, ut quod ipſe meo ſuaſu feciſſet in *Hochſtrato*, nunc facerem in *Leo*. Hæc Epiſtolis doceri poſſunt. Cum *Buſchius* eſſet editurus Opus, cui titulum vertit, *Vallum humanitatis*, admonui hominem, moderaretur ſtyli acerbitatem. Moderatus eſt, & liber legitur citra offenſam à doctis. Talia ſunt mea conſilia, cum res agitur ſerio. Nunquam non hortatus ſum ad moderatiora. In conviviis aut confabulationibus amicorum nugor, quicquid in buccam venit, ſæpe liberius quam expedit. *Et hoc mihi vitium eſt maximum*, ut ait *Terentianus* ille *Parmeno*. Quis autem non exiſtimet ex omnium hominum confortio deturbandum, ſi ego nunc rebus exulceratis proferre velim, quæ amici liberis Epiſtolis ad me perſcripſerunt, aut mea fide freti apud me effutierunt, etiamſi ex amicis facti eſſent inimici? Cum *Huttenus* nobis narraret ſe indixiſſe bellum *Romanenſibus*, rogabam ludens, quid faceret Prædicatoribus? Reſpondit arridens, & illos fore *Romanenſes*. Dein in conviviis inde rogabam, quando penderet *Hochſtratus?* Reſpondit hoc ſe brevi curaturum. Sed hæc dicebantur his vultibus, ut nemo non intelligeret utrumque noſtrum jocari. Jam vero quorſum attinet exaggerare, me, dum capto unius gratiam, ipſum in omnium odium pertrahere? Arbitror ex meis ſcriptis aliquid honeſti nominis ac favoris acceſſiſſe *Hutteno*, odii ne micam quidem. An ideo venit in odium omnium, quod memini quatuor Epiſtolarum? At eas jam evulgarant ipſi. Sed fingat me pluſquam hoſtili animo fuiſſe in *Hochſtratum*, & fingat poſtea cum illo rediſſe in gratiam, quid hoc ad *Huttenum?* An ego tale fœdus cum *Hutteno* unquam inii, quale ſolent Reges, ne cum quoquam jungerem amicitiam, qui cum ipſo haberet bellum? Liberum eſt *Hutteno* amare, quos ego non amo, & odiſſe quos ego diligo. Idem jus æquum eſt & mihi concedi. Chriſtianum eſt cum nullo mortalium habere ſimultatem, humanum eſt, eam, ſi incidat, civiliter exercere, & cum primum licet deponere. Et tamen nec uſquam aſſentor *Hochſtrato*, nec amicitiam cum illo ſarſi, nec *Huttenum* ullo pacto gravavi aut læſi. Atque hic, ſi Muſis placet, judicavit tempeſtivum tractare locum communem de non ſimulando in amicitia, quaſi violetur amicitia, ſi *Hochſtratum* oblique tractem. Cur non eadem opera reprehendit & *Zopyrum*, quod non ſimpliciter ſe geſſerit apud *Babylonios?*

Jam vero crimen crimini, velut linum lino, connectit. In Epiſtola ad *Laurinum* nuper edita, narro per quoſdam rumorem fuiſſe ſparſum, *Hochſtratum* in *Brabantia* exuſſiſſe libros meos. Id interpretor factum ab his, qui hac techna conarentur me provocare, ut palam inveherer in *Hochſtratum*. Ac ne lædam omnes qui favent *Luthero*, addo me neſcire quo nomine debeam eos appellare, à nonnullis vocari *Lutheranos*. Sunt enim qui hoc nomine commendantur, cum nihil minus ſint quam *Lutherani*, factioſi, indocti, ſtupidi, malæ vitæ, obtrectatores, nihil habentes *Lutheri*, niſi quod maledicunt Pontifici Romano. Hoc totum *Huttenus* vult à me confictum eſſe, ut in *Lutheranos* pugnum iracundum ſtringerem. Atqui quid dicet *Huttenus*, ſi hîc proferam centum teſtes, qui doceant eum rumorem huc non ſemel allatum? quid ſi proferam Epiſtolas amicorum, qui hoc ad me & alios item perſcripſerunt? Perfricabit frontem, ſi quid tamen illi frontis eſt. Quid enim aliud poſſit? Tametſi ſolus ego illi rumori nunquam credidi, quod tale nihil ſcriberetur è *Brabantia*, etiamſi non ignorabam quid ille vellet, ſi licuiſſet quicquid volebat. Annectit hîc *Huttenus* veterem fabulam, quod ante annos ſeptem *Hochſtratus* minatus ſit, ſe aggreſſurum me, ſi confeciſſet *Capnionem*. Nec aliud in mora fuiſſe, quam amicorum in tuendo *Capnione* induſtriam. Ut hoc verum ſit, quid ad cauſam præſentem? An mihi perſuadere vult *Huttenus*, quod mihi male voluerit ac velit *Hochſtratus?* Ad id vero opus fuerit longa diuque meditata oratione. An contendit rumorem nuper ſparſum fuiſſe verum? At res docet fuiſſe vaniſſimum. Sed increſcunt undæ criminum. Epiſtolis Obſcurorum Virorum primum applauſi, mox metu territus, Epiſtolam *Coloniam* miſi, qua ſignificabam mihi diſplicere tales libellos. Accipe nunc rem, optime lector, & intellige *Huttenicum* artificium. Nactus eram unam Epiſtolam manu deſcriptam *de convivio Magiſtrorum*, quæ nihil haberet præter innoxium jocum, & ferebatur *Hutteni*. Hæc mihi maximæ voluptati fuit, ac toties inter amicos lecta eſt, ut propemodum hæreret memoriæ. *Baſileam* reverſus, cum mihi periſſet ſcriptum, ex memoria dictavi *Beato Rhenano*, ſcribens interim amicis *Hutteni*, ut mihi eam mitterent, quemadmodum erat ſcripta. Hoc ita factum eſſe, ingenue fateor. Sed quid hîc eſt peccati, ſi delectatus ſum Epiſtola, quæ feſtivitatem habebat cum nullius infamia conjunctam? Aliquanto poſt prodiit Libellus excuſus habens complures

Epi-

Digitized by Google

Epiſtolas famoſas, obſcœnas ac virulentas. Legebatur Libellus nobis quoque ridentibus, ſed tamen frequens eruditorum ſodalitas, quæ tum verſabatur in ædibus *Frobenii*, teſtabitur me tum probaſſe feſtivitatem in multis Epiſtolis, ſed damnaſſe exemplum, viciſſim aliunde in alios recurſurum. Nec unquam aliter probavi eum Libellum. Traducebatur illic *Reuchlinus* hæreticus joco, ſed tamen traducebatur. Et arbitror nec ipſum eo Libello delectatum. Ubi rediſſem in *Brabantiam*, ſenſi pleroſque confirmare meum eſſe commentum. Equidem non ignorabam Auctores, nam tres fuiſſe ferebantur. In neminem derivavi ullam ſuſpicionem. Tantum Epiſtola miſſa ad *Cæſarium*, ſuſpicionem falſam à me depuli. Ea Epiſtola furtim deſcripta *Coloniæ*, mox excuſa eſt typis. Quid hîc eſt admiſſum flagitii? Res mihi vere diſplicebat: falſam ſuſpicionem à me depuli, nemine notato. Succeſſit mox alter Libellus ſimilis. Eum mihi *Lovanii* dono oblatum, accipere recuſavi. Recuſavi & Dialogos ſimiles ferme poſt excuſos *Coloniæ*; nec unquam legere dignatus ſum. Et ideo damnabam hæc, quod viderem nihil aliud his rebus effici, niſi quod bonæ litteræ & cauſa *Capnionis* vocaretur in odium, & hoſtes exacerbarentur magis, quam opprimerentur. Quænam fuit hîc imbecillitas mea, aut inconſtantia? Exiit ante biennium Dialogus, cui titulus, ni fallor, *Hochſtratus ovans*, qui videri poterat in gratiam meam ſcriptus. Nonne conſtanter & palam illum damnavi, ac modis omnibus egi ut premeretur? Hæc à me non fingi ſibi conſcius eſt, & qui ſcripſit Dialogum, & qui illi fuit in conſilio.

Ecce autem aliud crimen atrocius: In Epiſtola quadam ſcribo *Capitonem* in litteris Hebraicis doctiorem *Reuchlino*. Deum immortalem! quantas hîc excitat tragœdias *Huttenus*, perinde quaſi hominem veneno necaſſem! Conſtat *Capnionem* principem fuiſſe litteraturæ Hebraicæ apud *Germanos* inſtaurandæ. An illi dedecoroſum fuerit, ſi quis ſuccedat eo doctior? Ego magis glorioſum arbitror. Utinam ſex millia ſuccedant, qui me omni laudis genere præcurrant, etiam ſuperſtitem. An læſus eſt *Capnion*, ſi, cum illum in arce gloriæ collocarim, *Capitonem* illi præferam, in litteris duntaxat Hebraicis? Sed obſcuriſſimum, inquit, hominem, clariſſimo comparas. Nec tum erat obſcurus *Capito*, ſed lucubratiunculis ſuis nobilis erat apud eruditos. Et ſi fuiſſet obſcurior, tanto magis erat candida prædicatione in lucem proferendus. Ita tum ſenſi de *Capitone*, nec ſine cauſa ſenſi. Quid ſi judicio meo ſubſcribunt etiam nunc, qui callent eas litteras? Habes lector impudentem aſſumtionem, nunc vide quas cauſas affingat tanti criminis. Urebar gloria *Capnionis*, quod nonnulli mecum illi locum dabant, ut pariter Linguas provehenti: nonnulli alterum *Germaniæ* oculum vocitabant. Ego qui tanto ſtudio ſemper favi Linguis ac bonis litteris, ferre non poteram hominem idem agentem, quod agebam, præſertim amicum? Porro quod ſcribit de altero *Germaniæ* oculo, non potui fateor abſque riſu legere. Itane mihi ſtudio fuit, excluſo *Capnione*, *Germaniam* luſcam reddere? Quis neſcit me *Capnioni* candidiſſime ſimul & conſtantiſſime faviſſe? Ego teſtimonio omnium, quibuſcum familiariter vixi, non dubitarim mores meos ſic à livoris morbo aſſerere, ut à nullo vitio magis abſim. Audi nunc alteram affictionem æque effrontem. Ideo tantum tribuo *Capitoni*, quod laudarit meum Novum Teſtamentum, quemadmodum fecit & *Berus*. Ut diverſiſſima connectit, imo ideo cito *Beri* & *Capitonis* Theologorum de Novo Teſtamento judicium, ut Theologorum clamores retunderem, qui nihil volebant legi niſi ab ipſis probatum. Si legi debet, quod ſuffragio Theologorum probatum eſt, hoc Opus erat à Theologis non vulgaribus probatum, quod *Lovanienſes* Theologi damnabant. Itaque nihil impudentius erat aut intempeſtivius iis, quæ declamat de alienæ gloriæ obtrectatione.

Nunc vero veniendum ad illud crimen, horrendum & atrox: cujus *Huttenus* negat ſe unquam mihi gratiam facturum, cum ſit alioqui clementiſſimus. Ipſe horret dicere. In Epiſtola quadam ad Epiſcopum *Roffenſem*, *Capnionem* inſimulo perfidiæ. In tam atroci facinore, operæ pretium eſt ipſa Epiſtolæ meæ verba ſubſcribere: *Cauſa, ſi vera narrant, hæc fuit, cum periculum eſſet ne Dux* Wirtembergenſis Studgardiam *reciperet*, Reuchlinus *civibus aliquot erat auctor, ut alio demigrarent, ipſe comes illis futurus. Profugerant illi.* Reuchlinus *mutato conſilio manſit, ſuæ ſupellectili conſulens. Deinde rurſus profligato Duce, per quoſdam amicos impetratum, ne victor exercitus ſæviret in domum* Reuchlini: *ſed cives illi, quos fefellerat, reverſi exhibebant ſeni negotium. Nunc omnia ſua eduxit ſalva, &* Ingolſtadii *tranquillam agit vitam.* Hactenus Epiſtolæ verba recenſui. Nunc rem, ut habet, paucis accipe lector. Primum quam amico animo fuerim in *Reuchlinum*, non modo teſtes ſunt meæ Lucubrationes, verum etiam omnes, quibuſcum familiariter vixi. Ante complures annos, cum *Capnion* urgeretur à ſycophantis ſuis, ſcripſit ad me tum agentem in *Anglia*, ut conciliatis aliquot amicis, innocentiæ ſuæ patrocinium ſuſciperem. Hîc plus præſtiti, quam rogabar: neque enim ſolum illic multos adduxi in amorem illius, verum etiam *Romæ* Cardinalibus aliquot illius cauſam commendavi. Inter eos autem, quos illi conciliaram apud *Anglos*, præcipuus eſt R. P. *Joannes* Epiſcopus *Roffenſis*. Is enim pene deperibat in *Capnionem*, tam magnifice de illo ſentiens, ut me præ illo putaret nihil ſcire, captaritque occaſionem relinquendæ *Britanniæ*, ut cum *Capnione*, velut oraculo rerum omnium reconditarum, poſſit colloqui. Hunc hominis affectum, ut excitaram, ita ſemper alui, nihil offenſus quod *Capnion* apud hunc obſcuraret opinionem meam, imo gaudens quod talem virum haberet ſibi tam addictum. Conſulebat me *Roffenſis* de honorario munere mittendo. Qua quidem in re quam inviderim *Reuchlino*, ipſe teſtis optimus eſſe poterat. De *Roffenſis* igitur favore frequenter ſcripſi *Capnioni*, cupiens animum illius aliquo ſolatio ſublevare. Rurſum ſi quid eſſet de rebus *Capnionis*, curabam ut ſciret Epiſcopus, quod ſcirem hæc illi fore gratiſſima. His itaque litteris, quibus eſt offenſus *Huttenus*, ſignificabam illi, & in quo periculo fuiſſet *Capnion*, & in quam tranquillo ſtatu nunc eſſet. Tum uti ſciret quo mittendum eſſet, ſi quid ad illum vellet mittere. Cæterum de perfidiæ crimine illi impingendo, ne ſomniatum quidem eſt unquam. Neque enim fallere ſemper eſt perfidiæ, ſed fallebat etiam ille, qui amici ægrotantis cervicali clam ſuppoſuit aurum. Et fallit amicus, qui inexſpectatus obrepit. Quod ſi voluiſſem illum inſimulare perfidiæ, non adjeciſſem, *mutato conſilio*. Neque vero ſtatim perfidus eſt, qui mutat conſilium, quandoquidem huc ſæpe cogit neceſſitas, ſæpe rationes ejuſmodi, ut ſtultitia ſit non mutare. Fruſtra igitur hîc verbis tragicis in me detonat *Huttenus*, cum quod aſſumit, etiam me non refellente falſiſſimum ſit. Quis autem unquam hunc locum ſic interpretatus eſt, præter unum *Huttenum*? Quod ſi quid tale cogitaſſem, hoc videlicet ſcriberem illi viro, quo nullum habebat *Reuchlinus* ſui amantiorem? Edita eſt Epiſtola *Reuchlino* vivo, ſed morti, inquit, vicino. Quî potui divinare quam diu victurus eſſet *Reuchlinus*? Ego certe, ut erat vivida vegetaque ſenecta, ſperabam illum nobis diu ſuperſtitem futurum, atque utinam eſſet! Mortuum Apotheoſi juventutis affectibus commendavi, & morituro volui perfidiæ notam inurere, nihil veritus illius expoſtulationem? Hîc *Huttenus* requirit teſtes, auctores, probationes, breviter omnem ſtrepitum tribunalium. Jure requirat, ſi deferam amicum. Nunc nihil minus. Rei geſtæ ſimplex & amica narratio eſt, in quo non ſumam multum operæ, cum ipſa res per ſe liqueat. Atque hîc mihi *Huttenus* confictis auctoribus conatus ſuſpicionem impingere, quaſi non acceperim hoc ex aliis, ſed ex me confinxerim, quo labem adſpergerem *Reuchlino*.

lino. Quæso te, lector, quid est tam malitiosum aut perversum, quod iste non quavis de causa impingat amico? Atqui quod scribo *Roffensi*, mihi *Lovanii* retulit doctor *Joannes Salius*, cum illic adesset *Carolus* Cæsar. Eum virum hoc pluris faciebam, quod benevolentiam non vulgarem erga *Reuchlinum* præ se ferebat, & quædam sua in illum officia commemorabat. Denique cum hæc Epistola cum plerisque cæteris sit excusa *Basileæ*, me tum agente in *Brabantia*, cur non mutata est, si suggillabat *Reuchlinum?* Certe jus feceram quibusdam doctis amicis, ut mutarent quæcunque vellent. Cur ipse non mutabas, inquiet? Quia nihil mali suspicabar. Cur igitur aliis mandabas? Quia melius norant affectus *Germaniæ*, & ex re præsenti facilius erat illis judicare, quam mihi. Cur igitur hic nihil mutarunt amici? Quia non habebant oculos *Hutteni*, qui animum induxit, nihil non calumniari in *Erasmo*, & hinc sibi laudem sperat maximam. Cur scribis, inquit, de quo dubitas? Quia potuit ipse *Salius* alicubi falli. Quid autem istud referebat ad famam *Capnionis*, an verum esset nec ne, quod scribebam? Porro quia non dubitabat admiraturos omnes, cur ego sic amato, sic prædicato *Reuchlino* male vellem, affingit causas, inhumanitatem & invidiam. Atqui cur non potius Duumviro, Consiliario Cæsaris, ac re famaque florenti invidebam, quam lapso, jamque ex Consule facto Rhetori? Quam hæc illi dure, parumque ex arte conficta sunt?

Hic mihi reputes velim, candide lector, quid frontis habet *Huttenus*, qui tam indignatur aliquid labis adspergi amico, cum ipse temere, nihil non criminis confingat in amicum. Etenim posteaquam in hac causa vanissima, digna atque indigna debacchatus esset in me, tali transitu pergit ad cætera crimina: *Ut videas*, inquit, *scire nos & intelligere, quam decreveris omnia perverse agere, qui & benemeritos odiose insectaris, & quos habes infestissimos, fœda ubique adulatione palpes.* Atque hic me rursus suo arbitratu loquentem facit, de duabus Academiis *Lovaniensi* & *Coloniensi*, sed sic ut quicunque legerit, illico phrasim agnoscat *Huttenicam*, hoc est, tragicam. Hæc porro summa criminis est. Cum duas illas Academias in colloquiis amicorum magnopere damnarim, nunc in Epistolis honorifice de eis loquor. Quid ego audio? An unquam cum ulla Academia mihi bellum fuit? An ideo non est florentissima Academia *Lovaniensis*, quod illic aliquot stolidi pugnent adversus bonas litteras? An non habeo & *Colonia* multos qui mihi bene volunt, & qui favent melioribus studiis? Quando unquam probavi malos? Bonos vero cur debeam incessere? Hoc vero nugamentum vide quibus verbis exaggerat: *Tu*, inquit, *conversus blandissime illis commendas te, laudandoque Academias illas, pene* Athenis *prefers, nostram taxas audaciam, qui illos ibi* Platones *&* Theophrastos *inceßiverimus.* Quis non videt hanc grandiloquentiam ad rem minime respondere? Suspicor *Huttenum* hic offensum Epistola, quam scribo Theologis *Lovaniensibus*, respondens ad quosdam articulos, quos ut hæreticos præter causam odiosissime fuerat insectatus *Nicolaus Ecmondanus.* Illic in titulo voco illos *Fratres honorandos*, & in alia quadam appello eos *Patres reverendos*, & *Dominos plurimum observandos.* Sunt etiam inter illos, qui bene volunt *Erasmo*, sunt quibus displiceant mores *Ecmondani*, ac *Vincentii.* Sunt & sanabiles quidam. Primum ridiculum est, criminis loco objicere titulos solennes, quos, ut diximus, in mediis bellis hostis tribuit hosti. Deinde causam meam ago apud illos. Quid hoc ad *Huttenum?* Quid autem stultius, quam eos contumeliose appellare, quibus studeas probari causam tuam? Porro quid iniquius, quam totum Ordinem lædere, cum is non mereatur? Sed finge omnes esse inimicos. Certe civilitatis ac prudentiæ est, quam pauciissimos lædere. Nam fieri potest, ut cæteri, aut fiant amici, aut mitius sint inimici. Equidem non dissimulabo me cupere pacem si fieri possit, non solum cum *Lovaniensibus* Theologis, verum etiam cum universis *Prædicatoribus.* Jam quod vociferatur me post excitatum incendium blandiri hostibus, quodque in illorum gratiam, nunc hunc, nunc illum ex amicis arripiam, quam sit falsum mox aperiam. Nunc enim crimina persequor.

Audi nunc aliud argumentum inconstantiæ meæ, ut putat *Huttenus*, sed revera ipsius impudentiæ. Ait me multum dissensisse à Scholis *Colonienſi* & *Lovanienſi*, cum *Sentimento* suo damnarent aliquot articulos *Lutheri*, nunc idem probare, quod prius damnaram, propterea quod in Epistola quadam ad *Lovanienses* Theologos jactem me disputationibus illorum adversus *Lutherum* constantissime favisse. Hic mihi te quæso, lector, animadverte malitiosum in *Hutteno* omnia calumniandi studium. Articulos illos nec probavi, nec improbavi unquam. Nolebam enim gratificari quibusdam ansa præbita quam captabant. Provocatus à me coram Rectore *Ecmondanus*, ut proferret vel unum articulum, quem ego in *Luthero* vel inter pocula defendissem, cum nihil haberet quod diceret, protulit locum ex Epistola ad Cardinalem *Moguntinum*, de Confessione. Illic ajo *Ecmondanum* publice damnasse, quod non intellexerat. Atqui hoc non est defendere, quod scripsit *Lutherus*, sed illius impudentiam prodere, qui non intellecta re vociferatus sit apud populum. At post faveo illorum disputationibus. Quid hoc ad *Sentimentum?* Nec enim illic disputant, sed pronuntiant: nec docent, sed damnant. Seditiosas illas vociferationes apud populum, in quibus multa palam mentiebantur, semper improbavi, & hortatus sum eos, ut illis omissis, argumentis revincerent *Lutherum*, &, si ille erraret, docerent meliora. Id postea fieri cœptum est ab illis satis moderate. Hoc à me probatum est. Quod in illis disputationibus assumunt, à me nec probatum est, nec improbatum. Hoc tantum probavi, quod omissis clamoribus furiosis disputarent ac docerent. Id *Huttenus* sic interpretatur, quasi quicquid in disputando illi definierunt adversus *Lutherum*, approbarim. Et prius falsum assumserat, me magnopere probasse quicquid illi in suis censuris damnarant. Eamus nunc ac negemus *Hutteno* esse ingenium ad depravandum bene dicta. Simile quiddam adfert de Ordine *Prædicatorum*, in quem cum prius fuerim hostili animo, nunc persuadere coner, nunquam me male voluisse illi sodalitio. Nunquam sic insanivi ut ulli Ordini male voluerim, id quod ubique testificor verbis, & re præsto. Si ideo fas est odisse omnes *Prædicatores*, quod is Ordo multos habeat malos, omnes Ordines oportet odisse, cum nullus sit qui non habeat complures malos. Denique Christianos omnes oportebit odisse, quod plures sint inter hos mali quam boni. Nihil est igitur hic inconstantiæ, sed quod perpetuo sensi, id scriptis ac factis declaro. Utrum autem est humanius, Ordinem totum odisse propter malos admixtos, an Ordini favere propter bonos admixtos? Habet Ordo *Prædicatorum* aliquot, qui & *Erasmo* bene velint, ac bonis litteris simul & Euangelico negotio faveant. Nisi omnibus amicis semper auctor fui, ne læderent Ordinem ullum, ne Gentem ullam, evincet *Huttenus* me in totum *Prædicatorum* Ordinem hostili fuisse animo. Similem inconstantiam objicit erga Curiam Romanam, de qua cum ante tam atrociter loquutus sim, quam me *Huttenus* inimice loquentem facere potuit, nunc miris laudibus illam efferam. *Nunc*, inquit, *sancta est illa & Catholica Ecclesia, ibi candore lilia vincunt homines, ubi quicquid improbißimus quisque Curtisanus loquitur rosa est.* Hæc quid aliud declarant, quam insignem impudentiam *Hutteni*? Vitam *Romanensium* quis unquam probavit? Ecclesiam autem quis damnat? Opinor & illic esse, qui bene sentiant de Christo. Quis unquam dixit rosam esse, quod improbissimus quisque *Curtisanus* loquatur? An non hæc sunt hominis intemperanter abutentis calamo, neque quicquam habentis pensi, quid in quem scribat? Sed quoniam hoc crimen

men in ſuum locum differre mavult, nos quoque ſuo loco reſpondebimus.

Interim ad *Aleandrum*, de quo notat inconſtantiam meam, quod cum prius inimica de illo prædicarim, poſt honorifice meminerim illius in litteris. Hîc primum illud conſtat, me nunquam de *Aleandro* colloquutum cum *Hutteno*. Nam *Romæ* adhuc erat ille, cum in *Brabantia* proxime colloqueremur ego & *Huttenus*. Neque quiſquam tum ſuſpicabatur eum venturum adverſus *Lutherum*. Itaque quicquid hîc commemorat, è rumoribus commemorat, quibus quantum ſit tribuendum quiſquis ſapit, intelligit. Fatebor tamen id quod res eſt. Olim cum *Aleandro Venetiæ* fuit mihi non ſolum amicitia, verum etiam familiaritas. Admirabar eruditionem hominis, & amabam ingenium. Auxit hunc animum, quod apud *Gallos* Græcas litteras gnaviter provexiſſet. Deinde ubi jam deſtinatus eſſet à *Leone*, ut apud nos *Lutherum* oppugnaret, conceperat in me adhuc *Romæ* agens, neſcio quid ſtomachi, ut ex illius ad *Leodienſem* Epiſcopum litteris intellexi. In cauſa fuerat Epiſtola, quam omnium primam ſcripſeram *Luthero*, ab ipſo provocatus. Ubi venit, priuſquam adiret *Brabantiam* occupatus eſt à lingua quadam omnium peſtilentiſſima, quæ illum totum implevit venenis. Neque id non divinaram futurum. Itaque primum viſus eſt *Aleander* fugitare colloquium meum, neſcio quid ſuſpicans de me. Tandem & voces quædam *Lovanii* ſpargebantur illius de me parum amicæ. Nihildum tamen erat atrox. Ubi rurſus ventum eſt in eam urbem ubi venenum hauſerat, nam illac Cæſar profectus eſt *Coloniam*, jam irritato rurſus addidit illa aſpis veneni nonnihil. Itaque *Coloniæ* paſſim mihi referebant, illum apud magnates & in celebribus conviviis inimiciſſime loqui de me, nec interim cognoſcere potui ubi diverſaretur. Tandem perveſtigato diverſorio, miſi ad illum famulum, qui nuntiaret me cupere colloqui cum eo. Ille lætus & alacer invitat ad prandium. Excuſo de prandio, ſed à prandio venio ad colloquium. Ille venientem ſumma cum humanitate accepit. Colloquuti ſumus horis aliquot. Expoſtulamus mutuo. Nam & illi nuntiatum erat, me voces quaſdam inimicas in illum ſparſiſſe. Nec id omnino vanum erat. Queſtus enim eram apud multos, illum adverſus *Lutherum* miſſum, ſic debacchari in me, quaſi *Lutheri* negotium ad me pertineret. Poſt mutuam expoſtulationem, diſceſſum eſt cum oſculo veteris amicitiæ ſymbolo. Rurſus in Concilio *Wormacienſi*, cum mihi ſcriberent quidam ex aulicis illum dira in me moliri, miſſo proprio tabellione, per litteras ſatis liberas expoſtulavi cum eo, eademque de re ſcripſi Epiſcopo *Leodienſi* illius patrono. *Aleander* ſe purgavit mihi per litteras. Ubi dimiſſo Concilio, reverſus eſt *Bruxellam*, adii hominem, colloquuti ſumus horas ferme quinque. Ibi, ut eſt aperti animi liberæque linguæ, effudit in me ferme quæ nunc objicit *Huttenus*: me jactaſſe illum eſſe natum *Judæum*, me illi molitum fuiſſe exitium. Et quid non? Ita candidi illi ac fortes amici *Germani*, totam invidiam in me devolverant. Primum illud dicam, nec amicitiam, nec inimicitiam, quæ mihi fuit cum *Aleandro*, quicquam attinere ad cauſam *Lutheri*. Erat amicus antequam auditum eſſet *Lutheri* nomen. Nec ob *Lutherum* illi factus ſum inimicus, ſed quod me ſine cauſa perſtringeret, ut ajebant, ac odioſo negotio involveret. Quod ſi per linguas virulentas licuiſſet cum *Aleandro* perpetuam habere amicitiam, fortaſſe minus odioſe geſtum fuiſſet *Lutheri* negotium, nec in tot urbibus renovatus fuiſſet fumus & incendium, quæ res nihil aliud quam irritabat animos hominum. Qui prius iraſcebar molienti perniciem, cur non fierem amicus jam mutato ſtudio periculum depellenti? Nam id ipſe mihi dejeravit *Bruxellæ*, & poſt in *Germaniam* reverſus, cognovi non eſſe vanum, ex his qui negotio interfuerunt. Quid autem flagitii, ſi *Aleander* in libris meis prædicetur trilinguis eruditionis antiſtes? Hanc laudem illi palam tribuebam, etiam tum, cum maxime ferveret inter nos ſimultas. Et cum quidam Linguæ Latinæ principatum mihi tribuerent, etiam hanc laudem inimico ceſſi inimicus. Plenius illum laudavit *Huttenus*, in Epiſtola qua jugulat illum, ſcribens ſe dolere eſſe in eo, quod illi invideatur. Quid ſpecioſius hac laude ab hoſte data, eſſe in *Aleandro* doctrinam invidia dignam? Ego certe moderatius illum laudavi. Atque hoc *Hutteni* de ſe præconium *Aleander* apud me jactavit. Dicam ingenue, quod ſentio: ut peſſime meritus eſt de me ſceleroſus ille, qui *Aleandrum* in me irritavit, ita lubens talis amici poſſeſſionem recuperarim ſi liceat, ne tantulum quidem ab illo venans commodi. Hoc cum nihil ad *Lutheri* negotium pertineat, quid eſt quod queritur *Huttenus?* Per me licet illi odiſſe *Aleandrum*, quantum volet. Porro quæ ſcribit *Huttenus, ille te amat unice, illum tu dilectum habes, cum illo ſuaviter vivis, & in mediam quandoque noctem producis litteratas fabulas, etiam convenit inter vos, ut* Romam *eatis una*, ipſius commentum eſt, non mea vox. Etenim quæ in Epiſtola ad *Laurinum* commemoro de conſuetudine cum *Aleandro*, omnia in hoc producuntur, non ut perſuadeam magnam mihi cum illo eſſe amicitiam, ſed ut adverſus eos, qui meam profectionem fugam eſſe jactabant, docerem me palam, & omnibus conſciis abiſſe. Jam finge id quod non eſt, me *Aleandro* male volenti, male velle, ſed ſimulaſſe amicitiam, quo minus læderet, utque hac ſpecie Theologos quoſdam omnia molientes compeſcerem, an mihi indignabitur *Huttenus* ſi vafritie nulli noxia, meæ ſaluti conſulam? Erat *Lovanii* furioſus quidam Prædicator, mira commemoraturus de me à prandio, id enim promiſerat in concione matutina. *Aleander* à me ſubmonitus, miſſo nuntio impoſuit homini ſilentium, alioqui improbiſſimo rabulæ. Quis non prudentiam appellet potius, etiam inimicis abuti ad rem tuam? Quin Theologis quibuſdam multum ſubſedit animorum ex illa noſtra tam arcta familiaritate paucorum dierum. Atqui in omnibus colloquiis, adeo nihil dictum eſt adverſus *Huttenum*, ut illius venam & ingenium magnifice prædicarim apud *Caracciolam* & *Aleandrum* indignantem utrumque, idque poſt Concilium *Wormacienſe*, cum res *Hutteni* ſatis erant exulceratæ. Poſtremo utrum eſt propius humanitati, honorifice ſcribere de inimicis, quo mitigemus illorum odium, an tam virulentos & pluſquam hoſtiles Libellos ſcribere, qualem *Huttenus* ſcripſit in amicum, & benevolentem, & benemeritum, & benemereri cupientem?

Nondum finis criminum, ſed in Epiſtola ad *Laurinum* commemoro, rumorem hîc fuiſſe ſparſum, Romanum Pontificem neſcio quid Libelli ſcripſiſſe in me. Id *Huttenus* non veretur dejerare à me confictum, quo *Lutheranos* gravarem invidia. Quæſo quid eſt tam perditæ levitatis, quod iſte non ſtatim impingat amico? Atqui cum hîc plures ſint viri boni, qui ſciunt rumorem vere ſparſum fuiſſe, cum habeam à doctis amicis Epiſtolas ex *Auguſta* & *Conſtantia*, quibus hoc ut rem compertam ſcribunt, hunc Pontificem *Romæ* palam damnaſſe libros meos, cumque illi habeant Epiſtolas meas teſtantes me id nequaquam credere, quid ſupereſt, niſi ut omnes intelligant *Hutteno* eſſe parum frontis? Sed auſus ſum hunc laudare Pontificem, qui male mihi quondam voluerit, quique nihil adhuc egerit, unde laudari mereatur. An verum ſit quod ſcribit *Huttenus*, neſcio. Certe nihil unquam tale perlatum eſt ad me, nec ego quicquam tale de illo ſuſpicatus ſum. Fuit olim mihi cum illo *Lovanii* civilis amicitia, &, ut ipſe ſcribit, ſocietas ſtudiorum. Nec unquam ſenſi animum illius in me parum amicum. Quid autem de illo prædico, niſi bonam ſpem, quam illius ſenectus, perpetua integritas, & eruditio nobis porrigunt? Iſtud hortari magis eſt, quam laudare. Præterita laudo, de quibus ſi mentiar, refelli poſſim. De futuris bene ominor. Proinde quis non videat quam non appoſitè

ad-

adhibitus ſit jocus inſulſus *Hutteno*, *Iſta facies, ô Timon.* Et tamen nihil addubito, quin *Huttenus* hîc ſibi videatur mire feſtivus. Sed ante pronuntiaveram minime bonum futurum? Cum nunquam ſim *Hutteno* de hoc Pontifice loquutus, impudenter facit, qui hoc ex aliquo compotore auditum mihi apud Orbis tribunal crimini objiciat. Dixi me vereri, ne parum æquus eſſet *Luthero*, de cæteris nunquam pronuntiavi, quanquam oſtenderet argumenta animi cupientis etiam Romanam Curiam ad meliorem frugem revocare. Porro quod ait agitatum de me, ut pro hæretico arriperer, credo jactatum & optatum à quibuſdam furioſis Monachis. Inter Principes nunquam hoc eſt actum. Habebam & in *Hiſpania* amicos, huic qui nunc eſt Pontifex proximos: habebam & *Romæ*, vivo *Leone*, multum diſſimiles *Hutteno*: habebam in aula Cæſaris magnos, de quibus nec ſuſpicabar quam eſſent amici. Ex horum litteris melius cognovi quid ageretur, quam *Huttenus*, qui latitans tantum hoc ſciebat, quod aliquis clancularius ſuſurro deferebat. Habeo apud me articulos ad Cæſarem delatos, quos *Glapion* ſua manu notavit. Nulla hîc hæreſis mentio, neque quicquam quod ad hæreſim pertineat. Habeo litteras Cancellarii *Gattinarii*, quæ teſtantur fuiſſe ſuſpicionem de quibuſdam Libellis, qui ob ſtyli venuſtatem viderentur eſſe mei, in quibus tamen nihil eſſet hæreticum, aut tale qualia ſcriberet *Lutherus*. Sed *Joannem Glapionem* recenſeo in eadem Epiſtola, citra contumeliam. Nihil enim laudis in illum confero. Hîc *Huttenus* proferens δείνωσιν ſuam: *Quid*, inquit, *Glapion? quanta & ipſe tuba abs te canitur?* Cum hæc mea de illo ſint verba: *Ad hæc R. P.* Joannis Glapionis, *qui Cæſari erat à concionibus.* Hæc eſt tuba, qua virum illum decanto. Sed impudentius eſt, quod addit: *Atqui ſolebas exſecrari hominis malitiam.* De *Glapione* nunquam verbum, neque dixi, neque ſcripſi *Hutteno*, ſed & hoc mendacium aliquis compotor illi detulit. Et ex hujuſmodi næniis contexuit talem calumniam in amicum. Atque hîc etiam de *Glapione* loquentem facit, quæ mihi ne per ſomnium quidem unquam venerunt in mentem. *Glapionem* ſemel duntaxat tribus verbis ſalutavi, forte obvium, idque *Bruxellæ* poſt *Wormacienſe* Concilium. Cætera litteris acta ſunt inter nos. Quid ille molitus ſit, aut peregerit in *Lutherum*, neſcio. Certe quicquid hujus fecit, non meo fecit impulſu. Ego, ut ingenue dicam, quemadmodum nunquam auſus ſum homini toto pectore fidere, ita nunquam geſſi in illum inimicum animum. Mihi certe non ſemel ſtrenuum amicum præbuit apud Cæſarem, quod ſatis habeo compertum. Jam vero feſtivum eſt, quod homo perſpicax ac Lynceus ex uno colloquio nobis ſic depingit *Glapionem*, quaſi modios aliquot ſalis cum illo ederit. Equidem quantum ingenium hominis ex prudentum narratione, éque ipſius ad me litteris conjicere potui, *Huttenum* ſi decem annis vixiſſet cum *Glapione*, nondum pernoviſſet illius ingenium. Non potui vero ſine riſu legere, quod cum *Glapioni* miram vafriciem affinxiſſet, me facit illi ſimillimum. Imo non tam diſſimilis Camelus Vulpi, quam *Eraſmus* diſſimilis *Glapioni*, ſi modo talis erat, qualem nobis depingit *Huttenus*. Sed de meis moribus erit alibi dicendi locus.

Male habet & illud *Huttenum*, quod in quadam Epiſtola per occaſionem inſero, *Sylveſtrum Prieratem* humaniter & amanter ad me ſcripſiſſe, cum tamen illum ne titulo quidem honorifico digner. Tantum ajo, *Sylveſter ille Prieras.* Illius ad me litteras dico humaniſſime ſcriptas. O miram adulationem! Sed iſta ſcribis, inquit, in invidiam *Lutheri*. Imo in hoc ſcripſi, ut oſtenderem eſſe cauſam, cur de *Roma* adeunda cogitarem. Quod ſi tantopere cuperem movere invidiam *Luthero*, liceret hoc aliis rationibus efficere. Certe *Prieratem* ſemper contemſit *Lutherus*. Jam in Catalogo *Marinum Caracciolam* voco *R. P. Nuntium apud Cæſarem Apoſtolicum*, nihil aliud de illo prædicans, niſi quod is præter cæteros hortatus eſſet me, ut ſcribe-

rem adverſus *Lutherum*. At *Huttenus* vocat hunc malum hominem. Quid hoc mea, ſi malus eſt? Ego non prædicavi bonum. Et tamen mihi bonus & commodus amicus erat, donec hæc tragœdia vitiarit omnes amicitias. Jam male habet & illud, quod *Eckium* alicubi nomino, citra contumeliam, opinor, & aſſingit meum de illo teſtimonium vetus, quale commodum eſt ipſi, non quale à me proditum eſt. Sed intolerabilius, quod in Epiſtolis laudatus *Joannes Faber*, Ordinis *Prædicatorii*. Is qualis nunc ſit, neſcio. Certe mihi *Lovanii* perſuaſit, quod inſtitueret *Auguſtæ* Collegium tradendis Linguis, ac bonis litteris. Oſtendit diploma Cæſaris *Maximiliani*. De capitalibus quibuſdam inimicis *Lutheri*, atque de ipſa Romana Curia, pluſquam hoſtiliter loquebatur. Arridebat morum commoditas, & in ſua Theologia videbatur non vulgariter eruditus. His rebus extorſit à me commendationes aliquot. Quin & *Coloniæ*, cum illic eſſet Cæſar, colebat nos, & de *Luthero* reliquit æquiſſimum judicium, ſua manu deſcriptum, tum apud Card. *Moguntinum*, tum apud me. Quid hîc aliud criminari poteſt *Huttenus* in me, niſi ſimplicitatem & candorem animi? Sic talis eſt nunc, qualem ille prædicat, ego tantam vafritiem de homine Germano ſuſpicari non potui. Nec meum erat præſtare, qualis ille poſt futurus eſſet, non magis profecto, quam efficere potui, ne *Huttenus* mihi ſic laudatus antehac, & laudatus ex animo, talis evaderet, qualem ſe declarat in hoc Libello, qui nulli bono non diſplicet. Cæterum cum *Joanne Fabro* Canonico *Conſtantienſi* mihi interceſſit amicitia, priuſquam *Lutherum* noſſet Orbis. Quod ſi velim omnibus renuntiare amicitiam, qui adverſantur *Luthero*, vix ullum mihi reliquum facerem eorum, quibus ego debeo omnia. Scripſit ille Librum in *Lutherum*. At non ſcripſit me impulſore. Verùm aliquando dixi Librum illum omnibus merdis percacandum. Qui hoc detulit *Hutteno*, ipſe nimirum eſt omnibus merdis percacandus. Nam ea vox nec audita mihi eſt ex quoquam, nec mihi unquam vel in ſomnis venit in mentem. *Conſtantiæ* præfationem duntaxat legi, laudavi ſcriptionis modeſtiam. Unum locum legi, non perlegi, in quo refellit, quod *Lutherus* ſcripſerat, nunc demum *Romæ* decretum eſſe, animas eſſe immortales, is mihi non diſplicuit. Non ſum tam impudens, ut pronuntiem de Libro, quem non perlegerim, & tamen non ſtatim probat *Lutherum*, cui non placet Liber adverſus illum ſcriptus. *Lodovicum Berum*, & candidum amicum, & fidum patronum habui, prius quam in Orbe notus eſſet *Lutherus*. Et hunc calculum inter felicitates meas numero. Eſt enim multis eximiis nominibus præcipuum hujus urbis ornamentum, ſic aſſertor ſuæ Theologiæ, ut tamen æquus ſit bonis litteris, & quietis ſtudio, minime infenſus negotio Euangelii reſtituendi, tametſi totum *Lutherum* nequaquam approbat. Quod ſi *Hutteno* decretum eſt indignari omnibus, qui male ſentiunt de *Luthero*, quare ſolum hunc perſtrinxit, cum hîc ſint innumeri? Quanquam *Berus* is eſt, qui nec bene dicta *Lutheri* depravet, quemadmodum faciunt multi, nec ſtolide vociferetur in quenquam. Certe nihil minus eſt quam *Curtiſanus*. Et hujus viri nomen *Huttenus* tam illoto ſermone tanta perſtringit acerbitate, quaſi patrem ipſius necaſſet, cum ille nunquam verbo læſerit *Hutteni*, vel rem, vel nomen, vel amicum. Huic adjungit *Joannem Gebwilerium*, qualis qualis eſt, quidvis potius quam *Curtiſanum*, quicum mihi uſque adeo nihil eſt familiaritatis, ut nec ille unquam viſerit ædes meas, & ego illius ne noverim quidem, neuterque alteri vel in via ſit unquam locutus. Et tamen ita ſcribit *Huttenus*, male edoctus à ſuo ſuggeſtore: *Atque hos habes domi tuæ, cum me excludis, & quotidianis confabulationibus dignaris.* De *Gebwilerio* dixi, quæ mihi ſit cum eo familiaritas. *Berus* amicus, ac vicinus etiam, nonnunquam vix intra duos menſes me ſemel inviſit. O quotidianas confabulationes! Sed quid imputes *Hutteno*? Sic illi detulerat chorragus

Digitized by Google

ragus hujus fabulæ. Quid cogitabunt hæc legentes, qui rem noverunt? Sed *Latomum*, *Ecmondanum*, *Atenſem* olim vituperatos, nunc partim ambigue, partim oblique tracto in Epiſtolis. Cum eſſet inter nos fœdus adverſus hoſtes Linguarum & bonarum litterarum, fateor me nonnunquam queſtum per Epiſtolas apud amicos de quorundam pertinaci conſpiratione adverſus meliora ſtudia. Et ita cum illis bellum geſſi, ut ſemper eſſem propenſus ad pacem, ſi contigiſſet. Itaque à *Latomo* ſemper temperavi, ſperans fore ut deſineret. *Ecmondano* nunquam blanditus ſum. *Atenſis* vir erat nec inhumanus, nec iniquus bonis litteris, ſed ingenio irritabili. Itaque per quoſdam Monachos ac Theologos protruſus eſt, ut ageret odioſam fabulam. Et qui huc adegerunt hominem, eadem opera adegerunt in mortem. Erat enim imbecilli valetudine, & iræ impatiens, injuriæ inſolens. Ac poſt hujus mortem maxime cœpit ea tragœdia incrudeſcere, ut intelligas illum multa moderatum. Porro quod de eo ſcripſi, illum ab omnibus eſſe laudatiſſimum, nec unquam tamen ſatis laudatum, hoc etiam ipſi Theologi *Lovanienſes* cum riſu legerunt. Laudabatur enim quotidie ſolennibus Encomiis in Schola, tanquam Vicecancellarius ejus Academiæ. Mihi certe, quod ad ipſius naturam attinebat, non erat iniquus, qui ſolus omnium auctor fuit, pacis cum Theologis ſarciendæ. Doctrina judicioque longo intervallo ſuperabat omnes. Mihi moriturus etiam denuntiabat pacem & amicitiam, quod ad ipſum attineret. Denique veretur *Huttenus*, ne cum *Leo* quoque in gratiam redeam Nec id gravarer facere, dicam enim ingenue, ſi ille declararet animum amicitia dignum. Salutavi hominem *Caletii* forte obvium, & dextram dextræ junxi. Quid ni, cum jam inter nos debellatum eſſet? Cæterum adverſus *Leum* nihil attulerunt momenti auxilia Germanica. Cum ſcriberent amici Germani, vel invito me, Germanos dilaceraturos *Leum*, primum diſſuaſi, id ſi non poſſem obtinere, admonui, ut argumentis agerent potius quam convitiis, cum primis autem temperarent ab injuria Gentis, quod tamen factum non eſt, me vehementer improbante. Dialogum adverſus *Leum* ſcriptum, conſtanter ac perpetuo damnavi. Poſt ingentem Epiſtolarum faſciculum à diverſis eruditis ſatis hoſtiliter ſcriptum in *Leum* adeo preſſi, ut duobus tantum amicis fecerim inſpiciendi copiam, *Dorpio* & *Moro*, & quibuſdam hortantibus ut evulgarem, reſpondi mihi decretum eſſe quieſcere in poſterum, ſi conquieſceret *Leus*. Habes, lector, omnia, quibus animus *Hutteni* poterat exulcerari. Atque in his vides quam nihil ſit quod vulgarem etiam amicitiam deberet dirimere.

Venio nunc ad illud, quod ille vult eſſe totius cauſæ caput. In quo tamen non expedit nimium probari *Hutteno*, ne dum *Scyllam* fugio, deferar in *Charybdim*. Id ita proponit, ut ſtatim conjungat duo palam falſiſſima, me pridem fuiſſe factionis *Lutheranæ*, nunc totis viribus oppugnare rem Euangelicam, cum perpetuo ſim averſatus illam factionem, nec unquam deſierim quanta poſſim ſinceritate provehere rem Euangelicam. Sic autem aſſumit, magnificis quidem verbis, ſed parum pudenter: *Quid*, inquit, *tandem eſſe poſſit, cur tu qui Rom. Pontificem nuper in ordinem redigebas nobiſcum, ipſam* Romam *ſcelerum ac improbitatis ſentinam vindice calamo increpabas, Bullas ac Indulgentias deteſtabaris, ceremonias damnabas, Curtiſanicam exigebas, jus Canonicum & Pontificum ſcita exſecrabaris: In ſumma, univerſam illius ſtatus hypocriſim ſeveriſſime profligabas, is nunc retroactus, contraria ſequaris, & cum hoſtili parte ſocietatem ineas?* Rurſum alibi: *Qui ſepultam pietatem refodiebas, Euangelium è latebris in lucem reducebas, fidem & Religionem inſtaurabas, is nunc ad eandem conculcandum, ejiciendum, proſternendum, & interimendum operam profiteris.* Eamus nunc & dicamus, huic criminatori eſſe aliquid frontis. Hunc in modum cauſæ ſummam proponit *Huttenus*, & quod ſemel aſſumſit, ſubinde verbis aliis atque aliis inculcat & exaggerat, quaſi quod per ſe vanum eſt, ſæpius aſſeverando fiat verum. Atque hic expedit omnem orationis copiam, omnem vim ac vehementiam. Ubi fundamentum totius dictionis inane eſt ac frivolum, quo magis oratione tumultueris, hoc magis perdis aquam & operam. Neque enim hîc licet in cauſa feria, quod in fictis etiam controverſiis fieri ſolitum: reprehendit *Quintilianus*, ut quis ſuo arbitratu fingat, cui reſpondeat. Mire ſe torquet, dum expendit quibus cauſis ab inſtituto tam ſancto, ad rem ſceleratiſſimam transferri potuerim. At in hoc erat illi laborandum, ut doceret eſſe verum quod aſſumit. Ibi vehemens orator nihil habet quod dicat, niſi, *quidam mihi narrarunt*. Graviter & atrociter exclamat in eum, qui deſerta & prodita cauſa Euangelica transfugerit ad partem diverſam, qui pecunia corruptus, bonos viros, veritatem Euangelicam, libertatem publicam, ſummis viribus oppugnare cœperit. Atqui hoc quod aſſumit, aut convenire debuit inter nos, aut idoneis argumentis erat probandum, priuſquam veniret ad illos ſuos affectus tragicos. Tot Epiſtolis, tot Libellis, tot teſtificationibus perpetuo clamo, me neutri factioni velle involvi. Cur id ſtatuiſſem, multas reddo cauſas, & tamen non omnes prodidi. Atque hac in re nihil me accuſat mea conſcientia apud judicem *Chriſtum*. In tantis rerum tumultibus, in tantis etiam periculis & famæ & vitæ, ita moderatus ſum mea conſilia, ut nec tumultus auctor eſſem, nec cauſam, quæ mihi non probabatur, adjuvarem, nec Euangelicam veritatem alicubi proderem. Si hoc indignatur *Huttenus*, quod non profitear una cum ipſo *Lutherum*, jam ante triennium id teſtatus ſum in Coronide addita Colloquiis familiaribus *Lovanii*, me ab ea factione alieniſſimum & eſſe, & ſemper futurum. Nec ipſe ſolum abſum, verùm amicos quoſcunque potui, ut eadem facerent, pro mea virili ſum adhortatus, & adhuc adhortor, nec id facere deſinam. Factionem appello ſtudium illud animi, velut in omnia quæ *Lutherus* ſcripſit, ſcribit, aut ſcripturus eſt jurati. Atque hic affectus ſæpenumero bonis etiam viris imponit. Quin & palam omnibus amicis denuntiavi, ut ſi me non poſſent amare, niſi *Lutheranum*, ſumant in me quemcunque velint affectum. Amo libertatem. Nulli factioni ſervire nec volo, nec poſſum. Amicorum cauſa non erant, inquit, deſerendæ *Lutheri* partes, quorum aliquot jactat etiam de me bene meritos, qui tam non poſſint avelli à *Luthero*, quam ab ipſa veritate. Quos amicos narret neſcio, ego video multos antehac *Luthero* deditiſſimos, nunc partim muſſare, partim tædere *Lutherani* nominis, partim damnare quod prius approbabant. Si quiſquam amicus tantum apud me valuit unquam, ut in ipſius gratiam me addicerem *Lutheranæ* factioni, eidem hoc largiar, ne ab illius factione deſciſcam. Si me quiſquam vidit tam potum, ut totum *Lutherum* probarim, patiar ut me vocet *rhipſaſpidem* pro *Eraſmo*. Quid autem mirum, ſi ego recuſem nomen *Lutherani*, cum hîc neminem videam, qui ſuſtineat dici *Lutheranus?* Nam quod *Huttenus* ægre admittit hanc appellationem, mirum videri non debet, cum nec ipſe *Lutherus* agnoſcat eum, ac patrocinium etiam averſetur. Et niſi me plane fallit animi conjectura, mallet *Eraſmum* adverſarium, quam *Huttenum* propugnatorem. Sed illius res fortaſſe ſic habent, ut illi bono ſit *Lutherani* vocabulum, utpote quod ipſum nunc ſolum & tueatur & alat. Nihil unquam damnavi *Lutheri* odio, quod recte dictum eſſet: nec unquam approbabo illius amore, quod mihi ſecus dictum videtur. Si fuiſſem illi juratus, aut illius ſodalibus, tamen laudatur is qui reſipiſcit. Nunc me dehortante res hæc cœpta eſt. Norunt hoc impenſe *Lutherani* quondam, nunc quales ſint neſcio. Quid in *Luthero* metuerim, declarat illa prima Epiſtola, quam ad illum ſcripſi. Deſidero in *Lutheri* ſcriptis modeſtiam & manſuetudinem Euangelicam, noto pervicaciam aſſeverandi. Eadem quo magis in eo deſiderem, faciunt illius Libelli, qui prodeunt in dies atrociores, etiam in ſummos Principes, quos quales quales ſunt, non expediebat irritari. Et inter amicos dolens, aliquoties dixi me dubitare de

Digitized by Google

ſpiritu illius, nec unquam tamen certo pronuntiavi. Hoc tantum hactenus judicavi de *Luthero*, & in eo conſtantiſſimus fui, ſcriptis, dictis, clam palamque eadem teſtificans. Ubi eſt igitur iſta mirabilis inconſtantia mea? Vereor ne iſtos magis offendat mea conſtantia. Sed omnibus rebus omiſſis, totus feror in *Lutherum*. Iſthuc *Huttenus* audivit ex compotore quopiam. Verùm vel ex *Achate* illo ſuo *Epphendorpio* diſcere potuit, me tum nihil minus agere, quam hoc quod objicit. Jam tunc aggreſſus eram Paraphraſim in *Lucam*, in qua totus eram, cum hanc tragœdiam exordiretur *Huttenus* propugnator Euangelici negotii.

Cæterum in Catalogo promitto tres Dialogos adverſus *Lutherum*. Proferat mihi hoc verbum ex ſcriptis meis, adverſus *Lutherum*. Ajo de *Lutherano* negotio, collationem appello verius quam diſputationem. Et eos ajo conceptos magis quam inceptos, nec admodum in animo eſſe perficere. Quod ſi perfecero, non prodituros niſi auctoribus his, quorum interierit. Et interim moneo lectorem, ne ex hac pollicitatione faciat præjudicium. Primum igitur non promiſi hos Dialogos, & ſi promiſi, non promiſi populo, ſed Pontifici & Cæſari, ut horum arbitrio vel premantur, vel edantur. Et in his tamen promitto ſummam erga *Lutherum* æquitatem. Quî ſcit igitur *Huttenus*, an his Dialogis ſublevandus ſit *Lutherus*, an affligendus? Nam utrumque fieri poteſt, cum illic adfuturus ſit, qui *Lutheri* partes agat. Jam audio quoſdam dicentes: Interea ſuſpendis hominum animos, qui non pronunties quid ſentias de *Luthero*. Primum, nec vacat intendere his quæ multa ſcribit *Lutherus*, & ſi vacaret de toto negotio pronuntiare, longe ſupra vires meas eſt. Quid autem pronuntiem? Si totum *Lutherum* damnem, video cui parti addam animos, & quantum bonorum obruam. Si totum probem, primum fecero arroganter, qui probem quæ forte non intelligo. Deinde conjecero me in factionem, quæ plurimos habet, cum quibus mihi nihil velim eſſe commercii. Qui *Lutherum* oderunt, etiam me tacente oderunt: qui favent, non ideo flagitant meam ſententiam, ut æquum audiant, ſed ut habeant ſuæ ſententiæ propugnatorem. Si diviſero ſententiam, utrique parti quædam tribuens, quædam adimens, utrinque me dilacerandum præbuero, nec aliud quam novos excitaro tumultus. Itaque mihi conſultius viſum eſt hîc conquieſcere, donec Principes & eruditi, ſtudiis omiſſis, expetant ea conſilia, quæ ſine tumultu proſpiciant Euangelicæ veritati & gloriæ Chriſti. Bellum vero eſt, quod dum ſtudet videri feſtivus, ait mihi ceu *Cajapha* verum excidiſſe dictum, *Lutheranam* doctrinam totam opprimi non poſſe, niſi ſimul corruat bona pars Euangelicæ ſinceritatis ac publicæ libertatis, quaſi non idem ſemper conſtantiſſime tum dictis, tum ſcriptis ſim teſtatus. Et hoc me diſcruciat, iſtos ſic cauſam agere, quaſi ſervari nolint, tametſi ſi quid recte docet *Lutherus*, non eſt *Lutheri*, ſed *Chriſti*. Jam fingat me ſcribere contra *Lutherum*, an ejus rei jus non erit ei qui cum *Luthero* nunquam habuerit fœdus, & quo dehortante rem & cœpit, & hucuſque provexit? Fingat me initio fuiſſe *Luthero* fautorem, an ideo erunt mihi probanda omnia quæ ſcribit, quia placuerunt exordia? Quid ſi *Lutherus* poſthac ſcribat adverſus articulos fidei? An *Huttenus* vetabit adverſus eum ſcribere? Cur autem *Huttenus* uſqueadeo ferocit adverſus eos qui ſcribunt adverſus *Lutherum*, cum nihil interſit inter diſputantem & ſcribentem? *Lutherus* ad diſputationem etiam provocat. Si doctrina illius ſincera eſt, per contradictionem, velut aurum igne purgatum, magis eluceſcet. Sin falſa eſt, recte impugnatur ab omnibus. Sin quædam habet falſa veris admixta, repurgatur. An protinus ſubvertero totum Euangelium, ſi cum *Luthero* diſputem, an quilibet Chriſtianus ſit Sacerdos, an omnia Sanctorum opera ſint peccata? *Lutherus* ipſe non formidat meum, imo nec cujuſquam aſſultum, ſed forti animo exſpectat *Eraſmum*, ſi prodeat. Quid igitur tumultuatur *Huttenus*, ſuſpectam interim reddens *Lutheri* doctrinam, quam ita demum credat fore ſtabilem, ſi nemo labefactet? Hæc loquor, non quod mihi ſit animus congredi cum *Luthero*, ſi liceat conquieſcere, ſed ut calumniis *Hutteni* reſpondeam. Ego *Vertumnum*, *Proteum* ac *Polypum* egi, memet in omnia vertens, nihil non & faciens & patiens, ne pertraherer in hanc arenam gladiatoriam. In aulam pertrahentibus, manibus ac pedibus excuſavi me. Intentata ex altera parte pericula, partim declinavi, partim propulſavi, partim diſſimulavi. Cæſari me ſubduxi, fortunas oblatas conſtanter recuſavi. Tot Monarchis, tot Principibus, tot amicis huc vocantibus excuſavi me. *Sed qui te incitant*, inquit, *adverſus* Lutherum, *aut potentiſſimi ſunt*, *aut peſſimi*, *aut utrumque*. Tanto magis *Huttenus* debebat admirari conſtantiam meam. Qui potentiſſimi ſunt, his in proclivi eſt & perdere & ſervare. Qui peſſimi ſunt, facillime lædunt. Qui ſunt utrumque, magis etiam ſunt formidabiles. Et tamen hactenus nec ab his perpelli potuit *Eraſmus* ille infirmus & imbecillis, & ad quamvis auram mobilis. Interim irridet & illud quod ſcripſi, totum mundum acuere ſtylum in *Lutherum*, & minitatur fore *Lutheranos*, qui ſtylum acuant in me, jubetque ſibi commonſtrari alium quendam Mundum, quaſi hic totus ſtet à *Luthero*. An hîc commemorem quam multi ſcripſerint in *Lutherum*? Apud Italos *Sylveſter Prierias*, *Thomas Todiſcus*, *Jacobus de Vio*, *Catarinus*. Apud Germanos, *Eckius*, & Minorita quidam *Lipſienſis*, nomen excidit, *Goclejus*, *Joannes Faber*, & *Hochſtratus*. Apud Gallos tota Academia *Pariſiorum*, *Juſtinianus Auguſtinus*. Apud Lovanienſes *Latomus*, *Joannes Turenholtius*, *Euſtathius* Dominicanus, *Vincentius* ejuſdem Ordinis. Ex aula, *Marlianus Tudenſis* Epiſcopus, & *Rimaclus* Cæſaris à ſecretis. Apud Anglos Rex ipſe, *Joannes* Epiſcopus *Roffenſis*, ac tertius quidam tam amarulentus, ut ipſi *Luthero* poſſit medium unguem oſtendere. Apud Hiſpanos, *Stunica* & *Caranza*. His adde Bullam *Leonis* & Edictum Cæſaris. Jam plurimi ſunt qui nondum ediderunt ſua: plurimi qui nondum abſolverunt, plurimi quos ego non novi. Hæc ideo tantum recenſeo, ut declarem hyperbolen meam ſine cauſa irriſam ab *Hutteno*. Porro *Lutheranorum* in me Libellos adeo non metuo, ut doleam non prodiſſe ante tres annos. Imo mihi nonnunquam fuit in animo ſubornare quempiam, qui provocaret huc aliquem inſigniter *Lutheranum*. Nec enim alia res me poterat liberare invidia. Nam *Huttenus* nihil minus eſt quam *Lutheranus*, & hujuſmodi nænias ſcribere, nihil minus eſt quam ſcribere. Nec unquam tam male ſenſi de *Lutheranis*, ut ſuſpicarer illorum quenquam tales ſycophantias in quenquam velle ſcribere. Nec ipſi *Luthero* puto me tam inviſum, ut talem Libellum in me ſcriptum approbet. Quanquam ſi approbaret, haud magnopere commovear. Sed *Metius* interim conquieſco, intentus ad eventum belli, dignus qui dilacerer ob perfidiam. Si dignus eſt malo, qui ſuis laboribus, ſuoque ſumtu ſtudet utrique parti prodeſſe, quo præmio dignus eſt, qui ſuis tumultibus, ſuaque ſtultitia utramque partem lædit, & hanc irritans, quam non poſſit compeſcere, & alteram invidia degravans, imo graviſſime lædens eam cui favere ſe jactat, & ſublevans eam cujus ſe profitetur hoſtem? Nec conſiſto interim otioſus ut ille *Metius*, ſed perenni ſtudio qua licet rem Euangelicam proveho. Pugnent juvenes, ego me jam ad eum diem compono, qui me hinc evocabit ad tribunal Chriſti, qui tametſi nulli non venturus eſt, tamen mihi ſane procul abeſſe non poteſt. Video quantis odiis, quantiſque convitiis res agitur. Difficillimum eſt inter hæc tenere tranquillitatem illam animi Chriſtiani. Dum Paraphraſes meditor, ſentio componi motus animi mei, meque me ipſo fieri meliorem. Et ſunt in utraque parte, qui mihi gratias agant, profitentes ſeſe ex his vigiliis meis capere fructum. Fatetur & hoc *Huttenus*, eſſe quod majori cum fructu poſſim agere, quam ſi ſcribam adverſus *Lutherum*, atque huc me hortatur. Cur igitur hoc agentem tali-

talibus Epistolis interpellat? Tergiversatorem me vocat, quod varius sim in Epistolis. An me vellet eadem ad omnes scribere, velut eundem calceum cuivis pedi addentem? præsertim cum ad personarum varietatem accedat & rerum & temporum diversitas. In tali vero dissidio, in tam diversis studiis, quî vitari potest, quin oblique scribas quædam? Dicet, præstiterat tacere. Utinam istuc mihi liceat! Sed premor, urgeor, obruor, ut necesse sit à me depellere invidiam. *Paulus* quoties mutat orationem suam, nunc blandiens, nunc objurgans, nunc obsecrans, nunc minitans, multa dissimulans? Non in hoc est inconstantia, sed in scopo qui illi semper idem est, utcunque mutat vocem aut vultum. Doceat quisquam me mutasse institutum, & objiciat inconstantiam. Verùm ipsa res indicat me perpetuo hoc agere, quod olim instituì. Proveho bonas litteras, ac sinceriorem & simpliciorem illam Theologiam pro viribus instauro, idque quoad vivam facturus sum, sive amico, sive inimico *Luthero*, quem ego pro homine habeo, & puto falli posse, & fallere. *Lutherus* cum cæteris transibit, *Christus* manet in æternum. Quod si *Lutherus* Spiritu Christi ducitur, precor ut *Christus* bene fortunet quod agit: sin minus, miseret me publicæ calamitatis. Magnifice vero de utriusque animo pronuntiat *Huttenus*. Ait me *Luthero* ex animo carum esse, cum ego in illum animo sim iniquissimo. O me hominem ingratum, qui non redamem amantem! De animo *Lutheri* in me, nihil hîc disputabo, nec causabor Epistolas, quas de me scripsit suis amicis, non admodum amice. In tali negotio non est spectandus affectus privatus, neque refert quam conveniat *Erasmo* cum *Luthero*, sed quam conveniat Reipublicæ Christianæ cum Euangelica doctrina. Quod si rationem haberem privatorum incommodorum, nulli magis indignari debebam, quam *Luthero*, qui me meosque libros tanta degravavit invidia, quique mihi omnes ferme amicitias, vel disrupit, vel malo fermento vitiavit, nec parum attulit incommodi bonis litteris à me semper defensis, tum vetustis auctoribus, quorum auctoritatem restituere conor. Sed quicquid est humanum, posthabendum est ubi agitur de gloria Christi, deque sinceritate fidei Catholicæ, cui utinam *Lutherus*, vel quivis alius consuluisset, & librorum meorum, & fortunarum omnium, & hujus denique capitis jactura. Cæterum unde novit *Huttenus*, quid animi habeat *Lutherus* erga me? Sic compotor quispiam illi retulit. Et ille audivit ex alio, rursus ille ex alio. Atque ita per viginti transfusus rumor ad ipsum pervenit. Ex his contexit Libellos. Nihilo plus novit, quo animo ego sim in *Lutherum*. Sed nonnunquam disputo adversus *Lutherum*. Hoc mihi novum non est. Nonnunquam in eodem convivio *Carneadem* referens disputo pro *Luthero*, & contra *Lutherum*, aliquando animi gratia, interdum expiscans, quid hic aut ille sentiat, aliquoties & discendi causa. Nec unquam tamen ea disputatio apud me excessit in aliquam amarulentiam. Æquis auribus utramque partem audire possum. Mihi placet hæc libertas in conviviis & familiaribus colloquiis, qua sæpe utor immodice, aliorum animos ex meo æstimans. Ac ne me vitiis omnibus liberem, hoc mihi vitium est præcipuum, sic insitum, ut ægre possim vincere, cum non semel expertus sim quosdam, oblitos quam multa ipsi liberrime dixerint, quod à nobis dictum fuerat meminisse, ac referre, & per occasionem impingere, multis interim, ut fit, afflictis ac depravatis. Atqui decebat ea, quæ inter pocula dicuntur, in vino scribere. Quoties in conviviis imperium transtulimus in *Julium* Pontificem, & summum Pontificium in *Maximilianum* Cæsarem? Deinde Collegia Monachorum matrimonio copulavimus collegiis Monacharum. Mox descripsimus ex illis exercitum adversus *Turcas*. Deinde colonias ex iisdem in novas Insulas. Breviter universum Orbis statum vertebamus. Sed hæc senatusconsulta non inscribebantur æreis tabulis, sed vino, sic ut sublatis poculis, nemo meminisset, quid à quo dictum esset. Majoris etiam incivilitatis est, criminationem struere ex his quæ amici freti fide nostra, libere nobiscum nugantur per litteras. Habeo qui ex intimis amicis, mihi facti sunt capitales hostes, nihil non molientes in exitium meum, nunquam tamen sustinuit animus meus, ut vel è secretis colloquiis, dum constaret familiaritas, habitis, vel ex Epistolis quicquam illis objicerem. Tum enim mihi dignus viderer, qui ex universo hominum contubernio in ferarum consortium protruderer. Verùm illam ad *Laurinum* Epistolam appellat odiosam insectationem. Proferat ex ea verbum unum odiose dictum in *Lutherum*. Nulla hæresis, nulla hæretici mentio: tragœdiam appello, dissidium ac tumultum appello, quibus verbis de Euangelico quoque negotio loqui poteram. Tantum placo quosdam *Lutheranos*, qui nullo judicio feruntur impotenti quodam impetu, & ad quemvis levem rumorem excitant tragœdias.

Vide vero quam causam affingat impudenti lemmati. *Ideo tam iniquo est animo in* Lutherum, inquit, *quia cœpit illi invidere tantam gloriam, posteaquam illius libri prope magis sunt in manibus hominum quam ipsius.* Non invideo *Luthero* suam famam. Imo malim quovis *Care* esse obscurior, quam habere famam illius. Quam si patitur amore Christi, plusquam mortem patitur: nec æquum est, ut quisquam bonus illi invideat: sin aliter, prorsus insaniat, qui talem famam cuiquam invideat. Ego si queam assequi, cuperem mea perpetuo & omnibus Regionibus legi, potiusquam temporario favore rapi. Quod si non merentur ipsa utilitate favorem lectoris, manum non vorterim, etiamsi nemo legat. Sed pueri, inquiunt, à cunis *Lutheri* nomen vocare assuescunt. Præstiterat ut assuescerent vocare nomen *Jesu*. Quanquam ubi sint isti pueri, nescio. Fortassis *Huttenus* illos vidit in arce *Francisci*. Ego quotidie experior quam multi potentes, docti, graves & boni viri exsecrentur *Lutheri* nomen, quorum talis est eruditio, talis vitæ sinceritas, ut vix possim suspicari vel affectu errare illos vel judicio. Ac ne de Sede quidem Romana unquam inconstanter loquutus sum. Tyrannidem, & rapacitatem, cæteraque vitia, de quibus jam olim vetus ac bonis viris communis querela est, nunquam probavi. Nec Indulgentias usquam in totum damno, etiamsi cauponationes illas impudentissimas semper detestatus sum. Quid de ceremoniis sentiam, libri mei multis locis testantur. Ubi vero exsecratus sum Jus Canonicum, & Pontificum scita? Quid autem sit Pontificem in ordinem redigere, non satis intelligo. Primum opinor fatebitur *Romæ* esse Ecclesiam: nam multitudo malorum non efficit, quo minus sit Ecclesia. Alioqui nullas haberemus Ecclesias. Et arbitror esse Orthodoxam: nam si qui mixti sunt impii, tamen in bonis manet Ecclesia. Huic autem Ecclesiæ dabit opinor Episcopum. Eum patietur esse Metropolitanum, posteaquam tot sunt Archiepiscopi in his Regionibus, in quibus nullus unquam fuit Apostolus, cum *Roma* habeat & *Petrum* & *Paulum*, duos sine controversia summos. Jam inter Metropolitanos, quid absurdi sit, si primus locus detur Pontifici Romano? nam hanc tantam potestatem, quam sibi seculis aliquot usurparunt, nullus audivit me defendentem. Sed *Huttenus* non fert Pontificem pestilentem. Id optamus omnes, ut Pontifex sit vir Apostolico loco dignus. Quid si is non contingat? Depellatur. Atqui eadem ratione depellendi essent omnes Episcopi, qui non funguntur officio suo. Sed præcipua mundi pestis jam multis annis fluxit à *Roma*. Utinam liceret isthuc inficiari! At jam contigit Pontifex, qui summis, ut arbitror, viribus hoc agit, ut eam Sedem & Curiam nobis purgatam reddat. Id non sperat *Huttenus*. Et tamen multa sunt quæ spem aliquam ostendunt. Et *caritas*, juxta *Paulum*, *sperat omnia*. Quod si *Huttenus* vitiis bellum indixit, non hominibus, *Romam* properet, adjuvet hunc Pontificem hoc conantem, quod ipse molitur. Sed *Huttenus* indixit bellum

Romano Pontifici & omnibus qui illi adhærent. Etiamne bono Pontifici bellum indixit? Quid autem faciet his, qui volentes nolentes adhærent Pontifici? Quid faciet Cæsari, qui Pontifici junctissimus est? Quod si bellum appellat, depopulari agros, exscindere urbes, diripere opes, depellere possessione: *Huttenus* hactenus tantum maledixit Pontifici, nec ullam muscam Romanensem læsit, nisi protinus jugulatos existimat, in quos jacit convitium. Sed videat an expediat irritare, quos irritatos non queas opprimere. *Romanenses* optarent semper sibi tales hostes, qualis est *Huttenus*. Quod si malum Romanæ Curiæ non poterat aliter sanari quam bellico tumultu, confusis ac subrutis omnibus, cum hîc nihil possit *Huttenus*, satius erat sinere τὸ εὖ κείμενον κακὸν, quam tanto Orbis malo movere Camarinam. Vellem autem ex *Hutteno* scire, quos sentiat, quoties dicit, *nos*, & *nobis*: nam hoc pronomine frequenter utitur. An omnes qui quoquo modo favent *Luthero*, & male volunt Romano Pontifici? At ego video varium esse genus hominum in hac classe. Sunt enim quidam homines docti, meoque judicio minime mali, qui pleraque *Lutheri* probant, & cuperent accisam esse Romanicis potestatem, cuperent pro mundano Principe, doctorem Euangelicum, pro tyranno, patrem: optarent subversas mensas mentium ac vendentium in templo Domini, optarent coercitam intolerabilem impudentiam *Indulgentiariorum*, *Compositionariorum*, *Dispensationariorum*, *Bullariorum*, optarent multum decedere ceremoniis, & addi studio veræ pietatis. Cuperent Euangelii vigorem, quod jam pene obsoleverat, reviviscere. Cuperent divinæ Scripturæ auctoritati cedere dogmata & opiniones hominum, cuperent humanas constitutiones non præferri præceptis Dei. Nollent Scholastica decreta quævis habere vim oraculi, dolentes populum Christianum gravari quibusdam humanis constitutionibus, veluti de delectu ciborum, de multitudine festorum, de reservatione casuum, de gradibus cognationis adstrictis, de cognatione spirituali. Vellent etiam quædam humana placita cedere publicæ utilitati, quod genus est, ex solo consensu coire matrimonium. Cuperent explicari conscientias hominum, nimis multis laqueis impeditas. Cuperent conciones esse liberas ac sanctas, cuperent Episcopos, qui nunc magna ex parte nihil aliud sunt quam mundani Principes, esse vere Episcopos: Monachos, quibus nunc nihil est mundanius, esse vere Monachos. Hi *Luthero* favent hoc nomine, quod hanc provinciam fortiter videatur aggressus. Cum his mihi si fœdus non est, certe manet vetus amicitia, litterarum glutino conciliata, etiamsi non consentimus in omnibus. Horum nullus est, qui *Hutteni* conatus probet, ne ipse quidem *Lutherus*. Sunt rursus quidam indocti, nullius judicii, vitæ impuræ, obtrectatores, pervicaces, intractabiles, sic addicti *Luthero*, ut nec sciant, nec servent quod *Lutherus* docet. Tantum Euangelium habent in ore, negligunt preces & sacra, velcuntur quibuslibet, & maledicunt Romano Pontifici. Sic *Lutherani* sunt. Horum inconditos tumultus & inconsulta consilia Principes ac Magistratus tandem cogentur opprimere. Itaque fiet horum vitio, ut nec illa corrigantur de quibus mundus merito queritur. Atque inter pocula plerunque feritur fœdus Euangelicum. Adeo vero stupidi sunt fere, ut non intelligant sese plurimum officere causæ cui favent, & qui velit illis prodesse, necesse habeat eos fallere, veluti cum Medicus imponit phrenetico daturus pharmacum. Cum hoc hominum genere nullum optarim ego commercium. At nec *Huttenus* videtur hos probare, quos *vicanos* appellat. Sunt alii, quos suspicor non favere negotio Euangelico, sed inhiare in prædam, ut sub Euangelii prætextu latrocinium exerceant, hos nec ipse probat *Lutherus*. Habent enim longe diversa dogmata, nimirum hæc. Qui prætexere potest aliquid nobilitatis, ei jus est adoriri viatorem in publica via, & spoliare aut captivum abducere. Jus est, ubi quod erat nummorum, vino, scortis & alea decoctum est, bellum indicere cuicunque visum est commodum. Hæc dogmata non habet *Lutherus*. Fortasse sunt nonnulli, qui rebus omnibus profligatis ac perditis, *Lutheranos* se fingunt, ut hoc titulo sibi pariant auctores. An hos omnes *Huttenus* suscepit defendendos? Quoties enim de *Lutheranis* quibusdam loquor, ille commovetur. Si querar à *Lutherano* quopiam mihi marsupium detractum in itinere, an *Huttenus* arbitrabitur hoc ad se pertinere? Nam quod semel queritur, se proprio morsu petitum à me, quoniam nec locum indicat, nec rem, ne mihi quidem libet divinare. Certe cum illa scriberem, non erat animus *Huttenum* lædere, cui favebam litterarum duntaxat nomine. Et si quid tale fuisset, quod secus habet, quid hoc ad hanc infectationem tam criminosam? Si me decies petisset oblique, dissimulassem. Quoties autem revocat me ad suas partes, quo jubet me venire? Ad viros bonos & Euangelicos? Ego libenter advolarem, si quis commonstret. Si quos novit, qui pro vino, scortis & alea, semet oblectant sacra Lectione, sanctisque confabulationculis, qui neminem fraudant pecunia debita, sed ultro largiuntur non debitam egenti: Qui adeo non maledicunt immerentibus, ut convitium ingestum etiam placido responso molliant: Qui nemini vim aut inferunt, aut minitantur, sed injuriam etiam beneficio pensant: Qui adeo nulla movent dissidia, ut memores, Christum beatos appellasse pacificos, ubicunque possunt concordiam & pacem sarciant: qui non jactant glorias suas, laudem venantes, vel ex malefactis, vel ex his, quæ non gesserunt ipsi, sed omnem etiam benefactorum gloriam transferunt in Christum. Si quos novit, inquam, hujusmodi moribus vere Euangelicis præditos, commonstret, & habebit me sodalem. Nam ego *Lutheranos* video, Euangelicos aut nullos aut admodum paucos video. Ut igitur non semoveo ab amicitia mea doctos, qui moderate & cum judicio favent *Luthero*, ita nec altera ex parte, desino eos habere amicos, qui pio studio, & cum judicio moderate *Lutherum* insectantur. Etenim ut demus hos errare judicio, tamen affectus est pius, cum persuasum habeant, per *Lutheri* doctrinam innumeras animas perire. Et tamen per occasionem utrosque moneo, si mihi videantur addictiores suæ parti. Neque enim hîc institutum est pronuntiare de *Luthero*, sed *Hutteni* calumniis respondere. Quid mea civilis amicitia nocet *Luthero*? Fortassis alicubi prodest. Reverendus Pater *Joannes* Episcopus *Roffensis* scripsit ingens volumen in *Lutherum*. Jam olim usus sum illo viro, & singulari amico, & constantissimo patrono. An jubebit *Huttenus* ut illi denuntiem inimicitiam, quia stylum acuit in *Lutherum*? Cum eruditis ferme omnibus mihi intercesserat amicitia, ante *Lutherum* cognitum. Ex his quidam post cœperunt favere *Luthero*. Non ideo renuntiavi eis amicitiam civilem. Quidam mutati sunt nunc parum bene de *Luthero* sentientes, nec ideo desino habere pro amicis. Nec ita me libro, ut ad victricem partem advolem. Ex *Lutherana* parte quid est, quod sperare queam? Quod altera pars offert, quæ potest plurimum, constanter recusavi. Sed consulo quieti meæ, meque quoad licet integrum servo, quo pluribus queam prodesse per occasionem, interim sinceris votis opto vigorem Euangelicum, & Christi gloriam per universum Orbem efflorescere, de me viderit ipse. In hac vita nihil exspecto felicitatis. Sed æquiore tamen animo sum exiturus, si videro Christi causam ferre palmam.

Jam ad Pontificem Romanum redeo, de quo criminatur me nunc aliter sentire, quam olim senserim. *Laudas*, inquit, *hunc Pontificem, & ab eo laudaris viciſſim*. Laudo, sed quem ego, multis conjecturis adductus, spero sincero pectore consulturum gloriæ Christi. Et tamen laudo parcissime. An indignatur *Huttenus*, si talem Pontificem, & olim amicum & nunc benevolentem, paucis verbis laudo in scriptis meis, cum ipse toties, tot verbis, tam magnifice prædicetur in

Digitized by Google

in ſcriptis meis, etiam in opere ſerio, velut in Annotationibus Novi Teſtamenti? Cur hîc me non appellat aſſentatorem? Pontifex ultro miſit ad me duo Brevia, quorum poſterius erat priore amantius ſcriptum. Ea vel ob hoc libenter ſum amplexus, quod plerique veteres amici mei ſibi certum exitium *Eraſmo* paratum promiſerant, poſteaquam hic erat electus Pontifex. Ea res illos vehementer fefellit. Fingat nullum alium fructum mihi rediturum ex Epiſtolis Pontificis, num putas hoc adſpernandum? Sed *Huttenus* hanc appellat vafritiem. His præſidiis *Eraſmus* ſubſiſtat oportet. *Huttenus* habet arces, vallos, copias, bombardas, fumos, ignes, gladios, edicta, bella, quibus ſe tueatur. Mihi præſidium omne ſitum eſt in favore bonorum, & quorundam potentium, quo tamen non abutor niſi ad publicam utilitatem: nam ſi mei rationem haberem, alia ingrederer via. Et tamen *Huttenus* fortaſſe non habet nunc cui timeat; eoque fortis eſt. Ego, ne mentiar, timeo libris meis, unde fatetur & *Huttenus* fructum non mediocrem proficiſci ad quamplurimos. Hunc fructum mea temeritate nolim perire: nec enim in aliud ſervo me, niſi ut proſim. Exprobrat etiam, quod me mihi laudat Pontifex, & Card. *Sedunenſis*. *Laudat*, inquit, *te tibi*. Quaſi mihi vitio vertendum ſit à talibus laudari! quanquam ego laudationem interpretor admonitionem. Scilicet potius erat ambiendum, ut laudarer ab *Hutteno*. An vero iſtud prodigioſum eſt, ut laudemus eum ad quem ſcribimus? An *Paulus* non laudat *Romanos* quibus ſcribit? *Eraſmus*, inquit, *Romano Pontifici ſe dedidit*. Quid? an unquam fuit inter nos bellum, ut deditio facta ſit? An non æque deditus eram *Leoni*, non admodum laudato Pontifici? *Polliceris*, inquit, *te non defuturum dignitati Sedis Romanæ*. Verùm hoc illis ſcribo, apud quos delatus eram cum *Lutherò* conſpiraſſe adverſus Sedem Romanam. An ideo polliceor me patronum tyrannidis, rapacitatis, & aliorum malorum, quæ *Huttenus* objicit Romanenſibus? Imo non uno in loco interpretor, Sedis illius ac Pontificis dignitatem ſitam eſſe in virtutibus Apoſtolicis. Huic dignitati polliceor me non defuturum. Ad ſubvertendum Euangelium, ut ait *Huttenus*, non arbitror quenquam Pontificem, duntaxat hunc, imploraturum operam noſtram, & ſi exigeret, non præſtarem. Nec cujuſquam Principis vel metus, vel gratia tantum apud me valebit unquam, ut ſciens adverſer Euangelicæ veritati aut gloriæ Chriſti. Et tamen eſt alicujus opinor prudentiæ ſic alere Principum favorem, ut non deſeras Euangelicam veritatem. Et utri rectius conſuluerint Euangelico negotio, rerum exitus comprobabit. Sed interim obliquo dicto fallo, quod plerique ſic interpretentur, me vindicaturum Curiæ Romanæ jus exercendæ tyrannidis, rapiendi, cauponandi ſacra pariter ac profana. In diſcrimine licet ambiguo fallere. *David* etiam furorem ſimulavit. Et tamen ne quis falli poſſit interpretor. Scribo me non defuturum Sedi Romanæ, ſi illa non deſit gloriæ Chriſti: me illi pro virili adfuturum, ſi illa ſinceris rationibus provehere nitatur rem Euangelicam. Hujuſmodi cum multis locis inculcem, tamen diſſimulat *Huttenus*. Tantum venatus eſt loca quædam quæ depravaret. Quanquam magis ſuſpicor delatores indicaſſe loca quædam. Nec enim adducor ut credam *Hutteno* in tantis negotiis, quæ domi bellique gerit, eſſe otium noſtra legendi. Sed intolerabilius eſt, quod alicubi ſcripſi, neminem pium non favere Pontifici Romano. Hîc non videt illud poſtulaſſe dictionis œconomiam, ut Pontifice conciliato, odium in quoſdam transferrem, qui rem parum dextre gerebant nomine Pontificis. Neque tamen falſum eſt quod ſcripſi. Favet enim Pontifici, quiſquis cupit illum maxime florere donis Apoſtolicis: licet odiſſe *Leonem*, & tamen favere Pontifici. Qui favet malefactis Pontificum, non favet Pontificibus. Objicit & hoc, quod illius Sedis auctoritatem tot ſeculis ſequutus eſt Orbis Chriſtianus. Quod ſcripſi verum eſt, & utinam perpetuo ſequeretur, modo illa ageret negotium Chriſti! *Huttenus* clamat, id nunquam futurum. At nos ſperamus meliora, præſertim hoc Pontifice. Utrum autem ſanctius eſt, ſequi auctoritatem Pontificis Romani, an ſequi auctoritatem *Hutteni*? nam ad hanc collationem adhibui dictum hoc. Quemadmodum & illud quod objicit de auctoritate Orbis conſenſu, tot ſeculis comprobata. Argumentor enim mihi dandam veniam, ſi in rebus controverſis homo parum doctus, ſequar auctoritatem Romani Pontificis, potius quam hujus, aut illius: quibuſdam enim illud ſatis eſt, ut credant, quod *Lutherus* dixit, *αὐτὸς ἔφα*. Hoc ſi *Lutherus* poſtulat, inſanit: ſi non poſtulat, inſaniunt illi. Certe conſtat poſtea Græciam quoque in Romani Pontificis auctoritatem conceſſiſſe. Orbem autem voco maximam Orbis Chriſtiani partem, niſi forte *Huttenus* ſophiſtam agens, objiciet *ſciopodas* nondum dediſſe nomen Pontifici Romano. Quin etiam ſi principatus Pontificis non eſſet à Chriſto, tamen expediret unum eſſe, qui cæteris auctoritate præmineret, ſed quæ longiſſime tamen abeſſet ab omni tyrannide. Quod autem alicubi ſcripſi oportere ſacroſanctam eſſe Romani Pontificis auctoritatem, idem non dubitem dicere de ſingulis Epiſcopis, modo ne præcipiant impia. Jam enim deſinunt eſſe Epiſcopi. Dici vix poteſt quam periculoſe populus aſſueſcat oppedere juſſis Epiſcoporum hoc titulo quod mali ſint, mox enim nec bonis erit dicto audiens. Objicit & illud quod ne morte quidem alicubi ſcripſerim me divellendum à Sede Romana. Dicendum hoc erat cum delatus eſſem, quod conſpiraſſem adverſus Sedem Romanam. Quid tum poſtea? An ideo confirmo tyrannidem, aut vitia Romanenſium? addit me hoc impudenter ſcribere, qui toties diſceſſerim à Sede Romana. Imo hoc impudenter fingit *Huttenus*. Scripta mea diverſum clamitant. Nec ideo diſceſſi à Sede Romana, ſi quædam illius Sedis improbavi. Imo ſunt inter *Anti-Lutheranos* qui damnant, quod Pontifices hactenus habuerunt omnia venalia, nec ideo defecerunt à Sede Romana. Alioqui & Cæſar & hic Pontifex receſſiſſent à Sede Romana, qui conſultant de tollendis illius vitiis. Objicit & illud quod alicubi ſcripſerim, *Quis non faveat ejus dignitati, qui virtutibus Euangelicis* Chriſtum *nobis repræſentat?* Quid hîc calumniatur *Huttenus?* Admoneo qualem oporteat eſſe Pontificem, & quatenus illi favendum ſit. Sed dicis hoc figurate. Quid refert, ſi res & tempus figuram poſtulet? Ubi vero ſcribo, me ſanare poſſe has diſcordias? optarim poſſe. Quod ſi poſſem, non durarent in craſtinum. *Sed clama*, inquit, *ne ceſſes, annuntia populo ſcelera eorum*. Clamavi liberius, quam mea fortuna ferebat, & ejus eſt clamare in aliena peccata qui ipſe immunis ſit à peccatis. Ego parcius inſector aliena peccata, quia mihi quoque conſcius ſum multorum admiſſorum. Clamet *Huttenus*, homo purus, in quem nihil criminis poſſit regeri. Non ſum *Eſaias*, & hic jubetur in populum clamare. *Huttenus* me jubet clamare in Principes, cum ſcriptum ſit, *Principi populi tui non maledices*. Magni refert utrum Deus præcipiat *Eſaiæ*, an *Huttenus Eraſmo*, clama. Eſt autem clamor quidam inutilis, qui nihil aliud quam tumultus excitat, & irritat tyrannidem. Alioqui ne nunc quidem ceſſo clamare in ſcriptis meis, quatenus ſpes eſt proficiendi. Clamo etiam dum ſcribo Paraphraſes. Quid enim eſt aliud Euangelii lux, quam redargutio noſtrarum tenebrarum? Expendat hoc quiſquis integer eſt, utrum plus utilitatis adferant *Huttenici* clamores, an mea ſilentia. Ubi vero defui Reipublicæ Chriſtianæ, ſi licuit prodeſſe? Quanquam Principes nec à quovis objurgari ſuſtinent: nam id Epiſcoporum munus eſt. Atque id convenit clam fieri potius quam apud populum. Aut cui ſumo hos labores præter ætatis ac valetudinis rationem?

Si componere, inquit, *ſtudes inter partes concordiam, cur alteram partem atrociter impugnas?* Imo alio loco dixit *Metium*, & nunc ait me totis viribus ferri in alteram partem. Ubi vero commiſſa eſt hæc pugna? Tantum in Epiſtola ad *Laurinum*, adverſus quoſdam mo-

Digitized by Google

rosos mihi jus vindico, si res ita postulet, sacræ Scripturæ testimoniis ac solidis rationibus, citra convitia congrediendi cum *Luthero*. Et queritur illud *Huttenus*, quod convitiis & clamoribus duntaxat agatur cum *Luthero*. Cur igitur sic debacchatur in eum qui pollicetur se, si congredi velit cum *Luthero*, à clamoribus & convitiis temperaturum, ac sedata collatione tantum sacræ Scripturæ testimoniis & rationibus veris acturum? Nihil enim aliud promisi, & tamen hoc ita promisi, ut satis ostenderem me non facturum, nisi ostensa spe proficiendi. Nam quod in *Lutheri* scriptis offendit me immodica maledicentia, & arrogantiæ species, eædem res offendunt etiam illos, qui *Luthero* sunt juratissimi. Nec id dissimulavi *Coloniæ* apud ipsum *Saxoniæ* Ducem *Federicum*, audiente *Georgio Spalatino*, cum nondum exisset apud nos *Captivitas Babylonica*. Responsum est eum in concionibus ac prælectionibus esse mansuetissimum. Gavisus sum & laudavi, addens eam mansuetudinem maxime præstandam in scriptis, quæ toto Orbe volitent, cum vox ad paucos perveniat. Polliciti sunt se daturos operam, ut id fieret. Nec *Huttenus* ipse negat in *Luthero* desiderandam modestiam ac lenitatem. *Sed quid hoc*, inquit, *ad causam?* Istuc à nemine minus conveniebat quæri, quam ab *Hutteno*, qui cum ubique contendat *Lutheri* causam esse justam, sanctam ac piam, maxime debebat irasci vitio, quod plurimorum animos alienat. Si *Lutherus* ab initio candide mansueteque docuisset, abstinens ab his quæ prima specie ferri non poterant, nihil fuisset tumultus. Si mihi terque quaterque frater esset *Lutherus*, si doctrinam illius totam probarem, non possem non vehementer improbare tantam in asseverando pervicaciam, tam acerbam ubique paratam maledicentiam. Nec adhuc possum animo meo persuadere Christi Spiritum, quo nihil mitius, inhabitare pectus illud, unde tanta scatet amarulentia. Atque utinam hîc me fallat mea suspicio! At habet & spiritus Euangelicus suum stomachum: audio, sed alium, nec usquam abest mel illud caritatis, quod objurgationis aloen condiat. Audio *Petrum* indignantem *Simoni: pecunia tua sit tecum in perditionem. An existimas donum Dei parari pecunia?* Hoc convitium ab Apostolorum omnium mitissimo extorsit rei indignitas. Sed audi nunc condimentum: *pœnitentiam itaque age, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis.* At *Lutherus* in argumentando parcus & adstrictus, in convitiis & scommatis neque modum novit, neque finem, ibi sæpenumero sannis & salibus ludens, ubi res nullam præbet occasionem: velut in Libello, quem scripsit adversus Regem *Angliæ*, quid invitabat ut diceret, *Veniatis Domine* Henrice, *ego docebo vos.* Certe Regis Libellus Latine loquebatur nec inerudite. Et tamen sunt quibus ista mire videntur festiva. Queritur *Huttenus* quod ego præbita qualicunque spe me disputaturum cum *Luthero*, addiderim animos Principibus, ut veluti redintegrato bello coorirentur adversus *Lutherum:* cum ipse potius acerbitate calami provocet omnium animos in se, & ad exemplum capræ *Scyriæ*, de qua est in Græcorum proverbiis, hoc ipsum quod reddidit boni lactis, ferocia subvertit. Arrodit & illud *Huttenus* quod alicubi scripsi, non esse Euangelicum technis ac vi quenquam in sua castra pertrahere: cum olim Christiani celarint eos qui vocabantur in periculum, nec admittebant in suum contubernium nisi sponte volentes & ambientes, cum me tot artibus conati sint irretire *Lutherani* quidam ne possem resilire. Hoc vult à me confictum videri, nisi proferam qui hoc fecerint. Imo ipse respondeat, quid egerint illi, qui primam illam Epistolam *Luthero* scriptam evulgarunt, quid qui loca quædam odiosa, è libris meis decerpta, & in Linguam Germanicam versa, typis publicarunt, præter alia quædam incivilius etiam evulgata? Quid egerint, qui Epistolam ad Cardinalem *Moguntinensem*, secreto scriptam, nec Cardinali reddiderunt, & opera Typographorum evulgarunt? Quid aliud agebant isti, nisi ut obsides haberent ex me, ne resilirem? Hæc duntaxat attingo, quæ manifesta sunt, possem & alias narrare fabulas, si libeat. Illud deprehendo ferme in omnibus qui sese huic factioni addixere, quod quemadmodum qui in aquam delapsi sunt, quemcunque possunt arreptum secum pertrahunt in exitium, etiam si quis periclitantibus conetur succurrere: ista isti per omnem occasionem quoscunque possunt involvere studeant communi periculo, etiam illos per quos poterant eximi periculo. Denique exponat nobis *Huttenus* quid senserit cum scriberet hæc verba: *Nullos libros scribes meliores, si tamen ullos scribes:* & postea neget esse qui vi conetur pertrahere. Interim ait me nihil agere, tum defixis pedibus hæream in factione *Lutherana*, vel libros meos staturos ab ipsis, si ego maxime defecero. Quæso te Lector, qui hæc scribit, & qui minitatur nescio quas Epistolas arcanas, qua fronte flagitat, ut proferam, qui technis ac vi me conentur pertrahere in factionem *Lutheranam?* Sed qui hæret defixis pedibus? is qui perpetuo & constanter aversatus est factionem, qui dehortatus omnium est primus à periculoso negotio? Quod in libris meis est, inficiari non possum, & hactenus tutatus sum absque præsidiis *Hutteni*. Quod si libri mei docerent eadem quæ docet *Lutherus*, cum habeam tam multos insigniter infensos, idem honoris retulissent, quod retulerunt libri *Lutheri*. *A nobis stabunt*, inquit. A quibus? Toties hoc pronomen, *nobis*, occurrit, cum *Huttenum* nec *Lutherus* agnoscat, neque quisquam *Lutheranus* paulo cordatior. Similis farinæ est & illud, quod minitatur fore, ut si quid acciderit parti *Lutheranæ*, nihilo mitius me tractet pars victrix, quam nos, inquit. Atqui ego non indixi bellum Pontifici Romano, non scripsi postillas in Bullam Pontificis, non professus sum protectorem *Lutheranæ* factionis, non adversatus sum edicto Cæsaris. Quid autem sibi vult illud, si quid acciderit? An non plane vincit ac regnat pars *Luthero* adversa? An non hactenus inermem me exposui omnibus? Quid factum est *Erasmo?* Cæsar honoravit, idem fecit *Ferdinandus*, Pontifex offert & amicitiam & fortunam. Tantum insani quidam fremunt in me, devoti hostes bonarum litterarum, quibus *Huttenus* hoc libello voluit gratificari, certe gratificatus est. Quanquam qui persequuntur *Huttenum*, non ista magnopere objiciunt. Sunt alia quædam, in quibus fatetur me non conjunxisse socia arma: Et ab his amicis plus est illi periculi, quam à Pontifice, cui jam pridem bellum indixit.

Quam atrociter autem exagitat, quod alicubi scripsi, non semper esse proferendam veritatem, & magni referre, quo modo proferatur. *Quam tuam sacrilegam vocem*, inquit, *in jugulum recogi oportuit* (jam enim stomachosius hoc me eloqui res cogit) *si officium debite facerent, qui hæreticos vel ad recantationem adigunt nunc, vel in ignem conjiciunt. Christus* primum legans Apostolos ad Euangelicam prædicationem, vetuit ne proderent se esse *Christum*. Si veritas ipsa jussit eam veritatem ad tempus sileri, citra cujus cognitionem ac professionem nulli contingit salus: quid novi, si ego dixi alicubi supprimendam veritatem? Idem nonne siluit apud sceleratum concilium, quod coierat in domo *Annæ* & *Caiphæ? Si dixero*, inquit, *vobis, non credetis mihi.* Veritatem dicturus erat. Cur igitur siluit? quia sciebat nullum fore profectum. Nonne similiter obticuit apud *Herodem?* Sit parum hoc illum feciisse, nisi docuit ita faciendum. *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus, nolite margaritas objicere porcis.* Cum jubet Apostolos emigrare è civitate, quæ se præbeat indignam Euangelico sermone, nonne silere jubet quod verum est? *Petrus* in primis illis suis concionibus Christum virum appellavit, Deum tacuit. Idem fecit *Paulus* apud *Athenienses*. *Paulus* loquitur sapientiam inter perfectos, utique veram: inter imbecilles igitur silet, quod verum est. *Paulus* Apostolos vocat *dispensatores mysteriorum Dei.* Qui dispensat, nonne quædam promit, quædam recondit, utcunque poscit profectus auditorum? Cur Catechumenis non statim aperiebantur omnia mysteria Philosophiæ Christianæ? Quia nondum erant capa-

capaces. Et tamen hîc non loquebar de articulis fidei, ſed de paradoxis *Lutheri*, deque convitiis in Pontificem. Finge mihi conſtare, feſtum Paſchæ non ſuo die celebrari, utrum expedit eam veritatem magno Orbis tumultu defendere, an ſilere? Si mihi apud tyrannum præpotentem eſſet agenda cauſa innocentis, num omnia vera proloquar, & cauſam innocentis prodam, an multa reticebo? *Huttenus* vir fortis ac veritatis tenaciſſimus ſic ageret opinor: Sceleratiſſime tyranne, cum tot cives te meliores occideris, nondum ſaturata eſt tua crudelitas, niſi hunc innocentem tollas è medio? Neque multo dexterius quidam agunt cauſam *Lutheranam*, qui ſeditioſis libellis debacchantur in Romanum Pontificem. Aut ſi cui viro bono ab impio Pontifice conaretur impetrare Sacerdotium, ſcriberet hunc in modum: Impie Antichriſte, exſtinctor Euangelii, publicæ libertatis oppreſſor, adulator Principum, tot Sacerdotia turpibus turpiter donas, ac turpius vendis, da huic bono viro hoc Sacerdotium ne male colloces omnia. Rides lector. Attamen iſti nihilo prudentius agunt negotium Euangelicum. Nec tamen dixi omnem veritatem ſilendam, nec perpetuo, ſed alicubi. An nuſquam tacendum eſt, quod Romanus Pontifex eſt Antichriſtus? nam finge illum eſſe. An non diu ſiluit *Hilarius* antequam ſcriberet adverſus *Arianos*? Ipſe fatetur & excuſat. *Cyprianus* porrecturus cervicem pro Chriſto, cum Præfectus illi objiceret, quod conſpiraſſet adverſus Cæſaris majeſtatem, quomodo reſpondit? Merito adverſus illum conſpiramus, cultor eſt Dæmoniorum, hoſtis Dei, hæres æterni ignis? Nequaquam, ſed negavit ſe eſſe hoſtem Cæſaris. Imo quotidie orare ſe pro illius incolumitate, ob publicam tranquillitatem. Sic enim decebat ab Epiſcopo Chriſtiano proferri veritatem. Quomodo autem *Hilarius* ſcribit *Conſtantio* ſuam agens cauſam? Nonne multa tacet, multa diſſimulat, multa blandius dicit, quam pro illius merito? Imo quomodo *Paulus* agit cauſam ſuam apud *Felicem*, *Feſtum*, & *Agrippam*? An nihil illic tacet veri? An non ſumma comitate, quod verum eſt proloquitur? Quid igitur eſt in hoc meo dicto ſacrilegum per jugulum recogendum, & incendio dignum? Non pudet hunc in talibus nugis tales excitare tragœdias? Jam illa non dubito quin omnibus videantur eſſe ridicula, quæ ſomniat de mea ad Romanos profectione, de occurſu Cardinalium, de gratulationibus, de donariis. Hæc minus ridicule fingeret, ſi me jam ad Romanum iter accinxiſſem. Atque hîc ſubito ex accuſatore factus conſultor, admonet ne credam fucatis amicis. O amicum animum ac pro ſalute mea mire ſollicitum! Nil opus eſt talibus monitoribus. Melius ſcio quid agatur *Romæ*, quam *Huttenus*. Feſtivum & illud, quod cum nihil omnium probarit, quæ dixit, in fine movet affectus, revocat me, deplorat vicem meam, ſubinde miſereſcens mei, rurſus dubitans an dignus ſim ipſius miſericordia, credens interim ſe dare verba mundo ignotum. Quid autem ſtultius, quam me inde revocare, ubi nunquam fuerim, & eo vocare ubi ſum? Revocat à partibus peſſimorum, qui ſtabiliunt tyrannidem Romanenſium, qui ſubvertunt Euangelicam veritatem, qui obſcurant gloriam Chriſti. Atqui adverſus iſtos ſemper bellum geſſi: invitat autem ad partem ipſius, cum mihi nondum conſtet ubi ſit *Huttenus*. Verùm hîc interim cogor deſiderare judicium *Hutteni*, cum tota hac oratione faciat me hominem vaniſſimum, leviſſimum, inconſtantiſſimum, & qui fruſto panis revocari poſſim in diverſam partem, imbecillem, meticuloſum, exſanguem: quid opus eſt talem in fortium virorum partes invitare, amicum ἐφήμερον, & ſi perſeveret, nihil aliud quam ficulnum, ut Græci dicunt, auxilium?

Sed de *Luthero* ac Pontifice jam ſatis, opinor, dictum eſt. Nunc quoniam locus admonet, pauca de moribus meis reſpondebo, quos promittit ſe perpetuo detecturum. At vereor ne hoc Libello magis detexerit ſuos mores, quam meos, ac fortaſſis ipſe conſultius fecerit, ſi ſtudeat ſuis moribus contegendis quam retegendis alienis. Quid autem improbius quam *Huttenum* ſumere cenſuram morum meorum, qui nunquam mecum egerit conſuetudinem, niſi quod ſemel atque iterum congreſſus ſit, & ſemel, aut ad ſummum bis, mihi fuerit conviva? Pronuntient de moribus meis, qui familiariter ac diu mihi convixerunt. Probat inſtitutionem meam, mores improbat, & ab horum imitatione dehortatur *Germanos*. Age dividatur hæc utilitas inter nos, ſumat *Germana* juventus à nobis inſtitutionem, morum exemplar petat ab *Hutteno*. Sitque hoc jam unum ſpecimen *Germanicæ* ſinceritatis, cum non poſſis inimico nocere, talibus libellis ſubito jugulare amicum, &, quod ſuperat omnem barbariem, ex ipſa amicitia telum quo confodias amicum, velut è bove, quod ajunt, lorum ſumere. Niſi enim *Huttenum* complexus fuiſſem ſincera benevolentia, non haberet quo me læderet. Quanquam magis indignor illi, qui *Huttenum* huc inſtigavit, cui nec ipſi fuiſſet facultas nocendi, niſi fuiſſet in familiaritatem admiſſus. Nec is fraudabitur ſua laude, cum ſeſe prodiderit. Hactenus enim, juxta Comici dictum, *quod ſcio neſcio*. Et poſtea relegat me in meam *Gallo-Germaniam*, cum ipſe in *Germania* nullum habeat locum ſatis tutum, malitque hoſpes eſſe *Helvetiorum* clancularius, quam *Germanus* apud *Germanos* in luce agere. Ne quid interim taxem, quod *Bruxellenſes*, qui ſine controverſia *Galli* ſunt, appellat *Gallo-Germanos*, ac me relegat è *Germania*, quaſi *Baſilea* vivens agam in *Germania*. Proinde ſi *Huttenus* regnum obtinet in tota *Germania*, ut jus habeat relegandi quem velit, mihi debet æquior eſſe, qui natus ſim inter oſtia *Rheni*, ſed propior *Galliæ* quam *Germaniæ*, nec unquam attigi *Germaniam*, niſi ſemel atque iterum, obiter aliquod inviſens oppidum *Rheno* vicinum, velut olim *Francfordiam*, nuper *Friburgum*. Nec admodum in votis eſt altius ingredi. Nondum gravavi *Germaniam*, à qua nihil unquam ambii, niſi gravat, qui ſuis ſudoribus adjuvat publica ſtudia. Nec hîc ago pro tempore ut quenquam ſpoliem, ſed ut meo ſumtu proſim bonis litteris & Euangelico negotio. Ut *Germanorum* amicitiam libens amplexus ſum, ita, gratia Superis, nullius egeo benignitate. Ego nunquam jactavi mores meos, & quotidie cum illis rixor, etiam ſenex: gaudeo tamen eſſe puros ab his vitiis, quæ mihi largiter tribuit *Huttenus*, id quod omnium teſtimonio probare poſſum, quibuſcum familiariter vixi. Primum facit meticuloſum, adeoque infirmi animi, ut meam ipſius umbram pene metuam. At *Huttenus* meminiſſe debet, plurimum intereſſe inter fortitudinem ac temeritatem. Tentare quod non poſſis efficere, provocare quos nequeas coercere, dementia eſt, non fortitudo. Eſt quædam gladiatoria fortitudo, quæ in nervum erumpit. Prudenter ſcripſit Lyricus noſter: *Vis conſilii expers, mole ruit ſua, Vim temperatam Dii quoque provehunt in majus*. Et tamen ſi quis perpendat libertatem, quæ eſt in libris meis, citius alicubi me damnabit temeritatis, quam timiditatis. Vide vero, quam ſtudio eſt iniquus. *Huttenus* ipſe talis qualis nunc etiam eſt, vult haberi formidabilis, & me meticuloſum vocat, quod Cæſarem ac Pontificem metuam citra veritatis Euangelicæ proditionem. Ipſe cum eſſet *Bruxellæ*, non auſus eſt illic manere, quod alacer, ut ipſe tum narrabat, occurriſſet *Hochſtratus*, qui tum nec Prior erat, nec Inquiſitor, nec ullis Bullis aut Diplomatis inſtructus. Ille ſic metuebat exarmatum *Leonem*, ut ſe ſubduceret: & ego meticuloſus ſum, ſi non ſtultis convitiis ubique provoco tot hoſtes, qui mihi & ante *Lutherum* male volebant, nunc tot edictis, tot Bullis, atque etiam ſatellitio armatos? Prudentis eſt aliquando metuere ne metuas, quod ſi feciſſet *Huttenus*, nunc non metueret omnia, ſed eſſet carus pleriſque, metuendus multis. Neque cuiquam feliciter ceſſit hoſtem ſuum contemniſſe. Quid liberius Libello *de Principe*? Eum ego *Carolo* Cæſari in manum dedi. *Huttenus* ſibi fortis videtur, ſi ex angulo quopiam dictum aliquod jaciat in hunc aut in illum, & telo, quod ajunt, immiſſo fugiat. Non video cur hujus animi me magnope-

gnopere pœniteat, qui hactenus tot morbis, tot laboribus, tot casibus, tot tragœdiis suffecerit, qui & inimicorum maledicentiam, atque etiam maleficentiam contemnere, qui opes ac dignitates à Monarchis oblatas recusare sustinuerit, qui in tantis rerum motibus ac periculis, nunquam remiserit studium benemerendi de publicis studiis. Atque interim jactat se mihi voluisse addere animum. Præstaret si sibi detraheret aliquid animi, & adderet judicii. At *Huttenus* autumat mortem etiam oppetendam pro veritate Euangelica. Nec ego istuc recusem, si quis casus eo vocet. At pro *Luthero* proque *Lutheri* paradoxis nondum est animus mortem oppetere. Non agitur de articulis fidei, sed an principatus Romani Pontificis sit à Christo: An Cardinalium ordo sit necessarium membrum Ecclesiæ: An Confessio sit ab auctore Christo: An Episcopi possint suis constitutionibus obligare ad peccatum capitale: an ad salutem conducat liberum arbitrium: An sola fides conferat salutem: An dici possit aliquod bonum opus hominis: An Missa possit aliqua ratione dici sacrificium. Pro his quæ solent esse themata conflictationum Scholasticarum, nec ausim cuiquam vitam eripere si judex sim, nec velim in capitis discrimen venire. Optarim esse Christi martyr si vires ipse suppeditet, *Lutheri* martyr esse nolim. Quod autem me subduxi à *Brabantia*, quod à *Roma* abstineo, non metus est, sed consilium. Sciebam me illic esse non posse, nisi descenderem in arenam adversus *Lutherum*. *At non habebas*, inquit, *tu apud te consilium quid esset facto opus, si Cæsar te jussisset in* Lutherum *scribere?* Age det mihi consilium *Huttenus*. Fingat ita Cæsarem loqui, quod sine dubio factum fuisset: *Erasme*, persuasum est nobis te esse virum, qui & eruditione & stylo plurimum valeas, atque etiam gratia polleas apud eruditos *Germanos*. Adjuva igitur nostros conatus in opprimenda pestilentissima hæresi *Lutherana*, laturus à nobis amplissima tui officii præmia. Quid hîc respondissem? Non vacat, non suppetunt vires ad id præstandum, quod exigit tua Majestas. Ille urgeret: Quid possis abunde cognitum habemus ex doctis viris, rogamus ac volumus ut hac in re morem geras animo nostro, simul & à nobis inibis gratiam, & te falsa suspicione liberabis, quæ te non semel jam detulit fautorem esse *Lutheranæ* impietatis. Hîc mihi suggerat *Huttenus*, quid esset respondendum. Si pollicitus fuissem me facturum, omnibus posthabitis, fuisset tragœdiæ serviendum. Coactus fuissem me præbere scribam Monachis quibusdam ac Theologis, quos nimium novi. Nec licuisset scribere Paraphrases, aliaque quæ spero non huic tantum seculo profutura. Sin pernegassem, conjecissem me ipsum in aculeos crabronum, & in manifestam perniciem. Quo me proripuissem? Ad arcem *Hutteni?* Ad *Wittenbergam?* Sed ubi fortunula quæ mihi perisset? Hæc ætas, hæc valetudo non patitur me vagari, & egere, non patitur latitare ac fugitare. Nunc ita mea temperavi, ut nec inexplicabili Labyrintho me involverim, nec deseruerim rem Euangelicam. Mihi nondum plene constat, an veritas Euangelica sit penes *Lutherum*. Quod si constat *Hutteno*, veri tenaciissimo, & paratus est pro illius defensione mortem oppetere, cur fugitat ac latitat? Eat *Romam*, aut eat in *Gallo-Germaniam*. Ibi continget sperata palma. Hactenus de hujus animi imbecillitate, quem ego cum decem *Hutteni* animis plusquam *Achilleis* nolim permutare.

De constantia mea puto jam satis dictum. Non est constantia semper eadem loqui, sed semper eodem pertendere. At non decet *Germanum* vafrities. Respondeat igitur mihi *Huttenus*, cum hinc abiret, an recta publicaque via pervenerit *Milthusium*, & an clara luce *Milthusio* discesserit. Ubique me vanissimum facit, & impudentissime mendacem, sibi veritatem illam adamantinam arrogans. At ego pauciissimis in hac laude concessero. Mendaces oderam jam tum puellus, sensu quodam naturæ, cum nondum scirem quid esset mendacium. Et nunc homines ejusmodi sic averfor, ut etiam ipso corpore commovear ad illorum adspectum. Hujus rei testes erunt, qui cominus familiari domesticaque consuetudine meum pernoverunt ingenium. Imo quibus propius notus sum, illud mihi vitium ceu peculiare tribuunt, linguæ libertatem immodicam, quæ verum tacere nesciat. Atque hæc est præcipua causa, cur me ab aulis Principum subduxerim, in quibus, velis nolis, multa indigna atque iniqua mussanda sunt. Objicit incivilitatem, atque etiam perfidiam erga amicos. Incivilitatem quid appellet nescio. Deducere, reducere, vocare, & itare ad convivium, ac similibus vulgaribus officiis uti erga quosvis, nec est hujus valetudinis, nec hominis tot laboribus districti. Quanquam interim ego ille incivilis, plusquam dimidium temporis impendo Epistolis, quibus respondeo, quibus saluto, aut commendo amicos. Alicui fortasse pernegavi convivium, meæ saluti consulens. At frequenter obsequutus sum magno valetudinis meæ dispendio. Neque raro ineptii dum amicorum affectui morem gero, cujus obsequii me frequenter pœnituit. Prodeat autem aliquis amicus, cui negarim fidele consilium, cui negarim officium, si quando res serio postulabat. Sed obtestata fide, quidam questi sunt de mea perfidia. Perfidiam mihi nec inimicus unquam objecit. Nec dubitem omnes amicos provocare, ut proferant ubi non præstiterim quod recepi, ubi mendacio dolove fefellerim, cujus arcanum effutierim. Possum illud mihi meo jure sumere, perpaucos esse, qui sint amicitiæ tenaciores, quam ego. Atque utinam fuissem tam in suscipiendis amicitiis, vel felix vel circumspectus, quam sum constans in retinendis! Nunquam simultatem exercui cum eo, quem vere & ex animo semel amarim, contentus remisisse familiaritatem. Atrox flagitium sit oportet, quod apud me dirimat amicitiam. Exempli causa referam unum atque alterum casum. Ante annos aliquot scripseram Epistolam ad Card. *Moguntinum*, contra clamores Theologorum *Lovanienſium* in *Lutherum*. Eam misi tunica obvolutam cum inscriptione ad quendam, qui nulli notior est quam *Hutteno*, mandans illi, ut si videretur redderet, sin minus, vel flammis vel undis aboleret. Existimabam enim illum, qui viveret in familia Cardinalis, & ille, ut tum putabam, illi esset à consiliis, melius nosse sensum Principis. Quid factum est? Edita est Epistola, vulgataque typis, nec reddita illi ad quem erat scripta. Ex hac re cum & Cardinali gravis invidia conflaretur apud Romanenses, & mihi apud nostros, (jam enim triumphum adornabant gloriantes me teneri medium) *Moguntinus* commotus exigit Epistolam ad se scriptam, quæ jam totos tres menses per omnium manus volitabat. Tandem acriter flagitanti, reddita est ea quam miseram, semilacera ac Typographorum atramento contaminata. Ea res, ut debuit, ægre habuit Principem, mihique indignabatur, suspicans id mea culpa factum. Nihil hîc affingo. Ipse Cardinalis post suis litteris mecum expostulavit hac de re. Quas tragœdias excitasset *Huttenus*, si quid ejus generis commisissem in ipsum? Primum prodita est fides in mandatis amici. Nocuit causæ vulgata Epistola, quæ secreto lecta prodesse poterat. Et amicum & patronum benemeritum gravavit invidia. Postremo mihi Principem tantum ex amico reddidit inimicum. Et tamen hac de re vix tribus verbis expostulavi coram. Atque is risu verecundo confitens factum, respondit secretariorum incuria commissum esse. Nec post ullum addidi verbum, homo incivilis, hoc ipsum etiam dissimulans, quod de ipso suspicarer. Accidit ab eodem post, quiddam multo incivilius, ac mihi periculosius, de quo tamen nunquam expostulavi, nec minus amicus esse cœpi, sed cautior esse decrevi. Quam vero non amice fecit, qui decerpta ex libris meis odiosa loca, vertit in Linguam Germanicam & evulgavit? At ego illa vulgo non scripseram, neque volebam nuda legi. Cum hoc quoque paucis verbis per Epistolam expostulavi in hanc sententiam: *Audio hoc abs te factum, fortassis ista facis amico animo, sed ego gaudeo meis inimicis*

non

Digitized by Google

non esse tantum ingenii ad laedendum. Hac Expostulatione contentus, passus sum manere pristinam amicitiam. Quot hujus generis fabulas commemorare possem? Nec ulli tamen adhuc renuntiavi amicitiam, ego ille incivilis & inhumanus. Quod si quisquam hujusmodi factum ullum mihi vere possit impingere, fatebor omnia esse vera quæ calumniatur *Huttenus*. Proferat igitur illos amicos, qui obtestata fide mihi perfidiam objiciunt, & facile illi os obturabo. Quod si mihi permitterem quidvis de *Hutteno* suspicari, quemadmodum sibi permittit quidvis vitii de me confirmare, suspicarer illius esse commentum, quoties ait: Quidam dicunt, audivi in Gallia. Quin addit, somniavi? Tribuit mihi gloriæ famæque sitim inexplebilem. Id si verum esset, jam olim me addixissem Romanæ Curiæ. Offerebatur ingens gloriæ seges. Admiscuissem me aulæ Cæsareæ, quo non semel vocatus sum. Accepissem fortunas ac dignitates, quæ offerebantur. Delegissem argumenta magnifica ac plausibilia. Nunc recusatis pertinaciter his quæ glorioſos faciunt, inglorium otium mordicus teneo, & in his versor argumentis, quæ minimum habent ostentationis. Nam *Huttenus*, opinor, meum animum ex suo metiens, non credet dejeranti, me perlibenter hoc quicquid habeo famæ depositurum, si liceret. Quod si sciissem olim quantum onus sit fama, sequutus fuissem illud *Epicuri* λάθε βιώσας. Sed jacto Principum ad me litteras, & aliorum de meis Lucubrationibus prædicationes. Ex eo pronuntiat me esse vanissimum, hoc est, inanissimum, nam id suspicor illum sentire. Imo vix profero decimam partem Epistolarum, quas ad me scribunt Principes, ac docti, sed interdum eas commemoro, quo me tuear adversus impudentiam obtrectatorum: nec enim aliis præsidiis adversus illos pugnare possum, nec aliis munimentis hactenus adversus illorum improbitatem substiti, nisi, ut dixi, innocentia, & bonorum ac Principum favore. Nunquam enim jactavi, quod illustrissimus Princeps *Ferdinandus* humanissimis litteris me jam iterum honoravit, quod honorario amplissimo donavit, nec ambientem, nec exspectantem. Quod Rex *Gallia* toties ad honestissimas conditiones invitat, litteris etiam propria manu descriptis, id quod negant eum ter à corona suscepta feciſſe, quod idem nuperrime fecit Rex *Angliæ*. Itaque intra paucos menses à quatuor Orbis Monarchis accepi litteras, Cæsare, Rege *Gallorum*, Rege *Angliæ*, & *Ferdinando*. Hæc si haberet *Huttenus*, quas glorias nobis efflaret? Scribit & ipse Cæsaribus, Cardinalibus, ac Nuntiis Apostolicis, sed quis unquam illi rescripsit? Eadem opera scribere posset superis & inferis. Quanquam Principum erga me favorem ac munificentiam prædicare, non jactantiæ est, sed gratitudinis. Porro quod ad eruditorum prædicationes attinet, habeo scrinia plena laudatricibus illorum Epistolis, & quotidie mittuntur undique, quas aliquoties nec lego. Adeo nullo litterarum genere minus delector. Ubi vero agnosco ac devoro laudes mihi attributas? An non perpetuò reclamo magnificis illis laudibus, quas quidam in me profundunt, & capite, manibus, pedibus, totoque corpore renuo? Adeo vero me facit invidum, ut nec majores gloria florentes, nec minorum succrescentem gloriam ferre possim. Ego vero suffragiis omnium, qui diutina consuetudine mores meos cognitos ac perspectos habent, quorum *Huttenus* ex paucis colloquiis se censorem fecit, evincam, me non minus abesse ab invidia, quam à mendacio. Quæso quis unquam in suis libris plures laudavit, tum majores, tum minores, vel plenius vel candidius? Quorum aliquammulti sunt, quorum Mundus nomina non nosset, nisi meis scriptis prodita. Sed *Huttenus* objicit, quod illic laudem multos indignos. Ita-ne, qui in hanc partem peccat, invidus est? Quis æque sudavit in restituendis vetustis Auctoribus? An hoc est invidere majoribus? Quis plus tribuit *Laurentio*, *Hermolao*, *Politiano*, quos ætas proxima proceres in litteris habuit? *Rodolpho Agricolæ* & *Alexandro Hegio*, quibus ego sane minimum debebam, nonne plenam laudem tribuo, in Opere, quod omnes existimant victurum? *Reuchlino* quantum ubique detuli? *Zasium* nonne semper veneratus sum, ut de *Thoma Linacro* taceam, & *Grocino*. Quem autem æqualium non libenter amplexus sum? An maligne prædico *Budæi* virtutes? *Jacobum Fabrum*, utcunque incidit ea procella, quis candidius laudavit quam ego? Jam quanta amicorum in libris meis nomenclatura? An *Hutteno* succrescenti invidi? Reclamant tot illæ meæ laudationes, quarum ipse nobis hoc Libello palinodiam ingessit. Quis illum prædicavit, aut crebrius, aut candidius, aut amantius? Quid autem ab illo sperabam præmii? Nimirum hoc solent facere invidi. Multos laudo in spem indolis, multos exstimulandi causa. Cui memet unquam antepoſui, quicum unquam tribus verbis de principatu doctrinæ contendi? cui non libenter cessi laudem, quam mihi *Huttenus* præter omnes tribuit? Quem unquam attigi nisi atrociter impetitus? Et hos hactenus sic tractavi, ut per me facti sint illustriores. Mei labores nonnihil attulere momenti ad provehendum apud nostrates Græcas litteras, nonne palam & fateor & gaudeo sexcentos exortos esse qui me longe superent? O novam invidentiam! Quod si quis alius mihi voluisset invidiæ crimen impingere, certe non conveniebat id ab *Hutteno* fieri ἔτως ἀφθόνως à me pene solo prædicato. Solus enim plus laudum contuli in *Huttenum*, quam omnes illius amici, & ille amicus in amicum plus criminum congessit, quam hactenus omnes mei inimici, aut quam ille unquam in quenquam hostem suum, & tamen in litteris ad me suis appellat hanc Expostulationem pro rei atrocitate mitissimam. Hominem suavem! Cui non porrexi manum enitenti ad aliquam egregiam laudem? Quo minus multos juverim, fortuna fuit in culpa, non animus. Certe quoscunque laudando, commendando, ac similibus officiis provehere potui, provexi. Favi nonnullis mihi iniquioribus, tantum ob hoc quod studiis prodesſent.

Hîc si proferam Epistolas eorum, qui mihi pro meo candore gratias agunt, *Huttenus* clamabit me mortalium omnium vanissimum. Verùm illi reclamabunt, *Huttenum* calumniatorum omnium impudentissimum. Cum agerem in *Brabantia*, ex mea tenuitate plus largitus sum studiosis uno anno, quam quidam qui se jactant, capiunt ex agris paternis. Sic invideo minoribus. Neminem prodo, nec exprobro cuiquam officiolum meum, videor enim mihi beneficium dando accepisse, si digno dedi, sed ipsi testes erunt quam hæc impudenter objiciuntur ab *Hutteno*. *Nemo*, inquit, *se tibi in eloquentia comparat.* Ego vero æquissimo feram animo, si vel sexcenti se mihi præponant, ut sunt certe complures, qui id suo jure possint. Simili fronte facit me versipellem quempiam, omnia simulandi ac dissimulandi mirum artificem. Quam vero hîc totum *Erasmum* ignorat *Huttenus*, cui nihil est difficilius, quam simulare, ac dissimulare: quin potius ingenium est usque ad stultitiæ vitium, simplex & apertum, lingua periculose libera, & adeo non soleo fallere quenquam simulata blanditie, ut si quid offendat, oratio severior sit, quam animus. *Non falles*, inquit, *posthac me vultu tuo.* Quæso quanam in re *Huttenus* falsus est meo vultu? Ille mihi suo vultu imposuit. Nam apud me præ se ferebat miram modestiam, continebat linguæ petulantiam. Aut igitur nova quædam accidit illi metamorphosis, aut illa erant egregie fucata. Dispeream si credidissem in universa *Germania* tantum esse vanitatis, impudentiæ, incivilitatis, virulentiæ, quantum hic unus habet Libellus. Nec tamen ea de causa sum futurus ulli *Germano* iniquior, aut minoris facturus sinceros amicos, ob unum inimicum amicum. Nec pudet illum me, in cujus scriptis tanta libertas est, identidem appellare

Gnathonem. Proinde periculum eſt, ne qui legerit in Libris meis tot laudes *Hutteno* tributas, cavilletur *Gnathonem* aſſentari *Thraſoni*. Cogor & hîc judicium in *Hutteno* requirere. Cum enim videri velit Germanicæ gloriæ vindex, cumque Libri mei pleni ſint *Germanorum* laudibus, nonne dum me facit aſſentatorem, vanum, vafrum, levem, pondus detrahit omnibus illis laudibus? Et tamen hîc adeo nihil per aſſentationem eſt dictum, ut etiam eas laudes, quas *Hutteno* tribui, tribuerim ex animo. Placebat indoles: placebat vena dictionis. Eximium quiddam mihi pollicebar ex acceſſione ſtudii, uſus, & ætatis. An ideo ſum aſſentator, ſi ille fefellit, non me modo, verum etiam omnes quibus illum prædicavi? Sed blandior ſum dum ſcribo Principibus. Verùm interim παῤῥησιαζόμενος, ubi res poſtulat. Nimirum ſic expedit tractari leones, & divinæ Litteræ docent Principibus deberi reverentiam. Ubi vero ſic blandior ut prodam veritatem? Utri vero magis profuerunt, ego blandior, an quidam ad rabiem uſque maledici? Jam Reginæ & Reges, qui nihil antehac legebant præter fabuloſas hiſtorias, habent Euangelium in manibus, evolvunt ſacras Litteras, gaudent aliquid diſcere de myſteriis Philoſophiæ Chriſtianæ. Narret nobis *Huttenus* quorſum profuerit ipſius maledicentia. Sancte blanditur qui in hoc blanditur ut proſit alteri, non ſibi. Si quid ambirem à Principibus, poſſet eſſe ſuſpecta mea blandities. Nunc nihil ambio, aut ſi quid ambio, non ambio mihi, ſed publicis ſtudiis. Quanquam non ſemper aſſentatur, quiſquis laudat Principes: nam bonis debetur laus. Laudare mediocres aut bonæ ſpei, eſt adhortari ad profectum virtutis. Laudare malos, eſt eos citra offenſam admonuiſſe ſui officii, quemadmodum ſatis olim explicuimus in Epiſtola ad *Joannem Paludanum*. Talis *Gnatho* ſemper fuit *Eraſmus*. Poſſem & ego Pontifices vocare Antichriſtos, Epiſcopos idola, Principes tyrannos, quemadmodum alii faciunt, ſed non arbitror eſſe boni viri, bonos pro debito honore convitiis inceſſere. Et dementiæ ſit, malos exacerbare maledictis, quos irritatos nequeas compeſcere. Lucubrationes meas vetere Doctorum exemplo dicavi partim amicis privatis, partim Principibus: ab amicis ne gratias quidem agi mihi paſſus ſum unquam: tantum abeſt ut quicquam extorſerim. A Principibus nihil unquam emendicavi, neque quiſquam credat quam pauci dederint aliquid hoc nomine. Recenſerem de ſingulis niſi vererer ne quem offendam, & fortaſſis id fiet alias. Et tamen ſi quis honeſta induſtria venaretur Principum liberalitatem, poſteaquam humana vita multis eget, aliquanto faceret excuſatius, quam qui ab amicis ſumunt mutuum quod nunquam reddant, qui mercantur pro quo nunquam numerent, qui minis extorquent ab his qui nihil commiſerunt.

Jam vero qua fronte incivilitatis & inhumanitatis crimen impingit, cum ipſe in hoc Libello declaret ſibi ne micam quidem eſſe mentis humanæ? Senectuti deferunt & *Scythæ*: officiorum meminerunt etiam feræ: amicitiæ rationem habent latrones ac piratæ. *Huttenus* agnoſcit amicitiam eximiam. Agnoſcit inſignia merita in Rempublicam, atque etiam in ipſum quædam. Et tamen nulla laceſſitus injuria, perruptis omnibus gratiarum vinculis, juvenis ſenem, tot convitiis, tot rixis, tot jurgiis conſpuit, colaphis & alapis cædit, contundit os, raptat ac verſat, perinde quaſi mancipium de lapide emtum tractet, non *Eraſmum*. Et ſibi perſuadet aliquem fore tam immanem ac ferum in toto Orbe, ubicunque ſedes eſt hominum, qui tantam immanitatem non exſecretur! Et hos, opinor, exiſtimat eſſe mores *Lacedæmoniorum* ac *Maſſilienſium*, quos ab *Hutteno* diſcat juventus *Germanica*. Ego tum ſic eram affectus in *Huttenum*, ut mihi perſuaderem, ſi quis exortus fuiſſet, qui impeteret *Eraſmum*, illum ſuo corpore, ſi quis alius, depulſurum injuriam. Interim amice de illo cum amicis loquebar, deferebam officium, deplorabam fortunam adverſam, ſollicitus etiam ut illi res eſſent tutæ in poſterum. Atque hic humanitatis antiſtes, velut ex inſidiis, tali Libello adoritur amicum, quem ſemper reverentiſſime coluit, cujus canitiei deferre debuit, cujus in publica ſtudia, atque etiam in ſe merita agnoſcit. Indixit bellum *Romanenſibus*, ſed revera bellum gerit cum Muſis & Gratiis. In hoſtes gladium habet incruentum, in amicos ſtylum habet cruentum. Jam neſcio quo nomine donari debeat, quod criminatur me inſtigatorem omnium tumultuum, mox exardeſcente incendio diſſimulare factum, & adverſæ parti blandiri. Opinor futurum, ut *Huttenus* omnium ſuorum facinorum, quæ *Mavortius* auſpiciis terra marique gerit, me faciat inſtigatorem. Atqui in Epiſtola, quam nuper ad me ſcripſit, ſic loquitur: *Nemo inſtigat* Huttenum, *nec ille ſuſtinet à quoquam inſtigari*. Quo igitur ore nunc me facit omnium inſtigatorem, hominem nullius apud ipſum ponderis, cum *Hutteni* θυμὸς ἀγήνωρ à nemine mortalium ſuſtineat inſtigari? Miſſas faciamus conviviorum fabulas vino inſcriptas, omittamus familiaria colloquia, quibus inter ſe garriunt amici. Ego, ut dixi, quoties res ſerium conſilium poſtulabat, ſemper ad moderatiora vocavi. *Reuchlinum* admonui ne læderet Ordines, & deploravi quod in Apologia ſic efferbuiſſet. Opinor exſtare Epiſtolas in illius ſchedis, quæ teſtes erunt me vera loqui. Nec aliud ſenſi de *Luthero*. De Comite *à Nova Aquila* jam ante recenſui. De *Hutteno* nihil effutiam ex arcanis amicitiæ. Tantum hoc referam, quod ille libris editis voluit omnibus eſſe teſtatiſſimum. Cum eſſet apud me *Lovanii*, expetiit ſecretum colloquium, nec unquam mihi cum illo fuit ullum, præter hoc unum. Cœpit commemorare de bello indicendo *Romanenſibus*, ac primum arbitrabar hominem jocari. Rogo qua fiducia cum Pontifex & per ſe potentiſſimus eſſet, & tot haberet Principes ſibi faventes. Cum ad hæc ille quædam reſpondiſſet, ſubjeci negotium eſſe calidum ac periculoſum, & ſi pium eſſet, tamen ſtultum eſſe tentare, cujus perficiendi ſpes non eſſet. Utcunque eſt, inquam, non cupio de iſto negotio plura audire, meum eſt meis vigiliis prodeſſe publicis ſtudiis, & conſilium dedi, ut quicquid auderent alii, ipſe ne ſe tali negotio admiſceret. Talis inſtigator fui *Hutteno*. Sed multo ante, cum ille emitteret libellos immodice liberos, admonui illum litteris, temperaret calami libertatem, ut Principis ſui favore poſſet uti perpetuo. Et ille per litteras reſpondit, ſe pariturum conſilio meo. Quod ſi feciſſet, non jam latitaret ac fugitaret, ſed magnus inter maximos verſaretur, ac talis eſſet, ut citra invidiam poſſet amari. Quin ante hoc etiam tempus, cum *Moguntiæ* primo colloquio mecum fabularetur, oſtendit *Reuchlini Triumphum*, Carmen ſane elegans. Suaſi ut premeret, idque duabus de cauſis, ne quis merito cavillari poſſet eum juxta Græcorum proverbium, *victoriam adornare ante triumphum*, neve hoſtes *Capnionis* redderet in illum irritatiores, cum cauſa adhuc in ſummo diſcrimine verſaretur. Quod ſi non impetrarem, meum certe nomen deleret. Poſt menſes complures iterum me convenit *Francfordiæ*, primo ſtatim congreſſu rogabam, ecquid meminiſſet conſilii mei? Reſpondit ſeſe probe meminiſſe, neque quicquam ſibi æque decretum eſſe, ac meo conſilio parere in omnibus. Deinde prodiit Carmen una cum triumphali pictura, ſane quam magnifica, ſed quæ nihil aliud quam *Capnionem* gravaret invidia, & adverſarios provocaret, ſatis ſua ſponte furentes. Nec dubito quin ea res improbata ſit ipſi *Capnioni*. Non jam diſputo quid dignum fuerit adverſariis, ſed quid expedierit cauſæ *Reuchlinicæ*. Hujuſmodi perpetuo fuere mea conſilia, quoties res ſerium conſilium poſtularet. Nullum unquam fœdus mihi fuit cum *Hutteno*, niſi Muſarum legibus ictum adverſus hoſtes Linguarum, ac bonarum litterarum. Adverſariæ *Lutheri*, quoniam intolerabilem futuram ſi viciſſet vi-

debam,

Digitized by Google

debam, fateor, non admodum favi, nec adhuc vellem penes iſtos totam eſſe victoriam. *Lutheranam* fabulam initio non prorſus improbabam, actionem ſemper improbavi. Sed fingat *Huttenus* id quod non eſt: In initio, cum Orbis applauderet *Luthero*, præſertim eruditi *Germaniæ*, me quoque faviſſe *Luthero*, & apud *Huttenum* velut ſincerum amicum effutiſſe ſecretos affectus: quid eſſet inhumanius, quam nulla de cauſa ſuſcepta inimicitia hæc evulgare, criminari, & jactare apud Orbem? Et ſi Muſis placet, Expoſtulationem vocat tam atrocem criminationem. At qui expoſtulat, privatim requirit officium in amico, cupiens ſibi ſatis fieri. Hic me non monitum apud Orbem reum peragit. Ac tantum habet frontis, ut exiſtimet hæc ſcribi poſſe incolumi amicitia priſtina. Habeat ſibi ſuas amicitias, & inimicitias. Ego cum tali ingenio, quale arguit hæc Epiſtola, nihil habere volo commercii. Reſponderam ad capita rerum, quibus ſe jactabat exacerbatum: nam ea ſuis litteris ad me deſcripſit. Sed interim hæc Expoſtulatio hîc per multorum manus vagata perlata erat *Turegium*. Docueram de colloquio detrectato rem ſecus habere, quam ille ſuſpicaretur. De Epiſtola *Hochſtrati* purgavi, de *Capnionis* inſimulatione doceo me ne ſomniaſſe quidem unquam. De negotio *Lutheri*, docui me nihil mutaſſe, nec in illius factione fuiſſe unquam, & in Euangelico negotio provehendo totum eſſe. Mihi nihil adhuc eſſe ſcriptum adverſus illum, & ſi quid ſcripturus eſſem, me citra convitium, argumentis, ac Scripturæ ſacræ teſtimoniis acturum, tanta moderatione, tantaque æquitate, ut nec ipſe *Lutherus* offendi poſſet. Oſtendi quam hoc conſilium eſſet inutile, tum Euangelico negotio, tum liberalibus ſtudiis, tum ipſius etiam rebus, ut nunc habent, *Hutteni*. Hæc, aliaque multa, tum ad illum ſcripſi. Diſſuadebant amici docti ne talem Libellum evulgaret, atque ipſe etiam *Epphendorpius*, ut affirmat etiam ac fatetur *Huttenus*. His omnibus contemtis, evulgavit Libellum nullis jucundiorem futurum, quam his qui *Luthero* & Linguis & bonis litteris peſſime volunt, & quos peſſime odit *Huttenus*, ſi vera prædicat. Quam enim inſolenter geſtient illi? Quid dicent inter ſeſe: Habet *Eraſmus* ſuum toties laudatum *Huttenum*, fruatur eo. Habet illam toties adamatam ingenii venam, fruatur illa. Exoſculetur illam dictionis venerem toties prædicatam.

Nec deſunt adeo qui prædicent *Huttenum* ab *Höchſtrato*, & *Egmondano*, aut horum ſodalibus conductum, hæc in *Eraſmum* ſcripſiſſe, ac mihi ſane fit veriſimile. Jocatur alicubi ſatis appoſite, ſe ſubodorari prædam, quam Pontifex objecerit. Mihi magis ſubolet præda, quam objecerunt Monachi ac Theologi. Nec enim hoc inceptum recens eſt, vetus eſt vomica, licet nunc demum per occaſionem pus eruperit. Ante complures menſes ſcripſerunt amici, neſcio quid Libelli paratum in me. Exſpectabam concertatiunculam aliquam de dogmatibus *Lutheri*, nunc video hunc Libellum fuiſſe alibi natum, ſed hîc ex delationibus quorundam velut aſſutis pannis auctum: nam & ſtylus inæqualis eſt. Et ea pars elaboratior eſt, quam ſcripſit per otium. Utrum autem eſt honeſtius, accipere præmium à Cæſare ac Pontifice, ut diſputes adverſus *Lutherum*, an à Monachis accipere mercedem, ut convitiis talibus inceſſas amicum? Dicat igitur nobis *Huttenus* bona fide, quam offam objecerint Monachi ac Theologi, ut in me latraret, & ego fatebor quid acceperim à Cæſare ac Pontifice ut ſcriberem in *Lutherum*. Fortaſſis inficiabitur eſſe verum, quod eſt veriſimillimum, tamen illud conſtat, neminem unquam feciſſe gratius hoſtibus *Lutheri* ac bonarum litterarum, quam hic fecit *Huttenus*. Ego *Lutherum* degravo invidia, qui *Lovanienſes* appellem Reverendos Patres, ipſe protector eſt *Lutheri*, qui hoſtibus illius hanc agit fabulam longe gratiſſimam. Nihil enim illis accidit, unde magis ſuſtulerint criſtas, quodque illis magis addiderit animos, quam hic *Hutteni* Libellus. Jam mihi videre videor, unaque geſtientes, ſubſilientes, ſibi gratulantes devotos bonarum litterarum, ac Theologiæ ſincerioris hoſtes, *Lovanii Egmondanum* & *Vincentium*, *Lutetiæ* duos præcipue Theologos, alterum *Quernum*, alterum *Betaceum*, *Coloniæ Theodericum Novimagum* cum ſuo ſordido ſodalitio. Fortaſſis & in *Anglia Leum* cum *Standicio*. Omnes hi triumphum adornant *Hutteno*, certatim applaudentes & clamantes: Macte virtute Eques, βάλλ' ἔτως. Confice nobis *Eraſmum* illum, qui invectis novis Linguis ac litteris regnum noſtrum labefactavit. Eja talibus Libellis redde litteras iſtas, quas quidam falſo vocant bonas, inviſas Principibus, inviſas juventuti, cum viderint in his eſſe tantum virulentiæ, nec in aliud valere, niſi ad calumniam bonorum, & ſeditionem concitandam: prode myſteria Poeticorum Orgiorum, inſpue, immunge, imminge, incaca in fontem illum Muſarum, ne cui poſthac ex eo libeat bibere, & ſi vis illum ſemel omnibus modis conſpurcare, te totum in eo prolue. Quicquid in nos hactenus peccaſti, condonamus ſi perges qua cœpiſti. Felicem *Huttenum* cum ab his novis amicis venient gratulatrices Epiſtolæ, miſſitabuntur xenia, deferentur ingentia munera! Hæc an vera ſint nondum mihi liquet. Certe multo ſunt propiora veris, quam quæ ille fingit de me *Romam* eunte, deque occurſu Cardinalium. Nam ego tot modis provocatus nihil adhuc ſcripſi in *Lutherum*, & *Huttenus* præter cauſam tam virulentum Libellum ſcripſit in amicum, cujus prædicatione factum eſt, ut multi, qui *Huttenum* non viderunt, & norint eum & diligant. Alioqui quid illum perpulit ad tam virulentam ſcriptionem? Demonſtravi cauſas, quas allegat eſſe nullas, id quod per ſe perſpicuum erat cordatis & integris, etiam iis, qui *Hutteno* favebant. Quid igitur ſibi voluit hoc Libello? Scripſit animi gratia? Conveniebat in alio argumento videri velle feſtivum. Libuit exercere ſtylum? Poterat, etiamſi non ſtrinxiſſet in amicum benemeritum, & benemereri paratum. Volebat, ut ait quidam, abſolutum quoddam eloquentiæ ſpecimen, velut κτῆμα ἐς ἀεὶ relinquere poſteris, quemadmodum *Cicero* reliquit *Philippicas*? Deligenda igitur erat materia, quæ per ſe foret ampla, & utilitate quoque poſteris commendaretur: nam hoc argumento peſſime conſuluit famæ ſuæ, ſi tamen ille famæ rationem ullam habet. Studebat me deterrere, ne ſcriberem adverſus *Lutherum*? Atqui non alia ratione citius poteram provocari. Sed abſit, ut ego in tam arduo negotio, quicquam vel ſuſcipiam, vel deponam *Hutteni* cauſa. Male ſe habent res *Lutheri*, ſi ad hos triarios, ſi ad hanc ſacram ancoram devenerunt, ut talibus Libellis oporteat defendi. Jugulare voluit *Eraſmum*? Quid autem barbarius, quam ſic eſſe affectum in eum, qui nec ſuſpicabatur aliquid, nec merebatur? Atque hic inter *Scythicas* voces inſignis immanitatis teſtes etiam illa jactabatur: Hoc Libello conjiciam *Eraſmum* in lectum. Et quoniam caſu incidit morbus ex percuſſu Solis, fortaſſe nunc triumphat ac plaudit ſibi. Verùm ne putet me tam nullius eſſe animi, ut ejus valeam etiamſi quindecim tales Libelli ſcribantur in me. Hoc ſcriptum *Hutteni* mihi reconciliabit multos amicos, quos ab ipſo ſit alienaturus, & quos conciliaturus, brevi ſentiet. Magnum vero, ſi paucis ſtolidis *Lutheranis* applauſoribus gratificatus eſt. Nam ex hoc ipſo genere, parum habet amicos, ſi qui ſunt paulo cordatiores, habiturus propediem pauciores. Et gloriatur hic ſe fuiſſe circumfuſum agminibus *Lutheranorum*. Egregiam vero gratiam communicati hoſpitii refert huic urbi, in qua qui vivo jam ferme biennio neminem novi, qui ſe patiatur dici *Lutheranum*, & in qua publico Edicto cautum eſt, ne quiſquam in concione doceat quod adverſetur Euangelio, ne *Lutheri* quidem auctoritate fretus. Jam vero neſcio an nihil tribuendum ſit quorundam ſuſpicioni, qui dictitant *Huttenum* ex Equite factum ſedentarium, hujuſmodi Libellos ad quæſtum ſcribere, eumque geminum, dum & hi

numerant qui conducunt operam, & in quos ſcribit, pecunia redimunt, ne quod ſcriptum eſt edatur. Miſeret me *Hutteni* quamlibet hoſtis, ſi huc illius fortunæ reciderunt. Jam, ut audio, numeravit aliquid & Typographus. Sed deſino de *Hutteno*, ne quid *ultra ſpongiam*. Hoc tantum illum ſcire volo, & mihi eſſe ſtylum, niſi maluiſſem meam perpetuam tueri conſuetudinem, quam illius exemplum imitari. Nunquam adhuc mihi pugna fuit cum quoquam, quem aliquando dilexerim ex animo. Ac ne in hos quidem unquam exercui calami rabiem, à quibus odioſiſſime impetebar. Quod ſi placeret hæc petulantia, malim mihi dari qui nunquam fuiſſet amicus, malim dari cui res eſſent fecundiores. Non eſt plauſibilis cum amico digladiatio. Et crudele eſt in calamitoſum eſſe dicacem.

Supereſt, ut adhorter omnes bonarum litterarum ſtudioſos, ut ſi deteſtabile videtur exemplum *Hutteni*, ab hujuſmodi intemperiis abſtineant, ne bonas litteras reddant invidioſas. Appellantur humanitatis, cavendum ne noſtro vitio nominis honeſti poſſeſſione dejiciantur. Tum demum erunt id, quod dicuntur, hoc eſt, bonæ litteræ, ſi nos reddant meliores, ſi ſerviant gloriæ *Chriſti*. Neque enim in hoc revocatæ ſunt in Scholas, ut priſtinas diſciplinas ejiciant, ſed ut illæ purius & commodius tradantur. Nunc idem fere tumultus eſt in Scholis, qui eſt in Eccleſiis. Nam plerique qui Linguis ac bonis litteris impenſe favent, excluſis omnibus ſtudiis, has ſolas invehunt. Rurſus qui priſtina ſtudia mordicus retinent, ſummis viribus hoc agunt ut politiores litteras prorſus obruant & exſtinguant. Quin potius in hoc incumbimus, ut ſuas quique dotes invicem conferentes mutuis officiis adjuvemur, quam ut ſtultis contentionibus alteri alteris incommodemus? Qui valent in bonis litteris, dent operam, ut eas probis, caſtis & commodis moribus commendent, & acceſſione graviorum diſciplinarum cohoneſtent: quibus non contigerunt, addant & hoc decoris ſtudiis ſuis. Mutua concordia faciet, ne quid cui deſit. Diſſidio fit, ut nec his bonis, quæ adſunt, fruamur. Quin univerſis & maximis & minimis huc conandum eſt, ut inter Chriſtianos pax & concordia ſarciatur. Nunc neque Mundi hujus pacem habemus, cum undique furioſis bellis ferveant omnia, neque pacem Dei, cum tanta ſit opinionum diſſenſio, nec ulla uſquam ſincera amicitia, aut fraterna caritas, ſed peſſimo fermento vitiata omnia. Si cui placet hoc ſeculum, fruatur. Mihi videtur infeliciſſimum. Qui negotio favent Euangelico, faveant ſimpliciter ac prudenter: ne fidant clancullariis conſpirationibus, ne maledicis Libellis, in Pontificem aut Principes, quibus illis magis conciliant favorem, & Euangelio conflant invidiam, ſed poſita omni pervicacia, poſitis ſtudiis humanis, qui docti ſunt inter ſeſe conferant de tollendo Orbis diſſidio, quæque videbantur ad publicam Chriſtiani populi ſalutem, & Chriſti gloriam facere, ſecretis litteris indicent Pontifici ac Cæſari, & in hoc negotio verſentur ſincere tanquam coram Deo. Hac ratione citius conſulueri-mus Euangelicæ ſinceritati, quam rixis nunquam finiendis. Dum enim ſine fine rixamur, an ſit aliquod bonum opus hominis, fit ut revera nullum habeamus opus bonum. Dum delitigamus, an ſola fides abſque operibus conferat ſalutem, fit ut nec fidei fructum, nec bonorum operum mercedem capiamus. Quædam autem ejus generis ſunt, ut ſi maxime vera eſſent, non expediat ingerere auribus populi, veluti, liberum arbitrium nihil eſſe, niſi nomen inane: Quemlibet Chriſtianum eſſe Sacerdotem, & poſſe remittere peccata, & poſſe conſecrare corpus Domini, ſola fide conferri juſtitiam, opera noſtra nihil ad rem facere. Hæc paradoxa jactata apud vulgus, quid aliud quam gignunt diſſidium ac ſeditionem? Rurſum Eccleſiæ proceres ac Principes profanos obſecrarim, ut ſuos affectus, ſuaque privata commoda poſthabeant ſaluti publicæ, & gloriæ Chriſti. Sic eſt voluntas Jeſu Chriſti, & ſic agentibus nobis adfuturus eſt, fautor ac fortunator eorum quæ gerimus. Cui Spiritus Jeſu donum impartiit abſtruſioris eruditionis, impartiat candide, cum omni manſuetudine, ſuſtinens ac tolerans eos, qui non ſtatim aſſequi poſſunt quod traditur, quemadmodum Dominus *Jeſus* diu toleravit infirmitatem ſuorum donec proficerent. Principes & Epiſcopi ſunt homines, labi & falli poſſunt. Hos quanto conducibilius eſt comiter ad veri cognitionem adducere, quam convitiis exaſperare? Qui in claſſe *Lutherana* ſibi vindicant ſpiritualem cognitionem, cogitent & ſe eſſe homines obnoxios iiſdem malis, quibus obnoxii ſunt Pontifices & Principes. Neque corona, neque mitra addit ſapientiam Euangelicam, fateor, ſed neque vulgare pileum aut cingulum addit. Qui ſe putant habere donum Spiritus, ne ſpernant publicam auctoritatem. Rurſum Principes quamlibet potentes ac magni, ne averſentur veritatem Chriſti, à quamlibet humili propoſitam. Humiles erant & Apoſtoli. Pharmacum corpori profuturum accipimus ab obſcuriſſimo idiota, aut à mulierecula, & animi medicinam reſpuimus ab humilioribus oblatam? Submoveantur utrinque privatæ cupiditates, & communibus votis imploretur Spiritus ille pacificus, ne mutuis diſſidiis Chriſtiana res jam nunc in arctum contracta, penitus concidat, ne ferarum ac piſcium ritu mutuis morſibus nos invicem lacerantes jucundum ſpectaculum præbeamus, & Satanæ, & Chriſtiani nominis hoſtibus. In omnibus articulis à Priſcis proditæ fidei conſenſus eſt. Cur ob paradoxa, neſcio quæ, quorum aliquot ejuſmodi ſunt ut ad plenum non poſſint intelligi, quædam ejus generis, ut in utramque partem diſputari queant, nonnulla talia, ut non ita multum momenti adferant ad mores emendandos, ſic tumultuetur Orbis? Tota vita Chriſtianorum undique differta eſt bellis inſaniſſimis, tumultibus, latrociniis, jurgiis, odiis, obtrectationibus, fraudibus, dolis, luxu, libidinibus, nihil uſquam ſanum eſt, & omiſſis omnibus digladiamur, an principatus Romani Pontificis ſit profectus ab auctore Chriſto. Utraque pars alteri ſeſe attemperet. Obſequium parabit amicitiam, pervicacia tumultum gignet. Quis autem finis erit, ſi altera pars nihil habeat niſi tumultus, rixas & convitia, altera nihil niſi cenſuras, Bullas, articulos, & incendia? Quid magni eſt homunculum alioqui moriturum in ignem conjicere? Docere ac perſuadere magnum eſt. Ne palinodiæ quidem illæ magnopere movent quenquam. Quis enim non ſic interpretatur, maluit pudefieri, quam exuri? Quam vero non plauſibile, cum Epiſcopus, qui debebat docere Philoſophiam Euangelicam, in his quæ ſunt hujus Mundi pluſquam ſatrapes eſt: in his quæ ſunt fidei, nihil habet niſi articulos, carceres, carnifices & incendium? Non pudeat Epiſcopos ſervire caritati Chriſtianæ, quod facere non puduit Apoſtolos, non pigeat eruditos Epiſcopis ſuum honorem reddere. Hoc interim conſilium dederim utrique parti, ut neutri addictus, *ita* utrique bene cupiens. Ego me compono ad eum diem quæ me ſiſtet ante Chriſti tribunal. Et idcirco ab iſtis contentioſis, in quibus vix fieri poteſt ut verſetur aliquis, niſi dum feritur & referit, perdat aliquid ex illa tranquillitate Chriſtiani ſpiritus, transfero me ad ea quæ motus animi componunt, quæque conſcientiam tranquillant. Ex Paraphraſibus magnum hîc fructum capere me ſentio. Quo magis mihi dolet, quod in hac rixa, dum lego quæ calumniatur *Huttenus*, dumque diluo quod ille adſpergit, totos ſex dies perdidi. Bene vale, quiſquis es, candide Lector.

FINIS.

DE-

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI
RESPONSIO
ADVERSVS FEBRICITANTIS CVJVSDAM LIBELLVM.

RES ſalva eſt, tandem proſiliit in medium *Ludovicus Carvajlus*, qui univerſas Religiones pias & Religiones ſacras ſuo clypeo protegat adverſus *Goliath Eraſmum*: atque hic eſt non ex illo Monachorum genere, qui votorum obliti, vivunt in deliciis, qui per Orbem vagantur otioſi, imo non otioſi, ſed peſſimorum negotiorum artifices: verùm ex illo puriſſimo *Franciſcanorum* ſodalitio, qui mortificati quidem carne, vivificati vero ſpiritu, mundanos affectus omnes ſemel atque iterum poſuerunt, (ſic enim ille loquitur) qui pietatis amore ſpretis opibus, vitam in terris cœleſtem meditantur, juxta regulam Euangelicam, cui ſubſervit *Franciſci* regula. Nec interim mediocriter eruditus, ut qui feliciter, ut prædicat, verſatus ſit in Logica, Phyſica, & Metaphyſica. Ex hoc igitur univerſos Ordines, ſacraſque Religiones licebit æſtimare. Verùm mihi lector magis admonendus eſt, ne quis ullum Ordinem ad hujus Scriptoris exemplar exigat. Et fieri poteſt, ut qui hanc agit fabulam, nec *Franciſcanus* ſit, nec *Ludovicus*, mihi tamen interim, quiſquis eſt, *Pantalabus* erit. Non ſum reſponſurus ad ſingula, tantum carptim attingam capita quædam, ad quæ cætera poſſint expendi. Bene habet, quod præfatur, ſe cum hæc moliretur gravi laboraſſe febri, per quam non vacavit ullum librum inſpicere, ut ſi quid mentiatur, videatur memoriæ lapſus, ſi quid deliret, febri imputetur. Atqui in tantum certamen oportebat, *ô Pantalabe*, ſobrium ac lectione varia armatum deſcendere.

Primum illud ceu confeſſum aſſumit, me totis viribus hoc moliri, ut ſacras Religiones, ſic ille loquitur, omnes funditus evertam, cum toties in ſcriptis meis teſter, me quicquid admonendi gratia ſcribo in Pſeudo-Monachos, nolle detorqueri in bonorum Monachorum contumeliam, nec uſquam damnantur à me Ordines. Quod ſi Monachorum omnium hoſtis eſt, quiſquis audet hiſcere adverſus ulla Monachorum vitia, nullus eſt atrocior hoſtis quam divus *Hieronymus*, qui nec Epiſcopis, nec Clericis parcit, nec ſacris Virginibus. Poſtremo hic ipſe *Ludovicus* hoſtis erit omnium Ordinum vitæ Chriſtianæ, dum magiſtratuum, conjugatorum, militum, opificum vitam reprehendit è ſuggeſto. Quod ſi ſtatum ac profeſſionem Monachorum decreverat tueri, in *Lutherum* ſtringendus erat ſtyli mucro, qui ex profeſſo damnat Monachorum omnium profeſſiones ac vota, idque facit tam validis argumentorum machinis, ut jactet neminem exortum aut exoriturum, qui poſſit eas repellere, & applaudunt illi complures, clamantes concidiſſe Monachorum univerſam gentem. In me vero qui hoc ago, ut Monachi veram ſectantes pietatem, aboleant invidiam, qua nunc laborant apud multos, priſtinamque gratiam recuperent, & apud Deum & apud homines, quid erat neceſſe vibrare telum, & impetere bene volentem, tali hoſte relicto? Quoniam igitur falſum eſt id, cui nititur tota hæc diſputatio, quid aliud quam aerem verberat noſter *Pantalabus?*

Simili impudentia in frontiſpicio Libri ponit octo ſententias, velut adverſantes ſacris Religionibus, ſed ipſius, non meas: neque enim locum certo indicat, neque mea verba recenſet ſicut oportuit, neque ſententiam bona fide appendit. Tantam autem exiſtimat *Franciſcani* nominis auctoritatem, ut quicquid ſibi ſcribere viſum ſit, Mundus pro oraculo ſit accepturus. Sed A longe fallitur. Hac ſane in parte Mundus experrectus eſt, ac poſuit infantiam. Prima eſt, *Regulæ Monachorum humana ſunt adinventiones.* Ubi hæc loquor? In Epiſtolis, inquit, nuncupatoriis Paraphraſium, & alibi ſæpe. O citatorem! Non vacavit illi conſulere libros, ſed vacavit calumniam ſtruere. Alicubi ſic hortor, *Si* Franciſcani Franciſci *regulam circumferunt, quanto magis Chriſtianus circumferet regulam Euangelicam?* Et ſi *Benedictus, Auguſtinus*, & *Franciſcus* homines fuerunt, quid periculi, ſi quis illorum conſtitutiones appellet humanas, ac poſtponat Euangelio? Secunda, *Monachatus non eſt pietas*, de quo ſuo tractabitur loco. Tertia, *Imprudentia eſt ſua dimittere &* B *aliena quærere.* Ubi hoc dicit *Eraſmus?* In Epiſt. nuncupatoriis Paraph. & in Lingua. Ibi quære, ſed aliud invenies. Quarta, *Suant calceos exemplo* Pauli, *qui nocte calceos ſuebat, & non vexabunt plebem improbis mendicationibus, non ſine magna aliorum pauperum jactura.* Ubi hoc? Ibidem, hoc eſt, nuſquam. Quinta, *Dominicani ſunt groſſi ventres, ſtiva potius nati quam litteris.* Ubi hoc? in Epiſtola commendatoria ſcholiorum *Ludovici Vivis* ſuper *Auguſtinum de Civitate Dei.* Imo hîc loquor non de *Dominicanis* in genere, ſed de quibuſdam qui ſtolide vociferabantur ad populum. Sic enim habet locus: *atque hujus tam impii conatus odor* C *ſimul atque permanaſſet ad quoſdam* Dominicani *ſodalitii fratres*, &c. Atque id perpetuo peccat hic, ut quod in duos tres-ve Monachos dictum eſt, interpretur in univerſos Ordines dictum. Atqui docuit hunc Scripturæ morem *Ambroſius* cæterique Doctores, eam ſæpenumero ſic invehi in malos, quaſi nemo ſit bonus, cum tamen ea reprehenſio nihil attineat ad ſodalitatem piorum. Ego vero non raro teſtor, me non de omnibus loqui, excludens bonorum calumniam. Sexta, *Ceremoniæ nullam vitam habent, quibus Rabini noſtri, Judaiſmi imitatores, fidunt.* Ubi hoc? In Paraphraſibus. Ibi quære, nam *Pantalabo* febricitanti non vacat. Quî potuit Paraphraſis taxare Monachos, cum eo tempore nondum exſtiterint Monachi? Quod ſi qui ſunt D hodie Monachi aut Theologi, in quos congruunt ea quæ *Chriſtus* dicit in Scribas ac Phariſæos, Euangelio indignentur, non mihi. *Sunt bonarum litterarum oſores.* Ubi? in *Antibarbaris.* Plane ſunt & hodie, quanquam non omnes. Nam Antibarbarorum Opus mihi ſcriptum eſt ante annos quadraginta quinque. *Melius fieret, ſi Sacerdotibus daretur facultas ducendi uxores.* Ubi hoc? In *Encomio matrimonii*, hoc eſt, in themate declamatorio fictoque, nec hoc tamen habetur quod refert *Pantalabus.*

His jactis fundamentis rem aggreditur. *Per* Moſen *data eſt Lex, ſed Dei non* Moſi: *ſic* Benedicti, Franciſci; Auguſtini *regulæ per homines prodite ſunt, ſed* E *à Deo profectæ.* Quid ſupereſt, niſi ut illis tantum tribuamus quantum tribuimus Scripturis divinis? At probantur à Romano Pontifice; nec ego illas improbo, atque utinam ſervarentur! Probantur autem ut ſolent humana, non æquantur divinis. Hîc præfatus ſplendido mendacio, me nihil admittere niſi quod deſumtum eſt è ſacris Litteris, probat nobis ex Euangelio & *Paulo*, obediendum eſſe præpoſitis & Magiſtratibus. Sed quis hoc negabat? Verùm ita probata eſt obedientia, primum votum Monachorum, quaſi cæteri Chriſtiani non obediant Epiſcopis & Paſtoribus ſuis. In *Enchiridio* ſcripſi, *Monachatus non eſt pietas.* Scripſi, verùm non hoc ſolum, ſed adjeci, *vitæ genus eſt, aliis commodum, aliis nequaquam.* Hîc rurſus ſplendido præ-

Digitized by Google

fatus mendacio, quod contemnam Logicen, Phyſicen & Metaphyſicen, ac cæteras artes præ Rhetorica, declarat ſuo Altori quantum ipſe in diſciplinis hiſce profecerit. *Separat*, inquit, *ſpeciem a genere, cum ait Monachatus non eſt pietas, quaſi dicas, homo non eſt animal. Deinde definitio non ſolet fieri per negationem.* Quis non miretur hunc Dialecticum? Ubicunque audit verbum, *eſt*, putat eſſe definitionem. Si dicam mulus nec eſt aſinus nec equus, ſed animal ex utroque mixtum, num perperam dixero? Item ſonus non eſt duorum corporum colliſio, ſed is qui ex colliſione naſcitur ſtrepitus. *Regula*, inquit, Franciſci *hæc eſt, Euangelium Domini noſtri* Jeſu Chriſti *obſervare. Si hoc eſt pietas, Monachatus eſt pietas.* Reſpondeo: ſi verum dicit, omnes Chriſtiani profeſſi ſunt *Franciſci* Regulam, & omnes ſunt Monachi, quicunque vivunt ſecundum regulam Euangelicam, & in primis Apoſtoli. Omitto ſtolida convitia, quibus ſubinde vir Mundo mortuus debacchatur in fratrem ſuum, quem non novit: omitto cavillationem de verbis, quod Monachus dicitur *Solitarius*, & Monaſtica vita *ſolitaria*, ut hæc appellatio nihil pertineat ad *Franciſcanos* & *Dominicanos:* quod pietas non eſt ipſa profeſſio, ſed animi affectus complectens amorem Dei ac proximi. Si quicquid Monachi faciunt pietas eſt, pietas erit mentiri, calumniari, debacchari in proximum, quod hic toto libro facit. Nec eſt quod huc confugiat, qui non poſuit affectus Mundi, non eſt Monachus, cum ſe profiteatur illos ſemel atque iterum poſuiſſe. Theologiæ doctores, ut ait, voco aſinos. Unum ſic appellavi, nec opinor niſi ſemel. Quid hoc ad Theologorum ordinem? Utinam tales eſſent pauciores! Viros religioſos appello Phariſæos ac ſycophantas. Mentiris, *Pantalabe:* qui tales ſunt nunquam habui pro religioſis, qualem ipſe te præbes. Magnates ac Reges appello tyrannos. Ubi, bellua? Nulli fuerunt Reges tyranni? Et ſi quid in genere dicitur in Principum immoderatam potentiam, ad ſingulorum ſpectat contumeliam? Cæſarem iniquum voco in Epiſtola, quam ſcripſi ad Chriſtianiſſimum *Franciæ* Regem *Franciſcum*. Ut nihil eſt alienarum rerum quod iſti Mundo mortui non perveſtigent! Norunt quid noctu *Juno* loquatur cum *Jove*. Hîc quæſo lector, attende ſimplicitatem hominis pure ſecundum Euangelicam, hoc eſt, *Franciſci* Regulam viventis. Verba in Epiſtola ad Regem, quam citat, ſic habent: *Quanquam autem nonnullis pax iſta ſeveris, ne dicam iniquis, conditionibus videtur coiſſe: tamen confido futurum, ut ſummus ille rerum humanarum moderator, ſuis arcanis & inſcrutabilibus conſiliis omnia vertat in latum exitum.* Ubi hîc facio Cæſarem iniquum, *Pantalabe?* Ajo nonnullis, nimirum *Gallis*, videri ſeveras, imo iniquas, quod ipſe tamen nolo dicere, cum alii non taceant. Et iniquum voco, non quod ſit injuſtum, ſed quod grave & moleſtum, quemadmodum *Virgilius* dixit, *iniquo pondere raſtros*, & æquum dicimus, remittentem aliquid de juris rigore. Sic æquas conditiones dicimus, non juſtas, ſed humanas ac moderatas, alioqui jus belli eſt, quicquid victor victo præſcribit. Denique ſcribo Regi *Gallorum*, cui quales videantur illæ conditiones, ſcripto quoque declaravit. Nec tamen ſuadeo ut eas conditiones reſcindat, ſed conſolor potius, ut fortunam adverſam æquo animo ferat, & à concordia non abhorreat. Sed noſter *Pantalabus* tantum operæ impendit Logicæ, Phyſicæ, ac Metaphyſicæ, ut Grammaticæ ſit oblitus. Sic facio Cæſarem iniquum, hoc eſt, injuſtum, ut interpretatur *Pantalabus*. Qui juſtitiæ tenaciſſimi ſunt, iniquiſſimas ferunt conditiones, quia non moderantur æquitate juris rigorem. Habes, lector, technam puri merique *Franciſcani*.

Hoc gradu facto, addit noſter *Pantalabus: Audeo dicere, prædationes & incendia, quæ ſuperiori anno* Romæ *contigere, & hominum ſtrages, quæ circum circa* Romam *inter* Gallos *&* Hiſpanos *facta ſunt, propter* Eraſmum *& ſimiles Regum adulatores eveniſſe.* Hæc audet dicere *Pantalabus*, quid enim non audeat? Ad Chriſtianiſſimum *Galliarum* Regem non ſcripſi niſi ſemel, nec aliud ſuadeo quam concordiam. Ad *Henricum Angliæ* Regem, Catholicæ fidei defenſorem, aliquoties ſcripſi, ſed eandem canens cantilenam. Nec aliud ago in litteris ad inclytum *Poloniæ* Regem *Sigiſmundum*, & *Ungariæ Bohemiæque* Regem *Ferdinandum*, item ad *Carolum* Cæſarem, quem tam improbe ſum hortatus ad concordiam, ut proximis ad me litteris ſignificarit nonnullam animi offenſionem, teſtificans ſe quidem hactenus ſummo ſtudio connixum, ut pax coiret, quid autem in poſterum facturus eſſet, malle factis quam oratione declarare, tantum orarem Deum ut quod aggrederetur bene fortunaret: ſic committo Monarchas! Cujus ſcripta magis vociferantur in bellum, aut ſtudioſius commendant Principum concordiam quam mea? Quis minus admiſcet ſe publicis negotiis quam ego? Romana calamitas accidit priuſquam hîc quiſquam futurum ſuſpicaretur. Quibus autem modis potuit à me procurari? Sed contemta etiam Principum conſcientia, audet hoc dicere *Pantalabus:* ſed idem auderet incendere civitatem, auderet homini dare venenum cui male vellet. Jam quoniam hoc tam atrox crimen non minus ab omni vita mea quam à ſcriptis alienum, ſciebat fide carituruin, adjecit in margine hæc verba: *Hîc vacat diſſidium, quod* Eraſmus *ſuis in litteris, inter Regem Chriſtianiſſimum & Imperatorem apposuit. In Exemplaribus Hiſpanicis reperies.* Quæ crux digna ſit hoc ſycophanta? Et hic aut fingit aut jactat ſe puriſſimæ claſſis *Franciſcanum* & omnium piarum Religionum protectorem. Pergit, Presbyteros, Epiſcopos, Cardinales, ſummos Pontifices, modo profanos milites, modo tyrannos dominos, nunc lupos, nunc aſinos, nunc cauponarios facio. Ubi? Quære, lector: nam *Pantalabo* per febrem non vacavit inſpicere libros. Et ſi quid tale per occaſionem diceretur in malos Sacerdotes, quid erat piaculi, cum *Chriſtus* appellet illos lupos rapaces, *Paulus* canes? De contemtis Auctoribus non eſt operæ pretium reſpondere, cum iſte putet eum contumelia affectum, à quocunque diſſentit aliquis, quaſi hi ipſi, quos commemorat, auctores inter ſe non frequentiſſime diſſentiant: & ſi quid dicitur in unum aut alterum *Hiſpanum*, exiſtimat univerſam *Hiſpaniam* denigratam. Hoc didicit ex ſua Logica.

Increſcunt crimina. In ſecundum *Matthæi* Cap. ajo Euangeliſtas aliquando excidiſſe memoria. Quid eſt excidere memoria? Lethargo corripi. Imo lege meam Annotationem, & videbis me non tribuere Apoſtolis memoriæ lapſum, ſed referre *Hieronymi* verba, in quibus declarat, quoſdam opinatos verbum pro verbo poſitum ab Euangeliſtis: de meo nihil addo, niſi illud: *ſi forte deprehenderetur hîc lapſus, ut humano lapſu poſitum eſſet nomen pro nomine, cum in hoc non ſita ſit rei ſumma, apud me non protinus periclitaturam totius Scripturæ fidem. De aliis non pronuntio. Sed homines*, inquam, *erant, errare potuerunt.* Verum, ſed in his unde non pendebat ratio noſtræ ſalutis aut Euangelicæ veritatis. Sed lege noſtram Annotationem, & videbis inſignem ſycophantiam. Pergit συκοφαντεῖν. Ore pene blaſphemo tribuo Virgini matri affectus humanos, & quandam oſtentationem. Ubi, *Pantalabe?* In primum Caput *Joannis*. Nihil iſtiuſmodi reperies, nec in Paraphraſi, nec in Annotationibus. Sed detur venia febricitanti. Alicubi noto, *Chryſoſtomum* ita loqui de *Maria*, quaſi non fuerit omnino aliena à quibuſdam humanis affectibus: & *Auguſtinus* tribuit illi diffidentiam, ſed levem ac brevem. A me tale nihil comprobatur. Et tamen poteſt error aliquis aut dubitatio inèſſe homini ſine ullo peccato. Prætereo hominis rabioſa convitia, quibus ſic furit, ut dicas ipſam febrim loqui. Ut doceat me diſcruciari, quod non annumerer quatuor Eccleſiæ Doctoribus, profert ſymbolum annuli mei, in quo eſt figura Termini: adjeci, *concedo nulli terminus*, & eſt jambicus dimeter, ſi invertas trochaicus eſt totidem pedibus, *Terminus concedo nulli.*

At-

Atque in fusili Termino, ora habet, ὅρος τέλος μηχρὶ βίου. Item Latine, *Mors ultima linea rerum*, indicans mortem nulli cedere, neque ipsum admoneo instare supremum vitæ diem, quemadmodum *Prudentius*, *Instat terminus & diem vicinum senio, jam Deus applicat.* Id scripto quoque vulgato declaravi. Hic itaque Terminus dicit omnibus, *concedo nulli*, non *Erasmus*. At me ferociter appellat *Pantalabus*: *Quid ais*, Erasme, *non concedis* Clithoveo, *non* Hilario, *non* Cypriano, *non* Budæo, *non* Nebrissensi, *non* Thomæ, *non* Augustino? Si vis ut meo nomine respondeam, nemini non concedo. Si postulas ut Termini, id est, mortis nomine respondeam, dicam, non concedo Leonibus, non Elephantis, non cedo Monarchis, & summis Pontificibus, non cessi Prophetis & Apostolis, denique nec ipsi *Francisco* cessi, non ipsi *Christo*. Eat nunc & jactet Termini mei superbiam. Hoclemma cum sit insulsissimum, tamen mirum quam inculcet, quam ventilet, quantas hîc tragœdias moveat, ridicule furens, ut decet febricitantem. Confert meam polygraphiam cum *Thoma*, *Augustino*, *Hieronymo*, & *Hilario*, ut saltem hac parte cedat Terminus, quasi sit mihi cum illis certamen. Mox etiam adimit Latini sermonis puritatem, adimit eloquentiam, aut si quid est, rivulum tantum esse vult, qui multum absit à flumine. Taxat me quod interdum admisceam scriptis meis tria verba Græca, id cum *Budæo* sit peculiare, Græco-Latinas litteras scribenti, illum probat, me taxat, homo sapiens. Demum homo castus ac pure *Franciscanus*, mavult pueros legere *Planti* fabulas, malis exemplis refertas, & jocis obscœnis, quam mea *Colloquia*, in quibus tam multa sunt quæ conducunt ad veram pietatem. *Erasmus*, inquit, *insanit in Divos Diverumque cultores*, sed apte subjecit, *mentior*. Mentitur enim impudentissime, cum nec joco nec serio quicquam dixerim, nisi in superstitiosum Divorum cultum, & verum indico.

Verùm ab hujusmodi lepidis digressionibus redit ad rem, docturus ex sua Logica, Monachatum esse pietatem. Quoniam ego scripseram, *Monachatus non est pietas*, *Lutherus* ausus est dicere, *Monachatus est impietas*. Ita-ne si dicerem in poculo vini non esse remedium, alius illico diceret inesse venenum? Quis ita posset ratiocinari, nisi diu versatus in Logica? Dixi non est pietas, sed adjicio quæ satis excludunt id quod *Lutherus* dicit, *Monachatus est impietas*. Nam impietas non est vitæ genus quod ulli conveniat. Pius esse potest, qui non sit Monachus, sed impium esse nulli hominum generi licet. Addit me in *Spongia* gloriari, quod *Lutherus* improbatorum dogmatum suorum bonam partem ex meis scriptis decerpserit. Scio hoc esse splendidum mendacium, priusquam librum inspiciam, cum hactenus fortiter reclamem omnibus hoc blaterantibus. Post hæc homo febriculosus, eo quod instituerat relicto, occinit nobis ex Precatione Dominica, *sanctificetur nomen tuum*, quasi ego obscurato Dei nomine, coner meum nomen commendare Mundo. Occinat hoc suis *Franciscanis*, qui Ordinem suum præter modum attollunt, quos hic ait primum gradum tenere Ecclesiæ. Rursus ex intervallo redit ad rem, & Cæsarem facit Monachum, quod militet sub cruce Ordinis divi *Jacobi*, cumque Cæsare pleroque Nobiles *Hispania*. De re sic pronuntiat, *Monachatus est vita Evangelica, quæ* Christus *& præcepit & consuluit observans*. Hæc est definitio ex mera Dialectica depromta, quam non didicit *Erasmus*. Verùm tradunt & hoc Dialectici, non esse probam definitionem, quæ non convertitur cum definito. Hæc itaque si legitima est, sequitur Apostolos & Apostolorum discipulos fuisse Monachos, & ipsum *Christum* Monachorum primum Abbatem: deinde sequitur Monachos non præstantes quod complectitur hæc definitio, quidvis esse potius quam Monachos, asinos ut ipse vocat. Quod si verum est, Deum immortalem! quanta erit Monachorum paucitas? Ad hæc quoniam ita vult dici Monachum, quemadmodum dicimus Presbyterum, Sacerdotem, Episcopum, Abbatem, Cardinalem, Pontificem, omnes amittent honorem tituli, nisi præstiterint quod profitentur. Itidem nec Magistratus erit Magistratus, nec Princeps Princeps, & licebit horum imperata contemnere, nec populus cogetur Monachis census persolvere, si male vixerint. Quod enim Monachis legatum est, non debetur iis qui Monachi non sunt. Denique ne Christianus quidem dicetur, nisi qui præstiterit ea, quæ in baptismo professus est. Ut igitur Christianismus est professio militiæ Christianæ, ita Monachismus est professio vitæ Euangelicæ perfectioris, sed juxta regulam aliquam humanam, ab Ecclesia probatam, ut hodie quidem appellantur. Alioqui si quis hodie vivat obedienter sub Episcopo ac Parocho suo, vivat in summa continentia, elargitus omnia pauperibus alatur vel mendicato vel opera manuaria, veste simplici, sed laica, num dicetur Monachus? Dicetur juxta hujus Dialectici definitionem. Postremo quoniam nemo novit arcana hominis, de nullo certum licebit scire, Monachus sit, nec ne. Quod si juxta proverbium, *cappa non facit Monachum*, & Monachus non est, qui servit carni, cur eum, qui vestem modo mutavit, appellant apostatam, hoc est, desertorem vitæ monasticæ, etiamsi sanctius vivat quam antea vixerat? & scortatorem, ebriosum, maledicum, sycophantam agnoscunt pro Monacho, tantum ob vestem aut cingulum aut calceum? Itaque cum apud Deum Monachus non sit, qui secus vivit quam decet Monachum, apud homines vero pro Monachis habeantur, qui gestant præscriptam vestis formam, cur mihi non licuit eo more loqui, quo loquuntur omnes? Rursus si Monachismus est perfecta pietas, quisquis Monachus est perfectam habebit pietatem, quemadmodum quisquis albus est, coloratus est, quoniam albedo color est: & quicunque non vivit pie, Monachus non erit. Proinde census Monachis destinati non persolventur Monachis præter disciplinam viventibus. Hîc iterum digressus per febrem, refert lepidum dictum cujusdam *Franciscani*; cui cognomen à cornibus, *conculcabis leonem & draconem*: leonis vocabulum ad *Lutherum*, draconis ad *Erasmum* referens, quasi non liceat omnes *Ægypti* plagas, & eas quæ referuntur in Apocalypsi, simili modo ad Monachorum sodalitates detorquere. *Sed dicit*, inquit, *Erasmus*, *Monachos in choro asininis vocibus rudere*. Simile quiddam dicit *Moria*, sed non in eos qui modeste spirituales hymnos canunt Deo, verùm in istos qui Psalmos non intellectos absque affectu boant in Templis mira vocis ostentatione, ut præ boatu verba non queant intelligi: illos boatus damno, & tales jam audimus passim apud nostrates. Apud *Hispanos* opinor istos Angelicis modulari vocibus. Atque hinc me denuo pronuntiat, atheon, *Diodorum*, *Diagoram* & *Lucianum*, interdum *Epicurum*, videlicet ex auctoritate *Lutheri*, quam hîc patiar illi gravem esse, si viciſſim patiatur illi pondus esse in omnibus quæ scribit adversus omnes Monachos. Sed assumit insigne mendacium, quod de omnibus Monachis pronuntiem. Atqui *Moria* sic ingreditur, *cum & bona pars istorum longe absit*, &c. Dic, *Pantalabe* Logice, qui dicit bonam partem, significat omnes? Mox, *Deinde cum Psalmos suos numeratos quidem illos, at non intellectos*, & cætera. Talium boatus taxo, non omnium cantus. Dialectice magistra est inveniendi veri. At *Pantalabus* videtur magis mentiendi artem didicisse.

Simpliciter impudens mentitur, quod taxem Ecclesiam, quæ præscripsit certos Psalmos in cultu solenni, quodque cuivis velim esse liberum sive orare libeat, sive non orare. Ubi hoc docuit *Erasmus*? Nusquam, Sed satis est quod *Pantalabus* dixit, cujus est illud, *Audeo dicere*. Hinc digressus depingit nobis studium ac vitam piorum Monachorum, quæ formula utinam quadraret in plurimos! Verùm quorsum hæc recenset? quasi nos usquam damnemus benefacta Monachorum, quin potius huc hortamur omnes. At satis arroganter

ganter adjicit, *Hic eſt noſter Monachatus & vita.* Verùm ſcribere Libellos famoſos, tot mendaciis & calumniis differtos, num & hic Monachatus eſt, & vita Euangelica? Addit febricitans *Pantalabus*, *In Concilio* Conſtantienſi *Regulam* Franciſci *probavit Eccleſia*, Eraſmus *contrarium definit.* Hoc mendacio quid impudentius? An damnat humanam regulam qui illi præfert Euangelicam, hoc eſt, qui *Chriſtum* præfert *Franciſco?* Laudat Cæſaris pietatem, quod mandarit R. D. Archiepiſcopo *Hiſpalenſi* negotium inquiſitionis. Mandavit, ſed quare mandavit? Quoniam tam incompoſitos tumultus excitarant iſti Mundo mortui, primum in aula Cæſarea, mox *Salamanca Franciſcani*, deinde *Dominicani* quidam, ut alioqui res videretur totam *Hiſpaniam* conturbatura. Tanta erat illorum improbitas, qui ſummam modeſtiam profitentur, ut vix à quoquam amentur, à ſummis tamen Principibus formidentur, quod ad concitandas ſeditiones ſunt artifices eximii. Cum ventum eſſet ad articulos, ibi demum patuit quam eſſent Mundo mortui, quam rei Theologicæ periti. Exſtat illorum Libellus, exſtat mea reſponſio. Fruantur. Sed huic febricitanti nihil vacavit legere, tantum vacavit ſtomachum digerere. R. D. *Alfonſus Fonſeca* Archiepiſcopus *Toletanus* dixit, ſi modo vera narrat *Pantalabus*, *Si* Eraſmus *eſt hæreticus*, *comburatur. O vocem*, inquit, *vere Catholicam*, *ac* Hiſpaniarum *Primate dignam!* Non hîc jacto illius ad me litteras. Quid aliud reſponderet vir pius ac prudens tam rabioſe tumultuantibus, nec aliud vociferantibus quam hæreticus, hæreticus, hæreticus: idque privatim pariter ac publice, uſque ad lenonum & ſcortorum colloquia? Non in me pronuntiabat, ſed improbos canum latratus abigebat.

Ut rurſus multa pluſquam ſcurrilia *Pantalabi* convitia tranſiliam, quod teſtimonio *Lutheri* ſum atheos, quod nihil non damnem in Religioſis, cum de vitiis duntaxat admoneam, quæ faciunt irreligioſos, quod confingam fabulas, quibus eos infamem, cum & illa ſupprimam, quæ populus narrat in foris & conviviis, profert nobis lepidam fabulam, plane *Franciſcano* dignam. *In Sicilia*, inquit, *cum illic regnaret* Gallus, *quidam Juriſperitus finxit inſaniam, ac ſumta arundine veluti per dementiam inflavit in aures* Gallorum, *ad natalem* Joannis *internecione delendos* Siculos, *in* Siculorum, *delendos* Gallos. *Hac arte factum, ut ne unus quidem* Gallus *evaderet incolumis. Sic* Eraſmus *ſumta Morionis perſona, perdit univerſam Eccleſiam luſibus ac facetiis ſuis.* Quanto rectius hoc accommodabitur in tales *Franciſcanos*, qualis eſt *Pantalabus?* Nam cultui nihil deeſt præter auriculas: nulla eſt domus in quam non penetrant, nullum eſt Monaſterium, nulla eſt aula Principum. Quid inſtillent, res ipſa loquitur, neque vulgus ignorat, ut hîc commemorare nihil neceſſe ſit. Tantum illud reſpondebo, meos jocos plus habere pietatis, quam quaſdam *Scoti* ſubtiliſſimas ſpeculationes. Neque vero mihi non ſubolet quis ſit artifex hujuſmodi Libellorum, homo Judaicus, & ſimpliciter furioſus, ut nec in ſcripto quicquam cohæreat. Hoc modo ludit infulatus hiſtrio, qui pro ſuis meritis tractabitur, ſi ſe prodiderit ingenue. Nam is eſt præcipuus auctor omnium horum tumultuum. Mei joci neminem lædunt, niſi quod liberant pueritiam ſuperſtitione, ad veram hortantes pietatem, quod quibuſdam Pſeudomonachis non expedit, & hinc illæ lachrymæ: non ſatis eſt illis eſſe bene Chriſtianos, niſi ſint *Franciſcani.* Sed *Moria* Monachorum mendicationes vocat improbas, & depingit nobis modeſtiam quorundam mendicato viventium. Ne illos modeſtos læderem, dixi improbas, nimirum eos taxans qui nuſquam non adſunt cum pyxide, in navibus, in diverſoriis, in conciliabulis, in conviviis, ſcurrili impudentia extorquentes, non abituri niſi detur aliquid, potantes interim, & ineptis dicteriis morionem agentes. In hos, qui non pietatis amore, ſed ventris cauſa cucullam induerunt, quique ſcurriliter mendicant, ludit *Moria*, quos arbitror optimis quibuſque Monachis diſplicere. Nam cæteros adeo non odi, ut illis frequenter aliquid ex mea tenuitate impartiam. Quod ſi nulli ſunt in *Hiſpania* mali Monachi, gratulandum eſt illi, apud nos, proh dolor! immenſa turba eſt. Jam recenſet nobis eruditorum Monachorum catalogum, inter quos homo prudens commemorat *Pellicanum*, qui jam pridem uxore ducta *Zwinglii* collega eſt: & hæc facit quaſi totum Ordinem improbemus, aut quaſi probandi ſint omnes ob aliquot probabiles, poſtremo quaſi tales non fuerint futuri, niſi fuiſſent Monachi. Quod ſi gloriantur de paucis doctis ac bonis, cur non erubeſcunt de tanta turba malorum & imperitorum? breviter talium qualis eſt hic *Pantalabus.* Verùm hic ſubinde nobis recinit inter Apoſtolos fuiſſe *Judam*, iniquum eſſe ob unum atque alterum degenerem Monachum inſectari Ordines: cum ſint tot Monaſteriorum millia, in quibus adeo nulla viget Religionis diſciplina, ut ibi ne liceat quidem eſſe piis, cum in his ipſis, quæ videntur emendatiora, tam pauci ſint ſpirituales, tamen putat ſe mire facetum, cum contemnit unum atque alterum Monachum degenerem. Utinam quod dicit verum eſſet! Mundus facile conquieſceret ab hoc tumultu. Ridendus erat ſi pro unum atque alterum dixiſſet decem aut duodecim millia. Sunt multi qui jejunant, qui noctu ſurgunt, qui cantant, qui veſtem præſcriptam gerunt, ſed inter hos quoque quam pauci ſunt qui puri ſunt ab odio, livore, tumore animi, ira, vindicandi libidine, fiducia ſui, cæteriſque vitiis ſpiritualibus, quibus obnoxios *Pantalabus* negat eſſe Monachos?

De ceremoniis cum fateatur ipſe eſſe verum quod dico, videlicet nullas ceremonias, hoc eſt, nulla ſigna rituſve exteriores conferre ſalutem, niſi adſit quod ſpiritus eſt, tamen perinde blaterat, quaſi ex diametro diſſideamus. Demum diſputat de bonis litteris, quas vulgo docti appellant litteras humanitatis, ipſe vult hoc nomen patere latius, ac pronuntiat me neſcire Logicen, Phyſicen, Metaphyſicen & Ethicam, cum has diſciplinas puer undecim natus annos diſcere cœperim, meæque Lucubrationes teſtentur in hoc Auctorum genere non indiligenter verſatum. Verùm ubi habet hoc Euangelica *Franciſci* Regula, ut *Minorita* diſcant ex *Ariſtotele* & *Averroe* Logicam, Phyſicam ac Metaphyſicam, quam *Scotus* reddidit involutiſſimam? Aut quid eſt in hoc Libello quod ſapiat ullam liberalem eruditionem? Illud ridiculum, quod cum doceat Rhetoricen abſque Dialectica nulli contingere, quod natura ſibi cohæreant, Rhetoricam ſibi tribuit, Dialecticam adimit. Sit venia febri. Ait Rhetores utramque partem pari probabilitate tractare, Dialecticos nequaquam. Imo hoc in nullos magis convenit quam in Dialecticos. Quid enim aliud agunt, *Thomas*, *Durandus*, & *Scotus*, cum de rebus etiam receptiſſimis diſputant in utramque partem? *Scotus* interdum nervoſior in partem improbatam? Addit mendacium, quod Rhetoricen præferam, Dialecticam dejiciam. Sophiſticam rixoſam improbo, Dialecticam nequaquam. Nec uſquam præfero bonas litteras gravioribus diſciplinis, ſed alteras alteris volo accedere, quod idem ſuadet *Pantalabus:* & tamen in me detonat.

Hactenus pulchre defendit obedientiam & paupertatem Monachorum, ſupereſt continentia, quaſi ego damnem continentiam Monachorum, ac non potius impurum cœlibatum, hoc eſt, incontinentiam. Atque ut id faciam, inſanire me dicit in *Hieronymum.* Ubi inſanio, *Pantalabe?* Hæc dico, quod pugnans adverſus *Jovinianum*, interdum videtur iniquior matrimonio. Non hæc ſunt apud *Hieronymum* de matrimonio, *Quale bonum eſt hoc, quod comparatione deterioris bonum eſt?* Non illud, *Si non tangere mulierem, id eſt, ducere uxorem, bonum eſt, igitur tangere malum eſt?* aliæque conſimiles ſententiæ. An hoc eſt inſanire in *Hieronymum?* Magis igitur inſanierunt Epiſcopi, qui *Hieronymum* ad palinodiam invitarunt. Si in meis ſcriptis

Digitized by Google

ptis reperirentur de matrimonio dicta, quæ leguntur apud *Hieronymum*, Theologi clamarent, me blasphemum in Ecclesiæ Sacramentum. Ait, quod in amatores castitatis fingo mille mendacia. Scurra quisquis es, ubi vel unicum convitiolum dico in amatores castitatis? *Hoc*, inquit, *indicat scortum* Erasmi. Hoc illi simillimum est, quod ante dixit, me dissidium inter Cæsarem & Gallum procurasse, & Romanæ cladis auctorem fuisse. Nec tamen satis intelligo quid dicat. Fortasse physice loquitur, homo detritus in Physica. Porro Physici *scortum* appellant, sacculum sub vesica pensilem, qui testes continet, & haud scio an homo *Franciscana* simplicitatis subindicet in me jam frigere Venerem. At ego non alio nomine magis amo tenectutem, quam quod eam molestiam mihi vel ademit, vel certe mitigavit. Sed quid mea refert, quid talis homo vel dicat, vel indicet, qui non veretur mihi totum hoc Cæsaris & Regis Galliæ dissidium, tum tot Romæ circaque Romam peractas strages imputare? Verùm age quid indicavit scortum *Erasmi?* me in Exomologesi mentitam posuisse fabulam de quodam Pastore sacrarum virginum, qui confessus est se cum ducentis habuisse stupri consuetudinem? Sed in quem usum hoc narro? Ut persuadeam incontinentiam? Imo narro ut scelus abominandum ac singulare. Quibus autem argumentis *Pantalabus* colligit esse vanum quod scripsi? Audi Dialecticum. *Si vestrates*, inquit, *mulieres usque adeo faciles sunt, quî fieri potuit, ut Pastor ille tot virgines inveneris?* Quasi ulla sit tam impudica mulier, quæ non fuerit aliquando virgo. *Quis credat*, inquit, *hoc de viro sene, Religioso, qui quotidie ad Christi mensam accedebat.* Senem non scripsi, Religiosus esse quî potuit talium flagitiorum patrator? quanquam ne Monachum fuisse dixi. Quoties ad Christi mensam accesserit, nescio. Sed fuerit senex, cum hoc diu celatum confiteretur. Quid mirum, si unus per omnem vitam multis locis versatus tot virgines corrupit? Et hic sic nugatur quasi scripserim ab uno paucis noctibus constupratas ducentas virgines. Utinam autem pauciores essent, qui impura conscientia ad Christi mensam accederent! Et hîc erat *Franciscani* pudoris, hunc hominem vocare *Priapum*. Verùm hoc factum narravit nobis *Antuerpiæ* Theologiæ Professor *Dominicanus*, nomine si satis memini *Joannes*, (luscus erat, fortassis adhuc superest) ante annos ferme viginti sex, in ædibus *Nicolai Middelburgensis* Medici: nominavit Theologum *Lovaniensem* unde acceperat, qui deplorasset, quod talia confessum inabsolutum dimisisset, jussissetque redire, cum ille nunquam rediisset. Metuebat enim ne desperatione ductus sibi mortem consciviisset. Ita commentus est *Erasmus* hanc fabulam. Quod si hæc remorantur à confessione, Mundus plenus est historiarum de proditis arcanis, de nefandis flagitiis sub umbra confessionis admissis, quæ tamen à me non evulgantur. An in Libello de confitendo non erat ullius flagitii facienda mentio? Proinde nec Medico licebit de morbis fœdioribus loqui. Quanto fœdiora narrant alii, qui Libellos ejusdem argumenti scripserunt, quæ meus pudor reticuit. Atque interim sic agit, quasi ego ducta uxore, cæteros Sacerdotes invitem ad matrimonium. Proferat ex tam multis unum, cui fuerim auctor ducendi uxorem. Rogat me, num æquum putem ut Sacerdotes post nocturnos amplexus accedant ad sacratissimum Christi corpus? Non opinor, sed nec crudos, nec ebrios, nec ira & odio infectos decet accedere. At vicissim rogabo *Pantalabum*, num æquum putet Sacerdotes ac Monachos à putidi scorti complexibus ad Christi mensam accedere, ne quid dicam immundius? Loquor enim de his qui continere non possunt. His si non est uxor, quid faciant, aliis divinandum relinquo. Et quid necesse est ut maritus singulis noctibus cum uxore misceat complexus? Si Sacerdotibus permitteret Ecclesia uxores, jam castis illarum amplexibus non inquinarentur, quando ceremoniæ Legis sublatæ sunt, & sunt Sacerdotes qui raro sacrificant.

A Sed hîc non putat hominem inquinari nisi coitu, cum multo accedat inquinatior, qui spiritualibus vitiis plenus accedit. Quam vero purus ad Christi mensam accedit *Pantalabus* noster, tot mendaciis, tot sycophantiis, tam scurrili dicacitate, tanta arrogantia pollutus, an à mulierum contactu purus, nescio. Certe linguam habet impuram.

Nunc rursus audi Dialecticam collectionem. *Erasmus in Nicenum Concilium debacchatur.* Quî sic? *Quia dicit fore, ut multa mala vitentur, si liceat Sacerdotibus ducere uxores.* Quid tum postea? *Eadem*, inquit, *ratione non fuisset fides Trinitatis prædicanda* Saracenis *&* Ario, *quod ex hac prædicatione facti sint magis impii.*
B Sed ô bone *Pantalabe*, nemo est *Arianus*, nisi idem sit impius ac blasphemus: conjugatus esse potest, qui sit & pius & religiosus. Rogat si Monachi uxoribus copularentur, qui essent amatores munditiei? Hoc perinde sonat, ac si soli Monachi amarent munditiem, aut quasi quicunque caste vivunt, Monachi sint. Ejusdem stultitiæ sunt quæ sequuntur: *Qui essent virginitatis Christi imitatores? Qui denique essent luxuriæ vituperatores?* nisi fateamur Virginem matrem cum toto virginum choro fuisse Monacham, hæc stultissime dicta sunt. Et interim imaginantur omnes Sacerdotes ac Monachos esse virgines & à libidine puros, cum nusquam plus immunditiæ quam inter cœlibes reperiatur.
C Quo ore divus *Hieronymus* instituit virgines, qui ipse non fuit virgo? Qua fronte divus *Augustinus* docet alios continentiam, qui duas habuit concubinas? Qua fiducia *Petrus* hortatur ad puritatem, qui uxorem habuit? Qua auctoritate *Paulus* prædicat virginitatem, cui fuisse uxorem probabile est? Pergit. *Si Monachi*, inquit, *essent calcearii, qui essent divinæ Legis meditatores? Qui essent veritatis indagatores: qui hæreseum profligatores: qui essent adversus falsa dogmata prædicatores?* Hominem stolide glorioſum! Tot sunt in Orbe Episcopi, tot Theologorum millia, qui hæc melius præstent quam ulli Monachi, & putant neminem futurum si Monachi non essent. An tibi *Joannes*
D Episcopus *Roffensis* videtur Monachus, an omnes *Sorbonæ* fratres? An Rex *Angliæ* videtur Monachus? Hi pugnant adversus impia dogmata. Sed glorioſius est quod addit: *Nobis datus est Spiritus ille qui corda simplicium erudit.* Imo tui similibus datus est spiritus Satanæ, qui vigorem Euangelii restituere conantibus obstrepat, & Pharisaismum pro Christianismo nobis revocet. Addit Spiritus in hujus ore mendax, quod malos non discerno à bonis, sed æque feriam utrosque, quodque ob unum aut alterum degenerem damnem omnes, cum toties clamem me non lædere bonos, sed admonere malos, nec propter tot malorum millia censeam lædendos bonos. Vide quid mentis aut frontis habeat hic *Franciscanus.* Simile mendacium est, quod
E solus obstrepo Monachis, cum jam olim Mundus clamet in eos, nec videatur conquieturus, nisi aut excusserit illos, aut ipsi sese ad modestiam, veræque pietatis studium receperint. In paucitatem bonorum dixi, *simul inutiles facti sunt.* Quid censebimus de cæteris, cum hic omnium propugnator talem se præbeat? Narrat nobis quantum bonorum faciant *Minoritæ* in nova *Hispania* cæterisque nuper repertis Regionibus, quasi nos carpamus vel illorum vel cujusquam benefacta, aut quasi nemo potuerit idem facere quod faciunt *Minoritæ.* Baptizare pueros nil magni est, instituere in Philosophia Christiana magnum est, si id fiat sinceriter: nam ut olim Pseudapostoli prædicarunt Euangelium, non sincere, sed quæstus ac regni amore, ita
F fortassis isti tale quiddam aucupantur sub obtentu pietatis. Quis nunc ausit contemnere *Franciscanos*, posteaquam puer *Jesus* & Virgo *Maria* simul adjuvant illorum prædicationem? Sed puer *Jesus* subduxit se, cum vellent ipsum adorare: ô novam modestiam, etiam nunc *Jesus* refugit adorari, cum mortalis adhuc, nullum prohibuerit adorantem? Sed *Minoritæ* maluerunt exuri, quam abjurare *Christum.* Quasi non idem

Digitized by Google

fecerint *Gereonis* milites, aliique innumeri. Si quid pie faciunt, ut boni Christiani faciunt, non ut *Minoritæ*. Modestius autem erat sic ista commemorare, non quasi fierent à *Minoritis*, sed à *Christo* famulorum ipsius ministerio. Sic solet gloriari *Paulus*. Nunc in tantis encomiis nulla *Christi* mentio, sed tota laus tribuitur *Minoritis*. Stomachatur in *Hispanum* quendam, qui vulgarit Epistolam ἀνώνυμον in mei favorem. Tales apud me pessimam incunt gratiam. Sed cur illius factum *Pantalabus* noster imitari voluit, quod detestatur? Sceleratius est enim fictum nomen apponere, quam nullum. Quod si verus est titulus, quid insanius quam tam indocto, tam mendaci, tam stulto, tam maledico Libello totum dedecorare Ordinem? Mihi ut quisque ad *Francisci* pietatem proxime accedit, ita fuit, est & erit semper carissimus. Verùm si esset, quod iste mentitur, capitalis hostis, quem alium subornare possem ad totius Ordinis dedecus quam hunc *Pantalabum*?

Tandem invitat me ad palinodiam, profusurus sacrum illum suum pro me sanguinem, si recantem illa, quæ obscurant *Christi* gloriam. Miser, mea scripta obscurant *Christi* gloriam? Et tui similes illustrant nomen *Christi*? Quid recantabo? Ineptos illos, mendaces, ac sycophantas articulos, quos tui sodales protulerunt in *Hispania*, aut hos quos in hoc Libello recenses? Quis unquam recantavit ea quæ nec scripsit, nec sensit? Non est vobis satis, (non loquor de pus, sed de impostoribus tui similibus) quod hactenus illusistis hominum simplicitati, nisi nunc Mundum experrectum, mendaciis ac tyrannide opprimatis? Non respondi Libello, nec enim dignus est ulla responsione, tantum indicavi doctrinam, modestiam, prudentiam & lenitatem hujus vere Euangelici *Franciscani*: & hoc opusculum, omnium sacrarum Religionum defensorum, Frater *Joannes Zafranus* præfatiuncula commendat R. P. Fratri *Francisco Angelorum*, titulo S. crucis Catd. *Hierosolymitano*. Ipse *Ludovicus* dedicat illustrissimo Principi *Laurentio Suari*, &c. altori studiorum suorum, in quibus quantum profecerit hoc scripto declarat. Nec hoc contentus, commendat suas nænias lectori, videlicet tale opus merebatur triplici præfatione commendari. Post rem feliciter gestam, ipse sibi canit Encomium, ludicra ineptia ἴχθυς, cui accinit triumphale carmen lepidis versiculis, Frater *Zafranus* ad Fratrem *Laxiangum*, vicissim Frater *Laxiangus* ad Fratrem *Zafranum*. Quid superest, nisi ut quotquot usquam gentium sunt sacræ Religiones dent plausum triumphatori *Pantalabo*? Sed extra jocum, illud magis orandi sunt omnes, qui ex animo diligunt veram Religionem, ne *Franciscanorum* Ordinem, aut ullum omnino *Franciscanum*, ex hujus Scriptoris æstiment ingenio. Scripsit in febri, Medico dignus est potiusquam objurgatore. Si Cæsar satis nosset hunc impostorem, ageret illum in crucem, vel decem *Franciscanis* cucullis onustum: & si proceres Ordinis intelligerent, quantum dedecus conciliet nomini *Franciscano*, cæsum virgis dederent illum perpetuo carceri. Verùm ego suspicor fictis nominibus rem geri, nec *Franciscanum* esse, imo ne Christianum quidem, sed *Judæum*. Nam hujus colluviei magna turba se miscet huic Ecclesiæ tempestati.

FINIS.

DESIDERII ERASMI VTILIS ADMONITIO ADVERSVS MENDACIVM ET OBTRECTATIONEM.

QVOD scripsit *Maro*, Famam esse

—— monstrum quo non aliud velocius ullum,
Tam ficti pravique tenax quam nuntia veri,

non arbitror ullo seculo fuisse verius quam hoc omnium loquacissimo, quo gloriantur quidam renatum Euangelium. Qui tandem obsecro sunt isti male feriati linguaces, qui tam repente per universam prope *Germaniam* sparsere, *Erasmum* ab *Henrico Epphendorpio* atrocibus acceptum modis, fœdisque conditionibus cum illo rediisse in gratiam? Quod etiamsi qua ex parte verum esset, quid est hîc quod gestiant, quod exsultent, quod triumphent, qui se titulo Euangelii venditant, qui nusquam non præfantur pacem & gratiam? Fingant à me læsum *Epphendorpium*, fingant me læsum ab illo, fingant utrumque ab altero læsum, denique fingant nihil interfuisse offensarum, sed humanis suspicionibus ac sycophantarum delationibus direptam concordiam, utrum hîc insultare mihi par est, an potius utrique de sarta concordia gratulari? Ubi est hic ille spiritus Euangelicus, qui semper istis natat in labris? ubi pax, quæ pingitur in Epistolis? ubi Christiana caritas, quæ nullius gaudet malo, sed omnium bono gratulatur? Applaudunt *Epphendorpii* victoriæ: Quamobrem? Erat nonnihil causæ, cur *Huttenicæ* temeritati plausum darent, nec immerito, si successum habuisset audacia. Profitebatur enim se veritatis Euangelicæ propugnatorem, cum nemo magis offecerit istorum Euangelio. Cæterum cum *Epphendorpio* quid tandem istis est rei? An sibi persuadent hunc in *Hutteni* locum successisse, quoniam ut vivo perquam familiariter est usus, ita defuncti famam strenue tuetur? Hunc animum ut in illo nunquam deprehendi, ita non arbitror ipsum profiteri. Sed donemus ita esse, quid hoc ad causam Euangelicam? ni forte voluptati est, quocunque modo negotium exhiberi *Erasmo*. At nullo tuo bono delectari malis alienis, diabolicæ cujusdam malitiæ est, tantum abest ut sit Euangelici spiritus. Nunc aperiam quam frustra semet ista voluptate titillarint. Equidem decreveram hasce nænias silentio concoquere, præsertim cum alioqui abunde sat esset negotii, tamen quoniam nullum video mentiendi finem, rei summam ut habet exponam, idque bona fide, neque enim arbitror id mea magis referre quam *Epphendorpii*. Ante annos ferme tres *Epphendorpius* venit *Basileam*, ad cujus ingressum nescio quomodo repente totam urbem pervasit rumor, eum velle jure agere cum *Erasmo*, minarique dira. Ego sciens illi nullum esse jus agendi mecum, censebam minas hominis esse negligendas. Sed amici concorditer auctores erant, ut privatim quicquid esset litis inter nos transigeretur, etiam hanc afferentes causam, quod qui in Senatu primas agerent *Oecolampadianis* dogmatibus essent vehementer addicti, quibus cum ego palam adversarer, verebantur, ne in causa quamvis bona non satis æquos haberem judices. Ne id quidem ipse magnopere metuebam, sed animo reputabam quam parum essem ad eam instructus militiam, hospes, senex, valetudinarius, linguæ ignarus, fori rudis: nam ad hoc usque ætatis nec cujusquam nomen detuli, nec à quoquam postulatus sum. Denique tum temporis tot laboribus obrutus ut me tantum non enecarint. Me vero miserebat etiam amicorum, quorum pa-

Digitized by Google

patrocinio fuiſſet utendum. His ultro citroque curſitandum erat. At mihi ſemper ſtudio fuit, ut amicis ex me quam minimum eſſet moleſtiæ. Horum igitur conſilio cœptum eſt agi de componendo diſſidio. *Epphendorpius* venit in cubiculum meum, præſente *Beato Rhenano* ac *Lodovico Bero*. Depromſit Epiſtolam, totius indignationis fontem, quam exiſtimabat à me ſcriptam Illuſtriſſimo *Saxoniæ* Duci *Georgio*. Ejus Epiſtolæ, quantum memini, hæc erat ſumma, ut Dux juvenem à luxu otioque in patriam revocaret, ac muneris aliquid committeret, quo præclaras naturæ ſuæ dotes poſſet exercere. Inſperſa tamen erant quædam, quibus ille graviter offendi videbatur, præſertim quod diceretur ſe jactaſſe pro Nobili cum eſſet plebejus, quodque ſe perditiſſimo quorundam Euangelicorum ſodalitio ducem præberet ac propugnatorem. Ubi recitaſſet Epiſtolam, reſpondi me illam pro mea non agnoſcere, nec opus eſſe ut ad aliena reſponderem. Scriptum erat ignotæ manus, nulla erat meæ manus ſubſcriptio, nullum annuli ſymbolum, quo litteras obſignare ſoleo, poſtremo nec diem habebat, nec annum. Quod memineram me ſcripſiſſe Duci, agnoſcebam: omnia quæ illic inerant, quoniam non memineram, non debui agnoſcere, niſi ille prolata manu mea & ſymbolo fidem faceret, quanquam & manus effingitur interdum, & ſymbolum alicunde ſublatum affigitur. Cum altercatio videretur ad jurgium tendere, qui aderant hortabantur ut omiſſis expoſtulationibus reciprocis, ageretur de abolendis offenſis. Profeſſus ſum me ad id longe propenſiorem eſſe quam ad litigandum. Hîc cœptum eſt agitari de conditionibus, *Epphendorpius* reſpondit ſe tum quidem eſſe commotiorem, ſed poſtridie *Beato Rhenano* ſcripto traditurum. Is mihi reddidit *Epphendorpii* poſtulationem ipſius manu deſcriptam, cujus exemplar ad verbum hîc ſubjiciam.

POSTVLATIO HENRICI EPPHENDORPII.

1. TRADVXIT *me non modo apud Principem, cui licet vitæ & necis jus in me eſſe videatur, ſed etiam apud plures privatos, illius cauſa famæ periclitamur, quam neceſſum eſt reſarciat, quod per Epiſtolam unam atque alteram vix fieri poterit, ſed opus erit inſcriptione cujuſdam Libelli, ubi pro ſua prudentia rem illam temperet, ut ſit præter ſuam infamiam, nec lectori relinquat quid de me ſuſpicionis: inſcriptiones alioqui hujuſmodi non tantopere ambio.*

2. *Principi ſcribat aut in aulam, ubi Epiſtolam ſuam ſparſam ſcio, atque veteri de me exſpectationi de integro reſtituat, litteris tamen prius à me lectis, ne per obliqua & ambigua ſua magis deprimat quam ſerver.*

3. *Quod vere innocentem me ſic conatus eſt perdere, & hiſtoriam de me contexuit, ut* Friburgi *concitato tumultu coactus ſum diſcedere, cum diverſum & urbs ſciat, & teſtes vitæ probe illic actæ eſſe poſſunt univerſi cives. Pro læſa innocentia ibidem centum elargiatur ducatos, itidem in hac urbe faciat, ducentos vero in* Argentoratos, *quos ipſe feram, & pro meo arbitrio egenis diſpenſaturus ſum. Hæc omnia pro impetita & ſimplicitate & innocentia. Damna læſæ famæ etſi majora ſunt, quam qua æſtimari poſſunt, tamen ob vetera in me merita, tam pietate ductus, condono lubens, ſi priora recipit. Quod ſi recuſat* Eraſmus, *vita ſciat me potius periclitaturum, quam fama.*

Ad hæc mea manu reſcripſi, cujus exemplum nullo mutato verbo ſubjiciam.

RESPONSIO ERASMI ROTERODAMI.

1. EPISTOLAM, quam prælegit, non agnoſco, nec arbitror me ſcripſiſſe talia, nec exemplar in meis ſchedis reperio. Et Epiſtola Ducis, ſi proferat, teſtabitur me talia non ſcripſiſſe. Tantum admonui Ducem, ut illum ad honeſtam functionem ab otio revocaret, aut certe mihi quietem ab illo impetraret. De inſcriptione Libelli, ſi videro animum illius factum amicum, non gravabor, majora facturus amicitiæ nomine.

2. Quam ſit illi Princeps iratus, neſcio, aut quas irarum cauſas habeat, mihi non conſtat. Habebat *Epphendorpius Emſerum* hoſtem capitalem apud Principem. Si ex mea querela Princeps factus eſt alienior, non gravabor hoc meis litteris civiliter ſcriptis mitigare, quatenus licet cum tantis Principibus agere.

3. De eleemoſynis ipſe curabo cum mihi Deus in mentem miſerit. Nec mea refert quomodo hîc aut *Friburgi* vixerit. Quo ſanctius vixit, hoc magis gaudeo. De aureis, quos poſtulat ſibi dari, præſtat ſileri, ne videatur ob hanc cauſam intendiſſe litem. Agat amice, & deſinat populum in me concitare, non patiar me vinci civilitate. Uberius illi prodeſſe poſſum officiis, quam ſi dem ducentos aureos.

Reſponſionem meam ad duos primos Articulos approbavit, de tertio nonnihil diſceptatum eſt, tandem conſenſimus in Arbitros, Doctorem *Bonifacium Amerbachium*, & *Beatum Rhenanum*, quibus vix in ea urbe reperiri poſſe vel doctiores vel integriores, nec ipſe inficiatur *Epphendorpius*. Adhibiti ſunt teſtes ejuſdem integritatis D. *Lodovicus Berus*, & *Henricus Glareanus*. Conventum eſt in cubiculum meum. *Amerbachius*, antequam pronuntiaret, rogavit, vellemus-ne ſtare Arbitrorum judicio? Reſpondimus ambo velle. Recitata eſt de ſcripto ſententia, cujus exemplum ad verbum ſubjicio.

SENTENTIA ARBITRORVM.

QVONIAM *ex conſenſu utrinſque nobis jus feciſtis diſſidii inter vos amice componendi, viſum eſt nobis ut D.* Eraſmus *ad evitandam moleſtiam & alendam Chriſtianam concordiam, præſtet duos Articulos ſicut ſcripto recepit. Pro tertio eodem animo non gravabitur in ſubſidium pauperum dare florenos circiter* XX. *noſtro arbitrio diſpenſandos. Et hæc facienda cenſemus citra notam alterutrius, tantum ut utrinque offenſis, querelis ac ſuſpicionibus abolitis, de integro certamen inter vos ſit benevolentiæ cum oblivione præteritorum omnium, perinde quaſi nihil eſſet aut dictum aut factum. D.* Henricus Epphendorpius *premat ſi quid ſcripſit, & utrique liberum relinquimus an viciſſim aliquo benevolentiæ ſymbolo, an potius mutuo animo contenti eſſe velint. Actum* Baſileæ, *poſtridie Purificationis, Anno Domini* 1528.

B. RHENANVS & B. AMERBACHIVS.

POST hæc denuo rogati ſumus an placeret ſententia: Reſponſum eſt ab utroque, placere. Et quo firmius eſſet quod erat actum, ſchedæ arbitrariæ ſubſcripſimus ambo, & ab Arbitris utrique cepimus exemplum arbitrii. Poſt hæc fracto pane bibimus ex eodem poculo, datiſque invicem dextris diſceſſum eſt. Poſtridie omnes excepi cœna, ne quod deeſſet argumentum ſartæ gratiæ. Ad hunc modum res acta eſt. Verùm haud ſcio per quos factum ſit, tamen conſtat priuſquam *Epphendorpius* relinqueret *Baſileam*, per univerſum populum rumorem fuiſſe ſparſum, *Eraſmum* ab *Epphendorpio* ad eas adactum conditiones, ad quas ipſe pro multis aureorum millibus nollet deſcendere. Moxque per totam *Germaniam* horribilis divagatus eſt rumor, *Eraſmum* ab *Epphendorpio* miſeris tractatum modis. His fabulis vaniſſimis tum perſtrepebant omnia, tanta celeritate ut vix per ullos veredarios fieri poſſet celerius. Geſtiebant qui mihi male volebant, deplorabant vicem meam amici, nonnulli me litteris etiam conſolandum putarunt. Ejus rumoris qui fuerint auctores neſcio, ſed quicunque fuerunt, oportet eſſe homines impudentiſſimæ vanitatis, qualium hoc tempore plena ſunt omnia. Quid, obſecro, eſt in hoc pacto quod mihi vel grave ſit, vel ignominioſum? Culpam non agnoſco. Arbitrium præfatur, ad evitandam moleſtiam & alendam Chriſtianam concordiam. Additque, *Et hæc facienda cenſemus citra notam alterutrius.* Hoc animo polliceor me præſtaturum conditiones. Deinde cum arbitrium ait, *ut utrinque offenſis, querelis,*

Digitized by Google

ac ſuſpicionibus abolitis, nonne nos æquat in cauſa? Quanquam mihi longe graviores erant expoſtulandi cauſæ, niſi longe dulcius eſſet otium vindicta. Sed ille, inquiunt, præſcripſit conditiones, ego recepi. Quid hinc colligunt homines cordati, niſi me fuiſſe tum modeſtiorem, tum otii cupidiorem? Accepi conditiones, ſed crimen non agnovi. Itaque pacis amore fui ſuperior, non cauſa inferior. An non ſuadet idem nobis ſanctum Euangelium, ut cum adverſario controverſiam vel iniquis conditionibus finiamus priuſquam ventum fuerit ad judices? Cur factum Euangelicum non agnoſcunt ſaltem Euangelici? Non ſtatim inferior eſt, qui leges accipit, quandoquidem non raro fit ut probi prudenteſque viri improbo litigatori malint cauſam cedere, quam experiri legibus, neque raro numerent turpi ſycophantæ, quietem pecunia redimentes, pro lucro ducentes ſi rem cariſſimam viliore paraverint. Res omnium pretioſiſſima eſt animi tranquillitas, hanc parvo comparavit, quiſquis nummis redemit. Viator interdum à piratis, latronibus, ac ſicariis conditiones accipit, & gratias agit, quietem ſibi vindicant homines cordati, à lenone, à ſcurra, ab ebrio, à furioſo, à garrula muliere, loquuntur blandius ac ſubmiſſius, denique à moleſto cane projecto pane quietem emimus, & mihi vitio vertunt qui otium tot nominibus neceſſarium leviſſimis conditionibus redemerim ab homine nec elingui, nec admodum occupato, præſertim cum inter nos nonnulla interceſſiſſet familiaritas, ut jam non tantum moleſtum, verum etiam turpe futurum fuerit cum eo contendere, quicum familiariter vixeram. Fingunt me adactum ad conditiones aliquanto duriores, ponant extortam bonam pecuniæ ſummam, nemo prudens, cui noſtrum uterque fuiſſet notus, aliud ſuſpicaretur, quam me rem multo cariſſimam viliore mercatum eſſe. Natura quietis ſum amans, atque hæc pilea ſemper totis, ut ait ille, ſarcinis redemi. Alioqui non defuiſſet fortuna paulo tum lautior tum ſplendidior, niſi me deterruiſſet ſervitus, opum ac dignitatum comes. Id vero temporis otium, quod mihi arcano quodam naturæ ſenſu ſemper carum ac dulce fuit, præter ſenectutis onus, ac valetudinis afflictiſſimæ pene perpetuam moleſtiam, multis variiſque laboribus diſtento ſic erat neceſſarium, ut vix unquam magis. Unde ſuppetiſſet otium ad litem forenſem, cui non ſuppetebat otium ad curandam corpuſculi valetudinem? Porro ſtudiis non ſatis eſt otium & animus moleſtiis vacuus, etiam alacritatem requirunt. Erant interrumpendi labores, quos haud mediocres juvandis publicis ſtudiis perfero, litigandum erat per advocatos & interpretes, homini elingui cum actore minime muto, idque apud judices Laicos, quorum plerique valde favebant dogmatibus, à quibus ego diſſentio, denique tam rudi forenſium negotiorum, ut vix alius magis. Quem autem amicorum ſuſtinuiſſem tali onerare negotio? Proinde delectum eſt quod & ſtudiis erat utilius, & mihi ſimul & amicis commodius, & homine Chriſtiano dignius, poſtremo ipſi etiam expoſtulatori expedientius, quem illuſtriſſimus Princeps litteris ſuis admonuerat, ne quid obturbaret ſtudiis meis. Nam cum caput totius querelæ eſſet, Ducem meis litteris factum alieniorem, illius animum magis erat alienaturus, ſi contemta ejus auctoritate pergeret faceſſere negotium ei, quem Princeps non vulgari favore proſequeretur. Hoc conſilium cum Chriſtianis omnibus, tum præcipue viris Euangelicis probatum oportuit. Sed magnificum exiſtimant timeri. Timet autem qui leges præſcriptas accipit. At nemo magis timetur quam vir improbus, & ut quiſque eſt vir optimus, ita minime metuitur. Si per ſe magnum eſt timeri, timentur ab omnibus Boves cornupetæ, timentur ſcorpii & viperæ, in Comœdiis *Chremes* ac *Demipho* metuunt *Phormionem*.

Non agnovi Epiſtolam, quam impingebat *Eppbendorpius*. Quid? num agnoſcere debebam quam non agnoſcebam? ac in meipſum mentiens porrigere telum adverſario? Ejus Epiſtolæ exemplar, ut dixi, inter meas ſchedas non reperi. Dux *Epphendorpio* ſcripſerat, in meis ad ipſum litteris nihil eſſe talium convitiorum qualia continebat Epiſtola. Tantum admonuiſſe me, ut juvenem præclaris naturæ dotibus præditum avocaret ab otio luxuque ad honeſtam aliquam functionem. Id à me factum non negavi, ſed ante annos aliquot. An exiſtimant me memoria tenere quicquid ſcribo, qui præter volumina uno interdum die ſcribam dictemve Epiſtolas quadraginta, quarum paucas relego? Fieri potuit, ut eam Epiſtolam finxerit aliquis, fieri potuit ut aliquis quæ libuit, admiſcuerit. Si ſciebam non eſſe meam, dementis erat in meum ipſius malum mentiri. Si dubitabam, extremæ ſtultitiæ fuiſſet cum meo incommodo aſſeverare quod erat ambiguum. Efflagitabam, proferret Epiſtolam cum manus meæ ſubſcriptione, cum ſymbolo Termini, quam ſe prædicabat habere, tum me reſponſurum. Id quantumvis efflagitatus non fecit, facturus utique ſi potuiſſet. Jam ſi maxime protuliſſet Epiſtolam cum ſubſcriptione & ſymbolo, niſi mihi conſtitiſſet à me ſcriptam, ſtultum erat protinus agnoſcere quo gravarer in cauſa. Sunt enim quidam in hoc exercitati, ut manum exprimant alienam tanta ſimilitudine, ut nec is deprehendat dolum qui effingitur. Luſit hac arte me quondam *Senæ Alexander* Archiepiſcopus titulo divi *Andreæ*, filius *Jacobi Scotiæ* Regis, ejus, qui nunc regno potitur, frater. Oſtendit mihi codicem quendam typis excuſum, quem certo ſciebam nunquam à me lectum: in eo multa annotarat in ſpatiis marginalibus. Protinus agnovi manum meam. Rogo unde nactus ſit eum librum: Agnoſco, inquam, figuras meas, verùm codicem hunc nec legi nec habui unquam. Ille contra, legiſti olim, ſed excidit: alioqui unde hæ tuæ manus notulæ? Cum ego ſcripturam inficiari non poſſem, certoque ſcirem mihi nunquam fuiſſe tale volumen, tandem cum riſu faſſus eſt dolum. Atque ego, næ tu, inquam, præclare falſarium agere poſſis ſi velis. An non is, qui pridem *Argentorati* diſſectus eſt, imitatitiis Epiſtolis atroces excitavit tragœdias? Ante annos ferme decem *Bruxellæ* quidam ſupplicio affectus eſt, quod Principis ſigillum arte detractum, alienis diplomatibus affixiſſet. Vetus hic ludus eſt aliquid facinoris molientium. Si ſunt qui totas effingunt Epiſtolas, quantulum eſt negotii tria imitari verba ex ſubſcriptione? Quid hîc referam vulgo notiſſima de confiſto fœdere, quo neſcio quis artifex *Germaniæ* Principes inter ſe committere tentavit? Has ob res in odioſis actionibus ſcriptura manum hujus aut illius referens non recipitur ad convincendum reum, niſi acceſſerint argumenta certiora. Addam illud ex ſuperfluo. ut fuerit à me ſcripta quam recitabat Epiſtola, nec id neſciſſem, tamen ſi negaſſem à me ſcriptam, nihil fuiſſem mentitus, quod aliena manu eſſet deſcripta. Hîc ſuccłamabitur, dolus malus: Imo dolus bonus eſt, quoties ſuo quoque bono fallitur aliquis, aut fallitur qui falli dignus eſt. Sic *David* decepit Regem *Achis*, ſic *Michol* fefellit exploratores *Saulis*, non ſine laude pietatis. Hic dolus in bello laudari cum primis ſolet. Sic Medicus interdum fallit ægrotum. Denique ſic *Chriſtus* aliquoties fefellit *Judæos*; abſit invidia verbo. Jam ut in bello, ita in lite nemo jubetur eſſe ſui proditor. Verùm hæc quoniam mihi extra cauſam dicuntur, nolim vel mihi fraudi eſſe, vel in cujuſquam rapi contumeliam. Meæ litteræ, quas agnoſco, non vindictam quærebant mihi, ſed illi remedium. Hîc erat ſcopus, ut opera Principis à vita multorum fabulis obnoxia vocaretur ad honorificum munus, ac per hoc ad opes ac dignitates. Hoc animo quid eſſe poteſt amicius? An non idem frater pro fratre, pater ſcriberet pro filio? In his litteris ſi quid erat ſubamarum, eſt hoc ſalutarium pharmacorum. In ſumma ſi quid inſperſum erat quod offenderet, non hîc dicam æſtimandum, an hæc in commeritum facta ſint, non enim eſt animus refricare cicatricem: at quoniam uni ſcripſeram, eique amico ac benevolo, magis indignan-

quandum erat his qui ſcriptum ſparſerint, quam ei qui ſcripſit. Tantum obiter de abnegata Epiſtola.

Redeo ad horrendas conditiones, in quibus ſpectandum eſt non quid ille poſtularit, ſed quid ego receperim. Solet iniquum peti ut æquum feratur, neque quicquam vetat quo minus quilibet à quovis petat quidvis. Itaque qui jactant illius poſtulationes, ſpectent quid ego ſpoponderim, quid Arbitri præſcripſerint. Nam arbitrii bona pars pendet ex meo reſponſo. Polliceor me ſcripturum vel ad Ducem, vel ad aulicum aliquem, idque ſub conditione, ſi Princeps meis litteris factus eſt alienior. Addo, *civiliter*, nec hoc contentus adjicio, *quatenus licet cum tantis Principibus agere*. Et arbitrium excipit utriuſque notam. Ubi igitur horrendæ leges? Secundo loco polliceor dicationem Libelli, ſed nullo præſcripto tempore, nullo deſignato certo argumento, ac ne id quidem ſimpliciter, addita eſt conditio, *ſi videro animum illius factum amicum*: adjeci & illud *amicitiæ nomine*, quemadmodum habet etiam arbitrium, ut officium videretur, non pœna. De tertio quid grave præſcribunt Arbitri? Ut id faciam, quod mea ſponte facio. Non eſt temporis modus, non genus pauperum, & expreſſum eſt, *ad alendam concordiam*. Cæterum Arbitros ſciebam æquiores, quam ut mihi quicquam hîc grave præſcriberent, ut qui ſcirent nihil aliud agi, quam ut meis ſtudiis otium redimeretur. Excluſa eſt omnis infamiæ nota, non gravata eſt crumena. Soleo plura pauperibus elargiri injuſſus. Quid eſt igitur quod jactant *Eraſmum* atrocibus tractatum modis? Tantum de gravaminibus.

Haſce fabulas aliquanto poſt excepit alius rumor de prodigioſa *Eraſmi* perfidia, qui pacta non præſtitiſſet. Hoc ſexcentis Epiſtolis jactatum eſt, hoc in omnibus conviviis decantabatur. Quid, ſi doceo me non pauca præter pacta præſtitiſſe? tantum abeſt, ut mihi perfidia poſſit objici. Liberum erat ſeu Duci ſcribere, ſeu cuivis aulico. *Epphendorpius* inſtabat ut ipſi ſcriberem Duci. Datum eſt hoc ultra pactum. Voluit ille meis ad Ducem litteris interponi quaſdam ſententias ipſi quam mihi commodiores. Id cum arbitrio non contineatur, conceſſum tamen eſt, ne diſſiliret gratia priuſquam ſatis coiſſet. Veſperi flagitavit Epiſtolam, poſtridie mane profecturus. Nocte itaque ſcribendum erat, non ſine valetudinis periculo. Hoc cum nec Arbitri præſcripſiſſent, nec dictaret æquitas, datum eſt illius affectui. Poſtulavit ut exhiberetur ipſi Epiſtola legenda priuſquam obſignaretur. Hoc ut erat incivile, ita videbatur animi diffidentis, tametſi fruſtra. Nam ſi fallere voluiſſem, licuiſſet per alium quæ voluiſſem Duci ſcribere. Devoratum eſt hoc quoque. Flagitavit ut ipſi committeretur Epiſtola ad Principem tranſmittenda. Datum eſt hoc quoque præter conventa. Super hæc omnia flagitavit ibi protinus exhiberi præfationem Libelli, nondum nati: id quoniam Arbitris videbatur non tantum iniquum, verum etiam ineptum ac ridiculum, (quid enim ſtultius quam oſtentare præfationem abſque libro, hoc eſt, caput ſine corpore) non auſi ſunt mihi proponere, præſertim quod iſta ſignificationem darent animi parum ſinceriter amici. Propoſuit tamen & hoc tandem *Bonifacius*, non ſine pudore. Datum eſt, ne non perficeretur quod erat cœptum. Petierat & decem aureos pro viatico. Fortaſſis & hoc facturus eram, ſi in tempore rogatus fuiſſem. Verùm id demum accepi eo jam profecto.

Vides quam multa ſtatim ultra præſcriptum data ſunt. At non prodiit promiſſus Liber. Primum, nullum erat ei rei præſcriptum tempus, & ſi viſus fuiſſem cunctantior, ab Arbitris ex æquo & bono præſcribendum erat. Fœdus actum eſt ſub nundinas vernas, mox à Paſcha declamatum eſt in perfidiam, quaſi libros perinde ut muccum emungeremus è naribus. Sed demus annum præteriſſe, locus erat amicæ expoſtulationi, perfidiæ crimen nullo jure potuit impingi. Jam fingamus fuiſſe præſcriptum diem, an continuo reus eſt, qui promiſſum ad diem conſtitutum non præſtat? Ita-ne perfidiæ tenebitur, qui creditori pecuniam ad præfixum tempus non reddidit? Qui commodatum ultra diem ſervat? Tenebitur faber & veſtiarius, qui ad diem promiſſum non abſolvit opus? Expoſtulare cum his licet, at nulla eſt perfidiæ actio. Et hîc vociferantur de perfidia, ubi nec dies nec annus præfixus eſt? Si in contractibus civilibus locum habet excuſatio, ſi non licuit, ſi commode non potuit, quanto magis valere debet in hoc negotio, quod per amicos amicitiæ legibus peragitur, & in quo non exigitur ſummum jus, ſed boni conſulitur quod dictat æquitas & humanitas. Rurſus dono per Arbitros fuiſſe præſcriptum diem, dono rem non gratiarum auſpiciis, ſed legum ſeveritate geri, de Libello dicando non erat ſimplex promiſſum, ſed additæ ſunt duæ conditiones, *amicitiæ nomine*, & *ſi compertum haberem illum mihi ex animo factum amicum*. Si quis exigat Libellum velut injuriæ penſationem, iſto nomine non debeo. Si flagitatur Liber ut contentionis trophæum, adverſus pacta flagitatur, non debeo niſi ſpectato amico. Quoniam autem Hebræus ille Sapiens monet, ne ſimus ab amico reconciliato ſecuri, non protinus neque quibuslibet argumentis credi oportuit, in odii locum ſucceſſiſſe ſinceram benevolentiam. Atqui ni hoc ſit exploratum, non debetur Liber. Eum animum an præſtiterit *Epphendorpius*, alii qui cum illo vivunt, & ad quos ſcribit, magis ſcire poſſunt quam ego. Nolim enim nunc hanc movere Camarinam. Cæterum ut vana ſint omnia quæ detulit rumor, illum frequenter totis conviviis in meum deſtomachari nomen, Libelli neſcio quid famoſi & amarulenti paſſim hoſpitibus recitare, litteras nihilo minus hoſtiles ad ſuos mittere, ecquod evidens dedit ſpecimen, unde certum habeam illum ex animo mihi factum amicum? Quis audivit illum de me loquentem honorifice? per quem juſſit ſalvere? Quas litteras vel ad me, vel ad alios miſit, teſtes animi bene cupientis? Quando mihi obtrectantibus occluſit os? Atqui his officiis nihil eſt vulgarius, eaque præſtare civilitatis eſt, non amicitiæ. Quod ſi ſpectemus æquitatem, non illud actum eſt per Arbitros, ut ille ſic à me Libellum exigeret, quemadmodum incendiarius pactam ſummam exigit à ruſticis, ignem injecturus horreis, ni ſtatim numeretur, ſed ut ſartæ jam & coaleſcentis amicitiæ hoc adverſus hominum calumnias quaſi teſtimonium eſſet. Id autem officiis ambiendum erat potius quam convitiis efflagitandum. Alioqui qui ſic poſtulat, hoc ipſo quod poſtulat, amittit jus poſtulandi, ac perfidiæ vicinior eſt, qui contra pacta flagitat, quam qui promiſſum differt, præſertim cum citra diſpendium conſtet dilatio. De perfidia plus ſatis. Atqui haud ſcio an hoc ipſum iſti putent eſſe præclarum, alicui faceſſere negotium, extorquendo quæ non debentur, & expoſtulando ubi nulla eſt culpa. Hoc ſi fingunt in gratiam *Epphendorpii*, aut vani ſunt aut ſtulti. Vanitatis eſt jactitare quod non eſt: Stultitiæ, laudi tribuere quod eſt vituperio dignum. Mihi cum *Epphendorpio* nunquam fuit amicitiæ ſanctioris fœdus, præter eam quæ eſt Chriſtianorum omnium communis. In familiaritatem ipſe ſemet ingeſſit, atque horis pomeridianis, quas ſoleo ſtudiis ſubducere, & amicorum confabulationibus dare, congerro fuit aliquandiu non infeſtivus. Nonnulla mea in ipſum merita agnoſcit ipſe in poſtulatione. Nec conſuetudinem illius ambio, nec officium requiro, abunde ſatis fecerit ſi quieſcat à lædendo, & tamen hodieque paratus ſum de Libello præſtare, quod pacti ſumus, cum tam multa præſtiterim ultra pacta, ne dicam contra. Tantum præſtet ille dimidium conditionis, ego totum præſtare promiſſum paratus ſum. Totam præſtabit, ſi non modo quieſcat à lædendo, verum etiam officiis declaret animi benevolentiam. Dimidium præſtabit, ſi deſinat lædere, hoc mihi ſatis erit.

Sed interim mihi cum *Epphendorpio* res non eſt, cum his ago qui ſpargendis vaniſſimis rumoribus magis illum lædunt, cui videntur velle favere, quam me cui male vo-

Digitized by Google

lunt. Eorum qui veritatem Euangelicam profitentur talis deberet esse confabulatio, ut ubicumque duo congregati fuerint, ille qui veritas est & veritatem diligit, sit in medio eorum. Calumnia res est impia, etiamsi absit vanitas. Cæterum ubi feruntur non minus vana quam calumniosa, quis tum in medio esse credendus est? Quis, nisi qui & à calumniando nomen habet, & pater est mendacii, quotiesque loquitur ex sese, mendacium loquitur? Qui sacras Litteras nusquam non crepant, cur non audiunt *Paulum* Apostolum, hortantem ut abjecto mendacio loquamur veritatem cum suo quisque proximo? Jam confingere quæ mox vanitatis coargui possint, non minus habet stultitiæ quam malitiæ. Nuper *Augustæ* præter alia multa jactatum erat in tam celebri conventu, *Erasmum Basileæ* flexis genibus petisse veniam ab *Epphendorpio*, cum essent illic permulti, qui certo scirent hoc esse mendacium insigniter impudens, cum nullum omnino viderim magistratum, apud Arbitros autem nec quod objiciebatur agnoverim, nec ullum humilius verbum à me dictum sit. Tanta ne mentiendi libido, ut pudore perpetuo redimant brevissimæ voluptatis usuram? Quanquam qui hoc morbo tenentur, his nihilo plus frontis esse reor quam mentis. Tantasne animorum pestes inveniri inter homines Christi nomen profitentes? Clamat divina sapientia: *Custodite vos a murmuratione, quæ nihil prodest, & a detractione parcite linguæ. Quoniam sermo obscurus in vanum non ibit, os autem quod mentitur, occidit animam*: Qui viatorem spoliant nummis, prædones appellantur, & horrendis suppliciis interimuntur. Atqui ut carius est quod eripit obtrectator, ita graviore dignus est supplicio. Famam lædere homicidii genus est. Latro corpus interficit, os obtrectatoris occidit animam, primum suam ipsius, deinde eorum quos pestiferis inficit sermonibus, contagio mali ad plurimos transvolante, nonnunquam & ejus occidit animam, in quem vibrat mendacem linguam. Sic os *Ulyssis* occidit *Palamedem*. Porro qui nondum didicere cum beato *Paulo* fortiter sequi *Christum* per infamiam ac bonam famam, nonnunquam mœrore conficiuntur. Hoc animo dicas esse quosdam hisce temporibus, qui conjuratis calamis & linguis impetunt me, sic cogitantes, seniculus est, valetudinarius est, pusilli animi est, & contumeliæ impatiens, sic confossus peribit, & nos homicidæ non erimus. Verum apud homines: apud Deum vero nihilo meliorem habituri causam, quam sicarii aut venefici. Ac plane jam votis suis potirentur, nisi Dominus nostræ imbecillitati robur adderet. Saltem moniti resipiscant, desinantque & tui & aliorum esse homicidæ.

FINIS.

DESIDERII ERASMI ANTIBARBARORVM LIBER PRIMVS.

Des. Erasmus Roterodamus Joanni Sapido suo *S. D.*

MIRAM *quandam esse naturæ vim atque energiam, vel hinc colligo*, Sapide *carissime, quod cum me puero prorsus exsularent ludis litterariis bonæ litteræ, cum deessent librorum ac præceptorum subsidia, cum nullus honos adderet ingenio calcar, imo cum passim omnes ab his studiis deterrerent, & ad alia compellerent, tamen non judicium, quod mihi tum per ætatem esse non poterat, sed naturæ sensus quidam ad Musarum sacra velut afflatum rapiebat: Invisos habebam quoscunque noveram humanioribus studiis infensos. Adamabam, quos eadem delectabant, qui in his aliquid opinionis sibi parassent, eos ceu Numina quædam venerabar, ac suspiciebam. Hujus animi ne senem quidem adhuc pœnitet. Non quod aliorum studia damnem, quæ mihi non perinde placuerunt, sed quod intelligam quam frigida, manca, cæcaque sit eruditio, si quis Musarum detrahat præsidia. Cæterum dictu pudendum, quam hanc longe optimam doctrinæ portionem stolide contemnant quidam, Poetriam appellantes, quicquid ad vetustam ac politiorem litteraturam pertinet. Hi cum mihi puero satis odiose facesserent negotium, meque à meis amoribus depellerent, institueram ulcisci me calamo, sic tamen, ut nullius nomen perstringerem. Nondum annum vigesimum attigeram, cum hoc operis sum aggressus. Pauculis deinde post annis, visum est idem argumentum in Dialogum retexere, quo lectio minus haberet tædii. Operis summam in quatuor libros digesseram. Primus refellebat ea quæ quidam vel superstitiosi, vel hypocritæ Religionis verius quam Religiosi solent nobis in os jacere. Secundus subornata persona, qualis est apud* Platonem Glauco, *summis eloquentiæ viribus, vituperabat eloquentiam, totamque Rhetorices panoplian, ex intimis illius armariis petitam, in ipsam Rhetoricen expediebat, adeo, ut felicis memoriæ* Joannes Coletus, *simulatque librum eum legisset, serio mihi dixerit in familiari colloquio, plane liber tuus mihi persuasit neglectum eloquentiæ. Cumque monerem suspenderet sententiam, donec audiret eloquentiæ patrocinantem, negabat à me posse dilui, quæ intendissem. Tertius refellebat secundi voluminis argumenta, verum id nondum absolveram. Quartus agebat separatim causam Poetices, mihi puero tenere adamatæ. Hunc nondum digesseram, sylva tantum ingens erat congesta Operi futuro. Primum librum locupletaram* Bononiæ, *jam meditans Editionem. Secundum emendaram, relicturus* Italiam, *deposui apud* Richardum Pacæum, *virum omni virtutum & ornamentorum genere cumulatum. Apud hunc uterque periit, eorum videlicet culpa, quorum fidem vir sincerissimus è suis moribus æstimabat: prioris libri jactura, me sane leviter movit, quod nimium reseret ingenium puerile. Et in hunc crassissima quæque congesseram. Cæteros malebam superesse, sed aliter visum est fucis istis, qui cum ipsi nihil præclari moliantur, insidiantur alienis laboribus.* Lovanium *ubi commigrassem, comperi primum librum, ut olim à me scriptus erat, latius esse sparsum, quam ut premi posset. Parum enim abfuerat, quin jam evulgatus fuerit à quibusdam, qui sedulo magis quam prudenter favent* Erasmo. *Id ne quando fieret, ipse recognitum librum Typographis commisi, cum alioqui perpetuo suppressum maluissem, præsertim cum hac de re prodiderit Opus, eruditum, acutum, & expolitum,* Hermannus Buschius, *cui titulum fecit,* Vallum humanitatis. *Sed tamen à nobis utcunque recognitum exire malui, quam sic ut erat descriptus, nempe depravatissime. Addetur secundus, si licebit nancisci. Reliquum Operis addetur è pectore nostro, nisi penes quos lateant nostri commentariioli, maluerint esse boni viri, quam alienarum vigiliarum furunculi. Quibus hæc pars, quæ totius operis deterrima est, non omnino displicet, advigilent, ut cætera quoque pervestigentur. Eo libentius dabimus & alia, quæ nobis adhuc in schedis sunt indolata, velut Opus de conscribendis Epistolis. Interim tibi dicabitur hoc fragmentum, eruditissime* Sapide, *qui tuæ civitatis juventutem non*

Digitized by Google

non minus diligenter inſtituis bonis moribus, quam bonis litteris. Conſtanter perge quod cœpiſti, neque conquieſcito, donec omnem barbariem pro tua virili a Germania *noſtra profligaris. Satis diu noſipſos ignoravimus pene pro belluis habiti iis, qui ſibi nihil non tribuunt. Bene vale.* Lovanio.

DESIDERII ERASMI ANTIBARBARORVM

LIBER PRIMVS.

CVM adoleſcens, peſtilentiæ, quæ tum apud noſtrates inclementiſſime ſæviebat, defugiendæ ſtudio, in ruſculum quoddam *Brabanticum* me contuliſſem, tum ſalubre, tum amœnum, quod is locus non ſolum tuendæ ſaluti, verum etiam ſtudiorum ſeceſſibus vel maxime videretur idoneus, hoc nomine vel *Platonis* Academia potior, quod otio par, ſalubritate vinceret, cum illam peſtilienti cœlo fuiſſe legamus, hic præter ſalubris auræ commendationem habebat & ſilentii plurimum, amœnitatis etiam quantum Philoſopho ſatis eſſet, fortaſſis & Muſis, quæ limpidis fontibus, ac ripis ſmaragdinis, & opacis nemorum umbris delectari feruntur: hic latitantem, ac ſuaviter ruſticantem, præter ſpem inviſit *Hermannus Guilhelmus*, tum æqualium meorum unus longe mihi cariſſimus, quicum mihi à teneris (ut ajunt) unguiculis, ſingularis quædam caritas, ſaneque jucunda ſtudiorum ſocietas, ſic cum ipſa prope ætate accreverat, ac penitus iis vinculis, ea fide, ea benevolentia conglutinarat, ut nec *Oreſti Pyladem*, nec *Pirithoo Theſeum*, nec *Patroclo Achillem*, nec *Damoni Pithiam*, nec *Euryalo Niſum* conjunctiorem fuiſſe crediderim. Adeo copulat arctius animos hominum, puerilium ſtudiorum communio, quam ulla cognationis, aut affinitatis propinquitas. Ex hujus igitur adventu, vel hoc etiam gratiore, quod eſſet inexſpectatus, cum incredibilem cepiſſem voluptatem, ne hoc tanto bono ſolus adeo fruerer invidus, communi amico *Jacobo Batto*, qui proximæ civitatis *Bergana* tum erat publicus à ſecretis, confeſtim renuntiandum curo, homini, Deum immortalem! quo candore, qua morum ſuavitate, qua doctrina, quam felici facundia! Is jampridem partim mea prædicatione, qua de veteri ſodali lubens apud recentem uti ſolebam, partim ipſius litteris accenſus, incredibili quodam videndi *Guilhelmi* deſiderio flagrabat. Neminem enim adhuc mortalium vidi, qui ſic admiraretur, ſic veneraretur, ſic adamaret eruditos, præſertim in his litteris, quas non abſque cauſa bonas appellant. Is vero ſimulatque reſcivit, adſcito è congerronibus ſuis uno duntaxat, non dicam accurrit, ſed prorſus advolat, idque adeo nocte fere concubia, quod interdiu ægre liceret abeſſe: præſertim quod nuper in adminiſtrationem Reipublicæ vocato, omnia popularius ac ſtudioſius eſſent obeunda. Ejus noctis minima portio ſomno tributa eſt. Vixdum diluxerat, conſurgitur, reditur ad litteratas fabulas, mox cœli ſerenitas ad prodeambulandum invitat. Obambulatur, ac loci ſitum, regioniſque faciem hoſpiti demonſtro. Ibi forte fortuna in diverticuli ponte conſiſtentibus, de improviſo *Jodocus* Medicus, vir cum primis humanus atque eruditus, una cum *Guilhelmo Conrado*, ejus urbis cive primario, de via nobis ſeſe oſtendit. Erat huic haud procul à nobis prædiolum ruſticanum, quo vir prudentiſſimus recipere ſeſe ſolitus erat, quoties eum urbis urbanorumque negotiorum cepiſſet ſatietas (nam apud ſuos ſummo magiſtratu ſubinde fungebatur) quoties fluctus illos civilium cauſarum voluiſſet pauliſper effugere, quoties nugari liberius, atque (ut ait *Flaccus*) *diſcincto ludere* collubitum eſſet. Porro perpetuum hoc tempus, quod ruri agebatur, aut ille apud nos, aut nos apud illum eramus, tum quod hominis & comis & eruditi conſuetudine delectabar, tum quod eſſent mihi quædam communia cum illo negotia. Is ubi nobis conſpectis, ſuo more blandius arriſiſſet, mox ego: Quo tam mane, inquam, fugitive? Male (ita me Deus amet) cum Repub. agitur, quæ tibi ſit tradita, qui tanquam luſcinia quædam nemoribus nihil anteponis, urbem non ſecus quam caveam odiſti. Quid cum rure Conſuli, quid tibi cum hoc otio, homo hominum qui vivunt turbulentiſſime? Ad hæc ille exhilaratus, Prorſus, inquit, tuis deliciis invideo, homo hominum qui vivunt feliciſſime, qui dum nos miſeri turbulentiſſimis illis negotiorum undis ſurſum ac deorſum jactamur, otioſus interim, ac vacuus, cum tuis Camœnis obambulas, & animum oblectas, nunc cum amiculo quopiam quicquid libuit garriens, nunc cum veterum Scriptorum aliquo confabulans, interdum Poeticam aliquam cantilenam modulans, nonnunquam chartis ceu fidis ſodalibus committens, quod animo verſaris. Quo minus miror, ſi nobis perſæpe vocantibus, tu à tuis iſtis nemoribus in urbem extrahi nequeas. Hîc ego, Nætu, inquam, non paulo minus deſipis, quam tui collegæ, qui iſto ſis animo. Quod ſi tuæ te Sirenes ſinerent, cupiditas atque ambitio, mirum ni iſtos fluctus plane cum totis urbibus facile contemneres. Sed dum parum optimatem videri pudet, parum recte quid ad jucundam vitam ſit optimum, eligis. Tum ille: Non ita procul, inquit, à ſcopo tua aberrat oratio. Atque utinam inficiari liceret quod dicis! ſed excutiam me fortaſſis aliquando, & *Scipionem* illum tuum, quem mihi prædicare non deſinis, imitabor. Verùm interim cum per dies aliquot ferias à negotiis futuras ſcirem, & heri forte veſpertinus occaſus ſerenitatem polliceri videretur, ſub auroram rus me cum tota familia contuli. Simul autem & *Battum* intuitus, ex inſidiis ſe proferentem. Et unde, inquit, tu huc? aut quinam cedo tam mane, qui nobiſcum heri ad multam uſque noctem potaris? Hic *Battus* homo ad jocos factus: Mirari, inquit, non debes, ſi nocturnum compotorem tuum mane ruri offendas. An ignoras quanta ſoleam eſe noctua? Adeſt qui me *Dædalum* fecit. Apud *Naſonem* cuidam pedibus timor addidit alas, mihi amor alas pluſquam *Dædaleas* aſſuit. Atque interea *Guilhelmum* connivens ſubindicabat. An tu putas fieri potuiſſe ut *Battum* à tam deſiderati capitis conſpectu, tenebellæ illæ remorari poſſent, quas levioribus etiam in rebus ſæpenumero fortiter contemſit? Arriſit Conſul, conſcius *Battum* in prima adoleſcentia, ad furtivos puellarum amores fuiſſe propenſum, à quibus tamen mox avocarunt litteræ. Porro ubi de *Guilhelmo* ſenſit Conſul, continuo ipſe quidem cum Medico de rheda deſcendit, uxorem vero cum ſua pompa (ut ajebat) in villam præmiſit. Hîc ego, An non, inquam, de noſtro rure perquam maligne ſentis, qui tantum puellarum gregem tecum apportaris? Quid ita? reſpondit ille. Quia ſatis apparet, inquam, tuo judicio, neque *Pieridum*, neque *Charitum* neque *Dryadum*, neque *Najadum* ullam in noſtris verſari nemoribus. Imo chorum, inquit, facere volui, & veſtras ſemideas cum his humani generis Nymphis conjungere. Sub hæc *Batto* paululum ſeducto, familiarius in aurem, Scelerate, inquit, cur non paſſus es me *Icarum* tuum tecum huc advolare, præſertim cum ſcires me non minus teipſo hominis videndi deſiderio teneri, idque adeo tua opera. Primum omine terrebar, inquit, deinde, ne dolo dicam, invidebam tibi tam opiparam voluptatem, ipſe adhuc famelicus: expletus, tum denique ſodales advocaſſem, quare (ut ingenue fatear) nunc quoque veniſſe te ſubmoleſtum eſt. Vereor enim ne homo negotioſiſſimus, qui non ſolum ut *Cecias* quiſpiam attrahas negotia, verum etiam ultro ſequentia fugientem, nuſquam non tecum circumferas, otium noſtrum nonnihil ſis interturbaturus. *Jodoci* quoque, quem tecum adducis, tetricam philoſophiam odimus. Nos perpetuum hoc triduum meris nugis, liberrimiſque ſuſurris tranſigere decreveramus. Quid inter hæc nobis cum faſcibus, aut quid cum ſupercilio Philoſophorum? Tum Conſul. Imo, inquit, in tempore adſumus, una nugabimur omnes.

Nam

Nam & *Jodocus* quicquid ſeverioris Philoſophiæ uxori commiſit (habebat autem ſubmoroſam) & ego Conſulem domi reliqui. Quæ cum riſiſſemus, Agite, inquit *Battus*, ſi fidem datis ita futurum, recipimus vos in gregem noſtrum.

Deinde conſalutato *Guilhelmo*, perreximus obambulare, non ſine variis (ut fit) ſermonibus, de regionis ſitu, de ſoli natura, de cœli ſalubritate, de calamitate noſtræ *Hollandiæ*: tandem (ut ſolet in hujuſmodi fabulis alius ex alio ſermo incurrere) in veterem quidem illam, ſed prorſus juſtiſſimam noſtrorum temporum querelam incidimus. Quærebamus non ſine vehementi admiratione, quæ tam vaſta calamitas, tam uberem, tam florentem ac lætam optimarum artium frugem diſſipaſſet, quod tam dirum & immane proluvium, omnes prope veterum litteras olim puriſſimas, tam turpiter confudiſſet. Quî fieret, ut nos priſcos Scriptores tam immenſo intervallo ſequeremur, ut qui nunc doctrinæ tenerent arcem, pauculis quibuſdam exceptis, vix idonei viderentur, qui cum Priſcorum mulierculis, aut pueris elementariis, in palæſtra litteraria poſſent decertare, & qui nunc imperatores exercitum ducerent, apud illos ne inter gregarios quidem milites adſcribi mererentur, quique nunc diſciplinarum clavum moderarentur, tunc ne in ſentina quidem locum inveniſſent. Ac Medicus quidem, homo promtæ quidem facundiæ, ſed Aſtrologiæ mire deditus, cui nihil non tribuebat, alioqui vir pius ac probus, totius mali cauſam in ſidera rejicere moliebatur, permulta in eam rem diſſerens, cum acute, tum etiam probabiliter: ab his rerum humanarum viciſſitudines proficiſci, hinc orta atque exſtincta rurſus imperia, hinc regna aliunde alio translata, hinc toties immutatos mortalium animos, mores, habitus, ſtudia, fortunas fluxiſſe docebat. Siderum certas quaſdam eſſe vices, nec vim omnibus eandem, alia ſtudiis amica, alia rurſus infenſa. Ita fieri ut illis imperia viciſſim alternantibus, ſtudia quoque invicem modo frigere, modo vigere, modo jacere, modo in pretio eſſe contingeret: & ab Orbe condito prope repetens, ſingularum ætatum mutationes, magna admiratione memoriæ, collegit. At Conſul non improbatis uſquequaque quæ diſſeruerat Medicus, litterarum interitum multis conjecturis in Chriſtianam Religionem conferre nitebatur. Non quod de hac parum pie ſentiret, cui & ſi quis alius erat addictus, ſed quod ab hac crederet anſam eſſe porrectam. Videbant exordia noſtræ Religionis non à Philoſophis, non ab Oratoribus, non à Dialecticis, aut Mathematicis, ſed à ſimpliciſſimo *Chriſto* nata, ab idiotis Apoſtolis propagata. Proinde mundanas diſciplinas priſci Religionis cultores ut rem *Chriſto* inimicam horrebant, & pulchrum habebatur, neſcire profanas litteras: neque minus laudis erat, negligenti Philoſophiam *Ariſtotelicam* aut *Platonicam*, quam contemnenti regna, calcanti divitias, ſpernenti voluptates. Quicquid enim Mundus ſuſpiciebat, hoc faſtidiit Religio, cujus ſtudio vehementi magis quam ſapienti, & immodico quodam adverſariorum odio, (cum quibus adeo ſibi nihil voluerunt eſſe commune, ut vel optima relinquerent) neglectæ ſunt diſciplinæ liberales, nihilo prudentius agentibus, quam ſi *Gallus* odio *Britannorum* mallet nudus incedere, quam panno apud *Britannos* texto veſtiri, aut ſi *Britannus* mallet ſiti diſrumpi, quam vinum bibere apud *Gallos* natum. Et fortaſſis erant, qui ſimpliciter errantes, negligerent ſtudia litterarum, erant & qui laborem fugientes, inertiam ſuam honeſto Religionis nomine prætexerent, quando ſub nulla umbra melius tegitur iners otium & ſegnis ignavia. Nonnulli fortaſſis, & haud ſcio an multo maxima pars, non alia de cauſa oderunt bonas litteras, quam quia non didicerant, & pigebat ſimul ac pudebat diſcere. Huc adjuverunt primum tyranni quidam, qui Chriſtianis Scholas præcludebant, exiſtimantes fore, ut Religio deſtituta doctrinæ facundiæque præſidiis, ſponte ſua conſeneſceret, & tandem aboleretur. At cum ſentirent ſe per adverſarios eruditionis & eloquentiæ præſidiis urgeri, cœperunt & ipſi iiſdem armis ac telis communire ſeſe, ut hoſtem ſuo, quod ajunt, gladio jugularent. Deinde ſecuti ſunt homines impenſe pii, qui cum animadverterent ex Ethnicorum libris, vehementer adamatis ob eruditionis ſplendorem, & illecebram eloquentiæ, hauriri etiam nonnihil Paganiſmi, jamque ſic ubique propagatam eſſe Religionem Chriſtianam, ut eorum librorum uſus non magnopere deſideraretur ad confutandos adverſarios, huc incumbebant, ut exſtincta ſuperſtitione Judæorum & Ethnicorum, ſimul & litteræ & Linguæ tollerentur. Fortaſſis & illud perſpexerunt, non optime convenire puræ Religioni, & perfectæ doctrinæ. Pietas fide nititur, eruditio veſtigat argumentis, & rem in quæſtionem vocat. Poſtremo fit, neſcio quo pacto, ut minus tractabiles ſint eruditi quam idiotæ. Atque hinc eſt, quod Abbatum vulgus hodie nihil magis cavet, quam ne Monachi altius penetrent ad bonas diſciplinas. Malunt enim ovibus quam hominibus imperare, nec ob aliud malunt, niſi quia facilius eſt. His rebus factum eſt, ut neque ſtudiis ſuus honos haberetur, & optimi quique libri, unici litterarum cuſtodes, aut data opera perderentur, aut neglecti interirent. Mox eo deducta res, ut turpe etiam ſibi ducerent Principes ac Præſules, ſcire litteras. Ne tamen omnino cæca eſſet hominum vita, ſi nulla exſtaret eruditio, omnis cura profeſſioque litterarum in Monachos eſt relegata, à quibus aliquandiu non omnino peſſime tractatæ ſunt. Mox cum hi quoque ſupercilio turgidi ad luxum ſeſe verterent, neglectis Linguis, neglecta antiquitate, nata eſt neſcio quæ perturbata doctrina, & prorſus inerudita eruditio, qua non ſolum humanæ diſciplinæ, verum etiam ipſa Theologia miſeris modis vitiata fuit.

Hæc aliaque in hanc ſententiam cum diſſeruiſſet Conſul, *Guilhelmus* tum plurimis conjecturis, tum graviſſimorum Scriptorum auctoritate ſeſe moveri dicebat, ut omnium rerum ſenium quoddam eſſe crederet. Mundum univerſum, & quicquid hic gignit Mundus, ſua quadam juventa ſuboleſcere, ac rurſum poſteaquam ad ſummum vigorem ſuis auctibus pervenerit, tandem ad ſenium vergere, ac ſenſim in deterius prolabi: *Cybelem* illam Deorum parentem jam ſterileſcere, & quæ olim juvenes Deos gignebat, nunc longo pariendi uſu effœtam, vix homines producere: huc enim referebat ænigma hujus fabulæ. Non pauca in hanc ſententiam & è priſcis illis Theologis, noſtratibus tamen adferebat, ſed quæ ad rem non admodum pertinent, ut hîc verboſa oratione recenſeam. Breviter eo evaſit, ut noſtri temporis homines, ingenio minus valere diceret, quam veteres illi valuiſſent, naturamque quaſi ſeneſcentem, quæ olim non corpora modo præſtantiora, verum etiam ingenia magis (ut ita dicam) maſcula felicioraque producebat, nunc homunciones, ut puſillis corporibus, ita ingeniis non paulo deterioribus generare. Itaque demum fieri, ut quæ Veteres invenire potuerunt, nos ne percipere quidem poſſemus inventa; cumque illi mirabilem doctrinæ vim cum eloquentia pari conjunxerint, nos alterum etiam horum parum feliciter tentare.

Quæ cum admirarer, quadam quaſi declamatoria ratione adeo ſcite à ſingulis diſputata, ut mihi nemo non confeſſa dixiſſe videretur, *Battum* meum jamdudum dicturientem animadverti, ac neſcio quid ſecum parturientem. Erat enim ut ingenua quadam dicendi libertate, non ſine dicaci vehementia præditus, ita non ſecus ipſe barbaris quam illi litteris infenſus, adeo ut ad occurſus horum frequenter aut nauſearet, aut incandeſceret, nonnunquam velut omen infauſtum mutata via declinaret. Hunc igitur cæteris exſpectantibus intuitus, Dormis, inquam, *Batte*, & jam *Battus* non es. Vides-ne jamdudum equum in planitiem ſuam provocari? Arriſit ille & movit caput. Mox ut magis etiam hominem excitarem, rogabam, ecquid iſta probarentur. Tum ille vultu quo ſolet faceto: Perquam

Digitized by Google

quam magnifice quidem dixiſtis omnes, inquit, verùm interim promiſſa non præſtatur fides. Convenerat, ne quid præter nugas ageretur, & in mediam Philoſophiam repente incidimus, quanquam veſtra iſta vel iratum me nonnihil delectarunt. Verùm quid noſtræ ceſſatiunculæ, cum iſtis tam impeditis, ut vix *Chryſippum* etiam ipſe, aut *Carneades*, & jejunus & elleboro purgatus expediverit? Nam tu quidem, *Jodoce*, ita Philoſophum domi reliquiſti, ut Aſtrologum nobis attuleris, & tu ita Conſulem poſuiſti, ut Philoſophum (ſi Superis placet) indueris, *Dionyſium*, opinor, illum *Syracuſanum* imitatus: quanquam quod attinet ad ſententias, nemini veſtrum prorſus accedo. Atque interim ingenium & eloquentiam miratus ſum potius, quam judicium: alius enim innoxia ſidera vocavit in crimen, alius optimam Religionem pœnæ ream egit, alius naturæ neſcio quam ſenectam cauſatus eſt. Iniquiſſime, quantum ego quidem ſentio, omnes: quale enim eſt obſecro, culpam hominum in res ipſas rejicere? & quod noſtro vitio commiſſum eſt quovis relegare potius, quam culpam noſtram agnoſcere? Quod ſi ſtudio nobis eſt, malorum cauſam, quæ negari non poſſunt, à nobis depellere, quin quicquid in vita mortalium accidit mali, in *Aten Homericam* rejicimus? quemadmodum apud eum Poetam facit *Agamemnon* & *Jupiter:* utque Chriſtianorum vulgus quicquid ſua ſtultitia deſignant, in cacodæmonem auctorem & inſtigatorem rejiciunt. Quam feneſtram ſi patimur aperiri, quid obſtiterit, quo minus poſthac, libidinoſus juventam, avarus ac ſordidus ſenectam, ambitioſus fortunam, iracundus corporis temperaturam accuſet? Quin ego omiſſis ambagibus, iſtius rei auctorem, quem cœlo terraque quæritis, vel indice, ſi lubet, commonſtrabo. Quod ut faceret flagitantibus nobis, Conſulem digito deſignans, Tu te, inquit, ſi neſcis, iſtius auctor es mali, in tuum caput omnis hæc culpa refunditur. Cui cum Reſpublica ſuas fortunas omnes, ſuam ſalutem, dignitatem, amplitudinem, denique, quo nihil habet carius, ſuos liberos in manus dederit, tu tam peſtilentes homines in civitate ſedere, quid autem dixi ſedere? imo regnare ſinis impune. Cumque Conſul admiratus interpellaſſet, Quos tandem iſtos ais tam peſtilentes? Hos, inquit ille, aſellos *Arcadicos*, ſive mavis *Antronios*, quos publicis in ludis, in quibus optimæ litteræ tradi debuerant, impudentia pluſquam aſinina paſſim audis non loqui, ſed rudere, qui magna (ut eſt apud *Fabium*) confidentia atque auctoritate ſtultitiam ſuam perdocent, qui ſe ob eam rem ludo litterario præfectos, imo adeo natos arbitrantur, ut nos quicquid eſt bonarum litterarum dedoceant, ut omnibus ſuam inculcent inſcitiam, ac ſui ſimiles reddant. Simulque permultos nominabat qui id temporis inſigni ſtoliditate nobiles habebantur, cum quibus monſtris *Batto* continuum & irreconciliabile bellum erat, donec publicum ejus urbis ludum moderaretur, (nam hinc ad Secretarii munus erat adſcitus) quorum ego nomina prudens ſupprimo, ſive quod hoc ipſum famæ illis invideam, dignis qui ſempiternæ oblivionis tenebris ſepulti jaceant, ſive quod nolim meas chartas ſpurciſſimis nominibus inquinari, præſertim cum hujus generis maximus ubique ſit numerus, ut ſemper fuit peſſimarum rerum maxima fœcunditas. Hiſcine, inquit, belluis miſeri cives ſua viſcera committunt? his clariſſimi Principes liberos ſuos credunt? his generoſiſſimis ingeniis præditi adoleſcentes, & iidem bonarum artium avidi committuntur, quos ex ingenuis ruſticos, ex indoctis indociles, ex ſtultis inſanos reddant? Hæc, inquam, in tua Republica fiunt, te cive, te primate, te Conſule. Privata, atque adeo minimi momenti negotia, mirum eſt quanta vigilantia curantur: hæc peſtis, & publica & tanta quanta in Republica non queat ulla major exſiſtere, negligitur, imo fovetur? In alios ſontes vel qui paulum aliquid privati damni dederint, perquam ſevere animadvertitur, hic ære mulctatur, ille vapulat, alius ob æs alienum ultra diem prolatum, in carcerem detruditur, alius in exſilium ejicitur, aliis ob involatum poculum, aut nummorum pauxillulum, laqueo guttur frangitur. In his & hujuſmodi valet diſciplinæ ſeveritas, valent leges, vigilant magiſtratus, & eum qui liberos veſtros, quibus (ut par eſt) nihil habetis antiquius, nihil dulcius, unicam Reipublicæ ſpem, tam indigne corrumpit, non ejicitis, nullo ſupplicio dignum ducitis? Capite plectitur, qui equum abduxit, & qui tot tam cara civitatis pignora prodidit, imo perdidit, eum non jugulatis? In eum, qui equum conductum ſecus quam debuit, habuit, ex legibus eſt actio, & filii male tractati, nulla eſt actio? Si villicus hic tuus, hujus vicinus felicem agrum, tritici feracem, zizaniis ac juncis conſereret, dic mihi, te quæſo, quid faceres? Nimirum ejiceres, in jus vocares, damni dati reum ageres, & nullo ſupplicio dignus videtur, qui felicem ac generoſam puerorum indolem, ita imperitiæ ſpinis ac vepribus occupavit, ut non ſarculo, ac ne incendio quidem repurgari queat? Qui in feriendo nomiſmate, paulum modo aliquid fraudis admiſit, horrendis exemplis pœnas legibus dare cogitur: at qui pueros in ſuam fidem acceptos, pro liberalibus & ſaluberrimis litteris, nil niſi meram ſtultitiam docuit, præmio dignus videtur? Nec alia in re ſunt vel oſcitantiores, vel infeliciores, ſummi etiam Principes. Adhibentur multi qui præguſtent cibum, non adhibentur qui diſpiciant, quid in animum ac pectus illorum infundatur. Periclitatur Medicus aut Chirurgus, ſi parum accurate tractavit Principis corpus: & nihil eſt periculi iſtis, qui ſic tractant animum tam multis imperaturum? Non temere committis equum curandum, ac fingendum, nec circumſpicis quî credas fingendum filium? quaſi patris officio functus ſis, ſi modo genueris, ac non multo maxima pars ſit officii paterni, recte inſtituere quod genueris: quid enim refert bene natum eſſe, niſi ad naturam accedat honeſta educatio? Non cuivis credis colendum fundum, conſulis probatos agricolas longoque rerum uſu probatos: & filium præceptori traditurus, ex ptochotyrannis iſtis quempiam in conſilium adhibes, & viam, quam ille cæcus tibi monſtraverit, ingrederis? Ex horum ſententia quemlibet Scholæ publicæ præficis, quorum judicio non debebas ſtabularium adſciſcere? Nihil eſt ſimilius regno, quam ludi litterarii moderator, & his tyrannidem permittimus in liberos, quos ſi noſſes, nolles imperare canibus tuis? Magno conducitur qui juventutem verberibus ac minis excarnificatam doceat & ſcire nihil, & ſibi videri nihil neſcire: quin ſæpenumero fit, ut mores iſtorum nihilo ſint meliores litteris. Quantum autem flagitium, primam illam ac feliciſſimam ætatem, bonis diſciplinis à natura datam, iis inficere, quæ aut majore labore poſt dediſcenda ſint nobis, aut magno noſtro malo tenenda? Tria ſunt unde potiſſimum rerum publicarum ſalus, aut etiam peſtis mihi pendere videtur, à Principe recte aut ſecus inſtituto, à Concionatoribus publicis, & ludi Magiſtris. Sed hujus poſtremi par erat potiſſimum curam agi, quod ludi Magiſter primum innoxiam ac rudem ætatem curat, quæ ſibi nondum poteſt proſpicere, deinde optimæ ſpei annos, qui & fugiunt ociſſime, & redeunt nunquam. Apud *Romanos* olim atrociſſimo ſupplicio necabatur, qui non ex uſu publico geſſiſſet imperium. Utinam exſtaret ſimilis aliqua lex, quæ in pernicioſos pueritiæ moderatores dignum aliquod exemplum ſtatueret! Nunc honos etiam iſti belluæ, & ſic merito datur ex publico merces! Quin tanta peſtis publicis manibus potius diſcerpitur? Cur non in ſolas terras aliquo deportetur? Cur tu Conſul *Camillum* Tribunum illum militarem non imitaris, ut quemadmodum ille malæ fidei magiſtrum, nudato à tergo corpore, vinctiſque manibus, pueris iiſdem, quos hoſtibus prodiderat, flagris in *Faliſcorum* urbem redigendum tradidit, ita pari pompa pueritiæ corruptores iſtos ex urbe tua cures exigendos? Miraris interire litteras, cum cerdones, imo caudices, ludos

Digitized by Google

teneant litterarios? Miramur antiquam eruditionem jam olim degenerare, cum Doctoribus ipsis nihil sit indoctius, magis equidem mirarer, ni sic eveniret. Quæso te, quid à rudi præceptore possit exspectari, nisi rudior discipulus? Atque ut est in vetere proverbio, *Quid à malo corvo, nisi malum ovum?* An hîc verum non est quod scripsit *Horatius?*

Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquila columbam,
Fortes creantur fortibus.

Atqui fieri videmus, ut filii non semper referant corporum vitia, quæ erant in parentibus. Novi ipse fratres aliquot, cæco patre, matre claudâ natos, quorum nemo tamen cæcus esset aut claudus. Cæterum ubi animus in animum transfunditur, & ingenium ab ingenio formatur, fieri non potest quin discipulus referat præceptorem velut animi parentem. Quid hîc sidera & cœlum innoxium criminamur? Quid immerentem naturam incusamus? Quid salutifera commeruit Religio, ut in tantam invidiam adducatur? Tu modo advigila, ut parentur idonei præceptores, dent operam Principes, ut sit honos bonis litteris, videbis nimirum neque sidera, neque ingenia nostris seculis, imo nec regionibus adeo defuisse, tametsi non inficior, vix aliam reperiri crassiorem, quod ad litteras duntaxat attinet. Quod si ipsi nobis (ut facimus) defuerimus, frustra vel universum arrideat cœlum, apud nos fatales illi cometæ sunt, qui suo afflatu pestem invehunt optimis studiis. Nihil itaque miror exstingui litteras, quas certatim omnes contendunt exstinguere, vindicare perpauci. Vere dictum est, *Honos alit artes.* Et illud,

Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones.

Ubi nunc honos litteris debitus? ubi locus expolito ingenio dignus? ubi fructus, quem longos egregiosque labores consequi par fuit? Qui hodie professione Religionis sese venditant, consummatam pietatem arbitrantur nihil scire, ac maxima ex parte aut quæstui serviunt aut ventri: Ecclesiæ proceres *Epicurum* fere quam *Ciceronem* malunt imitari. Principes, quorum liberalitate studia litterarum & provocari solent & foveri, non *Platones* jam, sed *Gnathones* sibi adsciscunt. Munera ferunt, moriones, palpones, voluptatum architecti. Pluris est qui canem bellum adducat, quam qui librum eruditum porrigat. Sacerdotiorum ampli census aut venalia sunt, aut malorum obsequiorum præmia. Ad Abbatias, cæteraque dignitates, stupidissimi quique potissimum irrumpunt. Queritur Satyrographus, quod divites tantum admirentur, laudentque diserros, ut pueri *Junonis* avem. At hodie probro est scire litteras. Nusquam magis regnat, quam apud nos pestilens hoc hominum genus, quos merito prochotyrannos dixeris: hi rerum omnium censuram sibi vindicant, præsertim apud stultas atque etiam impudicas mulierculas, & apud imperitam multitudinem: his persuadent egregii sycophantæ, hæresim esse, scire Græcas litteras, hæresim esse, loqui quo more loquutus est *Cicero*. Et quis tandem sani capitis cupiat sese tam diuturnis macerare laboribus, sine quibus nec mediocris litteratura paratur, odium denique, summamque invidiam præmii vice reportaturus? Jam porro hac citra conatum, eruditionem dormienti contingere, quis non malit vel in ultimas *India* solitudines profugere, quam hos litteratorum simios ferre? Equidem priscorum hominum more, quos è truncis arborum natos finxit antiquitas, non paulo malim inter pecora vitam transigere, quam inter hoc brutorum omnium brutissimum genus, quibus apud nos mihi differta videntur omnia, qui pari stoliditate & suam rusticitatem admirantur, & alienam doctrinam contemnunt. Sed inter has belluas verius quam homines, nullum odiosius aut pestilentius, aut Musis omnibus infensius, quam isti quidam Religionis larva personati, de quibus modo dicere cœperam, qui venerando cultu, simulatæque sanctimoniæ specie, non mediocrem auctoritatem sibi pararunt apud idiotas, præsertim apud mulierculas, quarum & stultitia abutuntur, & libidini fortiter succurrunt, tauri egregie obesi, neque vulgariter mutoniati: hos adhibent in consilium, & si non adhibeant, ipsi, qua sunt impudentia, ultro semet ingerunt, volentibus nolentibus. Consulitur igitur camelus de salvatione, de cantione asinus. Quid enim aliud sit cum *Minorita*, aut *Jacobita*, aut *Carmelita*, velut oraculum consulitur, cui puer ad optimas disciplinas destinatus, formandus tradi debeat, quibus rationibus & auctoribus instituendus sit, non aliter quam *Demodocus* ille *Platonicus* consulebat *Socratem*. Ibi mihi consultor ille stupidus ac supercilliosus, nihil *Socratis* referens præter vultum & taurinum intuitum, mira severitate cum primis deterret à lectione Poetarum. Porro bliteis istis Poetæ sunt & *Quintilianus*, & *Plinius*, & *Aulus Gellius*, & *Titus Livius*, breviter quicunque Latine scripserunt: adeo non intelligunt quid sit Poetice, quam Poetriam vocare solent, ut nec Poetæ qui sint, aut dicantur, intelligant. Vestigia, quibus ipsi sint ingressi, commonstrant homines ex mera barbarie nati, simul & educati. Alius jubet edisci Psalterium, alius censet Linguam Latinam petendam ex Proverbiis *Salomonis*, alius vocat ad insulsissimum Auctorem *Michaelem Modistam*, alius ad *Mammetreptum*, alius ad *Catholicon*, ut quisque infectus est, ita dant aliis consilium. Deinde si quem noverint præceptorem tam insigniter asinum, quam ipsi sunt insigniter hypocritæ, ad eum mitti jubent miserrimos adolescentulos. Nec difficile persuadent, primum idiotis, deinde callidissimi simulandæ probitatis artifices, postremo vulgus hominum fere deterioribus acquiescit libentius. Contra si quem olfecerint, politius eruditum abominantur: Cave, inquiunt, Poeta est, parum Christianus est. Hæc nusquam non instillant auribus hominum, in concionibus, in quibus regnant, populi stultitia freti, in privatis colloquiis, in arcanis illis confessionibus, in quibus sibi Dii videntur. Quem inter hæc portenta non pigeat vivere? Cui non lubeat & ultra *Sauromatas* & glacialem Oceanum fugere, si modo Veterum illorum & modestiam & eruditionem, cum hujus nostri seculi tum arrogantia, tum inscitia componat? Sed quid longam & inanem querelam ingredimur: in te, ut dixi, omnis ista culpa recidit, qui si istos, & indoctissimos Doctores, & inconsultissimos consultores vel ejiceres, vel, quod illis esset dignius, culeis insutos, cimicibus ac pulicibus differtis, in mare vicinum præcipitares, ad quidvis supplicii deposci non recusarim, nisi mirabilem eruditorum hominum proventum propediem cernas efflorescere.

Quibus commemorandis cum *Battus* vehementius incandesceret, nam homo alias placidus ac lenis, hîc sibi temperare nunquam potuit, sic adamabat bonas litteras: subridens Consul, Quo supplicii genere perdendi sint isti, *Batte*, inquit, post consultabimus: ego si *Jupiter* essem, omnes in asinos verterem & camelos. Sed interim probe videris intelligere, me hîc privatum adesse, qui tanta ista libertate in me ausis uti, tanquam cum *Conrado* tibi res sit, non cum Consule. Verùm ego te vicissim, si pateris, criminabor, qui tuum officium præterieris: siquidem tuum prorsus erat, qui publico munere fungereris, ista tam nefanda ad Consulem ac Senatum referre, nisi forte frustra sedes in consilio: certe tuæ partes erant monere. Hæc ideo Consul, ut magis etiam inflammaret ardentem. Tum *Battus:* De referendo mihi narras impudens, quasi ista in re non omnes *Herculis* labores susceperim, imo prope vicerim? Meminisse te scio, quanquam male falsus dissimulas, cum ante biennium fere reversus à *Lutetia Parisiorum*, administrationem ludi litterarii suscepissem, quod ibi *Augeæ* stabulum repererim. Deum immortalem! quas nugas, quæ somnia, quæ ludibria, quam barbariem, quos sentes, quam fecem in-

infeliciſſimis adoleſcentibus inculcaverant ii, qui ante me nihil ſcire docuerant. Tum re quidem ipſa *Fabianum* illud nimium approbavi, non paulo moleſtiorem eſſe dedocendi, quam docendi laborem. Nam ſimul atque zizaniam illam, ita ut erat neceſſe, inſtituiſſem revellere, dictu mirum quam amaris odiis, quam devoto agmine, quam gladiatorio animo ſint coorti in nos illi imperitiæ magiſtri. Age, quid unquam in tua Repub. vidiſti ea ſeditione tribulentius? Incitaverant in me de Clero ſimili dementia imbutos, quæ maxima multitudo eſt: tum oppidi primores, quorum animi avitum adhuc rus ſapiebant, præterea juvenum majores pleroſque, quorum pietatem religioſo metu ſollicitabant, ut filiorum pudori mature conſulerent: incenderant & fabros, fullones, cerdones, pharmacopolas, mendicos, mimos, balatrones, aucupes, piſcatores, eſſedarios, cetarios, coquos, fartores, bajulos, à quibus non perinde ingenio differunt atque cultu. Ad hæc tonſores, lenones, lenas, aniculas. Et quos non? Vulgi infimi partem multo maximam, id quod neutiquam ardui erat negotii, tum quod per ſe ſit irritabile vulgus, tum quod pro inſita ſtoliditate litteras habet inviſas, tum quod pari temeritate abſurdiſſima quæque perlibenter & miratur & tuetur. Sed ducum virtutem proſequamur. Hi vero tantis copiis freti, paſſim in me diras atque atroces voces jactabant, in foro, in compotationibus, in officinis, in tonſtrinis, in luſtris, publice, privatim, ebrii, ſobrii, dictitantes externum hominem, neſcio quem, novam quandam hæreſim ſerere, optimos illos Auctores, *Alexandrum*, *Graciſtam*, *Ebrardum*, *Modiſtam*, *Breviloquum*, *Mammetreptum*, *Catholicontem*, quibus & avi & proavi ipſorum doctiſſimi evaſiſſent, nunc indigne extrudi, inaudita quædam atque horrenda Ethnicorum induci portenta, *Flaccum*, *Maronem*, *Naſonem*, juvenibus jam nihil niſi de amando præcipi, ea pueris inculcari, quæ ne grandibus quidem ſcire fas eſſet. Niſi quamprimum proſpectum fuiſſet, actum eſſe de Religione Chriſtiana, Antichriſti ſeculum jam aut adeſſe, aut certe quam proxime inſtare. Veniſſe enim doctores, qui blandirentur iis, quibus aures eſſent novarum rerum aviditate prurientes: quique juxta *Pauli* vaticinium, à veritate avocarent, ad fabulas traducerent adoleſcentes. Vidiſti ipſe, teſtis in eo tumultu, quantum *Herculem* præſtiterim, quot leones, quot ſues, quot Stymphalidas aves, quot tauros, quot *Antæos*, quot *Geriones*, quot *Diomedes*, quot *Neſſos* confecerim, ut *Cerberum* è latebris illis, ubi exſangues umbras territabat, extractum cœlo oſtenderim, quanta virtute Lernæam hydram, fœcundam ſuis mortibus, igne Græco vix tandem exſtinxerim, & haud ſcio an adhuc ſpiret peſtis illa omnium perniciosiſſima. Urbis noſtræ *Pompejus*, quanquam ille *Mida* quidem ſimilior quam *Pompejo*, quid moliatur, haud me præterit. Tot unus monſtris objectus, non ceſſi tamen, imo pervici, iis, quibus ſanior erat mens, perſuaſis, cæteris clariſſima ratione confutatis, contemtis nonnullis.

Quæ cum *Battus* dixiſſet, Moriar, inquit *Guilhelmus*, ni tu, mi *Batte*, non ſupplicatione modo, verum etiam triumpho digniſſimus es. Nam ſi *Ion* ille rhapſodus apud *Platonem*, quod unum *Homerum* laudibus extuliſſet, meritum ſe jactitat, cui ejus Poetæ ſtudioſi coronam auream reponerent, tu vero qui univerſam prope litteraturam contra tot portenta ſtrenue defendiſti, quanto dignior, cui Muſæ aut ipſe etiam *Apollo* lauream triumphalem imponat, aut certe qui in omnibus Muſeis ſtes aureus? Ad quem jocum cum arriſiſſent cæteri, *Battus* quoque jam hilarior: Age, inquit, rideor *Hercules*, & vobis *Pyrgopolinices* quiſpiam videor, tamen qualis qualis ſum, quod potui ſum conatus: quod ſi, *Guilhelme*, huic animo tua lingua eruditioque fuiſſet adjuncta, melius fortaſſe cum litteris ageretur. Tum Conſul: Age, inquit, *Hercules*, quid ſi tibi pro rebus fortiter geſtis triumphum decernamus, & quidem ſpecioſiorem, quam unquam vel *Paulo Æmilio*, vel *Pompejo* contigerit. Cras niveis equis vectus, urbem laureatus ingredieris, plaudentibus utrinque univerſis bonorum litterarum ſtudioſis: barbari duces tua virtute domiti, revinctis (ut digni ſunt) poſt tergum manibus, triumphalem currum antecedent, victori populo ſupplices manus oſtendent. Miles victor à tergo imperatoris laudes cantabit, præda circumferetur, trophæa figentur *Phœbo*, novemque Sororibus opima ſpolia dicabuntur. Quid quæris? Deum te facimus, ut jam non alter ſis *Hercules*, juxta proverbium, ſed prorſus ipſe ſis *Hercules:* quid unquam ſimile promeruit ille? verùm, ea lege, ſi hoc prius feceris, quod victores facere conſueverunt, ut rerum abs te terra marique geſtarum, & totius certaminis hujus rationem nobis luculenta oratione exponas, quod etiam ut triumphum tantum contemnas, recuſare tamen nequaquam debes vel noſtra cauſa, qui tantopere id flagitamus, vel litterarum amore, quibus ſcio tibi nihil eſſe antiquius, vel denique Reipublicæ cauſa, in quam tu nuper receptus, ſollicitudinem illi, & pietatis officium debere cœpiſti. Nam quod tu me modo inſimulabas, quid me poſſe cenſes unum inter tot hominum capita longe aliter ſentientium? An me vis (quod dici ſolet) adverſum ſtimulum calces? præſertim cum nec mihi ipſi ſatisdum ſit hæc confirmata ſententia, ita nonnunquam iſtorum diſputationibus labefactor, ut partes veſtras vix ſatis tutari queam. Et quod nunc quidem ſerio dicendum ſit, *Batte*, ſi vera ſunt quæ mihi de tuis endoxis, adoxis, amphidoxis ſoles diſputare, non minimam profecto turpitudinis partem cauſa veſtra videtur obtinere, non apud vulgus modo, verum etiam apud litteris æquiores Nam ſunt veſtri auctores, ne mentiar, primum Ethnici, quod tamen utcunque poterat defendi, deinde cognitu perquam difficiles, quod ipſum non paucis odium parit; poſtremo, quod eſt graviſſimum, laſcivi, imo etiam obſcœni. Nunc accipe rem, Chriſtianos Auctores ejicitis, inducitis Ethnicos, notos expellitis, infertis ignotos, veteres extruditis, producitis novos, faciles tollitis, obſcuros nobis objicitis, denique, quod eſt caput, caſtos interdicitis, laſcivos juvenibus proponitis. Quid oris tum eſſe mihi credis, quoties Conſulem me rogant mei cives, num ideo ludus ſit in urbe publicus, ut juvenes meretricios perdiſcant amores, perinde quaſi parum ipſi ſint ad hæc ſtudia ſuopte ingenio proclives, ut aſſueſcant technas fabre conſuere, ut veteratorie parentibus imponere, ut nihil pudere, mentiri, ſuum ponere vultum, alienum ſumere, hæc enim ex veſtris comœdiis diſcunt, & domum memoriter referunt. Quam tu graviter hæc ferire parentum aures arbitrare? Utrum in lupanar, inquiunt, liberos noſtros mittimus, an in ludum litterarium? Nam tres illas litteras, quas ſenex *Plautinus* ſe didiciſſe gloriatur, domi facile diſcimus. Præterea ſi qui paulo ſunt eruditiores, ii mihi Pontificum decreta, & Theologorum ſententias memoriter decantant, tum quidem tergiverſari ſoleo, ſed plane ut victus, non ut inſidiator. Tu vero cum ſis hac in palæſtra facile omnium exercitatiſſimus, fieri non poteſt quin plurima teneas tum lecta tum cogitata, quibus hujuſmodi criminationes refelli queant: quare rem prorſus divinam feceris, ſi totam hanc controverſiam à capite uſque ad calcem explicueris, non quod cauſa veſtra parum mihi probetur, verùm patronum me paulo inſtructiorem reddideris.

Battvs: Quod cum *Battus*, ſingulis ſua quoque cauſa vehementer flagitantibus, defugere nulla ratione poſſet: Age, inquit, de præmio plus etiam pollicemini quam poſtulo, mihi ſatis fuerit ſupplicii, ſi ſola *Ate* ſtudiorum peſtis unco trahatur, ac mox in publicam cloacam præcipitetur: deinde procerum aliquot pro capitibus linguas duntaxat depoſco. In quem uſum, inquam? Ad nullum alium, inquit, quam ad abſtergendum podicem, aut defricandas matulas, aut certe

Digitized by Google

immundas patellas. Nihil, inquam, accommodatius: sed extra jocum, hospites, quandoquidem in rem tam præclaram fortuito incidimus, quin nos quoque hîc Academiam quandam *Platonis* exemplo instituimus? An quia deest nobis Platanus illa vel *Platonica*, vel *Ciceroniana*, quarum altera facundissimi Philosophi, altera sapientissimi Oratoris, litteris & sata est & crevit, potius quam humore aliquo. Quin ego vobis pro umbraticis veras, ac pro una arbuscula copiosum pomarium exhibebo, quod ædibus nostris ab læva proximum videtis, proceris Quercubus, & rivo limpidissimo cinctum. Quid? si hunc quoque locum nostra disputatiuncula sic irrigemus, ut nulla unquam ætate arescat. Nec desunt quidem sub ingenti illa Piro, mediis circiter hortis, commodissima sedilia, pulvillos quoque, si videbitur, adferri jubebo. Jam vero personarum nihil me pœnitet vel ad *Jarcæ* Scholam, non solum Academiam, Consul, Medicus publicus, Secretarius urbanus, Theologus & idem Orator, ego denique tam magnifici fundi colonus. Nam ut de *Platone* taceam (qui quoslibet etiam loquentes facit) quando unquam *Tullius*, perfrictæ frontis homo, cœtum magnificentiorem ausus est convocare. Quod si *Socratem* Philosophum gravissimum illa in *Phædro* loci amœnitas potuit invitare, ut humi juxta fonticulum in gramine disputandi gratia procumberet, quid ni nos hi horti, quos vel *Epicurum* ipse laudare queat, certe ad considendum alliciant, præsertim cum nihil hîc eorum, quæ *Socrates* illic miratur, desideretur: quippe ubi Pirus, ut videtis, media triplicem nobis voluptatem ministrabit: nam ut est procera satis, & patulis diffusa ramis, amœnissimam prorsus umbram præbebit, & frondibus opacis æstum facile propulsabit, præterea ut est anni vernum tempus, non oculos modo flosculorum adspectu pascet, verum etiam nares gratissimo odore recreabit: tum ne fonticulo illo frigentis aquulæ à *Socrate* superari videamur, en pro fonticulo rivus leni murmure, circumlabens totos hortos irrigat. Hac aura quid possit esse spirantius, imo (quod Medico teste dixerim) quid salubrius? Ibi *Battus*, qui ejus apud *Platonem* descriptionis pulchre meminisset, nostram orationem interpellans, Ut cæteris, inquit, *Erasme*, rebus maxime superemus, una certe à *Socrate* illo *Platonico* vincimur. Nam & herbarum virentium, graminumque flosculis versicoloribus distinctorum, gryllorum & cicadarum canorum murmur addas licebit, est tamen quo sumus inferiores. ERASMVS: Quidnam istuc, inquam? BATTVS: Puellarum Nympharumque imaginibus, inquit, quas *Socratem* illic video neutiquam præteriisse. Quo loco exhilaratus Consul & Medicus, Per canem, inquiunt, & anserem *Socraticum*, dignum quod à *Batto* admoneretur, quanquam cælaturis non magnopere solet delectari, vivas, opinor, mallet, si detur optio. Verùm istud nostræ disputatiunculæ nihil obfuerit, eamus. Ubi collaudata loci specie consedissemus, *Battumque* certatim, ut accingeretur, hortaremur, ille Consulem fixius intuitus. BATTVS: Merito, inquit, nunc meo jugulor gladio, nam qui vos modo magnifice nugari jubebam, eo per vos ipse redigor, ut nihil me sit hodie futurum ineptius aut nugacius. Age, parendum video tum Consuli, tum Medico, tum amicissimis, postremo tam multis: sed pomarium prius occludatur, ne quis nos videat: neque enim vereor, ne vestrum quispiam me prodat, modo possit *Erasmi* stilus conquiescere, qui quicquid noctu somniat etiam, interdiu chartis suis illinire solet. Atqui, inquam, hîc neque calamus est mihi, neque charta. Fateor, inquit, at memoriam novituam, quam scio tibi esse commentarii vice. Quod etiam si quid suffugerit; tu facile de tuo fulcies hiatum, sed tamen aggrediar vobis fretus. Mox in pedes erectus, compositis ad dicendum & veste & vultu, & gestu, aliquandiu defixis humi luminibus, cogitabundus hæsit: dicturienti pallor quidam, ac trepidatio obortæ, non stolidi nobis oratoris, & confidentis, sed cordati, & (ut inquit *Fabius*) periculum intelligentis, dedit argumentum: mox inventis ac digestis orationis partibus (id enim egisse ex notatis articulis conjiciebam) subtussiens exspuit, id quod habebat familiare. Deinde surrecto hilarius vultu, jamque vivacius singulos intuitus, summa cum omnium exspectatione, ita exorsus est.

ORATIONIS EXORDIVM. BATTVS.

NISI & apud judices litteratissimos dicturum me scirem, & ipsa causæ bonitate non mediocriter adjuvarer, vererer ne in tanto stolidissimorum hominum odio non optimum hodie patronum litteræ fuerint habituræ. Nunc vero tantum abest, ut omnia, quæ ab istis antirheboribus objici vel soleant, vel queant, refellere me posse diffidam, ut in causa tam vincibili, ne principio quidem mihi utendum putarim. Idque non modo apud vos, quos cum amicissimos, eruditissimos, hujus etiam dictionis efflagitatores habeam, benevolentes, dociles, attentos non habere non possum: verum etiam apud *Sauromatas*, & si quid est his etiam barbarius, modo homines dentur, certam mihi victoriam promiserim, homines, inquam, qui rationis ductum, non animi impetum sequuntur. Nam istos rabulas, qui obstinatis animis insaniam suam etiam confessam solent defendere, haud alio in numero quam *Diogenes* suam concionem pono. Ad quem cum hominum millia aliquot confluxissent, negabat se ullum adhuc videre hominem. Pestifera est, inquiunt, mortalibus eruditio, optanda imperitia,

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

De fide igitur faciendâ jamdudum securus, hoc unum mihi à vobis video postulandum, ut ne in re tam intractabili, tam spinosa, ullum orationis splendorem exspectetis, quem alioqui ne in felicissima quidem materia à *Batto* requirere debebatis. Ne delectari quidem postulabitis, nisi ficubi forte barbarorum ineptissimæ rationes risum movebunt. ERASMVS: Tum vero veniam præfatus, & licebit-ne, inquam, aliquoties dicentem interpellare? BATTVS; Licebit, inquit, per me quoties videbitur, nec enim ad clepsydras dicimus, ut causæ dispendium sit, si quid temporis intercipiatur. ERASMVS: Ita mihi principio supersedisse videris, inquam, ut hoc ipso, quo non uteris, maxime sis usus principio: sed perge, obsecro, ne te primo statim cursu diutius remoremur. BATTVS: Istud vero tuum est, respondit *Battus*, haud meum, qui vafritiem illam, & strophas rhetoricas perdidicisti, mihi sat habeo, rem, ut est, perquam pauciissimis ostendere. Non igitur hæc altius repetam, quibus fatis, quorum opera, quo tempore, quibus gradibus antiquæ disciplinæ è tanto fastigio in hunc tartarum deciderint, id quod vos paulo ante cœperatis: alias hæc fortasse commodius: neque vero refert quo casu quispiam in puteum deciderit, sed quomodo qui ceciderit, inde queat educi. Antiquis igitur litteris contra novos hostes patrocinium feremus, quibus quidem à triplici potissimum hostium genere negotium exhiberi video. Alii enim litterariam Rempublicam unquam funditus deletam cupiunt, alii imperium non quidem prorsus exstinguere, sed arctioribus finibus includere moliuntur. Postremi ita Rempublicam salvam esse volunt, ut afflictissimam velint, quippe in qua ipsi tyrannidem occupent, in quam patriis legibus abrogatis peregrinos & magistratus & mores inducunt. Et primi quidem illi mihi videntur, qui plane rudes, haud scio invidia-ne an stoliditate majore, religionis nescio cujus prætextu, litteraturam universam Poeseos nomine detestantur. Alteros ego intelligo, qui indocte docti, cætera quidem studia, hoc est, sua, utcunque recipiunt, humanitatis autem litteras, sine quibus cæca est omnis doctrina, angue pejus oderunt. Postremos vero, quos alios esse dicam quam eos, qui quodvis litterarum genus & mirantur, & probant, cum primis etiam Poesim & Rhetoricen, at ea lege, ut ipsi pro summis & Poetis & Rhetoribus habeantur, cum nihil sine minus-not dictu insania proclive sustrix, quos ex illis hostibus lit-

litteraria Reſpublica graviſſimos perniciosiſſimoſque patiatur, aut quibus maximam cladium ſuarum partem acceptam referre debeat. Nam primi quidem illi (ne contemnendos putemus) tametſi neque ullo armorum genere, neque rei militaris ſcientia ſunt inſtructi, quippe ſylveſtris barbaraque multitudo, paſſim ex agris & montibus conflata, neſcio tamen an ullum ſit hoſtium genus infeſtius. Rabioſæ enim feræ in morem devotis animis in pugnam ruunt, non ingrediuntur, furore pro fortitudine utentes. Quatuor potiſſimum rebus valent, furore, quo *Andabatas*, clamore, quo *Stentorem Homericum*, multitudine, qua *Xerxi* etiam copias vincunt, poſtremo clypeo quodam ſimulatæ Religionis, ſub quo perpetuo latent, quem unum ad omnia telorum genera objiciunt. Ii nimirum ſunt qui cum ipſi ſint omnis litteraturæ experres, litteratorum gloria perfruuntur, aliorumque pulcherrimis ſtudiis oblatrare, pulchrum in primis ac religioſum putant, ac mirum quam veteratorie ſuam vel inertiam, vel invidiam, vel ſuperbiam ſpecioſis titulis prætexunt ſimplicitatis ac religionis. Alteri ſunt iis quidem paulo inſtructiores, qui & eminus & cominus nos petunt. Eminus telis, ſed plane deridiculis: nam ſtuppas, fumum & ſtercora in nos jaciunt. Cominus pugionibus appetunt, ſed plumbeis. Pacem offerunt, ſed ſuperbiſſimis plane conditionibus, ut ſine humanitatis litteris perdocti ſimus, ſine quibus nullæ conſtant litteræ, terminos nobis præſcribunt. Omnem politiem interdicunt, & quicquid ipſi non didicerunt: hoc ſunt moleſtiſſimi, quod prehendi nequeant. Conſiſtunt nuſquam, *Parthis* ipſis fugaciores, modo ajunt, modo negant, tergiverſantur, aliquo cavillo elabuntur, & *Proteï* in morem,

Omnia transformant ſeſe in miracula rerum.

Porro poſtremos illos fortaſſe aliquis parum infeſtos hoſtes judicaverit, quod ſedulitate peccent, non odio, at mihi quidem videntur longe inter omnes nocentiſſimi. Cæteri enim, quia infeſtis ſignis nos appetunt, arcentur à mœnibus, hi dum intra mœnia, intra præſidia noſtra verſantur, dum armis & inſignibus amicos imitantur, æternum exitium Reipublicæ mendaci pietatis ſpecie moliuntur, & quo magis vindicandæ patriæ ſtudent, eo turpiori impediunt ſervituti. Quare primi quidem hoc propemodum ſunt amandi, quod ita litteras oderunt, ut nullas attigerint. Poſteriores hoc minus nocentes, quod ab optimis abſtinuerint, nempe Poeticis & oratoriis, ſua tanquam ſorte contenti. Poſtremi dum omnia ſcire volunt, permiſcuerunt, contaminaverunt, perdiderunt omnia. Vere hoc dicunt, importuno officio nihil eſſe inofficioſius interdum. Ita hi dum litteris laborantibus ſuccurrere ſtuduerunt, pernicioſa ſedulitate funditus exſtinxerunt. Vires ante conveniebat expendere, conſulere ingenium, quam rem tam arduam ſuſciperent. Nunc *Phaethontem* imitari maluerunt, qui dum ignarus auriga currum paternum conatur moderari, magno ſuo malo ſubvertit. Et ſunt hi quidem, ut ſtultitia *Phaethonti* pares, ita pari exitio digni, aut etiam graviore. Horum enim temeritate vetus illa & vera Philoſophia ad meras nugas, ad ſomnia redacta eſt. Per hos innumerabilia priſcorum Auctorum monumenta deſideramus: quod Scriptorum ut quiſque eſt doctiſſimus, ita fœdiſſimis mendis ſcatet, his acceptum ferimus: quod priſca illa Theologia tantopere degeneravit haud aliorum eſt opus: quod Grammatiſtæ, nil niſi meram barbariem & ſcribunt, & præcipiunt, his debemus. Et ut ſemel finiam, quod in utroque genere litterarum muti & infantiſſimi, pro doctiſſimis in pretio ſunt, horum opera effectum eſt, quorum dum alius in Grammaticis, alius in Rhetoricis, alius in Dialecticis, alius in Phyſica, alius in Theologia ſcribit, dum hic commentationibus optimos Auctores non illuſtrat, ſed obſcurat, non adornat, ſed contaminat, dum ille quod non intelligit, emendare nititur, dum alius ex bene Græcis, male Latina facit, Linguæ utriuſque juxta ignarus, dum ita, inquam, certatim tumultuantur, inutili officio omnia confuderunt, depravaverunt, everterunt: & quo diligentius ſuum quiſque officium præſtitit, eo plus damni dedit; ut ſi quis manibus merda oblitis, pulviſculum è purpura conetur extergere, quanto volet eſſe officioſior, eo erit moleſtior. Verùm iis, quod res infinitam prope diſputationem poſtulare videtur, dilatis, reliquas acies, totidem conflictibus adoriemur, hic vero efficiam, ut vel *Pyrrho* me doctiorem eſſe juretis. Nam ruſticanam illam cohortem tumultuario tantum milite diſpaſſe ſat habebimus, & clypeo illo fictæ religionis nudatos in fugam adegiſſe, id quod haud multi fuerit negotii. Imbellis eſt enim multitudo è ſenibus contracta, qui ubi ætatem per luxum effluxiſſe intelligunt, juvenibus ad meliora proficientibus invident inepti. Hos igitur primum quidem validiſſimis rationibus tanquam telis, terga dare cogemus, deinde prælium, ut ſolent, reintegrantes, ſacrarum Litterarum teſtimoniis velut enſibus confodiemus. Sub hæc exemplorum copia obrutos, caſtris quoque deturbabimus; quibus confectis, eodem quaſi *Marte* & impetu poſteriores aggrediemur, & omnibus exſutos armis, omni dimicandi genere ſuperabimus. Sed jam primi illi ſunt laceſſendi, ſi prius Fœcialis Paterque patratus juſta peregerint, quibus, ut arbitror, hujuſmodi quædam oratio congrueret, ſi res ſerio gereretur.

Oratio Foecialivm.

Quo tandem jure, ô vos *Gothi*, è veſtris egreſſi limitibus, non modo Latinorum provincias occupatis (diſciplinas loquor liberales) verum etiam ipſam urbem rerum dominam, Latinitatem audetis inceſſere? Quanam injuria laceſſiti, quid petitis? Quod ſi bellum placet, juſto *Marte* decernite, facite pugnandi copiam. Sin pugnæ diffiditis, deſinite moletti eſſe, excedite ſolo, regionem hanc purgate, veſtris finibus continemini. Quod ſi hoſtes quam latrunculi dici malitis, prodite è latebris, conſerite manus, & publico certamine finis quæratur odiis, aut vos victi quieſcite, aut nos vobis victoribus concedemus.

Qvod Litterae complvribvs tantopere sint invisae, nihil alivd esse in cavsa, nisi qvod ignorent.

Jam non auditi projecta haſta bellum indixere Fœciales, jam ad pugnam eſt hoſtis evocandus. Hic ego interpellans, Vide, inquam, ne nimium hoc ſit calidum, nondum omnes tibi peractæ ceremoniæ; porcus tibi ſaxo feriendus, priuſquam ad arma proſilias. Probe mones, inquit, Utinam ex iſtis haris, in quibus paſſim tot craſſi validique ſues otioſi ſaginantur cibo populi, mihi liceret insignem aliquem deligere. Eum ego bipedem libentius mactarem quam ullum porcum quadrupedem. Sed agite, factum putemus, quod ex animo factum volumus, & hoſtem bonis avibus aggrediamur. Nam interim perinde agam, ac ſi cum ipſis præſentibus mihi res eſſet. Vos modo hujus noſtræ dimicatiunculæ ſpectatores ſedete. Atque adeo ne tubam deeſſe queratur *Eraſmus* meus, ſuperſtitioſus, ut video, ceremoniarum obſervator, eſto convitium hoc tubæ loco. Dicite, quæſo, brutiſſimi homines, *Midæ* progenies, Statuæ marmoreæ, quid ita commeruere litteræ ſeculares, (ſic enim nos appellare ſoletis, quicquid non didiciſtis) ut vos eas tam obſtinatis odiis inſectemini, tanquam homines ad id unum ſint nati, ut eruditionem oderint? An quia non didiciſſe piget, nec diſcere licet, odiſſe libet? Quod ſi ipſi per ignaviam deſperatis, aliis invidere pulchrum arbitramini? Quin potius accingimini, & gloriam hanc nobis quam invidetis, præripitis? Sed vereamini ne in vos antiqua illa ſcommata jaciamus, *Aſini ad lyram, Boves ad aeroma, Quid gracculo cum fidibus? Quid cum amaracino ſui?* At non mirum facitis, quod odiſtis; mirum faceretis ſi amaretis. Vere illud, ut cæteræ, prin-

ceps ille Peripateticorum, *Scientiis nisi insciam neminem esse inimicum*. Non gallus miratur jaspidem, non sues delectant rosæ, non pictura simiam, non juvat lippum lux, non placet *Midæ* cantus *Apollinis*. Cur inepti auriculas vestras asininas ultro proditis, vel *Midæ* patre stultiores, qui celare studuit? Cur non magis terræ infoditis insciticæ vestræ dedecus? Cur non potius quorundam calliditatem imitamini, qui laudant ut scire videantur? Cur saltem non tacetis, ut Philosophi putemini? Nunc ipsi vestromet indicio tanquam sorices comprehendimini. An vero eo dementiæ provecti estis, ut bellum etiam facinus putetis, res optimas, quas sapientissimi quique sibi tantis laboribus expetendas putarint, odisse, invidere, oblatrare. Ista vero gloria, si nescitis, cum bajulis, cum cerdonibus, cum nautis & fossoribus vobis est communis, quippe oderunt & illi politiora studia, contemnunt, exsecrantur, hoc vobis meliores, primum quod moderatius oderunt, deinde quod suarum artium amore, nostra studia contemnunt. Vos ita elegantiores artes odistis, ut nullas teneatis. Illi artem arti, studia studiis præferunt, vos scientiæ ignorantiam antefertis, sanæ menti insaniam anteponitis, pecudem homini. O contemtores servum pecus, quos vel ipsi derideant asini! At videte interim, quam iniquum sit odisse, nec scire neque quid oderitis, neque cur oderitis. Damnatis Rhetoricen, quid autem sit ea, ne per nebulam quidem vidistis. Odistis Poesim, quam neque quid sit, neque cujusmodi sit intelligitis. Odistis antiquitatem, omnis antiquitatis imperiti. Breviter, totum hoc quod docti magnis vigiliis sequuntur vos contemnitis, & totum hoc quantum est ignoratis. Nam si quando hæc eadem ipsi didicistis, cur volentes discere reprehenditis? Si non didicistis (quod etiam gloriamini, non modo confitemini) quid de incompertis tam stolide pronuntiatis? Sed audistis, opinor, mala esse hæc studia. Esto sane, dummodo à vestri simillimis, invidis, ignaris, inimicis: videlicet sus suem docuit, cæcus cæco dux fuit. At proferte, si potestis, vel unum qui has litteras, ubi probe perceptas habuit, accusavit: qui insumtæ in eis operæ se pœnitere dixit. Cur autem stolido de incompertis blateranti creditur, erudito de perceptis differenti fides negatur? An putatis obscuram esse cuiquam vestram invidentiam? an nos fucum vestrum fallere creditis? an fugere nos, quid morbi vos urat? Liceat tandem, quæso, rebus sua dare nomina, desinite aliquando pro invidentissimis & ignavis religiosos ac pios vos velle videri.

Invidvm esse, haud religiosvm, odisse Litteras, qvas nescias.

Tvm Medicus: Utar, inquit, jure concesso, interpellabo. Præclarum te velitem declarasti, nec temere te *Battum* appellatum jam puto. Rogante illo, quid ita putaret: Non sunt, inquit, hæc ænigmata tibi qui fabulas perpulchre tenes. Tam probe barbarorum furta prodidisti, ut altera metamorphosi te ex indice illo lapide rursum in *Battum* revixisse propemodum credam: deinde scite istud hominum genus ad pugnam evocasti. Nulla enim re perinde in rabiem agi solent, quam si stoliditatis, si imperitiæ, si invidentiæ opinionem illis impingas, hoc est, si maxime vera audiant. Recte sentis, inquit *Battus*, nec mirum adeo, si tacto ulcere scabiosi commoveantur. Tum vero videres homines superbissimos, oculis ardentibus, totiusque vultus immanitate, animi testari furorem: etiamsi ne inter hæc quidem à simulandæ Religionis artificio recedunt: hac tanquam personati suas tragœdias agunt. Nam ut est res omnium optima Religio, ita (nobili Historico teste) ad quidvis vitii prætexendum commodissimum pallium, eo quod si quis in ipsa vitia conetur animadvertere, Religionem, qua sese obumbrarunt, violare plerisque videatur: sæpe ita tuto latet vitium proximitate boni. Cumque ipsi longe gravioribus vitiis madeant, quam ulli mortalium, quos isti semidei pro profanis habent, tamen in alienam vitam petulantissimis linguis invehuntur, nulli parcentes, nec ætati, nec sexui, nec genti, nec Ordini, denique nec homini, nec nomini. Cæterum quoties illos deprehenderit aliquis aut ebrios, aut scortantes, aut aliud his etiam sceleratius designantes, excusant, tegunt, mussari volunt, ob honorem, inquiunt, Ordinis, quasi cæteri mortales omnes sint extraordinarii. Cum seditiosissime vociferantur in vitia Clericorum, & imperitam multitudinem ad lapides provocant, non putant esse periculum, ne succenseat *Christus* ejus Ordinis auctor, nam is Sacerdos fuit, *Jacobita* non fuit. Si quis ausit efferre quicquam de illorum mysteriis, & *Angia* stabulum movere, periculum denuntiant, ne *Franciscus* aut *Dominicus*, aut *Helias*, si Diis placet, iratus perdat hominem. Ex hoc grege quidam nuper miris laudibus vexit sui Ordinis sodalem, quod in concione publica nihil non vociferatus in Sacerdotes concubinarios populo ac Magistratibus conatus sit persuadere, ut Sacerdotum concubinæ in lævo humero rubram crucem gestare compellerentur. Cumque hac narratione sibi mire placeret, rogabat quispiam, collaudata illius oratione, quo colore vellet esse crucem *Jacobitarum*, *Carmelitarum*, ac cæterorum? An placeret ut *Minoritarum* concubinæ gestarent crucem cineritii coloris, *Carmelitarum* candidi, *Jacobitarum* nigri? Ibi abominatus homo religiosus omen, longa cruce se signavit. Tum alter, Nunquam efficies, inquit, quamlibet magna cruce, quin plurimi norint, quæ dedecora à vestris sodalibus aliquando designentur. Neque enim fieri secus potest, in tanta hominum ac nationum colluvie. Verùm hæc, inquit, fortassis ob honorem Ordinis efferri fas non est. Id cum alter magnopere comprobasset, quærebat, an putaret & Sacerdotum esse Ordinem. Cum negare non posset, rogabat, cur existimaret horum commissa seditiosis clamoribus apud populum elatranda? Sed ne longius ab instituto divagemur, eodem pallio tegunt crassissimam insciticm suam, quo cætera vitæ dedecora. Ubique falsam pietatem pro clypeo obtendunt, hanc mirificam quandam adsimulant, adeo quidem vafre ac veteratorie, ut non aliis modo, verum etiam sibiipsis astutissimi homines imponant, non quod ullo Religionis studio moveantur, quippe qui nusquam alibi quam hac una in re religiosi videri cupiunt, sed quod, ut *Fabius* inquit, sub magni nominis umbra deliteseant. Nocentum est ista religio, furum, homicidarum, qui simulatque facinus aliquod designavere, tum demum ad aras ac templa solent confugere, ut servus ille apud *Plautum* sceleratissimus. At quo tandem consilio? an quod loci religione delectentur? Imo vero ut crucem effugiant, ut impune sint flagitiosi. Haud aliter nostri censores, cum cæteris in rebus & *Dionysii* sint & *Clodii*, quoties de bonis studiis agitur, tum demum *Numæ* videri volunt, tum denique se Christianos esse meminerunt, tum demum Euangelicas sententias canere incipiunt, & res fœdas speciosis vocabulis palliantes, zelo se, haud invidentia, dicunt moveri, nec odisse studia nostra, sed contemnere, id homine Christiano dignum ac pulchrum in primis. Apostolorum simplicem rusticitatem nobis proponunt. Singulare inter cœlites præmium illos manere dicunt, qui disciplinas istas Ethnicas, ad ostentationem & superbiam inventas, Religionis amore possint pro nihilo ducere, rudem pietatem Superis esse gratissimam: quasi vero aut Superos rusticitas nostra quicquam delectet, quod si est, cur non bruta in primis amplectimur? aut ad usiam vitæ administrationem utilis sit ignorantia, ac non potius insulsissimum sit, ac plane dementis, rem pulcherrimam quam nec habeas, nec habere speres, in aliis contemnere. Errant vehementer, si cujusvis rei contemtum laudi sibi duci volunt. Quid enim si *Therstes*, Græcorum ultimus, *Achillis* partam armis gloriam una cum ipsis armis, pro quibus *Ajaci* cum *Ulysse* certamen erat, dicat se homo ignavissimus contemnere,

non-

Digitized by Google

nonne universis cachinnum moverit? Quis enim non rideat, si limax equi velocitatem contemnat? si noctua aquilæ, si talpa capreæ rideat oculos? si psittaci colorem corvus despiciat? si asellus elephanti sensum nihili faciat? si stolidus ac fatuus, viri cordati prudentiam contemnat? nunquam laudem merebitur. Equidem operæ pretium puto barbaris, ne mihi perpetuo de suo contemtu glorientur, contemnendi rationem ostendere.

Quae res cum laude contemnantur, et quae secus.

Sunt enim in rebus humanis quædam, quæ mortalium animos insitiva quadam sui cupiditate sollicitant, sive quod honesta ac speciosa videantur, sive quod dulcia, sive alioquin utilia, cujus generis sunt, opes, claritas, dignitas, voluptas: ista quidem si habeas, aut certe in proclivi sit ut potiaris, eatenus duntaxat, quatenus à virtute avocent, contemnere, res est forti proboque viro digna. Pari item cum laude tristia ut dulcia contemni solent; ab his avelli posse, illa vero adire laudi est. *Lacedæmoniorum* institutum *Plato* minus probat, quod cum durissimos labores facile contemnerent, contra voluptates non perinde exercitati viderentur? at hi nostri *Catones*, ad utrumvis fœmina quavis molliores, ad solas litteras contemnendas viros se præbent. Quodque magis rideas, contemnunt non modo res honestissimas, verum etiam alienas. *Ciceronianam* contemnunt eloquentiam, homines mutis piscibus mutiores, *Chrysippi* contemnunt acumen, cum sint ipsi quovis pistillo retusiores. Poesim contemnunt profani, & (ut inquit *Plato*) longe à Musis alieni. Contemnunt veterum Theologorum politiem, quam assequi desperant, & si sperent, tum magis insaniant. O contemtorum stolidum pecus! dic quæso mihi, quænam ista nova magnanimitas? Quod inauditum contemnendi genus? nummulum non potes contemnere, & de eruditionis contemtu gloriaris? Scorti molli suaviolo superaris *Hercules*, ducit te captivum puerilis voluptatula, rapit te quolibet assentatio, consternat convitiolum, & fortem te visum iri credis, si res majores etiam quam ut assequi queas, possis contemnere? Non libet superbire oratione comta, sed interim pallio comto te venditas mulierculis: vis orationem jejunam ac squalidam, sed interim cuticula distenta nitet. Abhorres à mentione puellarum in legendis Poetis, at interim non abhorres à comprimendis uxoribus alienis, aut *Vestalibus* etiam virginibus. Non placet nitor in stylo, at non displicet in marsupio. Audi, magnifice contemtor, prius litteras disce, postea contemne: siquidem fortis videri studes, prius habe quod contemnas; nisi forte & in isto te Apostolos imitari jactitas, quod in cupiditate relinquenda, non in modo rei virtutis laus consistat. Age, nihil interfit inter opes & litteras, Apostoli rem mediocrem, & spem majorem contemsere, idque nulla invidentia, neque ipsi nudi aliis locupletibus invidebant. Vobis ne mediocris quidem est eruditio, quam possitis recte contemnere, summa desperatio, tum quod res sit in primis ardua, & infiniti laboris, tum quod vobis sint ingenia quovis plumbo inertiora. Postremo si recte contemsistis, cur aliis invidetis? Si invidetis, profecto cupitis: si cupitis, cur non in eandem nobiscum arenam descenditis, & nobiscum potius felices esse curatis, quam nostra causa miseri? Certate, vincite, triumphate. Sed vident homines ignavissimi duris undique laboribus ac vigiliis septas litteras nostras, quas quidem si possent contemnere, non tam stolide de eruditionis contemtu se jactitarent. Ubi summam litteraturam mihi comparavero, tum demum incipiam cum laude contemnere, non quo minus utar, sed ne quid insolescam, efficiam ut cum omnes antecedam eruditione, antetoniam me nemini, ne stolidissimo quidem. Mediocribus conatibus candide favebo, victori gratulabor, non invidebo. Quanto major ero, tanto me geram summissius, quo plus sapiam, eo alienam insciti am modestius feram, ipse ferens omnes dabo operam, ut ne cui sit ex me quod ferat. Cum studiosis eruditione, cum omnibus modestia, comitate, verecundia certabo. Ita me geram, ut hoc melior intelligar, quo sum doctior. Quanto magis alii me suspiciunt, tanto magis ipse me despiciam. Denique cum omnia scire curavero, ipse me scire tanquam nesciam. Ita demum cum laude contemserimus, si non alienam, sed nostram doctrinam contemnemus: sic non eruditio modo, verum etiam virtus ipsa contemnenda est, & post omnia contemtus etiam contemnendus. Sic contemsit *Augustinus* Ethnicas disciplinas, sed tum posteaquam principatum in his esset assequutus. Sic litteras *Ciceronianas* & *Platonicas Hieronymus*, ut nihilo minus & egregiè teneat, & passim utatur. Sic *Basilius*, sic *Chrysostomus* Rhetorum ac Philosophorum ingenia neglexerunt, ut ex monumentis agnoscas eos hæc non ignorasse. Isti vero quamobrem tandem se contemnere gloriantur? An more vulpis illius quæ in Apologis est, quia frustra cupiunt? Illa enim asini testiculos tum demum cœpit abominari, posteaquam sperare desiit. O fœdum, inquit, cibum, nunquam esse potuissem! At istud, si fas est rebus sua dare nomina, mera invidia est, haud contemtus. An quia ut sunt molliculi, laboris asperitate deterrentur, sine quo nec ad virtutem, nec ad eruditionem cuiquam est aditus? At istud ignavi simulque maligni hominis esse, quis non videat? An tandem pro innata rusticitate, litterarum munditiem oderunt? Ne id quidem Christiano pioque (ut isti dicunt) sed agresti, ac plane bruto animo dignum puto. Eja sit pudor tandem, cedant meliora conantibus. Sit satis istis, quod suam ignorantiam ignoscunt sibi, ne etiam ultro nobis obstrepant, ultro quos venerari debebant ac suspicere, despiciant: ac si ipsis nihil habetur prius ac dulcius somno & otio, sint aliis æquiores: nobis saltem tristes vigilias & insanos labores relinquant, quandoquidem nos istorum delitiis nihil invidemus: quo majoris invidentiæ est, alienis uri laboribus.

Absurde reprehendi quippiam non ob aliud nisi quod ab Ethnicis inventum.

Hoc aceto perfusi, mirum est dictu, quanto clamore in nos irruant, Christianos esse negant, sed Ethnicos, sed idololatras, & ipsis Ethnicis pestilentiores. An vero, inquiunt, is Christianus censendus qui disciplinis profanis, & ab impiis hominibus ad superbiam excogitatis, tantum operæ impertit, tantopere se oblectat. In his totus conquiescit, in his otium, in his negotium, in his solatium omne reponit? Et quis non videat, quantum sit sacrilegium, hominem, qui jam Christianæ militiæ nomen semel dederit, semel Christo imperatori sit & initiatus & inauctoratus, ad hostes Dæmones transfugere, & cum idolorum cultoribus habere commercium? an non habet, inquiunt, qui in dicendo *Ciceronianum*, in carmine *Virgilianum* aut *Horatianum* se nominari gaudet, in Philosophia *Aristotelicum*, *Academicum*, *Stoicum*, *Epicureum*. Audistis *Chrysippeum* enthymema. Audistis syllogismum cornutum. Videtis quam captiosis laqueis vos simplices irretire moliantur. Enimvero elleboro illo *Carneadeo* opus esse intelligo. Quid dicitis, *Antichrysippi*? continuo-ne malum & Christianis interdictum, quicquid ab Ethnicis profectum erit? Ita-ne nulla Gentilium inventa usurpare licebit, nisi protinus Christiani esse desinamus? Scilicet igitur per concionem vestros fabros admonendos censeo, ne posthac serris, securibus, asciis, terebellis, ne cuneis, ne regulis, ne perpendiculis, ne posthac amussibus suis audeant uti. Ne rogaveris, quid ita? & artem hanc & artis arma *Dædalus* homo Ethnicus excogitavit. Quiescant fabri ferrarii, fabricam ferrariam invenere *Cyclopes* homines prodigiosi. Ærariam fabricam nemo exerceat, hanc *Chalybes* monstrasse tradunt. Figulinam

Co-

Corœbus, ferientur figuli. Sutrinam *Boethus* quidam, nemo Christianus consuat calceum. Fulloniam *Niceas*, nemo sordes vestium eluat. Textoriam *Ægyptii*, redeamus ad ferarum pelles. Tinctoriam *Lydi*, nemo lanam ab ove detonsam, fuco adulteret. Metalli conflaturam *Cadmus Phœnix* invenit, frigeant officinæ conflatorum. Nautis, si fieri possit, religionem injiciamus ne consuetis utantur armis. Aurigas admoneamus, ne *Erichthonium* imitentur. Pictores, cælatores, vitriarios, breviterque cæterum quantum est opificum, ne sese suosque posthac Ethnicis artibus contaminent, si queant alios quæstus excogitent, sin minus, esuriant, potiusquam Christiani esse desinant. Quid si & militibus, hominibus piis scrupulum injiciamus, ne clypeis, loricis, galeis, gladiis, ocreis, cristis, arcubus, sagittis, lanceis, hastis utantur? hæc omnia ab impiis reperta perhibent. Verùm quis feret puellis *Minervæ* studium simul & arma eripi, pensa, colos, fusos, radios, telas, quorum nihil est à Christianis inventum? Jam & agricolatoribus, vel cum vitæ periculo ferias indicendas video: aratrum *Osiridis* inventum est: nemo posthac ausit terram invertere, inversam serere, satam metere, horum *Saturnum* auctorem ferunt. Nemo vitem coluerit, id enim à *Libero* excogitatum. Vinum merum nemo bibat, ne aqua quidem dilutum, monstravit hoc *Staphylus*. Ægroti Medicos non advocent, Medicina *Apollinis* inventum est. Et hos quidem non impios modo homines, verum etiam cacodæmones fuisse vulgus credit. Vobis igitur Dæmonum inventis uti licet, nobis studiosorum hominum litteris uti non licebit? Atqui nihil pudet, ne istos quidem qui & Dialectici & Theologi videri volunt, studiosis hæc objicere, quæ si in pagis apud fossores messoresque audeant disputare, moriar ni rustici ipsi ligonibus & falcibus eos conficiant. Si Gentilium inventis uti vetamur, quid tandem, obsecro, in agris, in urbibus, in templis, in ædibus, in officinis, domi, belli, privatim aut publice relinquetur? adeo Christiani nihil habemus ab Ethnicis non traditum. Quod scribimus, quod utcunque Latine loquimur ab Ethnicis accepimus: ab illis reperti characteres, ab iisdem orationis usus inventus. Ego-ne, inquiunt, damnatorum hominum libros in manu, in sinu habebo, lectitabo, venerabor? Ardet apud inferos *Virgilius*, & ejus Poemata cantat Christianus? quasi non & multi Christiani illic ardeant, quorum si qua bene scripta supersunt, nemo tamen idcirco respuenda putet. Sed quis istam judicandi petulantiam ferat, ut tanquam virga *Mercuriali* quos velint ad inferos demittant, quos velint ad superos evocent? Non hîc ingrediar rixosam illam disceptationem de Ethnicis, quæ ne mulieribus quidem sit digna, non est nostrum de Ethnicorum damnatione disputare, eorum, inquam, qui fidem nostram præcesserunt. Tum si conjecturas sequi velimus, facile convicero aut illos viros ex Ethnicis, aut omnino nullos salvos esse: quam bene præceperint, non quam recte vixerint laboramus. Hypocritas Magistratus, quorum vitam condemnat ipse qui novit, audiri tamen jubet. *Origenis* libros, in multis hæreseos damnatos, ad eruditionis fructum Christiana legit Ecclesia, & eorum divina scripta fugimus, de quorum moribus sine summa temeritate judicari non possit. Imo ut melius dicam, de quibus in bonam partem cum laude, in malum non sine maximo vitio quisquam judicet. Apage, inquiunt, ego me *Ciceronianum* aut *Platonicum* appellari feram, qui semel Christianus dici constitui? Quid ni monstrum hominis? Si te, quod *Sardanapali* perditam mollitiem imitaris, recte *Sardanapalicum* dicimus, aut quod assentator es, *Gnathonicum*, aut potius, ut es stolide gloriosus, *Thrasonicum* appellamus, cur alium *Ciceronis* linguam imitantem, *Ciceronianum* pudeat denominari, aut *Virgilianum*, si quid illius queam æmulari? Tu tibi barbaras istas appellationes adscisces, teque vel *Albertistam*, vel *Thomistam*, vel *Scotistam*, vel *Occanistam*, vel *Durandistam* vocari gaudeas, dummodo à Christianis denomineris. Ego me à quovis Ethnico denominari patiar, dummodo doctissimo, dummodo facundissimo: nec me hujus professionis pœnitebit, modo me præstantiora doceat Ethnicus, quam Christianus. Sed ut rem aliquando finiamus, nisi adversarios nostros talpis cæciores sua redderet invidentia, certe viderent quod vel cæco apparet, viderent in rebus, ab Ethnicis inventis, aliquod inesse discrimen, alias esse inutiles, dubias, pestiferas: alias perutiles, salutares, imo necessarias. Mala illis relinquamus, bona vero quid ni nobis usurpemus? hoc demum est homine Christiano, homine prudente, homine studioso dignum. At nos, si Superis placet, præpostere agimus, Ethnicorum vitia, libidinem, avaritiam, ambitionem, superstitionem passim imitamur, imo vincimus: at eruditionem, quam vel unam imitari par erat, unam adspernamur, stultius-ne, an superbius, non dum satis scio: nam si res mediocri usui futuras, ab illis ad nos traduximus, idque citra culpam, quid impedit quo secius idem de illorum artibus faciamus? quibus, si quid *Hieronymo* credimus, nihil est in rebus mortalium aut utilius, aut præstantius.

Divino consilio disciplinas ab Ethnicis expolitas, vt nos vteremvr, non vt contemneremvs.

Quvinimo admirabilem rerum ordinem & harmoniam quam vocant paulo penitus introspicienti, videri mihi prorsus solet, nec mihi adeo soli, visum est idem & plerisque gravissimis Auctoribus, non sine divino consilio disciplinarum inveniendarum negotium Ethnicis datum esse. Immortalis enim ille rerum moderator, ut est ipsa sapientia, ratione summa constituit universa, pulcherrima quadam vicissitudine distinguit, aptissimo ordine digerit, ut omnibus omnia miro quodam modo respondeant, nec quicquam in tam immensa rerum varietate ferri temerè sinit. Hic aureo illi seculo, quo nasci decreverat, voluit ut omnes & anteactæ & sequuturæ servirent ætates, ad hujus unius felicitatem decusque cumulandum quæcunque in rerum natura essent, referri placuit: quod ipsum se perfecturum pollicebatur: *Cum exaltatus*, inquiens, *fuero à terra, omnia trahamad me ipsum.* Ubi mihi aptissime *trahendi* vocabulo videtur usus, ut intelligas omnia, vel inimica, vel Ethnica, vel alioquin aliena, etiamsi non sequantur, ad *Christi* cultum invita trahi debere. Et ubi est illa rerum harmonia, qua fit divo *Augustino*, ut ne mala quidem otiose creata videantur? Quorsum ab ipsis Mundi rudimentis tot figuræ, tot prodigia, tot mysteria spectabant? nempe ad seculum Christianum. Quid deinde tota Lex *Mosaica*, tot ritus, tot ceremoniæ, tot sacrorum genera, tot promissa, tot oracula? nonne *Paulo* teste, hæc omnia figuræ contingebant illis? Jam ut Imperiorum translationes præteream, quorsum pertinuit *tanta mole Romanam condere gentem*, tantis cladibus, tot tam cruentis victoriis, *Urbi rerum Domina universum subigere Orbem*? nonne divino prorsus consilio? nimirum ut jam nata Christiana Religio, facilius in singulas terrarum partes dimanaret, si ab eodem capite tanquam in membra diffunderetur. Age nunc, qua mente tandem Orbem prope totum, tam vesanis, tam pudendis Religionibus sivit irretiri? Nimirum ut una exorta, universas summa cum gloria everteret. Adeo nihil sine dimicatione fit egregium. Artes studiosa *Græcia* reperit, cum qua deinde *Latium* certamine suscepto, bellicis quidem rebus superavit: at litterarum dicendique laudibus propemodum æquavit. Aliis rerum latentes causas rimari curæ fuit, alii *Promethei* vinculis alligati, cœlestium ignium vagos recursus observarunt. Fuerunt qui Divinitatis arcana tentaverunt, hic differendi, ille dicendi rationem invenit: nonnulli mortalium mores doctissime depinxerunt, quibusdam rerum gestarum memoriam ad posteros transmittere studio fuit.

Jam

Digitized by Google

Jam vero in Legibus, in Philoſophia, quantus ſudor Antiquis fuit? Quorſum tandem hæc omnia? num ut nos exorti contemneremus? an potius ut optima Religio pulcherrimis ſtudiis tum honeſtaretur, tum fulciretur? Omnia Ethnicorum fortiter facta, ſcite dicta, ingenioſe cogitata, induſtrie tradita, ſuæ Reipublicæ præparaverat *Chriſtus*. Ille miniſtraverat ingenium, ille quærendi ardorem adjecerat, nec alio auctore quæſita inveniebant. Hanc artium frugem illorum ætas tulit, non tam ſibi quam nobis: ſiquidem ut non quævis Regio ſuppeditat omnia, *nec omnis fert omnia tellus*, ut inquit *Maro*, ita ſeculis ſuæ quibuſque dotes diſtributæ mihi videntur. In ſummo bono quærendo plerique Philoſophorum & ætatem & ingenium triverunt; ſed id, quod erat vere ſummum & præſtantiſſimum, ſuæ *Chriſtus* ætati ſervavit, non ita tamen, ut cæteras inutiles, ac ſine fruge actas voluerit: id quod oculis quoque teſtibus videmus & corporeis in rebus diligenter caviſſe naturam, ne qua portio temporis inutilis effluat. En arbores (admoneor enim adſpectu ipſo ab his exemplum petere) primo jam vere frondibus alendis ſuccum ſuppeditant. Nunc videtis additi frondibus flores quantum voluptatis nobis ſpectantibus edant. Accedente æſtate, hi ipſi floſculi paulatim in pomi carnem turgeſcent: autumno mitibus malis ſtabunt arbores gravidæ, quæ ſimulatque poſuerint, rurſus id intervalli, quod ex autumno in hyemem ſupereſt, ſub futuram æſtatem novis creandis ſurculis datur. Hyems ne ipſa quidem otioſa, alterna quiete rerum vires reficit: idem cœleſtium orbium diſcurſus ille, tam varie temperatus efficit. Summa in rebus diſcordia, ſed qua nihil concordius. Eodem feruntur & ſingula & univerſa, eodem ſpectant, ad unum quiddam tendunt. Optimus igitur ille moderator *Chriſtus* cum ſuo ſeculo ſummi boni cognitionem peculiariter deſtinaſſet, proximis ante ſeculis id tribuendum putavit, quod ad ſummum bonum proxime accederet, ſummam videlicet eruditionem. Quid enim ſecundum virtutem poteſt homini præſtabilius contingere ſcientia? qua quidem in re Deus Chriſtianorum ſive ignaviæ, ſive mavis otio conſultum voluit, ut qui eſſemus aliunde occupandi, bonam laboris partem adimeret. Non paulo enim proclivius eſt, rem jam ad unguem expolitam perdiſcere, quam invenire. Quod niſi illi litterarum ſegetem ſeviſſent, nobis fortaſſis nihil eſſet quod meteremus: quid enim ipſi reperiſſemus, qui illorum inventis non modo nihil unquam adjecimus, verùm detrivimus permulta, perturbavimus omnia? Quo turpius ingrati ſumus, imo invidi, qui res ſummo uſui futuras, ne gratis quidem oblatas accipere velimus, cum iſtis magno conſtiterint: nec munus modo pulcherrimum recuſamus, verum etiam auctorem muneris, pro gratia quam debebamus, ſumma contumelia afficimus.

Homines ignorantia potius quam eruditione inſolentiores fieri.

Hic ego, perdocte tu quidem, inquam, & vere, *Batte:* at vix crediderim ullos eſſe tam omnis humanæ rationis expertes, ut univerſam litteraturam à Religione ſegregandam putent, modo ſit Chriſtiana. Battvs: Quaſi vero, inquit *Battus*, ulla ſit eruditio Chriſtiana, quæ non eadem ſit ineruditiſſima, loquor autem non de myſteriis noſtræ Religionis, ſed de diſciplinis repertis. Quid enim, ſi vera fateri velimus, poſt Ethnicos illos novi à nobis repertum, quod non idem ſit indoctum? Quid autem inveniamus bene, qui aliorum inventa tam male tuemur? Ego igitur nullam eſſe eruditionem puto, niſi quæ ſit ſecularis (ſic enim appellant antiquam) aut certe ſeculari litteratura condita & inſtructa: eam (ſi perverſa & impia abſit opinio) Chriſtianam etiam patiar appellari, quanquam non paucos adeo ſtolide religioſos comperio, ut ne Chriſtianam quidem iſtam, id eſt, Eccleſiaſticam multi faciant: Quid enim, inquiunt, ſi non ſimus Theologi, ſi Chriſtum bene ſcis, ſatis eſt, ſi cætera neſcis. Non doctis, ſed innocentibus promiſſa eſt immortalitas. Num idcirco damnabor, ſi divi *Pauli* ſcripta parum ſublimiter intelligam? Quid ſi *Hieronymianam* dictionem non capiam? quid ſi *Auguſtini* & *Ambroſii* ſcripta ne legerim quidem? quid ſi ne Euangelium quidem intelligam? ſtolide, imo quid ſi ne teiptum intelligas, quid ſi camelus ſis, non homo? Confide, etiam pecora cœlum obtinebunt. Hominum mehercule genus non modo ſtolidiſſimum, verum etiam impium. Atque utinam iſti Chriſtum bene ſcirent, qui ſe gloriantur nihil ſcire litterarum! At ſæpe fit, ut qui in litteris ſimplices haberi volunt, in rebus mundanis ſint aſtutiſſimi nebulones, ſed cum his mihi interim res non eſt. Eo hunc ſermonem interjeci, ne miraremini ſi hujuſmodi noſtram illam, quam deſcripſimus, eruditionem exſecrentur, qui Euangelia quoque contemnunt. Verùm ut modo dicebam, cum his mihi res non eſt in præſentia: de his loquor, qui Eccleſiaſtice docti videri cupiunt, & tamen ab omni ſeculari diſciplina tanquam *Judæus* ab immundis abſtinent, illud interim *Paulinum* obliti, *omnia munda* eſſe *mundis*. Horum ego eruditionem ita exiguam video, ut nullam eſſe judicem & quavis ruditate pejorem. Hi vero omnem noſtram doctrinam ut malam, ut Ethnicam, ut impiam abominantur: quod ipſi ſciunt, id non humano ſtudio, ſed tanquam cœlitus accepiſſe videri volunt. Jam etiam vulgo dici audio, ut quiſque litteratiſſimus ſit, ita nequiſſimum eſſe. Quæ quidem contumelia non magis ad Rhetoricos & Poeticos, quam ad Theologos, ad Jureconſultos, ad Dialecticos, ad cæteros item ſtudioſos attinet, dignum quod ab omnibus confutetur. Si mala eſt eruditio, utrum tandem per ſe mala eſt, an per aliud? Si per aliud, cur ſimpliciter eruditionem reprehendimus? Si per ſe, cur igitur judicio graviſſimorum Auctorum in numero bonorum honeſtorum ponitur? cur opibus anteponitur, quæ per ſe malæ non ſunt? Adde quod veritas nulla per ſe mala eſſe poteſt, diſciplinæ liberales cum ſint veritates, bonæ ſint neceſſe eſt. Quod ſi per ſe bona ſcientia, mala eſt ignorantia: ſi mala, igitur fugienda, quanquam ſi naturam audiamus, quis eſt qui non malit eſſe ſcientiſſimus, quam ignorantiſſimus? Hîc nobis Dialectici incipiunt eſſe barbari: non reprehendimus, inquiunt, ſimpliciter eruditionem, ſed quod aſtutos efficiat, elatos, intractabiles, inſolentes, faſtidioſos. Quid enim aliud petitis, inquiunt, quam vulgus effugere, eminere inter cæteros, prædicari, celebrari, nos noſtrique ſimiles pro pecudibus ducere? Audiſtis quid iſtos religioſulos mordeat, contemni nolunt: imperare & ducere, non parere neque duci volunt, & ita demum publicæ paci conſultum putant, ſi nemo exſtiterit, qui poſſit aliorum inſcitiam emendare. Intelligis, ut arbitror, eruditionis calumniam non aliunde quam à ſuperbia proficiſci. Iniquiſſimum autem fuerit ſi lippus Solem accuſet, cujus luce offenditur. *Scientia*, inquiunt, *inflat*, *caritas ædificat*. Utrum igitur inſolentia, ſcientiæ, an noſtrum eſt vitium? Non audebunt, ut opinor, eruditionis dicere, alioquin nemo unquam fuiſſet eruditus, niſi idem inſolens: & quo quiſque evaderet doctior, eo ſuperbior redderetur. At iſtud præterquam quod abſurdum eſt dictu, perquam contumelioſum etiam videri poteſt. In quos? In *Auguſtinum*, in *Hieronymum*, in pleroſque alios, quos quia doctiſſimi fuerint, nefas ſit ob id eos ſuperbiæ inſimulare. At, inquies, de profana eruditione ago. Et quidem nos accipimus, nempe qualem in his, quos modo dixi, Religionis Chriſtianæ principibus & miramur & veneramur, tuæ diſſimillimam, qui Eccleſiaſticam doctrinam profiteris. Quid quæris? quod ſi noſtropte, non rerum vitio inſolefcimus, utrum animus erit caſtigandus, an res ſine cauſa accuſandæ? Nonne modeſtius faceres tu modeſtiæ præceptor, ſi ingenue tuam inſcitiam fatearis, ac non optimis rebus calumniam ſtruas, quo tuo vitio patrocineris? nunc ad omnia rudis, ad hanc calumniam

Digitized by Google

disertus es. Attamen, inquis, insolentiæ materiam ministrat eruditio secularis. Quis negat? At istam quidem materiam undecunque licebit sumere vel ab optimis sanctissimisque rebus. Idcirco-ne protinus res ineusandæ, an tu potius qui rebus optimis abutare pessimus? Animus per se insolens, exserendi sui undelibet occasionem arripit. Pecunia quot vitiorum genera ministrat? nemo tamen hanc ut malam accusat, sed male utentium animus reprehenditur. Quid erit tandem tam bonum, quod non aliquando mali occasionem ministret? Non jejunium, non eleemosyna, non castitas, non virtus ipsa. Superbiunt Philosophi, sibi placent Poetæ. Eho tu, nulli superbiunt Theologi? An in ullo genere supercilium arrogantius? Quis tamen audeat sanctissimam Theologiam in crimen vocare? Superbiunt hac permulti, sed suo non Theologiæ vitio. Nulli-ne sperbiunt illitterati? Quid istos insolentiores facit? Nempe ipsa imperitia. Quid igitur facerent, si litteras didicissent?

Ignorantiam esse svperbiae matrem, Ervditionem contra modestiam parere.

Qvanqvam quid minus verum dici potest quam homines litteratura astutos, elatos, & fastidiosos fieri? Si astutiam prudentiam appellant, nihil pugno, cum & in Euangelico consilio serpentum astutiam imitari jubeamur. De fastidio vero, cui non absurdum videatur? Quis igitur saxeos illos & agrestes homines ad humaniorem vitam, ad mansuetius ingenium, ad mores modestiores adduxit? nonne litteræ? Hæ fingunt animum nostrum, affectus mitigant, frangunt indomitos impetus, molliunt, & ingenium non sinunt esse ferox. An vero hoc illi fastidium appellant, quod ipsorum barbariem non miramur, quod imperitissimorum hominum nugis delectari non possumus, quod stercora pro gemmis non amplectimur? Utrum hoc fastidiosi est hominis, an sani potius, & ab optimis pessima discernentis? De modestia vero idem ego sensi, quod divum *Hieronymum* ex Græci cujusdam sententia, & recte sensisse, & eleganter scripsisse video, imperitiam adducere confidentiam, scientiæ vero timorem esse comitem. Quod idem *Quintilianum* probe vidisse intelligo: *Quo quisque*, inquit, *ingenio minus valet, eo magis attollere se ac dilatare conatur.* Videmus enim permultos, priusquam, quid sciant aut nesciant, satis cognitum habeant, jam sibi consummate doctos videri. Hi postquam & sibi persuaserunt, & dementia sua nonnullam apud vulgus eruditionis opinionem sunt aucupati, & sibi non parum tribuant, & alios fastidiant necesse est. Docent audacter quæ nesciunt, scribunt, orant, interpretantur, nihil non tentant, nihil non audent, suis applausoribus freti, eruditorum, tum judicia, tum paucitatem contemnunt, pestilens hominum genus, & sua mente suaque stoliditate dignum. Gvilhelmvs: Dabis veniam vel ex pacto, *Batte*, si disputationis tuæ cursum paucis remorabor. Aut ego fallor, *Batte*, aut diversa & inter se pugnantia loqueris. Ais enim istos sibi placere, & fastidire meliores, eo quod sibi docti videantur: at istud ipsum est argumentum, eruditionem adducere superbiam. Quanam enim alia re sibi placent isti quam scientia etiam tenui, & prope nulla? Battvs: Recte nulla. Inscitia sua superbiunt isti, haud eruditione: adfert enim illa peritiæ persuasio plane confidentiam quandam, quæ ipsa summa est imperitia. Recte enim *Socrates* dixit, *nullam inscitiam esse majorem, quam qua quis se credit scire quod nescit.* Quod si vere docti essent, ut sibi videntur, jam alios mirari, sibi minus inciperent placere. Nil mirum est si venti plurimum concipiant, qui sunt inanes. Solida virtus seipsa contenta est, suo se pretio, non aliorum opinione metitur. Isti igitur si doctiores essent, essent & modestiores. Quod nolim mihi credatis, nisi ipsi in nobis idem experimur. Quid enim hoc aliud est, quod in initio studiorum nostrorum, ubi discipli-

nas vix à limine, ut dici solet, salutavimus, statim efferimur, & jam tum in ipsis rudimentis magis nobis placemus, quam ubi jam multo usu, multarum rerum certam scientiam comparaverimus, juvenum more qui quo minus habent prudentiæ, plus habent animi. Unde id? Profecto quia nondum hoc ipsum scimus, quam multa nesciamus, quanquam hæc inanitas non temere nobis à natura insita videri potest, ut hac falsa gloriola excitati, ad summos labores capessendos provocemur. Alioqui quis tantas tamque diuturnas vigilias adiret, si nihil magni sibi promitteret? Neque in hac re plane cum *Stoicis* sentio, qui universos affectus non supervacaneos modo, sed & pernicioſos arbitrantur. Mihi ad virtutem tendentibus animis, tanquam pædagogi quidam videntur adhibiti. Hæc igitur fiducia gloriaque, si modo non sit immodica, in tironibus quidem non prorsus videtur inutilis, eo quod calcar & stimulum quendam ingeniis nostris subjiciat, nam freno vix invenias qui indigeant: At eandem gloriam iidem, ubi saniores sumus effecti, & ridemus ipsi, & damnamus. De me fateor: equidem cum puer essem, probe sciolus eram, & mihi placebam, cum hæc studia vixdum summis, ut ajunt, labiis degustassem. Nunc post tantum annorum, accedo enim ad annum undetrigesimum, in dies mihi magis magisque displiceo, & *Socraticum* illud amplector, *Hunc unum scio, quod nihil scio.* Tum mihi videbar arcem tenere summam, nunc me ne vestibulum quidem adhuc præteriisse puto, ac juxta Græcorum proverbium, ne in apiis quidem consistere. Tum me nihil exactum, perpolitum, absolutum delectabat, nunc prope nihil non miror. Tum quosvis ultro provocabam, nunc *Milium* senescentem imitor, minus audeo, trepido magis: ex quo facile conjicio, ubi copiosior etiam, quam quæ nunc est, eruditio accesserit, minus etiam mea mihi placitura. Quod si mihi evenit homini ventosiore ingenio nato (est enim apud familiares simpliciter fatendum) quid aliis meliore mente præditis accidere putatis? Tum Gvilhelmvs: Adstipulor, inquit, ista in re tibi, *Jacobe*: istuc enim ipsum, quod tu doctissime disseruisti, in me ipso & agnosco, & fateor, nec in paucis animadverti. Matureſcunt eruditione ingenia, reddunturque tum molliora, tum mitiora. Battvs: Ita prorsus, ait *Battus*, cujus rei nusquam non copiosissima exempla offerunt sese, sive nostra, sive Veterum secula respiciamus. Quid enim dici potest, aut cogitari superbius, quam summa confidentia docere alios, quod ipse nescias? Quod isti nostri Antacademici passim faciunt, qui cum nihil sciant, nihil non præcipiunt. Ita me Deus amet, ad vomitum usque nauseo, quoties quorundam delitias, & stultam gloriam ex Operum inscriptionibus colligo. Qui cum nihil nisi meram barbariem evomuerint, audite quæso quam splendidis titulis suas nugas adornent, ut facile intelligas quam delicate simii isti suos catulos adament. Alius quod somniavit *Gemmulam*, alius *Margaritam* appellat, hic *Floretum*, ille *Rosetum* inscripsit, at in medio, ô bone Deus, ut nihil nisi carduos & lolium invenias! Est qui *Speculum* Operi suo nomen dedit, est qui omnium errorum sylvam, *Catholicon* ausus est appellare. Ineptius etiam quidam *Mammetreptum*, velut hauſtum lactis gallinacei pollicens. Sunt qui *Summas* & *Summarum Summas* appellent, quasi lectori non sit alius Scriptor requirendus, ubi tales sit nactus lacunas. An non eandem insolentiam deprehendas in Auctorum titulis, quos ideo magnificos illis tribuunt, ut ipsi præclarum aliquid ac supra hominem profiteri videantur? *Basilium*, *Origenem*, *Chrysostomum*, & his consimiles viros, aut non citant, aut contemtim citant, veluti censores: verùm cum crepant illos suos Doctores *sanctos*, Doctores *irrefragabiles*, Doctores *subtilissimos*, Doctores *seraphicos*, tum sibi videntur adferre nescio quid, cui cedere debeat etiam majestas Euangelica. Quod si in antiquis & eruditis has inscriptionum delitias docti non tulerunt, quis in his bar-

Digitized by Google

barbaris ferat, qui ad contaminandas litteras geniti videri possint? Quis non, ut est in proverbio, suspendio trabem eligat, ubi videt hujusmodi voluminibus refertas passim Bibliothecas, perstrepere Ludos? Ex his contexi conciones Ecclesiasticas, ex his colligi dogmata, quibus gubernetur Orbis, ex his nos censeri Christianos, aut secus? Adde quod in tradendo nusquam hærent, nihil addubitant, omnia constant, omnia præcipiunt? Credas eos non docere, sed leges præscribere. En modestiam quam secum adfert supina ignorantia! quanto satius erat Academicorum verecundiam imitari, ad quos cum isti ne componendi quidem fuerant, nihil tamen scire professi, omnibus de rebus pudenter disputare, quam confidenter affirmare maluerunt. Nec me fugit, esse qui hoc Philosophorum genus parum probent, mihi vel omnibus anteferendum videtur, cur videatur alias fortasse. Jam si prisca repetimus, quid tam abfuit ab insolentia, quam *Socratis* doctum pariter ac facundum ingenium, quem nunquam puduit undecunque doceri, ne jam senem quidem. Non sibi turpe duxit Rhetoricen, virilem utique disciplinam, à fœmina *Aspasia* doceri. Idem jam grandis natu, fidibus operam dedisse legitur, præceptore, nisi fallor, *Cono*: præterea vox illa jam nobilis, *Hoc unum scio, quod nescio*, utrum, quæso, sibi placentis, an modestissimi potius hominis videtur. Hac modestia promeruit, ut solus ab *Apolline* sapiens judicaretur, quod cum alii sibi ea viderentur scire, quæ nescirent, hic tanto esset cæteris verecundior, quanto sapientior. Id quod illius apud *Platonem* disputationes facile indicant, in quibus omnibus apparet studiosi quidem & acuti, sed inquirentis potius, quam præcipientis oratio. Et ô utinam nostri temporis Philosophastri, qui nobis fastum objiciunt, hujus omnis Philosophiæ parentis verecundiam, quam *Gorgiæ* promtam garrulitatem mallent imitari, qui cum ne suam quidem ipsorum vocem intelligant, magna fiducia quavis de re pronuntiant, probant, damnant, præcipiunt, præscribunt: sed aliorum exempla prosequamur. An fuit quicquam uno *Pythagora* vel acutius, vel doctius? Hic certe superiores Philosophos quam eruditione vicit, tam modestia superavit. Qui cum ante id temporis *sophi*, id est, *sapientes*, soliti essent appellari, ipse primus nominis arrogantiam recusavit, & se *Philosophum*, id est, *sapientiæ studiosum*, quam *sapientem* dici maluit. *Platonem* nonnulli ob ingenii divinam quandam sublimitatem fastus insimularunt: at in hoc ipso, quanta modestia? Ubi omnem præceptoris disciplinam ad plenum hausisset, perinde ac si nihil actum, quot maria, quot terras emensus legitur: dum ubique quærit quod discat. *Qui* Athenis *magister fuerat, & potens, (Hieronymianis* enim verbis libenter utimur) *cujusque doctrinas Academia gymnasia personabant, fit denuo peregrinus atque discipulus, malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere.* Quid de *Solone* & *Herodoto* loquar, quos jam natu grandes, omnes Orbis angulos pervagatos videmus, laboriosa utique peregrinatione, tanquam impigros sapientiæ mercatores. *Theophrastus* Philosophorum facile præcipuus, moriens, cervis & cornicibus invidisse legitur, quibus natura vitam tam diuturnam tribuisset, homini tam exiguam. Et qui omnium opinione consummatam sapientiam tenere putabatur, is se tum querebatur exstingui, cum jam quid esset sapere, videre cœpisset. Et unde in tantis ingeniis tanta modestia, ab imperitia-ne, ut isti dicunt, an à doctrina quadam singulari? Quis jam *Virgilio* palmam inter Poetas invidet? An non hujus modestia factum est, ut dum in vivis ageret multis indoctioribus inferior haberetur? Idem à *Philisco*, mediocri Oratore, convitiis salibusque agitatus, ab insulso *Perone* famosis etiam versibus impetitus, à *Cicerone* summo Oratore laudatus, pari modestia, & illius scommata, & hujus laudes tulit. Quid autem de Ecclesiasticis commemorem? quorum longe princeps *Hieronymus*, incredibili discendi aviditate, quem tandem præceptorem recusavit? Num Judæum? num Hæreticum? num Latinum? num Græcum? num Hebræum? Adeo vir doctissimus discere, quam docere putavit pulchrius. *Augustino* quid eruditius? at quid eodem modestius? qui jam multorum annorum Episcopus & Doctor, non solum se vel ab anniculo Episcopo doceri paratum fatetur, verùm nec ipsum errata sua fateri puduit, & scriptorum suorum tanquam palinodiam canere. Quis hanc modestiam è nostri temporis criticis unquam est imitatus? An sunt *Augustino* vel cautiores vel doctiores? An non potius quanto indoctiores, tanto arrogantiores? qui quicquid scripserint, hoc ipso verum videri volunt quod scripserint, pro cœlestibus oraculis sua somnia recipi volunt. De parum doctis hæc loquor, nam egregie doctum neminem adhuc reperi, quin in eodem singularem modestiam agnoverim. Superbus igitur & arrogans, indoctus vocabitur, juxta sapientis Hebræi sententiam, haud doctus: & sapientior sibi stultus videtur septem viris loquentibus sententias. Cave igitur tu quisquis es, qui mihi vultu religioso immodestiam objicis, ne ista ipsa tua modestia, summa sit immodestia. Nam quæso te per Musas, uter superbior, is-ne, qui dives invitat ad opum suarum communionem, an tu, qui mendicitate tua superbus ob hoc ipsum tibi videre Regulus, quod nihil habeas? Is-ne, qui doctrina utitur ad Christi gloriam, an tu, qui cum proximi contumelia contemnis alienam doctrinam, ne apud idiotas, in quo theatro te venditas, parum semideus habearis? Postremo fac utrumque placere sibi, uter arrogantior, qui sua effertur eruditione, an tu, qui tua insicitia tibi insolentissime places? Ille nulli obstrepit, si quis nolit meliora discere: tu cœlum terræ misces, si quis ausit docere, quod tu cum tuis sodalibus non didiceris. Huic animos facit sua facundia: tibi crissas majores addit infantia. Uter superbior? Ille per omnes disciplinas obambulat, ut vere doctus esse possit, tu vix gustata Grammatica, eaque misera, vix gustatis tribus syllogismis, ad hæc quæstionibus aliquot *Thomisticis* aut *Scotisticis*, repente prosilis in theatrum, paratus cum quovis, quavis de re dimicare. Et homo verecundus aliis exprobras arrogantiam? Verùm ego dum de immodestia disputo, modestiæ sim oblitus: altius enim in re clarissima disputationem repetisse me video. Sed ut finiam, ego sic mihi persuasi, si quem arrogantem & sibi placentem videro, eum perdoctum esse non credam. Itaque quod isti superbiam adducere putant, id mihi, ne superbiamus, solum remedio videtur esse.

ILLVD PAVLI, *scientia inflat*, QVOMODO ACCIPIENDVM.

VERVM instant interim suo more, & illud *Paulinum* constanter ingerunt, *Scientia inflat, caritas ædificat.* Non mentitur, inquiunt, Apostolus, inflat scientia. Nemo negat, sed inflat & insicitia. Quid dicitis ô Theologi, & iidem insciі? ita-ne nihil plus una sententia è *Paulo* decerpsistis, non venit in mentem, eundem alio in loco dicere, *etsi imperitus sermone, non tamen scientia?* Non audistis gloriantem, quod ad pedes *Gamalielis* Legem didicerit? non libros in membrana scriptos sibi postulantem? Quid ita *Paulo* in mentem incidit, ut cum fuerit vel unus inter Apostolos omnium rerum scientissimus, tum sæpius nos ad sui imitationem provocarit, hoc uno in loco voluerit à scientia deterrere? Quid autem est caritas spoliata scientia? nempe navis sine clavo. Quis unquam amavit quod nesciret? denique quorsum unquam fuit utilis ignorantia? Neque mentitus est *Paulus*, sed parum intellectus, cujus quidem mentem ita demum accipiemus, si & priora, & consequentia cum mediis conferamus. Age, Theologum interim *Battus* aget: Mota erat divo *Paulo* de idolothytis quæstio, à quorum esu Christiani nonnulli infirmitate quadam conscientiæ sese continebant: Alii peritiores, qui intelligerent idolothytum nihil esse, & mundis nihil esse

immundum, ſine diſcrimine veſcebantur. Et recte quidem illi ſentiebant, ſed interim ſuperſtitioſior & infirmior quiſpiam eorum offendebatur firmitate. Hinc inter fratres ſeditio. Reſpondit *Paulus:* quantum ad noſtram ipſorum conſcientiam attinet, nihil referre, utrum de idolis immolato, an non immolato veſcamur, intereſſe tamen fraternæ caritatis. Offendi enim fratrem infirmiorem, qui nondum idolothytum queat contemnere, aliena conſcientia, cum videat fratrem in idolio recumbentem; eoque ſatius cenſet Apoſtolus hac in re fraternæ infirmitati obſecundare, quam fratre neglecto, noſtra uti ſcientia, gratiorem eſſe Superis morigeram caritatem, quam ſuperbam & contumacem ſcientiam. Hujuſmodi enim inflare ſcientiam, ſi fratrem prudens offendas: at caritatem ædificare, ſi ſine tuo detrimento fratris infirmitati concedas. Ut ne dicam interim quod ea res fuerit illorum temporum peculiaris. Altius à majoribus inſederat ſuperſtitio, quam ut ſubito poſſet revelli, & ad confirmandam Euangelii doctrinam, omni obſequio erat opus. Poſtremo materia offendiculi reperta erat, non à nobis miniſtrata. Hîc Chriſtianæ caritatis erat, ad tempus obſequi fratris infirmitati, ſed hac ſpe ut poſt reſipiſceret. Quid hæc ad nos? quid ad Philoſophiam? quid ad Oratoriam, aut Poeticam? ſed tamen ſi libet ad liberaliorem eruditionem torqueamus, quandoquidem didicere quidvis arcanæ litteræ pati. Quantumlibet inflexeris, *Paulus* non vult ſcientiam eſſe nullam, ſed incomitatam eſſe non vult, nempe ſine caritate. Quod ſi alterutra ſit carendum, tolerabilius eſſe ſcientia, quam caritate privari, cui interpretamento divus adſtipulatur *Auguſtinus. Per ſe*, inquiens, *inutilis eſt ſcientia, cum caritate utilis.* Quis enim tam demens, ut argentum rejiciat, quod aurum pretioſius eſſe cognoverit? Num ideo ſaxa nullum habent uſum, quod gemmæ ſint præſtantiores? Num idcirco non optima quædam res eſt ſcientia, ſi melior ſit caritas? Nam alio quodam in loco, ubi caritatis pæana *Paulus* decantat, ſcientiam inter præcipua chariſmata ponit, puta prophetiam, fidem, miraculorum geſtionem, Linguarum dotem, atque id genus alia. Num facturus, ſi ſcientiam tanquam peſtiferam fugiendam judicaſſet? Atqui, cur igitur inflare dixit ſcientiam? inquies. Cur ipſe fuit ſcientiſſimus, num continuo inflatiſſimus? Periculum oſtendere voluit, quo cautiores redderet, non ut deterreret: tutior eſt caritas, neceſſaria quidem ſcientia, ſed periculi nonnihil habens, ut quæ poſſit eſſe pernitioſa, ita ſi caritati repugnet. Æquius erat indoctiorem ſcienti concedere & parere, at nunc ultro imperito concedit doctior. Quid tu cum tua caritate tibi places? quid ſcientiam calumniaris? Hujus caritas laudatur, qui te ſcientia præcedit, non tua. Nam quantum quidem in te fuit, tua ignorantia jam caritatem exſtinxerat, qui credebas eſſe aliquid, quod nihil erat, niſi hujus ſcientia tuæ ſtultitiæ ultro conceſſiſſet: toleraris, non præferris. Nunc uter veſtrum eſt inflatior, tu qui imperitus, doctiori recuſas obtemperare, an hic, qui tam indulgenter indoctiori concedit, doctior? An vero ſemper imperitis concedendum? Minime, ſed in his duntaxat, in quibus neque niſi violata caritate obſiſti poteſt, & indulgentia ea nihil incommodi videtur allatura. Non igitur deterritos à ſcientia *Paulus* voluit, ad quam nos ſuo provocavit exemplo, verùm ne imprudentes in periculum incideremus, ſcopulos & cautes prudens navigator oſtendit. Cur nos ſimplicem & caſtam Scripturam ad noſtra vitia trahimus? cur nobis ignorantiâ placemus? cur litteris & idoneos & deditos, ab optimis ſtudiis deterremus? eur non potius, ſi quem velis & remis, ut inquit *Plautus*, ad litteras properantem viderimus, hujuſmodi oratione præmonemus: I bone quo virtus tua te vocat, i pede fauſto. Ad humanas diſciplinas plenis velis raperis, ſed cauto naviges facito. Scopulos habet iſtud mare, aurum & ſmarágdos habet iſtud nemus, ſed per Deum immortalem! cave tibi à veneni radicibus. Diſces egregias artes, & ita demum utiles, ſi parem probitatem adjunxeris, citra eam parum utiles, aut etiam peſtilentes. Cave ſic illis ſtudeas, ut recti tibi cura recedat, ſtude non minus melior eſſe quam doctior, bona eſt ſcientia, caritas melior. Utramque alteri ſi comitem adjunxeris, rem abſolutam conficies.

MEDICVS: Hæc cum *Battus* dixiſſet, Medicus jamdudum ſubridens, (eſt enim vir in primis feſtivus, multique joci) Quis, inquit, *Batte*, credidiſſet unquam, te hominem tam Poeticum, tantum tenere Theologiæ? Ita me Muſæ tuæ bene ament, ut mihi *Pauli* mentem appoſitiſſime videris explicuiſſe, nec te prorſus fugere video verba Theologica, præterea quantum audivi, equidem te pulchre concionari poſſe crediderim: quod ſi reſciſcant noſtri *Jacobita*, vereor ne certatim te rapiant, & cucullum injiciant. BATTVS: Et arridens *Battus*, Iſtud, inquit, Muſarum hoſtibus eveniat, verùm ne tu impune *Battum* laceſſiveris. Quid te uno impudentius, qui in me homine Poetico, Theologiæ ſcientiam admireris, cum te Medico nihil ſit Theologicum magis? Ego ſi Theologus eſſem, nihil à Poetæ partibus prævaricarer. Antiquitus enim Theologi habebantur iidem qui Poetæ, & ingenue fateor eloquentium Theologorum ſcriptis, me non minus quam *Ciceronianis* delectari. Recentiorum vero tento quidem perſæpe ac mihi impero, ſed vomitus oboritur legenti, adeo me tum barbaries orationis, tum rerum perturbatio offendit. Tu vero partes egrederis tuas, & Theologis adeo injuriam facis: nam cum illis animorum, vobis corporum cura ſit tradita, tu totum hominem tibi vindicas. Sed pergam ſi finis theologari vel apud te Medicorum omnium doctiſſimum Theologum, efficiam ut me neges ullos præter Theologorum libros evolviſſe.

MEDICVS: Age, reſpondit Medicus, percupio: ſed te jam in viam, unde depuli, reſtituam. Hoc erat tuæ diſputationis extremum, ut caritatem cum eruditione copulandam eſſe diceres. Ipſe quidem in ea prope ſum opinione, quam divum *Auguſtinum* in ſuis Dialogis notaſſe video, ut credam vix à virtute divelli poſſe ſcientiam: verùm ut ſcis meæ profeſſionis eſſe, inter omnia mortalium genera verſari, in quoſdam Religioſos nonnunquam incido, qui ſibi hoc conſtanter habent perſuaſum, non cohærere cum pietate Chriſtiana litteraturam, quam illi vocant ſecularem. BATTVS: Nec aberrant iſti, inquit *Battus*: in ipſis enim male cohæret, quibus utraque deeſt, at cohæſit in *Hieronymo*, *Cypriano*, *Auguſtino*, aliiſque mille, quorum pietatem quis audeat cum iſtorum ignavia comparare?

MEDICVS: Age, inquit Medicus, ſcio tibi quidem cucullatos iſtos omnes inviſos haberi: verùm ut ego Religionem fatali quodam amore (ſum enim benigno *Jove* natus, & item *Venere*) tum admiror, tum vereror, ita non omnibus vitiis libero. Video enim nonnullos ad *Epicuream* illam rationem proxime accedere, qui incredibili laborum fuga, ignaviam quandam & umbratilem vitam amplectuntur. Tutos ſe credunt ſi tanquam cochleæ intra teſtam perpetuo deliteſcant, commodis corporum vel minutis morioſus etiam conſulentes: abunde ſe religioſos arbitrantur, ſi litterarum politiorum nihil prorſus attigerint, ſuis bene conſultum putant, ſi ea quæ in Scholis didicerunt, obliviſcantur. Jam vero civibus ſuadere non deſinunt, ne liberos ſuos ad externas Scholas, quas *Univerſitates* vocant, ire ſinant. Periſſe propemodum illos, qui ſeſe illuc tanquam ad manes demiſerint, aut non redire, aut redire deteriores. Simplicitatem, neſcio quam, illis prædicant: litteras à virtute avocare animos, nec bonam parare mentem, ſed rapere magis. Stultum, inquiunt, eſt diſertam habere linguam, mores incompoſitos, dialecticis captiunculis morti nominem impoſuiſſe, Rhetoricen & Poeſin ne nominare quidem audent: inſanire Geometras ajunt, qui cum ſcite agros

mc-

Digitized by Google

metiantur, animi ſui modum ignorent: Aſtrologos delirare dicunt, quod ea quæ ſupra ſe ſunt, curioſi ſcrutentur: Phyſicos impietatis accuſant, quod divina rimantes opera, ipſum rerum opificem negligunt. Ne ſacris quidem Theologiæ Profeſſoribus parcunt, hos inſimulant, quod cum magna auctoritate virtutem doceant, ipſi non perinde vivant. Ita iſti *Cynici* noſtri univerſum genus hominum contemnunt, cenſent omnes. Moriendum, inquiunt, eſt omnibus. Quid tum ſi ſis *Solomone* doctior? quid conferunt nexus dialectici? quid oratoriæ complexiones? Moriendum eſt. BATTVS: Per anſerem homines piſtrino digni, ſubjecit *Battus*. Quis iſtud ignorat, omnibus eſſe moriendum? nihil-ne interim agendum? Malim ego doctior mori, quam natus ſum. Iſti perinde diſputant, ac ſi qui doctus ſit, eum continuo malum eſſe ſit neceſſe. Num qui lingua erit incompoſita, mores protinus compoſitos habebit? Num qui Dialecticen contemſit, ſtatim mortis laqueos effugiet? Num qui Poetas non attigit, protinus erit *Hippolytus?* Num protinus ſibi notus eſt, cui ignota eſt Geometria? Quid prodeſt non fuiſſe philoſophatum in aſtris, ſi interim philoſopheris in patinis? An pulchrius eſſe ducis, ſcrutari ſapores ganearum, quam arcanas rerum cauſas? Et ne ſingula perſequar, num qui erit indoctiſſimus, continuo religioſiſſimus habebitur? Eruditio nos in cœlum non levat: an eo levabit inſcitia? an ruſticitas? Non præſtat bonam mentem litterarum peritia, num igitur imperitia præſtabit? Non præſtant bonam mentem litteræ: ut donemus iſtud, at nec malam præſtant. Nonne recepta eſt calceolaria ſutrina, textrina, fabrica, ſartoria, fullonia? Nonne etiam in honore eſt culinaria? Quid horum bonam mentem præſtat mortalibus? Laudamus doctum pictorem, laudamus fabrum ſcientem, textorem callidum laudamus, laudamus etiam ſi ſit vir improbus. Nec artem ideo malam dicimus, ſi forte ſit malus qui in ea verſatur. Et litteraturam damnamus, quæ ut bonam mentem non præſtet, ad eam tamen non mediocriter conducit. Quod ſi quem litteris abutentem viderimus, non ut eruditionem relinquat admonendus eſt, ſed ne in uſus perverſos torqueat. Quanto rectius admonet ille Philoſophus, abſque Chriſto ſapiens: *Sic vive, tanquam cras moriturus, ſic ſtude quaſi ſemper victurus.* Occupabit mors, ſed malo occupet ſtudentem quam ceſſantem. Hoc tamen adverſariis conceſſero, ut puſillo, aut vehementer tardo ingenio natos, liceat à difficilibus diſciplinis dehortari, ne ſi aſinus ad lyram ducatur, & diſcens & docens ſimul operam luſerit: eos autem, quorum ingenia magni aliquid polliceri videntur, à pulcherrimis conatibus retrahere, quid aliud eſt quam (quod *Paulus* fieri vetat) ſpiritum exſtinguere? Quod idem ſi in ſummis illis, quos jam ſæpe nominavi, Doctoribus factum eſſet, ſingulari profecto & præſidio & ſolatio jam orbata eſſet Eccleſia, quanquam interim patronus barbarorum, doctius ac modeſtius pro illis reſpondes, quam ipſi ſoleant loqui: nam hoc ferme genus hominum ne noverunt quidem cujuſmodi ſint diſciplinæ in quas debacchantur. Poeticen exiſtimant artem eſſe meretriciam, Rhetoricen nihil aliud eſſe putant quam aſſentatoriam, Geographiam, Aſtrologiam curioſas & improbatas artes eſſe credunt, qualis necyomantia.

MEDICVS: Tum Medicus: Probabiliter tu quidem *Batte*, id eſt, plane rhetorice: verùm ut interim tibi pro iſtis imperitiæ admiratoribus reſpondeam, qui in ſummam invidiam, hujuſmodi ſeditioſis concionibus imperitam multitudinem concitantes, Quid igitur, inquiunt, tandem futurum eſt? Num ſoli litterati cœlo potientur? Ita-ne vos ſoli, qui ventoſa doctrina turgetis, Gigantum exemplo cœlum occupabitis, detrusis ſuperis, excluſis inferis? Quid fiet imperitæ multitudini? quid ſimplicibus Fratribus, qui Apoſtolorum veſtigiis ingreſſi, non didicerunt *Ariſtotelicos* laqueos, non ſpinas *Chryſippeas*, non ſalem *Atticum*, non *Plautinam* eloquentiam. Nonne hæc eſt illa ſimplicitas, quam

A Deus unice ſibi delegiſſe videtur, qui aſino vectus *Hieroſolymam* ingredi voluit, cujus & illa exhortatio eſt, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Non dixit, diſcite compoſitam orationem, metiri cœlum, nectere ſyllogiſmum, ſed humilitatem diſcite. Multa nobis præterea de agno & columba, quorum appellatione rudis animi tractabilem ſimplicitatem ſignificatam volunt, verùm ego jamdudum memorem moneo, qui hæc quotidie audias ab iſtis deblaterari apud indoctam plebeculam. BATTVS: Papæ, tu me mediam in Theologiam vocas, *Battus* inquit, Medicus Poetam: ſed quod aſinum ſe imitari dicunt, jam hoc primum mihi ſatis quadrare videtur, niſi quod iidem ignavia & B tarditate aſinum facile repræſentant, cæterum & leonis, & tigridis & ſcorpii non exiguam partem iſti aſino admiſcuiſſe videntur, tanquam Chimæra, ex variis monſtrorum figuris compoſiti. Quod ſi vacaret in præſentia iſtius aſini, iſtius columbæ, iſtius agni myſteria perſequi, facile appæreret iſti hominum generi in hoc ordine nullum eſſe locum. Hoc ad refellendum ſatis arbitror, iſtas myſticas appellationes non ad ſcientiam, ſed ad mores eſſe referendas, hoc eſt (ut magis theologice dicam) non ad intellectum, ſed ad affectum. Quid enim poteſt eſſe ejuſmodi mente magis (ut ita dicam) aſininum, quæ iſtorum hominum importunas nugas poſſit & diſſimulare, & perpeti? Quid æque C columbinum, quid agninum magis? Iſtis vero quid cum aſino præter ſtoliditatem commune eſt, qui neque duci à ſanioribus patiuntur, & omne laborum genus tanquam peſtem fugitant. Quid ſimile habent ad columbam, qui tanta amaritudine fraternæ invident virtuti? Quid illis cum agno, qui nihil habent quod aliis poſſit eſſe uſui? *Hieronymus*, qui tantum laborum in adaugenda Religione Chriſtiana exhauſit, aſinus fuit. *Auguſtinus*, qui perpetuam operam Chriſtianis præſtitit, aſinus fuit, hos aſinos imitemur. Cur homines ignavi & numero tantum nati ſuæ inertiæ his commentationibus blandiuntur? Appellant ſe ſimplices Fratres, cum poſſint cum quovis veteratore certare, ſi quid agatur quod ad ventris & gloriæ negotium pertineat. Non recuſo meum nomen quo minus inter mendaciſſimos ſcribatur, niſi quod dico fatebuntur omnes quibuſcum iſtis ſimplicibus fuit propior conflictatio. Verùm ut dolorem quoque illorum placemus qui ſeſe ob imperitiam extrudi putant, recipimus, adjungimus, amplectimur, at ita ſi aures mihi pauliſper commodarint, dum paucis rem abſolvo. Haud temere multis Auctoribus video placuiſſe nobilem illam *Heſiodi* ſententiam, tria hominum genera conſtituentis. Primum quidem eorum, qui quid rectum ſit, ipſi per ſe intelligunt, idemque ſequuntur. Alterum eorum, qui per ſe quidem parum ſapiunt, at ſapientum monitis obſequuntur. Tertium E ad nihil utile appellat, videlicet horum, qui neque ipſi ſapiunt, neque credunt recta monenti. Primi boni ſunt, iidemque docti. Alteri boni quidem illi, verùm indocti. Poſtremi neutra re, neque doctrina, neque probitate præditi. Primum hoc genus, ut multo præſtantiſſimum, ita præcipue expetendum. Secundum ferendum quidem, at ita ſolum, ſi Doctoribus acquieſcat: quod ſi intractabiles, ut fere ſolent, eſſe pergunt, jam tertii generis eſſe incipient. Doctrinam itaque dico neceſſariam, ſed quo mittis indoctos? in malam crucem, ut Comici dicunt, ſi doceri recuſent. Si dociles ſint, admitto, verùm penes aliquos eruditio perſeveret neceſſe eſt. Quod ſi omnes erimus illitterati, quis caſtigabit errores imperitorum? Sunt in pictorum officinis, F qui artis ignari, tantum quod juſſi ſunt faciunt, terunt, miſcent, purgant. Eſt quidem nonnulla ex parte utilis horum opera, at ita demum, ſi monſtrator adſit, alioquin otioſa. Nec audiendos puto, qui dicunt non paſſim eſſe diſcendas litteras, neque enim opus eſſe tanta turba eruditorum. A paucis plurimos duci poſſe. Cur enim quod in paucis pulchrum eſt, non multo erit in multis præſtantius? Cur quiſquam vetat ad id, quod omnes præſtantiſſimum fatentur, eni-

Digitized by Google

ti? Sapiens imperator tametsi gregariorum militum utitur opera, & ignavos strenuis misceri patitur, ac ne lixas quidem & calones ejicit, multo tamen malit omnes *Scævolas*, omnes *Siccios*, omnes *Decios*, si dentur. Intolerabile vero nefas, si gregarius miles, egregii commilitonis fortiter factis invidens, dicat: Quid si omnes insignes erimus, quo mittimus gregarios? Si omnes litterati, quo illitteratos ejicimus? quasi vero illitteratis usquam sit opus: si quibus aut non licet, aut non contigit eruditio, quiescant potius, ac desinant alios pulchrius aliquid conantes impedire: illum sinito præcurrere, tu ducem sequere, eodem tamen perventurus. Vulgi quidem imperitia non laudatur, sed si tractabilis sit, non contemnitur. Quod autem fertur, id placet, collatum quidem deteriori: placiturum tamen amplius, si ipsum in melius quippiam commutetur. Si rudes simus, & doctis auscultemus, bene quidem est, at meliores erimus si ipsi etiam docere indoctos potuerimus. Quare rem paucis sic habeant: qui & indoctus & indocilis est, si quidem ignavia sit in causa, aut in eo vitæ genere versetur, quod eruditum hominem postulat, jam hoc ipso malus est, quod ignarus. Tu in publico ludo bonas litteras profiteris, & harum inscitiam prædicas? Tu libros audes scribere, in quibus nos à litteris dehorteris? Tu populo præfectus es, & quod doceas non vis discere? Quod si privatus sit, & eruditio non neglecta quidem, verùm non contigit, is sibi uni satisfaciat, sibi uni natus, sibi uni vivat, non fastidiendus à doctioribus, modo suam agnoscat imperitiam. Qui vero probitati eruditionem adjunxit, is tanto erit præstantior, utilior, ornatior, quanto id fecerit cumulatius: nunc nulli magis exercent tyrannidem, quam isti Apostolicæ simplicitatis histriones. Abbates indocti non patiuntur ut Monachorum quisquam attingat bonas litteras, quo magis illis quicquid collubitum fuerit imperent: malunt enim in belluas quam in homines habere imperium. Ptochotyranni cupiunt populum esse stultissimum, quo facilius imponant, & quidvis persuadeant, quoque magis superstitione teritent: nam eruditio fere liberat hominem superstitione.

MEDICVS: Tum Medicus: Vera sunt fere quæ narras, sed quandoquidem simplicium istorum causam semel suscepi, non patiar me prævaricatorem videri: nam tu *Batte*, quæ pro te faciunt, diligenter exponis: at quæ lædunt, dissimulas. Ad partitionem tuam redeo: Quid si litteratus sis, & idem malus, quonam in genere te ponemus? BATTVS: Imo si neque doctus sim, inquit *Battus*, & malus, quo in genere numerabor? Sed istuc ibam. Age, & quartum istud tribus *Hesiodi* generibus addamus, si placet: fieri enim potest, ut recta quis intelligat, nolit tamen intellecta sequi, ut optima sciat, pessima faciat. Sed mane, jam quid paraveris colligere, video: non est igitur bona eruditio, quæ malis contingat. Probe consequeretur, si malos facit mala est: aliud est eruditio, aliud virtus: ut qui bonus est, non continuo doctus est: ita qui doctus, non continuo bonus. Sed latius explicandæ rei gratia quatuor genera hominum statuamus. Loquor enim jam tibi, Medice, tanquam imperitorum patrono, tu causam tuorum clientum, ita ut cœpisti, tuere. Statuamus, inquam, utrinque binos, hinc duos, alterum doctum & malum, alterum indoctum & item malum, uter alteri præferendus videtur?

MEDICVS: Ac Medicus: Nempe is prior multo erit nequior, inquit. Atqui istuc ipsum sat est signi, non bonam esse litteraturam, quæ reddat nequiorem. Tuo te jugulo gladio. BATTVS: Equidem uter altero sit nequior, inquit *Battus*, vix ausim definire. Certe uterque accusandus mihi videtur: alter quod optimis rebus abutatur, alter multo fortassis amplius, quod ne scire quidem curaverit. Priorem tangit Prophetæ criminatio: *Sapientes sunt ut faciant malum, bene autem facere nesciunt.* Alterum æque *Davidica* illa: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Nam ex illitterata malitia nihil potest exspectari commodi, litterata malitia etsi sibi pernicioſa est, aliis tamen aliquid commodi afferre potest: Imperitiæ si mala mens accesserit, peccatur confidentius, pudetur minus. Imperitus quicquid magnopere cupit, id recte fieri putat. At eruditio tametsi pravas cupiditates omnino non prohibet, temperet tamen necesse est. Fieri enim non potest, ut qui honesti & inhonesti discrimen scite intelligit, non aliquando & turpitudinem exhorrescat, & virtutis speciem admiretur. Præterea qui doctus est, vel simulat honestatem, quod est virtuti proximum, indoctus ex vitiis suis etiam laudem sibi pollicetur. Ille morbum suum probe intelligit, quo sanabilior est: hic pene desperandus est, quod sibi sanus videatur. Illi ad virtutem arma sunt instructa, hic nihil ad virtutem habet adjumenti, verùm hoc ad nostram disputationem nihil interest. Donemus minus esse pernicioſam rusticam malitiam docta malitia, num igitur malæ litteræ? Imo vel hoc uno argumento sunt optimæ, ut telum, quo me jugulare parabas, in te retorqueam. Primum enim non adferunt malitiam litteræ, verùm additæ tanquam fax prælata, reddunt conspectiorem. Ut exempli causa, duos video adulteros, alterum cœlibem, conjugatum alterum: cum non dispar sit admissum, non par tamen culpa erit, nempe in conjugato turpior. Cur ita, an quia malum est conjugium? Minime quidem, verùm quo res sanctior est conjugium, eo gravior est noxia illud adulterio temerare. Qui rem sacram inuncarit, gravioris piaculi tenetur quam furti, nempe sacrilegio: ergo-ne profanum anteponendum? In Sacerdote gravioris est culpæ stuprum, quam in Laico, ergo-ne malum Sacerdotium? Quid ni? fecit nequiorem: imo nisi melius esset Sacerdotium, non faceret hoc pacto nequiorem. Quo namque res quæque erit sanctior, eo abutens erit turpior. Sed jam alteros duos componamus. Pone duos utrosque probos, & alterum rudem, alterum litteratum, uter utri anteponendus? Tergiversantur, hæsitant: modo, inquiunt, inveniatur doctus, & idem probus. Fateor quidem hujus generis summam esse inopiam, nam indoctorum & improborum magna ubique est copia. Verùm quid hæsitant, ubi nihil hæsitavit *Hieronymus*, qui libere, & plenis (ut ajunt) buccis sanctæ rusticitati sanctam eruditionem antepositit. *Daniel*, inquit, *in fine sacratissimæ visionis ait, justos fulgere quasi stellas, & intelligentes, id est, doctos, quasi firmamentum.* Vides quantum inter se distant, justa rusticitas, & docta justitia? alii stellis, alii cœlo comparantur. Idem paulo ante: *Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vita merito Ecclesiam, tantum nocet, si destruentibus non resistat.* Vere profecto *Hieronymus* hæc ut omnia: nam quo quodque bonum latius patet, eo præstantius sit necesse est. Qui vivit integre, magnam quidem ille rem agit, at sibi uni confert, aut certe paucis quibuscum victitat. Quod si hujus integritati doctrina accesserit, quanto jam pulchrius ac latius quasi face adhibita virtus pollebit? Si vero ejusmodi erit, qui possit pulcherrimas animi cogitationes mandare litteris, hoc est, si præterquam quod doctus, etiam disertus fuerit, hujus demum hominis utilitas latissime manet necesse est, nempe non ad convictores modo, non tantum ad æquales, non tantum ad finitimos, verum etiam ad peregrinos, ad posteros, ad ultimos Orbis incolas. Indocta probitas nisi scriptis posteritati commendetur, cum suo auctore demoritur. Doctæ eruditioni, non terræ, non maria, non seculorum longa series obstat, quo minus ad universos mortales pervolet. Nolo hîc invidiosam suscitare comparationem, plus-ne contulerit nostræ Religioni martyrum sanguis, an eruditorum hominum stylus. Non elevo martyrum gloriam, quam ne copiosissima quidem oratione quisquam assequi queat: at quantum ad nostrum attinet commodum, nonnullis etiam hæreticis plus prope debemus, quam quibusdam martyribus. Et martyrum quidem summa fuit copia, Doctores perpauci. Martyres moriendo Christianorum

Digitized by Google

norum numerum imminuerunt, docti perſuadendo, adauxerunt. In ſumma: Fruſtra illi pro Chriſti doctrina ſanguinem fortiter fudiſſent, nihil ab hæreticis eam ſuis litteris vindicaſſent. Quare non tam ingrata erit Chriſtiana Religio, ut bonas litteras, quas in rebus afflictis tam ſalutares experta eſt, nunc in pace rebuſque florentibus in exſilium extrudat, per quas & pacem & felicitatem ſit aſſecuta. Quo magis nonnullos demirari compellor, qui prudentes etiam eruditionem ſe fugere fateantur: nam quod ab Ethnicorum inventis abſtinere ſe dicunt, id quidem pluſquam inſanum eſſe jam demonſtravimus. An vero eſt aliquid, quod ajunt, inſolentiam ſeſe velle effugere? At vide ne iſta ſit non tam infirmi animi trepidatio, quam inertiæ fucus, culpam fingere, ubi culpa non eſt. Iſtos ego ita demum ſimpliciter erraſſe intelligam, ſi moniti ac correpti corrigantur: alioqui quænam erit iſta religio, minimi mali metu, in maximam incidere perniciem? Ita inepti dum muliebriter trepidantes, curioſitatis vitium ſtupent defugere, in diverſum, ſed multo perniciosius decidunt. *Fruſtra vitium vitaveris illud, ſi te alio pravum detorſeris*, ait *Horatius*. Male *Scyllam* effugeris, ſi in *Charybdim* incidas; male procellam declinaveris, ſi ad littoris ſcopulos navem fregeris. Hi ſunt quorum puerilem, ne dicam perverſam, trepidationem ſanctiſſimus ille & Regum & Prophetarum *David* notavit: *Illic*, inquiens, *trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Nam qui ſuperſtitioſe ventum obſervat, is nunquam ſe mari credet: & qui nubes anxie conſiderat, is metet nunquam. Quid autem perniciosius, quam illic metum fingere, ubi honeſtiſſimi ſint capiendi labores, hîc ubi ſummum & certum eſt periculum, ſupinum ſtertere? Illi inepta ſedulitate noſtris ex oculis curioſitatis feſtucam volunt educere, ipſi in ſuis ignaviæ trabem non ſentientes. Nos criminantur, quod pluſquam ſat eſt ſcientes, ſemper plura diſcere cupiamus, ipſi nec illa ſcire curant, ſine quibus nec homines ſumus, nec vivimus. Jam fac nos modum oblitos, utrum honeſtius eſt in rebus honeſtis ultra limites eſſe, an citra? Utrum præſtabilius excedere, an deficere? Verentur necubi in libris Ethnicis aliquid forte minus ſeverum tetricis auribus inſonet, nec verentur terrificam illam Domini vocem, *Serve nequam, quare non dediſti ad menſam pecuniam meam, & ego utique veniens cum uſura exegiſſem illam*. Adeo nihil æque averſatur Deus, ut ignaviam! Filium perditum, qui univerſam ſubſtantiam in ſcorta lenoneſque & popinas diſſipaverat, in gratiam lætus recipit: ſervum, qui talentum integrum etiam reſtituit, tam immaniter objurgat. Semina quædam bonarum artium indidit nobis parens Deus, intellectum, ingenium, memoriam, cæteraſque animi dotes, talenta ſunt ad uſuram credita, quæ ſi exercitatione ac ſtudio quaſi duplicaverimus, ut impigros ſervos Dominus reverſus laudabit, peculium eſſe ſinet: ſin acceptum talentum in terram defoderimus, quo tandem animo Domini redeuntis oculos, ora, vocem feremus, ubi cæteris pro accepta ſorte lucrum annumerantibus, nos inutile talentum referemus ignavi? Hîc erat cur trepidare merito potuiſſent iſti meticuloſi homines, non illic ubi commodi plurimum, periculi perparum.

Confutat auctoritates auctoritatibus.

Hiè cum *Battus* collectis oculis, aliquandiu interſiluiſſet, Deum immortalem! inquit, quantum diſputationis campum aperiri video, ſed ſit modus. Dextrum igitur cornu (ut arbitror) vel profligavimus, vel certe inclinavimus: urgent tamen hoſtes, & ſiniſtram alam infenſis animis admovent, ſacrarum Litterarum armis nos eminus cominuſque territant. Primum igitur erit, hoſtibus ſua tela eripere: deinde ſuomet ipſos, ut inquit Comicus, gladio jugulare. Rationibus cedere coacti, ad Eccleſiaſticas litteras confugiunt, & nobis occinunt, quod ipſi non intelligunt. Hîc mihi *Cato* neſcio quis, reducto mento, labiis porrectis, oculis ſtupidis, ſupercilio adducto, dextera prolata, læva cingulo injecta: Faceſſant, inquit, humanæ cavillationes, audiamus quid divina Scriptura jubeat. *Paulum* audiamus: *Non altum*, inquit, *ſapientes, ſed humilibus conſentientes*. Idem ſapere jubet ad ſobrietatem. Iterum alibi: *Noli altum ſapere, ſed time*. Rurſum alibi: *Qui ſe exiſtimat aliquid ſcire, nondum ſcit, quemadmodum oportet eum ſcire, & qui ſibi videtur ſapiens, ſtultus fiat ut ſit ſapiens*. Ad eundem modum Esaias: *Perdam*, inquit, *ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. Item divus Jacobus: *Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione*. Hujuſmodi aliquot ſententiolas homines ineptiſſimi in nos jaciunt, quas omnes recenſere, tum odioſum ſit, tum ad nihil utile, præſertim quod & eodem ſpectent, & eadem ratione diſſolvi poſſint, univerſa iſta quidem & jure & recte ſcripta. Verùm nos alio torquemus depravamuſque quæ recte dicta ſunt: ſiquidem ad noſtram tegendam ignaviam deflectimus, cum tam evidens ſit, ut (quod inquiunt) ſentiri poſſit manibus, hîs ſententiis non vituperari eruditionem, ſed admoneri nos, ne Mundi ſucceſſibus ſublatis animis, parum meminerimus Chriſtianæ modeſtiæ. Opes addunt criſtas, hîc metuendum quod monet *Paulus*, imo ad eos hæc pertinent, qui profecerunt in virtutibus. Neque tamen inficiabor, hæc ad eruditos quoque pertinere, verùm non omnes, ſed eos duntaxat, qui aut efferunt ſeſe, quod paulo ſint eruditiores, aut eis in ſtudiis vel immodici, vel intempeſtivi inveniantur, aut ſuæ ſententiæ tenaciores audeant ab Eccleſiaſticis opinionibus deſciſcere, aut certe alioqui bonis litteris abutantur. Inviſa eſt Superis, impia, ſuperba, impudica litteratura: Scimus iſtud, adde & mortalibus odioſa: merito in hanc fulminat Scriptura. Horreant & corrigantur, qui noxiam agnoſcunt, gaudeant immunes. Quid hæc ad imperitos, qui prope nihil didicere? ſcilicet hoc (credo) triumphant, quod egregie caverint, ne quicquam horum in ſe dici poſſit: neque enim reprehendi poteſt, quod male rem adminiſtret, cui nihil unquam rei fuit. Ridicule profecto, perinde quaſi iſtæ ſententiæ peritos litterarum magis quam imperitos feriant. Ita-ne in ſolos eruditos cadit, altum ſapere, at non multo maxime in ſtolidiſſimum quemque? Quid tandem eſt altum ſapere, alte doctum eſſe, an potius ſibi placere? Eis iſta canantur, non qui bene docti ſunt, ſed iis potius qui cum nihil didicerint, doctioribus imperare contendunt. Non ſtudioſis, ſed divitibus, inquit *Paulus*, non altum ſapere. Eruditis iſta non apte canuntur, ſtolidis iſta cantentur, qui alienam eruditionem faſtidiunt, ſuam ruſticitatem mirantur. Et quæ tandem eſt illa ſcientia animalis, diabolica? Utique quæ zelum amarum habet, quæ contentiones & ſimultates parit, quæ adverſus veritatem dimicat: hoc Apoſtoli ſentiebat animus, hoc ipſa ſermonis ſeries oſtendit. Quid ſimplicem Scripturam torquemus? quid invitam & reluctantem trahimus? Non hîc de litteris liberalibus, ſed de Theologicis quæſtiunculis agitur, quas nihil ad rem pertinentes, nonnunquam inter ſe pertinaciſſimis contentionibus agitant, quo ſtulto popello ſublimiter eruditi videantur, cum eruditio Chriſtiana neſciat ſupercilium. Quid autem iſtis contentioſius, qui cœlum terræ miſceant citius quam uſquam cedant? protinus hæreticum vociferantes, ſi quis ab illis diſſentiat.

Atque hæc quidem è Scripturis, quas appellant Canonicas, depromere ſolent: nunc pauca proferam, quæ de cæteris Scriptoribus arma ſoleant mutuari: at ne, juxta Græcorum proverbium, arenas metiamur, plurimos repetendo, unius *Gratiani* meminiſſe ſat fuerit, qui præter cæteros nos terrere poterat, ſi non auctoritate, certe voluminis immanitate. Nuper igitur cum è Schola *Pariſiorum* in patriam reverſus eſſem, in-

Digitized by Google

çidit mihi cum quodam concertatio, homine capitaliter noſtris ſtudiis infenſo, alioquin humano, comi, nec ineleganti, bello, lepido, feſtivo, & quod his virtutibus convenit, amatore ſtrenuo, potore invicto, comeſſatore aſſiduo, aleatore fortiſſimo, multiſque id genus virtutibus exornato. Accreverat mihi cum hoc *Sardanapalo* jam inde à puero conjunctior familiaritas, cui quidem adhuc tribuo, ut nomini parcam congerronis vetuſti. Conſuevit mihi, comicorum militum more, ſua jactare facinora, quot eadem in urbe haberet amicas, quoties & quibus artibus ad alienas uxores penetraſſet, quot rivales ſuperaſſet, quoties una nocte marem præſtare potuiſſet, quæ barathra bibendo quanta cum gloria viciſſet. Hæc erant hominis ſtudia, in his operam, curam, voluptatem, otium & negotium, in his felicitatem reponebat. Hujuſmodi nugis cum jam biduum mihi aures calfeciſſet, incidit inter prandendum, ut neſcio quid amœnius è Poetarum fabulis proferrem. Ibi homo ſui repente oblitus, novam quandam religionem cœpit aſſumere, exſecrari vero me quod Ethnicos illos & impudicos Auctores legerem, jam & ſerio hortari ut reſipiſcerem, ut illis relictis Eccleſiaſticos evolverem. Miratus ſum ſubitam hominis metamorphoſim, ex *Epicureo* mihi factum *Zenonem*. Rogabam quid ita cenſeret, & numquid ipſe eoſdem legiſſet? abominatus eſt perquam religioſe. Nunquam, inquit, in vita, nec attigi iſtos, nec attigero, ſic mihi Superi ſint propitii. Iſtud, inquam, vel citra jusjurandum facile tibi creditur. Sed quid tu illos tantopere fugis? nam ſi pudici ſunt, non habent cur vitentur: ſin impudici, quid ita fugitas eos qui eadem ſcribunt quæ tu facis? Cur non amplecteris potius tuarum virtutum præcones? ibi tuorum morum imaginem expreſſam agnoſces. Eho *Sardanapale*, non te pudet tandem cum iſtis factis mihi frontem iſtam oſtendere? An me vero tuam jubes religionem imitari, qui gravius flagitium putas Ethnicum librum attingere, quam uxorem non tuam permolere: potare, amare, conſtuprare virgines, tu ludum & pueriles nugas judicas, legere Poetam pro capitali flagitio ducis? Tibi licebit Ethnica flagitia deſignare, mihi non licebit Ethnicas litteras perdiſcere? Diſſimulavit homo bilem, dicens hujuſmodi cavillatiunculis lautum prandium non eſſe corrumpendum, poſt ſpatium pomeridianum duxit me tanquam officioſus in Bibliothecam publicam: ubi cum me videret homo *Ciceronianis* quibuſdam Dialogis, qui mihi forte in manus inciderant, attentius incumbere, tandem irritatior *Gratianum*, quem unum legerat, mihi objicit. Jam, inquit, te confutabo planiſſime. Commonſtrat diſtinctionem triceſimam octavam, in qua de liberalibus diſciplinis neſcio quæ quæſtio tractatur: at ita tractatur, ut pariter omnia in dubium vocentur. Quod quam ſit abſurdum quis non videat? Jubeo pronuntiet, vix legebat, tantum aberat ut recte intelligeret: *Epiſcopus Gentilium libros non legat, hæreticorum autem perlegat pro neceſſitate ac tempore.* Rogabam hominem quid ſibi vellet *pro neceſſitate ac tempore*. Ait ſi forte contra hæreticum aut diſputandum eſſet aut ſcribendum. Et quid, inquam, ſi idem contra Ethnicum uſu veniat? Quid ſi nec Theologorum libros intelligere queas? Non jam vides oriri neceſſitatem? Non placebat ratio, juſſi pergeret legere. *Nonne videtur in vanitate ſenſus & obſcuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur, qui phyſicus perſcrutator oculos trans cœlum levat*, & cætera quæ ſequuntur. Item illud, *Sicera inebriantur, qui abutuntur ſcientia ſeculari & Dialecticorum tendiculis.* Hic ego, Et non vides, inquam, *abutuntur* dictum, non autem *habent*, ut intelligas ſapientiæ ſecularis plane uſum quendam eſſe, neque vetitum, neque otioſum? Poſt multa congeſta, ita ſuo more doctiſſime colligit *Gratianus: Ex quibus omnibus concluditur, quod non eſt ab Eccleſiaſticis ſecularium litterarum quærenda peritia.* Jam perinde ac ſi debellatum eſſet, ita cœpit ineptus ſe ad triumphum præparare, vix exoravi ut paucis me auſcultaret. Et non intelligis, inquam, hanc ipſam collectionem contra te vehementer facere? Primum non mirandum fuiſſet, ſi homo ſecularium litterarum ignarus eas condemnaſſet, præſertim in hac parte ubi veſtigandi gratia, data opera, adverſus illas pugnat. Nec tamen auſus eſt concludere, interdictam eſſe Eccleſiaſticis Ethnicam litteraturam, verùm non eſſe quærendam, fruſtra enim ibi quæras ubi minime ſit, ſed extra jocum quærendam, id eſt, exigendam. Non hoc igitur in quæſtionem vocatur, ſit-ne Eccleſiaſticis conceſſa eruditio ſecularis, ſed an ſit exigenda: non an habere, ſed an carere liceat. Adjecit *Eccleſiaſticis*, ne quid dubites, hanc à Scholaſticis prorſus exigendam. Vobis ignoſcitur ſi caretis, nos ſi careamus, damnamur. Vides igitur quod tua iſta concluſiuncula pro nobis faciat, ſed mane pauliſper etiam nunc, accuſationem audivimus, defenſionem audiamus, nondum ſatis pernoſti *Gratianicam* eloquentiam: de unaquaque re non in utramvis, ſed in utramque partem diſputat, & quidem pari copia, parique facundia: quod idem olim *Gorgiam* & *Carneadem* feciſſe legimus. Nunc hujus palinodiam audi. Juſſi paginam evolvi, conſequuntur enim illa: *Sed è contra legitur, quod* Moſes & Daniel *omni ſcientia* Ægyptiorum & Chaldæorum *eruditi fuerunt.* Et poſt pauca: *turbat acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis ſecularibus libris omnibus modis exiſtimat prohibendos, in quibus ſi qua inventa ſunt utilia, quaſi ſua ſumere licet, alioqui* Moſes & Daniel *ſapientia* Ægyptiorum & Chaldæorum *non paterentur eruditi*, & alia quæ ſequuntur. Rurſum paulo inferius ex *Ambroſio: Si quis artem noverit Grammaticam, vel Dialecticam, ut recte loquendi rationem habeat, & inter falſa & vera dijudicet, non improbamus.* Mox de eodem: *Qui de vino & menſa Regis nolunt comedere, ne polluantur: utique ſi ſcientiam* Babyloniorum *ſcirent eſſe peccatum, nunquam acquieſcerent diſcere quod non licebat.* Et iterum aliquanto inferius ex Synodo *Eugenii* Pontificis: *De quibuſdam locis ad nos refertur, neque Magiſtros neque curam inveniri pro ſtudio litterarum: idcirco ab univerſis Epiſcopis ſubjectis plebibus & aliis locis, in quibus neceſſitas occurreret, omnino cura & diligentia habeatur, ut Magiſtri & Doctores conſtituantur, qui ſtudia litterarum liberalium artium dogmata doceant, quia in his divina maxime manifeſtantur atque declarantur mandata.* Hæc ubi oſtendiſſem, rogabam, nunquid pœniteret *Gratianum* objeciſſe rhetorculo? Nunquam, inquit, iſta antehac animadverti. Nec miror, inquam, ſi non capis venatu, quæ minime venaris: quæ pro te faciunt ea demum excerpis: quæ pro tua cauſa facere videntur legis, nec perlegis nec intelligis ea quæ legis: quod non ita tibi eveniret, niſi tam in fugiendis litteris Ethnicorum eſſes religioſus. Audiſti modo à ſanctiſſimo Concilio cautum eſſe, ut omnibus in locis comparentur, qui liberales diſciplinas doceant, & quidem aſſidue. Nulla autem ex liberalibus diſciplinis Chriſtiana eſt, quia neque de Chriſto agunt, neque à Chriſtianis inventæ: ad Chriſtum autem omnes referuntur. Nec eſt quod tergiverſeris, nullam artem excepit, non Rhetoricen, non Poeſin, omnes in genere edicti forma complectitur, niſi cavillaberis Poeſin liberalem non eſſe, ut quæ in ludis trivialibus inter eas non numeretur. Ego vero contemta iſta præſcriptione, non liberalem modo, verum etiam liberaliſſimam judico, quippe quæ liberis olim non inter cæteras, ſed ante cæteras tradi conſuevit. Obmutuit meus Jureperitus, jubeo reliquos ſuos Auctores oſtendat, recuſat. Ipſe à Decretis ad Decretales Epiſtolas duco, titulum de Magiſtris oſtendo, ubi diligenter cavetur de parandis Linguarum doctoribus: cum iſti Chriſtianum non putent, niſi ſit elinguis. Hinc itur ad *Antonini* Summam, ad *Piſanam*, ad *Aſteſanam*, ad *Angelicam*, cæteroſque non Auctores modo, ſed congeſtores: omnes fere eandem cantilenam canunt, & *coccyx coccyci ſuccinit.* Eſt enim huic Scriptorum generi moris nihil ſuum ponere, ſed diverſorum dicta hinc atque hinc decerpta congere,

Digitized by Google

rere, non modo diversâ, verum etiam aliquoties inter se pugnantia: sat habent coacervasse, cæterum onus judicii lectori relinquentes. Cui ubi jam longa lectione cerebrum vertigine rotari, & caligare acies cœperit, non multo certior surgit, quam *Demipho* ille *Terentianus*, qui ex tribus Advocatis consultis, cum unus suasisset, alter negasset, tertius deliberandum censuisset, *Fecisti*, inquit, *probe: incertior sum nunc multo quam dudum.* Horum igitur odiosas disputationes cum jam complures legissemus, huc evadebant omnes, Ethnicarum litterarum usum nemini vitio verti, imo laudi potius ducendum: verùm abusum pernicioſum esse, eoque vetitum, id quod nemo puerorum nesciebat. Jam mitis erat, sed libebat hominem paulisper eludere, rogabam nuncubi in suo *Gratiano* legisset, licere viris Ecclesiasticis amare, potare, scortari, mœchari? negabat. At ista jam vulgo faciunt, & dormiunt Decreta: nobis, qui Oratores & Historicos Ethnicos legimus, objiciuntur. Sed obsecro te, quandoquidem tibi morem gessi, mihi jam mutuam operam redde, & meos Theologos paulisper consulamus. *Hieronymum* aperio, locum forte obvium ostendo, ubi de muliere captiva disputat, cum eruditionem profanam vir doctissimus & apte & festive interpretatur: *Quid ergo*, inquiens, *mirum si & ego sapientiam secularem propter eloquii venustatem & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiva* Israelitidem *facere cupio, & si quid in ea mortuum idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel pracido, vel rado, & mixtus purissimo corde vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth. Labor meus in familiam* Christi *proficit, stuprum in alienam, numerum auget conservorum.* Neque orationis metaphoram, ne vocabula quidem intelligebat: *ancillam* ministram domesticam putabat, *vernaculos*, quo sane vocabulo *Hieronymus* elegantissime usus est, quid sibi vellet, nihil potuit suspicari. Hic jam, inquam, ulciscuntur contumeliam in se admissam litteræ seculares. Erat autem locus in ea Epistola inprimis nobili, quam ad *Magnum* Oratorem inscripsit, an scripserit nescio, in qua vir sanctissimus, sicubi alias sententiam invidiæ placandæ gratia vafre dissimulavit, hic certe non perplexe proloquitur. Repetamus, inquam, à capite: non enim perlonga est Epistola: *Quod autem quæris in calce Epistolæ tuæ, cur in opusculis nostris secularium litterarum interdum ponamus exempla, & candorem Ecclesiæ Ethnicorum sordibus polluamus: breviter responsum habeto, nunquam hoc quæreres, nisi te totum* Tullius *possideret, si Scripturas sanctas legeres, si interpretes earum omisso* Vulcatio *evolveres. Quis enim nesciat & in Mose, & in Prophetarum voluminibus quædam assumta de Gentilium libris, &* Solomonem *Philosophis* Tyri *& proposuisse nonnulla, & aliqua respondisse. Unde in Exordio Proverbiorum commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, & obscurum sermonem, dicta sapientum, & anigmata, quæ proprie Dialecticorum & Philosophorum sunt.* Pauloque inferius *Paulum* collaudans: *Ac ne parum hoc esset*, inquit, *doctor Christiani exercitus, & orator invictus pro* Christo *causam agens, inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei. Didicerat enim à vero* David, *de manibus hostium extorquere gladium, &* Goliæ *superbissimum caput proprio mucrone truncare. Legerat in Deuteronomio, Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos & ungues corporis amputandos, & sic eam habendam conjugio.* Deinde post ea verba, quæ paulo superius recitavimus: *Osee*, inquit, *accepit uxorem fornicariam* Gomer *filiam de* Balam, *id est, dulcedinum; & nascitur ei de meretrice filius* Israel, *qui vocatur semen Dei.* Esaias *novacula acuta, barbam & crura radit peccantium. Et* Ezechiel *in typo fornicantis*, Hierusalem *tondet cæsariem suam, & quicquid in ea absque sensu & vita est, aufertur.* Horum me legente cum ille nihil intelligeret, rogabat quorsum ista omnia spectarent. Eo, inquam, ut nullas Ethnicas litteras fugiamus, sed repurgatas, ad Christianorum eruditionem transferamus: quod si tu feciſſes, non hic marmoreus adstares. Quod autem repurgatas dixi, non ad scientiam, sed ad opinionem referri volo. Non enim Ethnicorum Philosophorum errores legere pernicioſum est, sed eos Ecclesiasticis disputationibus immiscere, non confutandi, sed approbandi gratia, id vero nequaquam licuerit. Deinde illustrium Scriptorum catalogum texit, tum Græcorum, tum Latinorum, & Græcorum quidem hoc elogio claudit: *Qui omnes in tantum Philosophorum doctrinis atque scientiis suos refarciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum.* Latinorum ita concludit: *De cæteris vel viventibus, vel mortuis taceo, quorum in scriptis & vires manifestæ sunt, & voluntas.* Mox callidam imperitorum calumniam excludens, addit: *Nec statim prava opinione fallaris, contra Gentiles hoc esse licitum, in aliis disputationibus dissimulandum, quia omnes pene omnium libri, exceptis iis qui cum* Epicuro *litteras non didicerunt, eruditionis doctrinæque plenissimi sunt.* Mordax quidem illud, quo Epistolam claudit, sed plane barbarorum stultitia dignissimum, *Cui quæso*, inquit, *ut suadeas, ne vescentium dentibus edentulus invideat, & oculos caprearum talpa contemnat.* Ostendi & eam Præfationem, quam Exodo præposuit, in qua adeo non dissimulat, ut etiam nominatim prædicet artes liberales: *Taceo*, inquiens, *de Grammaticis, Rhetoribus, Philosophis, Geometris, Dialecticis, Musicis, Astrologis, Medicis, quorum scientia mortalibus* (quid hic exspectas dicturum *Hieronymum?* Pestifera est?) *vel utilissima est*, inquit. Rogabam ecquid hæc placerent: cum tantum ac talem habeamus Auctorem, exoriere tu nobis, & nescio quod glossema è tuis barbaris Auctoribus contra liberalem eruditionem objicies? Astrologiam vestra decreta damnant, at *Hieronymus* approbat disciplinam & prope curiosam, & ad pauca utilem. Quid igitur de Rhetorica, de Poetica sensisse credis? Commonstravi homini ejusdem *De viris illustribus* Opus, ubi in permultis Scriptoribus miratur eloquentiam, prædicat Poetarum Philosophorumque cognitionem, effert litteraturam secularem. Quæ si pestifera esset, non tam diligenter eam in Auctoribus Ecclesiasticis vir piissimus commemoraret. In ejusdem opusculi Præfatione tantum abest ut improbet, ut etiam adversus Ethnicos & hæreticos magnifice jactare sit ausus, Christianorum in Ethnicis litteris præstantiam: *Discant ergo*, inquit, Celsus, Porphyrius, Julianus, *rabidi adversum* Christum *canes, discant sectatores eorum, qui putant Ecclesiam nullos Philosophos & eloquentes, nullos habuisse Doctores, quantique & quales viri eam fundaverint, instruxerint, adornaverint, & desinant fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere, suamque imperitiam potius recognoscant.* Non pudet, inquam, te Christianum, objicere Christiano, & quidem laico, quod *Hieronymus* non dubitavit apud hostes gloriari vir Ecclesiasticus, jam sanctitatis opinione celebris, postremo Monachus, & eremi cultor, præsertim ea tempestate, cum Christiana adhuc Religio cum Ethnicis conflictaretur? Si mala est eruditio secularis, nihil *Hieronymo* stultius, qui hoc apud adversarios jactat, quod illi pro summo crimine poterant retorquere: verùm de compotore meo jam nimium.

Ad cætera properabimus, si prius alterum testem citaverimus: nam nunc decrevi contentus esse duobus, gravissimis tamen. *Aurelius Augustinus*, vir sanctimonia juxta ac eruditione singularis, tum arctæ adeo, ne dicam meticulosæ conscientiæ, ut sæpenumero mihi (bona venia tanti viri dixerim) abs re trepidare videatur, id quod tum ex ejus vita, tum ex *Confessionum Retractationumque* libris conjicere proclive est: Is, inquam, talis vir, utique litteraturam secularem, ut vocant, dissuasisset, si aut noxiam, aut otiosam, aut suspectam habuisset. Hic in iis libris, quos *de doctrina Christiana* inscribit, proponit duo genera doctrinarum, *Qua in Gentibus etiam*, inquit, *moribus exercentur*, id est, Ethnicorum, vel, ut isti dicunt, se-

cularium: *unum eorum quas instituerunt homines: alterum earum, quas animadverterunt, aut jam peractas aut divinitus institutas. Illud*, inquit, *quod est secundum constitutiones, partim superstitiosum est, partim superstitiosum non est.* Sed ne omnem disputationem, quæ verbosissima est, repetam, verbis illius omissis, rei summam paucis amplectar. Sub hoc ultimo genere, quod superstitiosum appellat, maleficia, incantationes, excantationes, sortilegia, aruspicia, auspicia, auguria, necyomantiam, pyromantiam, alphitomantiam, hydromantiam, geomantiam, chiromantiam, & id genus alia comprehendit: hæc quia Pythonum sunt & maleficorum, nec sine commercio sceleſtorum Spirituum exercentur, jure Christiano fugienda censuit. Illas quoque observationes, quod plurimum habeant & anxietatis & vanitatis, huic generi annumerat: qualia sunt visorum & insomniorum interpretatio, extorum inspectio, volatus avium cantusque, monstrorum, tonitruum, fulgurum, siderum, sortium, sternutamentorum, mustelarum, murium occurrentium, aut stridentium, aut aliquid arrodentium, aurium tinnientium, oculorum salientium, foliorum crepitantium, nominum & imaginum & his similium nugarum observatio. Sub altero genere, id est, ab hominibus quidem instituto, minime tamen superstitioso, hæc fere collocat, characteres, vocabula rerum, consuetudinem loquendi, leges, plebiscita, & si qua id genus sunt alia: hæc enim non modo non reprehendit, verum etiam Christiani hominis interesse putat, ut hæc quam maxime scire curet. In primo genere, id est, annotatis, omnes fere liberales disciplinas collocat, Logicen, Rhetoricen, Physicen, Arithmeticen, Geometriam, Astronomiam, Musicam, Historias denique, & Antiquitatis cognitionem. At ne de singulis quidem pigebit divi *Aurelii* sententiam pronuntiare, modo ne vos audire pigeat. De Grammatica quidem dilucidius est, quam ut in eo debeat disputari, porro quod ad Dialecticen attinet Libro *de doctrina Christiana* secundo, Capite (si bene commemini) vigesimo, de dialecticis rationibus, de veritate, de falsitate connexionum, de consequenti & inconsequenti, de repugnanti, de definiendo, de partiendo, verbose & curiosiuscule suo more disputat, petitis etiam è divo *Paulo* connexionum formis, sic enim appellat, ut nos si Dialecticen ignoremus, docere voluisse videatur. Hanc disciplinam in ipso disputationis capite his verbis commendat, nam puto me ea ut nuper relecta posse reddere: *Sed disciplina*, inquit, *disputationis ad omnia genera quæstionum, quæ in Litteris sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet, tantum cavenda est ibi libido vincendi.* Pauloque inferius: *Sunt etiam connexiones rationcinationis*, inquit, *falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius cum quo agitur, quæ tamen ad hoc inferuntur à docto & bono homine, ut his erubescens ille, cujus errorem consequuntur, eundem relinquat errorem, quia si in eodem manere voluerit, necesse est ut etiam illa quæ damnat, tenere cogatur.* Hæc de Dialecticis. Pro Poetis & Rhetoribus, quæ multa dixit, hîc consulto prætereo, suis ea locis redditurus. Cæteras autem artes minutiores quidem illas, attamen acutas, ut *Quintus Fabius* Oratori, ita *Aurelius* Theologo putat non mediocriter conducere, & quidem de Musica hæc fere sunt quæ tenemus: *Et numerum*, inquit, *& Musicam plerisque in locis in Scripturis honorabiliter posita invenimus. Non enim audiendi sunt errores Gentilium superstitionum, qui novem Musas* Jovis *&* Memoriæ *filias esse dixerunt.* Deinde, auctore *Varrone*, unde ea sit fabula nata aperit, subjiciens: *Sed sive se ita habeat, quod* Varro *retulit, sive non ita, nos tamen propter superstitionem profanorum non debemus Musicam fugere, si quid inde utile ad intelligendas Scripturas rapere potuerimus.* De Arithmetica hoc est disputationis initium, *Et numerorum etiam*, inquit, *imperitia, multa facit non intelligi, translate ac mystice posita in Scripturis.* Omnes harum disputationum ambages, quæque de Geometria & Astronomia in eundem fere modum disputat, parvi refert meminisse. Porro Physicen in primis ad sacrarum Litterarum cognitionem necessariam arbitratur, quod passim scateat vocabulis tum animantium, tum herbarum, tum lapidum, quorum omnium nisi monstratrice Physica, vim naturamque teneas, temerarius videberis, si ea coneris interpretari. Et hujus quidem loci hoc est caput: *Rerum autem ignorantia facit obscuras, figuratas locutiones, cum ignoramus vel animantium vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumve rerum, quæ plerunque in Scripturis similitudinis alicujus gratia ponuntur.* Cætera idem & apte & erudite prosequitur. Porro de Philosophis quid tandem, penes quos beatæ vitæ professio potissimum est? mirum ni istos legendos negabit: qui cum se veri magistros ut omnium rerum peritos profiteri sint ausi, omnium errorum auctores exstiterunt, è quorum disciplinis nulla fere non hæresis nata est nobis, quorum contortis enthymematibus, quasi quibusdam arietibus, Christianæ fidei mœnia toties sunt pulsata: audite & quid de his dicat vir æquissimus: *Philosophi autem*, inquit, *qui vocantur, si qua forte vera & fidei nostræ accommodata dixerunt, & maxime* Platonici, *non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam injustis possessoribus, ad usum nostrum vindicanda.* Et quod sequitur, non injucundum de *Ægyptia* supellectile, utinam vobis verba ipsa possem annumerare, sed tamen bona cum fide appendam. *Legimus*, inquit, *in Exodo*, Hebræos, *cum duce* Mose *ab* Ægyptia *servitute furtim fugam molirentur, plurimam omnis generis supellectilem, immensam vim signorum, vestium, vasorum, à suo quemque vicino commodato sepisse, itaque spoliatis* Ægyptiis, *demigrasse clanculum: quam fugam, quod furtam, quia Deo auctore patratum novimus, aliquid portendere creditur: scilicet jam tum divina providentia quorundam trepidationi consulebat, qui fortasse* Ægyptum *spoliare, hoc est, Ethnicorum sapientiam usurpare timuissent, nisi hujus rei tantum temperatum, tantum ductum, tantum exemplum habuissent. Migrat ex* Ægypto, *qui relictis superstitionibus profanis, ad Christianam Religionem se se convertit. Ægyptias opes tollit, qui litteras Ethnicorum ad nostra fidei dogmata & usum transfert.* Si ridebunt barbari interpretem, jure id facerent, nisi divi *Augustini* non meum interpretamentum protulissem: *Ut enim*, inquit, *olim* Hebræi *ea quæ sibi usui fore judicassent rapuerunt, relictis iis, quæ aut molesta, aut inutilia, aut profana existimassent: ita nos oportet sua quidem Ethnicis vitia relinquere, superstitiones, libidines, cupiditates, hæc, inquam, apud dominos relinquenda. At si quod sapientia aurum, si quod eloquentia argentum, si qua bonarum litterarum supellex penes illos erit, eam omnem convasare, & in nostros usus accommodare debemus, nihil furti calumniam veriti, quin potius pulcherrimi etiam facinoris & laudem & præmium sperare ausi.* Hîc rursus, ne nodum in scirpo quærentes cavillari inciperemus, quæ sint Ethnicis pro perniciosis relinquenda, quæ pro utilibus transferenda, *Augustinus* de sua partitione nihil excipit, præter ea quæ superstitiosa nominat. Cæterum à sua illa divisione non recedens, & hoc suo more, auro atque argento eas disciplinas sibi videri signatas scripsit, quæ essent ab ingeniis humanis animadversæ, sicut Dialecticen, Rhetoricen, Physicen, Historiam, & id genus plura, quod hæc homines non ipsi quidem produxissent, sed tanquam aurum & argentum de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruissent. Vestes autem *Ægyptiorum* interpretatur disciplinas à mortalibus quidem institutas, sed vestium in morem accommodatas humanæ Societati, puta leges loquendi, plebiscita, decreta Pontificum, quæ quidem omnia quoniam plurimum habent usus, ab Ethnicis quoquo pacto rapienda censet. Postremo festivo exemplo rem & confirmat & locupletat: *Quod*, inquiens, *fecerunt multi boni nostri fideles. Nonne adspicimus quanto argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, doctor suavissimus, &*

& martyr beatiſſimus? quanto Lactantius? *quanto* Victorinus, Optatus, Hilarius? *ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Graci? Quod prior ipſe fideliſſimus Dei famulus* Moſes *fecerat, de quo ſcriptum eſt, quod eruditus fuerat in omni ſapientia* Ægyptiorum. *Quibus omnibus viris ſuperſtitioſa Gentium conſuetudo, & maxime illis temporibus, cum* Chriſti *recutiens jugum perſequebatur Chriſtianos, diſciplinas, quas utiles habebat, nunquam commodaret, ſi eas in uſum colendi unius Dei, quo vanus idolorum cultus exſcinderetur, converſum iri ſuſpicaretur.* Hæc quidem è pluribus pauca, ut potui breviſſime, perſtrinxiſſe ſatis putavi.

Cæterum ſexcentos citare teſtes poſſem, ni & veſtris parcerem auribus, & horum duorum ea eſſet auctoritas, ut tam ſacris, tam eruditis viris nolle accedere ſumma ſit impietas. Sed ita Ethnicis abſtinent barbari, ut ne ſacros quidem attingant, aut ſi tangunt contaminent. Imo quod indignius eſt, jam *Hieronymum* non in Theologorum numero, ſed Oratorum ponunt, atque è ſuo ſacroſancto ſenatu depulſum Grammaticis annumerant, ipſi neſcio quorum confuſiſſimis collectaneis ac ſummulis inſeneſcunt, nihil eruditum exiſtimantes, niſi quod idem ſit barbarum. Et cum tantos duces utcunque ſequamur, veniant & Apoſtolicum nobis illud cantitent, *non altum ſapientes, ſcientia inflat.* Si Theologi videri cupiunt, quin illud potius proferunt: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columba*, non ſicut aſini, tardi, inertes, ignavi. Cur non illud: *Malitia parvuli eſtote, ſenſibus autem perfecti.* Cur non illud: *Sapientia vincit malitiam, & ſapientiam ſtulti deſpiciunt.* Cur non illud *Davidicum* adferunt: *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me Domine.* Cur non illud Eccleſiaſtici ſapientis: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſervabit, & in verſutias parabolarum introibit. Occulta proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur. In medio magnatum miniſtrabit, & in conſpectu præſidis apparebit. In terram alienigenarum pertranſibit, bona & mala in omnibus tentabit.* In eo Libro, qui dubio auctore *Sapientia* inſcribitur, quanta laus eruditionis, ut quod graviſſime à *Platone* ſcriptum eſt, ſapientiam incredibili eſſe ſpecie, quæ ſi oculis videri queat, admirabiles ſui ſit excitatura amores, hic quiſquis fuit Scriptor non infacundus, ſapientiæ quaſi quandam effigiem expreſſiſſe videatur, quo nos ad illius amorem accenderet. At negaverit quiſpiam hîc ſecularem laudari ſapientiam, verùm aliam quandam cœleſtem ac divinam: imo certe eam, quæ ſit noſtri temporis Philoſophiæ pars difficillima, quæ omnium rerum tum divinarum, tum humanarum cognitionem copularit. Mentior niſi id ipſa verba ſonant: *Deus*, inquit, *dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam, ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutem elementorum, initium & conſummationem & medietatem temporum, & eorum mutationes, diviſiones temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque ſunt abſconſa & improviſa, didici.* His ſane verbis deſcribi mihi videtur, non perturbata quædam & jejuna eruditio, ſed polita & copioſa, & quæ præter omnium diſciplinarum ſcientiam plurima ſit antiquitate condita. Capite inſequenti multo ſignificantius exprimit, virtutem cum eruditione liberali conjunctam, vocari ſapientiam: *Et juſtitiam*, inquit, *qui plus diligit, labores hujus magnas habent virtutes: ſobrietatem enim & ſapientiam docet, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus. Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat, quis ſcit præterita, & de futuris æſtimat, ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna & monſtra ſcit antequam fiant, & eventus temporum, & ſeculorum.* Sed in hac re tam clara, pro ipſa quidem nimio plus ſatis, pro iſtorum pertinacia parum, quanquam quid fruſtra rem infinitam perſequar, cum ex unoquoque Auctore permulta loca depromi poſſint?

Nec inficias iero tamen, eoſdem ipſos nonnullis in locis perinde diſſerere, ac ſi à ſeculari doctrina nos conentur dehortari, & ita rhetorica contentione incandeſcant contra curioſam, ſuperbam, ventoſam, obſtinatam eruditionem, ut non in abutentium vitium, ſed in rem ipſam invehi videantur. At non venit in mentem iſtis, ea ipſa, quæ contra doctrinam diſputata videntur, non à doctiſſimis modo viris, verum etiam doctiſſime diſputata eſſe. Quonam igitur ore à litteris ſecularibus dehortentur, cum ipſi in ea dehortatione ſecularem litteraturam exhibeant, ut interim nobis jus fiat hoc verbo utendi: ſed vitiis noſtris libenter blandimur. Dic mihi tu marmorea ſtatua, & fruges conſumere nate, ita-ne credis ſummis illis viris, & in omni litterarum genere conſummatiſſimis, cordi fuiſſe, ut tuam illam ſupinam oſcitationem atque ignaviam prædicarent? Dictum eſt recte, nempe ad deterrendos curioſos ab nimio, ab inani ſtudio, ab intempeſtivo: dictum eſt ad compeſcendam arrogantiam: dictum eſt fortaſſis ad conſolandam ſimplicitatem columbinam, non ad fovendam ſtoliditatem aſininam. Quid tu geſtis? quid triumphas inepte? quid alio torques ac dicitur? Audiſti notari peritiam impiam? quid tu tibi plaudis, quaſi pietas ſit imperitia? Si Deus reprobat ac perdit prudentiam hujus ſeculi, ſtultitiam ſeculi amabit ſcilicet? Nihil profecto minus, imo pejus oderit. Damnatur is qui doctus ignarum faſtidit: tu tibi places, quod doctos ignarus contemnas ac judices. Ille reprobus habetur quod virtutis negligentior abutatur ſcientia, te iiſdem vitiis ornatum & fortaſſe pluribus, una abſolvet inſcitia? Hic accuſatur, quod omiſſis Euangeliis plurimus ſit in evolvendo *Ariſtotele*, tu culpa vacas, qui ne Euangelia quidem intelligis, imo adeo nec legis? Ille ſciens voluntatem Domini, plagis vapulabit multis, tu neque faciens, neque ſcire curans, num paucis vapulabis? Ille ſedulitate quadam modum officii egreſſus caſtigatur, tu tua non contentus inertia, & aliorum induſtriam impediens laudaberis? Sed ut aliquando meæ loquacitatis modum faciam, & ſtomachum efferveſcentem cohibeam, nunquam iſta nobis objicerent imperiti, ſi relicta oſcitatione ſua ſacris Litteris legendis invigilarent.

Hîc cum *Battus*, brevi interjecto ſilentio, nos familiarius eſſet intuitus, Bone Deus! inquit, jam prope exciderat apud quos dicerem, ita neſcio quo furore correptus, in præſentes hoſtes mihi viſus ſum debacchari. Equidem tam diſertarum aurium patientiam admiror, quæ me puerili more tot verba fundentem, tam diu ferre queant. ERASMVS: At ego jamdudum, inquam, admiror mecum, quanquam orationem currentem interpellare nolui, qui tot verſus è tot Eccleſiaſticis Auctoribus, tam apte, tam ad verbum reddere valueris, quod quidem à ſummo Theologo tam ſcite fieri poſſe vix crediderim. Deſino enim jam mirari, quod Medicus dudum, te hominem Muſis penitus devotum, Theologorum libros evolviſſe: tantum memoria complecti potuiſſe mirandum videtur. GVILHELMVS: Et nos, inquit *Guilhelmus*, neſcio quo tua diſputatio impetu abripuerat ſuo: itaque propera quæſo, ac periculum facito, utrum nos prius dicendo, an nos te audiendo ſuperemus. BATTVS: Tum *Battus* mihi arridens, Non fruſtra, inquit, tuum calamum metui, jam enim mihi ſubolet, quid animo deſtines. Nugas noſtras vis prodere, & de veriſimili laboras: vereris enim, ne ubi hunc noſtrum ſermonem litteris mandaris, (ſentio enim te id velle) exſiſtat aliquis, qui te Dialogum *Platonico* aut *Ciceroniano* more finxiſſe putans, neque decorum, neque probabile ſatis obſervaſſe calumnietur, qui me & adoleſcentiorem & Poetam tantum Eccleſiaſticarum litterarum memoriter reddentem feceris. Sed nihil eſt quod mireris, ſi homo non prodigioſa quidem, ſed tamen haud maligna præditus memoria, quæ legi tanto intentius, quanto irritatior, quæ decerpſi, quæ toties contra barbaros depromſi, pauca potuerim memoria complecti. Age jam ad certamen, ad quod me provocavit *Guilhelmus*, accingamur. Quo-

Digitized by Google

niam adversarios, inquit, primum rationibus, deinde testibus revicimus, unicum illis profugium superest, exempla quorundam probatioris vitæ, quos aut citra eruditionem doctos habitos, aut virtutis studio litteras contemsisse objiciunt, à quo illos præsidio si ejecerimus, reliquum est, ut aut in deditionem veniant, aut certe fuga turpissima victos se profiteantur. Age, accingamur certaminis hujus reliquias profligare. Videtis, inquiunt, fidem Christianam non à Physicis, non à Dialecticis, non à Poetis, non à Rhetoricis Auctoribus ortam, sed à rusticis hominibus, indoctis, rudibus, denique piscatoribus: non è *Platonica* Academia, non è Porticibus *Stoicorum*, non è Scholis Peripateticorum, Apostolos vocatos novimus, sed à navi & rete, neque *Christus* ludos Rhetorices aut Dialectices aperuit, sed tantum vivendi præcepta tradidit. O sacrilegam impudentiam! audent rusticos dicere Apostolos quo suam rusticitatem tueantur, digni vero, quos ut pie sibi deditos ament Apostoli! Adeo nihil istorum refert, unde inertiæ suæ patrocinium sint nacti, vel cum sacri Ordinis injuria. Dic mihi, os pestilens, & ferro inurendum, rusticos ais fuisse Apostolos? Ajo, inquit, alioqui in quo tandem ludo didicerunt, qui repente sunt à piscatione ad Apostolatum missi? Num à gubernaculo scalmi protinus ad gubernacula Mundi evecti sunt? Quorsum igitur pertinuit, non *Platonem* aut *Chrysippum*, aut alium Philosophum aliquem, sed ipsum Philosophiæ parentem tantum temporis sectari præceptorem, audire disputantem? videre monstra gerentem, convivere assidue, assidue colloqui? Eam Philosophiæ vim esse scripsit *Seneca*, ut non sibi studentes modo, verum etiam conversantes, juvet. *Ut qui*, inquit, *in Solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur.* Qui in unguentaria taberna resederunt, & paulo diutius sunt commorati, odorem loci secum ferunt. At Apostoli cum ipso scientiæ fonte tam diu commorati, tam familiariter tam avide versati, inscii æque ac rustici permansere, neque tam sedula tanti præceptoris opera quicquam confectum est? Lusit operam, qui bovem duxit ad ceroma. Ut resurrexerat, quadraginta dies in terris moratus, subinde discipulis suis apparuit, monuit, docuit, parum erat hoc quoque. Ipse in cœlum relatus Paracletum dimittit, qui nihil illos jam nescire pateretur. Et audent post hæc omnia homunciones rusticitatem objicere Apostolis, objicere quod piscando quæstum fecerint? Cur non eadem opera hamiotas illos & conchitas ac fures maritimos appellant? Quandoquidem Apostolis convitiari libet, rusticus est *Paulus?* unus est, inquiunt, qui liberalem litteraturam Apostolatui intulerit: at hic unus inter cæteros præminet, qua re, nisi doctrina? nam pietate pares arbitror fuisse. Unus hic vas electionis est appellatus, cur ita præter cæteros? Nempe quod hic in primis, ut homo tum doctus, tum disertus, visus est idoneus qui contra litteratas *Athenarum* Scholas ferret arma, qui Philosophorum supercilium ferret, qui Romanam eloquentiam sub *Christi* ditionem redigeret. Rusticus est *Joannes?* Et unde illa vox sublimis, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* An rusticus est *Petrus?* Illius certe Epistolæ, & imperitæ sermone non tamen scientia. *Jacobus* rusticus fuit? Falso igitur huic illa tribuitur Epistola, quæ videtur non modo sapientis, verum etiam diserti. Sed fingamus rusticos fuisse Apostolos. Ita-ne nihil in Apostolorum moribus imitatione dignum isti videre potuerunt, præter unam rusticitatem? non enim me jam contineo, quin id quod sentio proferam, ita risus mihi ingens oboritur, quoties horum, qui nobis Apostolicam impolitiem objiciunt, perditissima vita in mentem venit. Quis enim ferat *Æsopum* sibi de frugalitate præcipientem, *Sardanapalum* de severitate disputantem? Quod si stomachus paulo mordacius erumpet, existimate me non in homines, sed in rem male dicere: quanquam auctore *Plauto*, *quod dignis male dicitur, bene dicitur.* Qui nobis Apostolorum rusticitatem obgannire non desinunt, si virtutes tenerent Apostolicas, ferri utcunque poterant, at nunc pudet me quorundam corruptissimam vitam cogitatione contueri. Qui cum Ecclesiasticis sacris sint initiati, Ecclesiasticis stipibus alantur, adde senes, cani, rugosi, quidam etiam cucullati, cum *Sardanapalo* ipso certamen sumsisse videntur. Me hominem adolescentem, profanum, civilibus addictum negotiis, & litteras ipsas profanas profitentem, in jus vocant, nefandi criminis reum agunt, quod antiquos Philosophos, quod priscas Historias, quod Poetarum & Oratorum scripta libenter lectitem. Ipsi cum jussi sint in Lege Domini, in sanctis Litteris diu noctuque versari, ab omni se prorsus studio cohibent, religioso quodam metu opinor adducti, ne si libros tractare cœperint, in Ethnicum aliquem Auctorem imprudentes incidant. At ita demum Apostolos se imitari credunt, si usque adeo sint litterarum ignari, ut ne ipsas quidem preces, quas quotidie remurmurant, intelligere possint. Dic mihi, stultissime imitator, sic nobis Apostolos refers? Ais rusticos & imperitos fuisse Apostolos? Esto sane, donemus istud tibi, habes quod glorieris, vicisti rusticitate piscatores, non invidemus tibi gloriam istam cum agricolis communem, verùm ubi simplicitas Apostolica? ubi mores? Num quando venatos legisti Apostolos? num isto ornatu usos accepisti? num pellacarum gregem domi aluerunt Apostoli? num tantum opum in unum barathrum demergebant Apostoli? Tu, si Superis placet, Apostolos imitandi studio sumtibus Ecclesiasticis ædes regales in cœlum erigis. Nitet amplissima in domo supellex *Attalica*, ministris militaribus omnia perstrepunt, cœnæ Persico instruuntur apparatu, videas illic agi Sybaritica convivia, & quidem assidue, vincitur audacia perdendæ rei *Cleopatra*, vincitur *Æsopus* cum filio haudquaquam degenere. Fastidiuntur illic accipenseres, non sapiunt murenæ, nauseam movent attagines. Noctes diesque estur, bibitur, luditur, saltatur, subatur, & cum vino immodico balbutire cœperint, videntur, opinor, sibi incultum sermonem Apostolorum imitari. Cum his factis, quorum vel *Neronem* pudeat, audent nobis Apostolos imitandos proponere. Nuper cum in *Flandria* legationem vestro nomine obirem, incidi in hujusmodi portenti convivium: ibi inter pocula, ut fit, cum hospitalitatem nobis suam jactitaret, ut festiviore fabulatione convivium exhilararem, *Tantali* & *Lycaonis*, & his similes nonnullas fabellas commemoravi: rogabat me, ubinam illa legerentur? ajo in Poetis: oravit protinus, ne illos Ethnicos ad suam mensam nominarem, ne fœdis nominibus sanctum convivium profanaretur. Gessi morem convivatori meo. Aderat Theologus quidam, homo adolescens, sed plane doctus, nec ita ut hodie Theologorum est vulgus, quorum plerique præter sophismata nihil didicerunt, verùm ita ut non minus Rhetor esset quam Theologus. Cum hoc mihi (assidebat enim proxime) de Scriptorum Ecclesiasticorum eloquentia sermo incidit. Dicebamus *Aurelium Augustinum* acute quidem, sed subobscure ac perplexe, & suo quodam more dicere, & huic tamen esse suam gratiam, ob schemata quæ frequenter affectaret. *Hieronymi* vehementem esse dictionem, variam, vafram, acrem, locupletem. *Lactantium Firmianum* Ciceroniana facilitate fluere, nec à declamatoria illa palæstra, in qua fuerat multos annos versatus, abhorrere. *Ambrosii* stylum plus obscuritatis, minus habere acuminis, delectare tamen allusionum aculeis. *Bernardi* orationem facetam, nec incultam, ecclesiasticam tamen, *Hilarii* vero parum copiosam, verùm cultiorem, præterea floridam. *Beda* æqualem ac somniculosam, doctam tamen, ut eo sane seculo. *Gregorii* modulatam ac numerosam magis quam succulentam, quod identidem eadem repetere cogitur, ut expleat sermonis periodum. Recentiores Theologos, ne loqui quidem: adeoque non illustrare veritatem orationis adminiculis, ut quæ per se præclara sunt, infantia sua dehonestent. Hæc & alia quædam cum nugaremur, risit nos homo severus ille, & curiosos appellavit, qui res otiosas &c

ad

Digitized by Google

ad nihil utiles curaremus. Intellecta hominis improbitate, putavi malo nodo malum esse quærendum cuneum, ac de industria quidem eum sermonem injeci, in quo illum sciebam utplurimum valere, de vinorum generibus, de arte coquinaria, de venaticis epulis. Ibi ille tanquam in re magna erectus, magno silentio, magna auctoritate diu disputavit acute, copiose, polite. *Platonem* ipsum dixisses, sexcenta vinorum genera memoriter reddebat. Præterea pretia, qualitates, differentias, patrias, naturas, seque ista non è Physicorum litteris, sed sapiente illo suo palato didicisse gloriabatur. *Plinium* (illum enim citabam) delirare dicebat, qui tanta in re alienis potius litteris, quam suo palato fidem habuisset. Jam vero de epulis coquendis, condiendis, si disputantem audisses, quem tu non ibi coquum, quem non *Catium*, quem non *Philoxenum*, quem non *Apitium*, quem non *Platynam* contemneres? Hæ nimirum sunt artes tetricæ, & gravi Sacerdote dignæ, has didicerunt ipsi, nobisque tradiderunt Apostoli, non syllogismorum laqueos nectere, non *Ciceronem*, non *Virgilium* evolvere, non aliorum ingenia dictionem-ve taxare. Hæc non in Poetarum fabulis, sed in sacris Litteris discuntur scilicet! Ferendum hoc quoque, si non inter epulas, senes, sola libidine fortes, antiqua sua facinora jactarent invicem, & quod facere per ætatem nequeunt, fecisse se turpiter gloriarentur. Hi sunt, quorum aures Poetarum fabulas religiose refugiunt, qui nos ad Apostolicos mores provocant: horum perditam rusticitatem, & simplicitatem fraudulentam divus *Hieronymus* quodam in loco scite notat: *Venerationi*, inquit, *semper mihi fuit, non verbosa rusticitas, sed sancta simplicitas.* Qui in sermone se imitari dicit Apostolos, prius imitetur virtutes in vita illorum. In loquendo simplicitatem excusabit sanctimoniæ magnitudo, & syllogismos *Aristotelis*, contortaque *Chrysippi* acumina resurgens mortuus confutabit. Cæterum ridiculum, si quis è nobis manens inter *Cræsi* opes, & *Sardanapali* delitias, de sola rusticitate se jactet, quasi omnes latrones, & diversorum criminum rei diserti sint, & cruentos gladios Philosophorum voluminibus, & non arborum truncis occultant.

Hæc per digressum tangere volui, quo intelligatur, qui Apostolorum imperitiam nobis ingerunt, eos non id Apostolos æmulandi studio facere, sed ut sunt superbi, suæ rusticitatis patrocinium ab Apostolis petere. Alioqui si id recte fit quod multorum fit exemplo, quot & quantos habemus quos imitemur? A Mose repetamus, quid eo imperatore sanctius? & hic omnem disciplinam *Ægyptiorum* à puero doctus legitur: non huic fraudi fuit secularis, ut vocant, eruditio, quo minus è mortalium genere unus in Domini familiaritatem adsciscì meruerit. *Daniele* quid castius? & hic *Chaldæis* disciplinis non recusavit institui. Docto patre, doctiorem *Salomonem* accepimus. Et *Job*, & omnes prope Prophetas, non illitteratos fuisse, cum *Hieronymi Augustini*que testimonio constat, tum ipsa Scriptorum monumenta declarant. At ne cavillentur, id cum Lege *Mosaica* desiisse fas esse, *Paulum* Apostolum eis proponam, *Pauli* discipulum *Dionysium*, quorum uterque quanta doctrina, quantaque fuerit eloquentia, ipsi sibi sunt testes. *Quadratus* Apostolorum auditor, eruditionem in primis admirandam illis præceptoribus non dedidicit. Qui cum esset *Athenienſis* antistes Ecclesiæ, *Adriano* Imperatori librum porrexisse traditur tantæ eruditionis, ut acerrimam in Christianos persecutionem suo ingenio sedaverit. Fecit idem hujus æqualis, *Aristides* Philosophus gravissimus, & idem summus Orator. *Justinus*, etiam habitu Philosophus, in disciplinis liberalibus artifex præcipuus, ad Christi tutandam Religionem non modo eruditissimum vertit ingenium, verum etiam animam impendit. *Clemens* præceptor *Origenis*, *Alexandrinæ* Ecclesiæ Presbyter, vir omnium longe doctissimus, idque judice viro omnium longe doctissimo *Hieronyme*, ad sacræ Religionis defensionem, quæ tum, negotium exhibentibus Ethnicis, in summo discrimine versabatur, non parum adjumenti contulit tum eloquentia, tum libris eruditionis plenis. Sed plane arenas metiar, si hîc tendam omnem eruditorum catalogum revolvere. Bis mille recensere possem, quorum insignis eruditio nisi fidei laboranti succurrisset, neque tam amplam, neque ita confirmatam, fortasse & nullam haberemus: & postea trepidant illi discere disciplinas humanas, quasi desint quorum exemplo id faciant. Deflectant paulisper obtutum ab exemplis domesticis, evolvant Veterum Chronica, evolvant eos qui de Scriptoribus scripserunt illustribus, invenient, *Origenem*, *Gregorium Nazianzenum*, *Didymum*, *Joannem Chrysostomum*, & ut ad Latinos veniam, *Lactantium*, *Hilarium*, *Severum*, ad summam, omnes prope ad unum qui in defensanda fide ac tractandis mysteriis Scripturarum operam navarunt, scholasticis fuisse disciplinis instructissimos: quorum omnium Ethnicam eruditionem, imo & Christianam effert ac miratur *Hieronymus*, ne nos contemnamus. At nos, qua sumus religione, nihil quantumvis politum eruditione movere potest, nisi sit idem pium. At *Origenes* hæreseos notam non effugit. Habent quod caussificentur. Age, ne hujus quidem generis deerunt exempla. *Hilarius* in Divorum numerum relatus est, hunc nobis proponamus. *Cyprianus* etiam martyrio; nec minus litteratura seculari clarus, hunc sequamur. *Ambrosio* quid sanctius? hunc æmulemur. *Hieronymo* vel *Augustino* quid vel magis pium, vel litteratius? horum similes esse curemus. Quantum in his omnibus compositionis, Linguarum, Philosophiæ, Historiarum, Antiquitatis, Latinitatis, Græcanitatis, Auctorum quanta peritia, & hæc quidem Ethnica adhuc. Conferamus quæso cum his viris vel Scholasticos, vel Theologos nostri temporis; videbimus utroque genere adeo inferiores, ut umbras dicas non homines: & in tanta graviſſimorum hominum multitudine soli Apostoli nobis in mentem veniunt, quos ita demum imitari nos credimus, si indocti simus! A moribus vero Apostolicis tam absumus, quam à nobis *India*. Quod si nos Apostolorum rusticitatem imitandi tantopere studium habet, miror cur non etiam piscari incipiamus. Sed extra jocum, *Ambrosium* imitari metus est? *Hieronymum* imitari religio est? Isti, inquiunt, nondum Christiani, & pueri adhuc, litteris illis sunt imbuti. At *Hieronymus* parentibus Christianis natus, à puero Christianus, se tamen inter Grammaticos & Rhetores educarum fatetur, imo gloriatur. Verùm quid istud refert, cum iis, quæ ante baptismum didicerunt, non modo Christiani, verùm & Episcopi & senes sint usi. Cur omnes libros suos Ethnicis litteris respersérunt? cur ut recte factum defendunt? Si taciti fecissent, ignoscendum potius quam imitandum videri potuisset, nunc & recte, & optimi cujusque exemplo fecisse se testantur. *Augustinus* ipse jam non Ethnicus, de singulis artibus liberalibus singula volumina scripsit. At scripsit, inquiunt, catechumenus, non Christianus. Commode vero admones. Tum igitur ne cogitandum quidem de studiis Ethnicis erat, cum novus tiro ad Christianam Religionem exercebatur. Sed esto sane peccaverit, erraverit, ignoraverit, cur jam senior & senior hunc errorem non reprehendit? Cur autem consulto etiam à se factum fatetur, ut his tanquam vestigiis ad summæ veritatis cognitionem gradatim accederet? Has enim disciplinas scintillas quasdam ait esse ab immortali illa luce promicantes, quarum indicio ad fontem illum perveniatur. Et quanto religiosius ille quam nos, qui animis rudibus, repente ad divinitatis arcana non ingredimur, sed irrumpimus, non adscendimus, sed involamus, & tanquam gigantes, exstructis in cœlum molibus, invito *Jove* arcem illius occupare conamur? eoque ille quia gradatim adscendit receptus est, nos repellimur, dejicimur, præcipitamur. *Beda* Monachus, vir *Anglus* quidem, aut certe *Scotus*, sed & vitæ probitate, & doctrinæ non contemnendæ, adeo

Digitized by Google

Scholaſticas diſciplinas non contemſit, ut de ſchematis grammaticis & carminibus condendis ſcribere non piguerit. Poſt hos quidem nitor politieſque Theologiæ ſenſim in deterius degeneravit, & non parum rubiginis cœpit contrahere. Non defuerunt aliquot ſecula docti, verùm ut rariores, ita inferiores. Laborioſorum nunquam non fuit copia. *Thomas Aquinas*, ſcriptor nobiliſſimus, in *Ariſtotelem* Ethnicum Philoſophum commentarios edidit, atque adeo in ipſis Theologicis quæſtionibus, ubi de ſummo principio, de Trinitate diſputat, *Ciceronis* ac Poetarum teſtimonia profert. *Scotus* tametſi à Muſis prorſus alienus fuiſſe videtur, Scholaſticus tamen eſt, ac ne in mediis quidem myſteriis, & arcanis Theologiæ, Philoſophorum ſuorum obliviſci poteſt. Et quid attinet vel recentiores, vel vivos commemorare, quorum licet ſit inferior multo eruditio, is tamen inter ipſos videtur præſtantiſſimus, qui ſecularibus doctrinis inſtructiſſimus fuerit. Hæc ſumma eſt, multis quidem ſummis viris non contigit eruditio ſecularis, at cui contigit, nemo non eſt uſus, nemo veritus eſt Chriſtianorum templum Ethnicis opibus exornare.

Hîc cunctante pauliſper *Batto*, Conſul interloquens, Per Deum, inquit, immortalem! quid ſi & ego è Conſule Philoſophus fiam? Et *Battus*, Utere, inquit, permiſſo. Subjicit Conſul: Longis tu quidem ambagibus circumactus mihi videris, callido opinor conſilio, ut Apoſtolicæ interim ſimplicitatis oblivio nobis obreperet: verùm quod in hac re præcipuum erat, præteritum non oportuit. Demus ſane complures pios viros litteratura profana cum laude uſos, attamen haud temere, ut reor, Apoſtolos rudes, & nullis inſtructos litteris noſtræ Religionis & auctores, & duces, & principes nacti ſumus, quos tu me vetas imitari. Ego vero ſummæ laudis & primæ judico, primos ac ſummos æmulari. Subridens *Battus*, Quantus, inquit, Apoſtolorum imitator hæc mihi objicit! Egon' Apoſtolos imitari te veto? Imo jubeo, at ita ut moribus Apoſtolos exprimas, eruditione *Hieronymum*, nunc Apoſtolicam ruditatem imitantur omnes, vitam nemo. Primæ laudis ais eſſe, ſummos æmulari, nihil pugno: ſed tu perperam facis, qui è primis & ſummis viris, id quod eſt extremum & infimum, tibi proponas. Diligens imitator qui ſit, non ſolum quam accuratiſſimum ſibi deliget exemplar, verùm in eo ipſo quod optimum putaverit, excerpit, quædam præteribit, quædam reprehendet. Summa modo conabitur imitari. Primus eſt *Petrus*, primus *Hieronymus*, hic Doctorum, ille Apoſtolorum. In *Petro* ſummus erat ardor fidei, in *Hieronymo* ſumma doctrina, alterius animum, alterius ſtudia imitare. At tu mavis Apoſtolorum quam Doctorum ordinem tibi proponi, propono & quidem è primo ordine præcipuos, *Petrum* & *Paulum*. *Paulus* omnium litterarum genere refertiſſimus erat. *Petrus* auctoritate ſuperior à *Paulo* reprehenſus, ſcientiori & credidit, & paruit. Imitamur hos, ſed plane præpoſtere. Indocti litteratos ultro reprehendimus, quando parum eſt quod parere recuſamus. At non temere curatum eſt, ut Chriſtiana Religio à rudibus auctoribus initium caperet. Iſtud quidem recte, ne ſcilicet tanti facti gloria penes humanam eſſet induſtriam, ſed omnis divinæ virtuti tribueretur. Ea res illi quidem tempori erat apta, verùm quid ad nos? hic dies aliam vitam, alios mores poſtulat. Non percalluerunt ſeculares diſciplinas Apoſtoli, at nunquid reprehenderunt? Num quando litteratos à ſuo contubernio excluſiſſe leguntur? Rudes erant litterarum Apoſtoli, quid iſtud ad te, qui ipſas profiteris litteras. Neque enim de Apoſtolis, ſed de Ludimagiſtris agimus, quanquam quis Chriſtianæ pietatis amator ferat ab illis nebulonibus, toties inſimulari viros cœleſtes & noſtræ ſalutis auctores? Age nunc, ſi placet, eorum ruſticitatem cum noſtra eruditione componamus. Nempe illos Linguarum ſpecies omnes calluiſſe legimus, nos unica vix balbutimus. Illi tantum valuerunt dicendo, ut tyrannos, ut populos immanes & barbaros promoverent, nos pecudibus ipſis fere mutiores. Illi Teſtamenti utriuſque myſteria memoriter tenuere. Nos vix prima litterarum elementa percepimus, & audemus poſtea homines ipſa ruditate rudiores, imperitos fuiſſe Apoſtolos dicere. CONSVL: Tum Conſul; At tu, inquit, *Batte*, in iſta diſputatione, vehementi magis quam apta, bis mihi peccare videris: nam & de profana litteratura inſtituta erat diſputatio, non divina, quam Apoſtolos accepiſſe conſtat: & eam ipſam non humano ſtudio, ſed cœleſti munere ſunt conſequuti. BATTVS: Profecto tu iſtorum mentem pulchre tenes, iſtud enim ipſum ineptus aliquis Theologus fuerat reſponſurus: huc enim confugiunt, quoties eis *Hieronymiana* facundia, *Auguſtini* eruditio, & Veterum litteræ objiciuntur. Iſtis enim, inquiunt, cœleſtis Spiritus miniſtravit. Equidem admirari ſoleo in hominibus, qui ſibi perquam acuti videntur, quippe Dialectici, tam hebes ingenium, niſi forte perperam iſta faciunt. Quid enim iſta tandem oratione ſibi volunt? An nullam nobis expetendam ſcientiam, niſi quæ cœlitus infundatur? fruſtra igitur nocturnis diurniſque ſtudiis maceramur. Quorſum autem attinent Ludi litterarii, & quidem publici, quorſum tot ſumtuoſæ Bibliothecæ? Quid meliores annos, atque adeo totos, inſanis lucubrationibus conſumimus? quid fruſtra pallemus, fruſtra libris inſeneſcimus? Reſipiſcamus vel ſero, & moniti meliora ſequamur. Miſſos faciamus inutiles labores, compendiariam viam aſtutum hoc genus hominum indicat. *Nos cutem curemus, ac vini ſomnique benigni* (ut ait *Flaccus*) cœlitus exſpectemus, donec oſcitantibus nobis ſpiritus illabatur æthereus, ac deinde perinde ac fonte *Aonio* poti repente Theologi proſiliamus, niſi malumus exſpectare, dum *Pauli* more vel in paradiſum, vel in tertium uſque cœlum rapiamur, audituri quæ nefas ſit hominem homini prodere. Sed ſtatuamus oportet, utrum ſemel nobis omnia infundi jubeamus, an quoties uſus erit, toties præſto Spiritum fieri malimus. Equidem poſterius hoc longe commodius eſſe cenſeo, nam ſi ſemel infundat, noſter erit labor meminiſſe. Quare ut memoriam ea ſarcina levemus, ſatius erit cœleſti Spiritui omnia permittere, ille modo præſto fiat, vocatus & invocatus ut res poſtulabit, quantum ſatis non amplius ſuggerat. Scribendus erit liber, advolet, & nobis ſecuris calamum regat. Habenda erit oratio, tum vero in columbæ figura ad aurem aſſideat, linguam ipſe temperet, nos modo hiſcere meminerimus, ut cum Pſalmographo Rege canere liceat, *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Erunt fortaſſe, quibus hæc acerbius dicta videbuntur. Quid autem acerbum in homines tam arrogantes dici poteſt, qui contemtis aliorum egregiis laboribus ipſi cum nihil ſciant, cœlitus tamen docti videri volunt: ne ego quidem homo Poeticus auderem iſtos Deos laceſſere, ni divus ipſe *Auguſtinus* in Præfatione in libris *de Chriſtiana Doctrina*, iſtorum amentiam multis ſalibus prior eluſiſſet: *Quo*, inquit, *error iſte demum evaſiſſet, ſi ſemel animos hominum occupaſſet? Nemo à ſcientiori ſe doceri paſſus fuiſſet. Nullus ad Eccleſiaſticam concionem properaſſet, nec quiſquam Euangelium pronuntianti præbuiſſet aurem: hæc enim otioſa fuerant futura, ſi cœlitus eruditionem exſpectandam putaſſent.* Addit ibidem, vulgo jactatam fuiſſe fabulam, de neſcio quo, cui citra humanam operam litterarum peritia contigerit, quam ille quidem non magnopere confutat: parvi tamen ducit, propterea quod etiamſi maxime vera fuiſſet, non cuivis idem ſperandum eſſet. Nec putat illius unius felicitatem nos ab induſtria debere avocare: nam quod commode poſſis ab homine doceri, id è cœleſti afflatu præſtolari, hominis eſt aut ſtulti, aut, quod fœdius, arrogantis. CONSVL: Tum Conſul: Libet ſcholaſtico more tecum objectatiunculis argutari. Quid igitur ſibi vult, quod ipſe ſuos diſcipulos ſollicitos eſſe vetat, quid coram Regibus atque Præſidibus eſſent dicturi: *Dabitur enim,*

Digitized by Google

enim, inquit, *vobis in illa hora quid loquamini, neque enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quid quod *Petrum* Spiritu Sancto instructos loqui Dei homines, scripsit. Quid illud *Jacobi: Qui indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus abundanter, & non improperat.* Hæc, nisi fallor, longe aliud quam tua oratio, sonare videntur. BATTVS: Recte tu quidem admones, & in tempore, verùm ista perfacile dissolvi poterunt. Cedo, num tibi *Christus* istis verbis, quæ modo recitasti, discipulos deterruisse videtur, ne apud Principes dicturi, quid essent dicturi cogitarent, quod nemo nisi phreneticus non fecit, cum *Christus* ipse quatenus homo erat, non sine præmeditatione sit locutus? Non igitur Apostolis, quod prudentis hominis proprium videtur, sed metum adimere studuit, ne quid homines contemti, & imperiti, apud Principes, & doctos, & facundos dicere trepidarent, apud quos summi & exercitatissimi Oratores solent exalbescere: se enim non deserturum patronos suos, ipsi modo magno animo essent. Ergo non industriam & vigilantiam interdicere, sed animum addere voluit. Imo ausim dicere, cum reliquos Apostolos, tum vero *Paulum* meditata & fortassis scripta oratione nonnunquam dixisse, id quod ex ejus defensionibus, quæ sunt in Actibus Apostolorum, haud obscure licet conjicere: tum neque *Petri*, neque *Jacobi*, neque *Joannis* hujusmodi sunt Epistolæ, ut sine cura scriptæ videri possint. Sed hîc mihi illud objicies, quod *Spiritu Sancto instructi, locuti sunt Dei homines.* Quonam modo igitur tu eos locutos fuisse arbitraris? Num vaticinantium Phœbadumve more, ut furore quodam correpti, ipsi quid dixerint non intelligerent? Sed hæc paulo post commodius excutientur. Illud autem *Jacobi* de postulanda à Deo sapientia, perquam insulse accipiunt. Postulanda est à Deo sapientia, accedo, at quomodo postulanda? Nempe ut victus, ut vestitus, ut cætera humano usui necessaria. Jubemur à Deo panem quotidianum quotidie petere, & datur quidem quotidie, at nunquid oscitantibus? Vestitum petimus, præstatur, sed laborantibus. Hac ratione sapientiam quoque postulamus, at ita, ut de humana industria nihil diminuamus. An vero quæ corporis sunt, non nisi industria tua tibi obveniunt, quæ animi sint bona, gratis accipies? Panis nisi sudanti non præstatur, sapientia dormienti infunditur? Perditus & homicida sui judicatur, qui cœlestem alimoniam exspectans, fame mori maluit, quam pane humano labore quæsito, mortem effugere, & religiosus habebitur, qui turpiter nescire præoptet magis, quam ab homine salutarem doctrinam accipere? At Apostolis sine mortali opera sapientia infusa est. Demus istud, & Hebræis in eremo ab æthere cibum depluisse legimus. Sed quam impium est velle manna illud è cœlo præstolari, tantundem aut etiam magis impium fuerit, Apostolorum more sapientiam è nubibus otiosos exspectare: nam vetamur Euangelica voce, de crastino victu, vestituve esse solliciti, nusquam sapientiam quærere prohibemur. Nec vitio tamen vertitur, quod non modo in crastinum, verum etiam in multos annos parcimus, quærimus, serimus, ædificamus, non nostræ modo vitæ, verum etiam posterorum consulentes, & vitio dabitur, si quis idem in quærenda sapientia fruge longe meliore facit? Illic sanam interpretationem admittimus, non quærendi panis industriam nobis interdictam esse, sed inanem & anxiam sollicitudinem, hîc cur idem non facimus? Promissa erat sapientia cœlesti oraculo *Solomoni*, promissum erat patri regnum *Israeliticum*, neuter tamen ita oraculo confisus est, ut vel hic quicquam humani conatus præterierit, quo se dignum præstaret, vel ille sapientiam languidiore studio quæsiverit: intelligebant nimirum quod gravissime à quodam scriptum est, Deos omnia nobis laboribus vendere. Dabunt igitur, sed laboranti, addent sapientiam, sed annitenti, præstabunt continentiam, sed conanti, docebunt, sed studiosos, adjutabunt, sed dimicantes. Neminem deserent, ita quidem, nisi ipse sibi defuerit, alioqui cur ipsi scripsere Apostoli? cur Euangelistæ? cur *Hieronymus?* cur *Augustinus?* cur cæteri nobis ingenii sui monumenta reliquerunt? præclara, si studio comparanda est sapientia, otiosa, si per somnum otiosis exspectanda. Jam dedimus Apostolis infusam sapientiam, mitto enim quod ante resurrectionem, & post resurrectionem assiduis præceptionibus ab optimo doctore *Christo* sunt formati, mitto quod apud se assidue legerint, & inter sese de Scripturis contulerint, cur non æquam omnibus partem immisit? cur plus sapuit *Paulus* quam *Petrus?* cur facundior est *Jacobus Petro?* cur divinius scripsit *Joannes* cæteris Euangelistis? cur in cæteris sanctis Doctoribus alius est alio eruditior, alius alio facundior? Eodem certe Numine instructi scripserunt. Nimirum in causa est, quod Spiritus ille adorandus non parem apud omnes eruditionem offendit. Auget enim ille, quæ nostra peperimus industria, promovet studia nostra, adspirat nostris conatibus. Quod si fas est hoc loco Poetarum fabulas admiscere, *Prometheus* est nobis imitandus: qui simulachro illi suo luteo, vitam ex astris ausus est petere, sed tum demum ubi quicquid humano artificio præstari potuit, adhibuisset. Nos rudem massam offerimus, & Spiritum omnia nobis dormientibus confecturum speramus? nec meminimus *Paulum* ipsum, cui in tertium usque cœlum rapi contigit, libros, qui in membranis essent, per litteras petisse, ac postea cum *Petro*, cæterisque Apostolis de fidei doctrina contulisse: Apostolos ipsos non semel inter se de Religione nova communicasse: *Petrum Pauli* voce castigatum. Ubi tunc cessabat Spiritus Sanctus? Cur legere *Paulum*, cur errare *Petrum*, cur hærere omnes sinebat? Videtis ut operam humanam Spiritus hujus munus non excluserit, sed adjuverit. Adfuit tamen nonnunquam prodigioso quodam more, sed tum demum, cum aut miraculum res expostularet, aut studium humanum vinceretur. Et ex studiosis multos eruditos evasisse, adjutore hoc Spiritu legimus. At ex asino Theologum repente factum, quis unquam aut audivit, aut legit? Nec quicquam his exemplis moveor, quæ vulgo narrant, alii columbam ad aurem dicentis scribentisve conspectam, alii per somnium librum traditum. Sint ista sane vel conciliandæ auctoritatis gratia à benevolis conficta, sint vel vera, si quis pugnet, equidem haud pugno. Nihilominus tantum unumquemque eruditione valuisse videmus, quantum ingenio polluisset, quantum studio contendisset. Ingenium & indoles multis contigere gratis, sunt enim naturæ dotes, virtus & eruditio nullis. CONSVL: Hîc Consul: E duobus, inquit, scrupulis, altero me propemodum liberasti, si hoc unum expedias, quod nemo barbarorum mihi non objicit, divum *Bernardum* præter sanctitatis laudem, virum ex recentioribus nec indoctum, nec facundum, nescio quonam in loco ipsum fateri, se Quercubus & Fagis usum pro magistris. BATTVS: Sapientes profecto arbores, inquit *Battus*, quæ talem discipulum nobis reddidere, indignæ prorsus quæ in montibus senescerent, ac sues alerent, dignæ quæ in cathedris Theologorum potius præsiderent, aut certe, ut de navibus illis *Æneæ* fabulatur *Maro*, in Nymphas transformarentur! Deum immortalem! ut nil pudet homines ipsis Quercubus hebetiores, quique juxta Poetarum fabulas ex arborum truncis nati videri possint. Quid arbores homines docent?

Inter hæc cum *Battus* incandesceret, *Guilhelmus* meus aderat, *Socratica* quadam vafritie, festiva tamen magis quam mordaci, præditus. Age, inquit, ignosce, *Batte*, fieri potest, qui scis enim an ex illa paradisiaci nemoris arbore fuerint propagatæ, quæ boni malique scientiam non habuisse modo, verùm & ministrasse legitur? Aut si id non placet, quando species non convenit, quanquam nec apud nos species nominatur, & crebra plantatione degenerare potuerunt,

ex

ex illarum certe genere, quæ canentem *Orpheum* admiratæ conſecutæque fuiſſe narrantur, inter quas Quercus inprimis fuiſſe compertum eſt. Poſtremo ſcis homines olim vulgo in arbores tranſmutari ſolere. Quid ſi Quercus illæ & Fagi, ſummi olim fuerint Philoſophi, quorum longa incommoda miſerati Dii, arbores eos eſſe jufſerunt? Sed utcunque res habet, unum hoc vehementer optarim, ut eſſent *Eraſmo* aliquot ex ſapientiſſimis illis arboribus ſurculi, quos in novis pomariis, quæ molitur, inſerat: haberet domi, ut Comicus ait, unde diſceret. BATTVS: Ad quæ vix arridens *Battus*, erat enim commotior: Jure, inquit, ridetis in re, riſu potius quam argumentatione confutanda. Sed extra jocum miror *Bernardum*, ſi doceri cupiebat, ad arbores potius quam ad homines ſe contuliſſe, ac non *Socratem* illum potius *Platonicum* imitatum. Huic enim cum *Phædrus* locum in agris perquam amœnum oſtendiſſet, jamque *Socratem* ejus ſpecie vehementer captum ſentiret, mirari ſe dicebat, quod non antea urbe relicta, rus conceſſiſſet. Cui quidem ille ſcite reſpondens: *Ignoſce*, inquit, *mihi*, *optime* Phædre, *nam diſcendi cupidus ſum, agri vero & arbores nihil me docere poſſunt, ſed homines qui in urbe verſantur.* Quid igitur *Bernardus* inter Quercus verſari maluit, niſi forte (quando ridere libet) *Gallia* doctiores habet arbores, quam olim habuit *Gracia?* Figurate dictum eſt, inquit, orabat ſub arborum umbraculis, imo & legebat, & lecta animo volvebat, & ſcribebat, & ſcribenda ſuo cum animo tractabat: ergo non tam diſcendi quam docendi cupidus ad Quercus confugiebat, ſeceſſum videlicet & ſilentium ſcribentibus neceſſarium captans. Qua quidem in re non ille ſuperſtitiolum agebat hominem, ſed Poetarum inſtitutum imitabatur, qui carmen ſcripturi ſylvas & fontes captare conſueverunt. Hîc ſi maxime pugnant, ſacros Scriptores orando eam eruditionem eſſe conſecutos, jam ipſi nobis laqueum, quo capiantur, miniſtrant. Cum enim divus *Bernardus* litteris non modo philoſophicis, verum etiam poeticis inſtructus fuerit, utique profanis, quis jam auſit nos reprehendere, quod id noſtra induſtria conemur aſſequi, quod cœleſtis ille Spiritus aliquot felicibus impartivit? Si Ethnicorum eruditio Spiritus Sancti munus eſt, igitur bona atque expetenda: malorum enim non eſt auctor Deus. Quod ſi in his Ethnicas fuiſſe negabis, ego oculos eſſe tibi negavero: ſin divinam ſcientiam illis orantibus infuſam eſſe, humanam vero ſibi peperiſſe dixeris, ridebo commentum, & te viciſſim criminabor, qui contra tantorum exempla virorum præteritis humanis litteris, ad divinam ſcientiam tam ſtolide irrumpas. CONSVL: Hîc cum *Battus* dicendi finem facturus videretur: Perge quæſo, Conſul inquit, me etiam altero levare ſcrupulo: nam nodum ipſum modo tua ſponte tetigiſti: nulli Apoſtolorum Spiritus cœleſtis profanas litteras infudit, de quibus hîc erat inſtituta diſputatio, non Dialecticen, non Rhetoricen, non Poeſim, infuſurus haud dubie, ſicubi hæc uſui futura fuiſſent. BATTVS: Ad quæ converſus *Battus*, Nemini infudit, inquit, donemus iſtud, at cui unquam ademit? *Petro* non inſpiravit, cur *Paulo* non ademit? cur uti non vetuit? vetiturus utique, ſi pernicioſas videri voluiſſet, quanquam quid refert, an infuderit Ethnicas litteras? id certe infudit, cujus gratia Ethnicæ litteræ ſunt diſcendæ. Si datum eſſet quavis Lingua & integre loqui, & loquentes intelligere, nihil eſſet cauſæ, cur Grammatici miſeros adoleſcentes excarnificarent: ſi is eſſet mortalium animus, qui nulla nube præpeditus, facile ſtatim verum & videret, & oſtenderet, fruſtra & ratiocinatione, & dialecticis argutiis exerceremur. Si nobis eſſet in manu, quos vellemus animorum motus & ſumere nobis, & aliis excitare, ſine cauſa Rhetorum præcepta diſceremus. Verùm quando hæc multo ſecus habent, nec ille nobis Spiritus eſt exſpectandus, diſciplinis liberalibus opus eſt, ut vel longis ambagibus eo tandem perveniamus, quo Spiritus Apoſtolos compendio perduxit. Non deſideravit *Petrus* noſtras litteras, *Paulum* tamen adjuverunt. Sed in re puerili plus ſatis eſt diſputatum: nam qui iſtam divinam ſcientiam nobis ſolent objicere, adeo tum ab humana, tum à divina abſunt, ut *Hippocraticis* potius vinculis ſint alligandi, quam rationibus coarguendi. Ita ſimplicitatem prædicant, ut docti tamen haberi velint: ita ſe nihil didiciſſe fatentur, ut nihil non ſciant tamen. Sed hos cum ſua dementia relinquamus, quod reliquum eſt, de Poetica & Eloquentia diſputetur.

Hîc cum *Battus* pauliſper interſiluiſſet: Unam, inquit, aciem, ut arbitror, profligavimus, quam tamen non ita magni negotii fuit vincere, quippe neque ſatis armatam, neque ita capitaliter infeſtam: reliquum eſt, ut confutemus eos, qui negant eloquentiæ dare operam Chriſtianum oportere, verùm huic bello non paulo difficiliori imperatorem præficiendum cenſeo cum integrum tum meliorem: ut enim in cauſis non optimis optimus patronus, ita in bello duriſſimo, peritiſſimus dux quærendus. Qui eloquentiæ ſtudium damnent, & plurimi ſunt, & habent fortaſſe quæ dicant, ſi non vera, at certe veriſimilia. Et jam tantum verborum à me factum video, ut mirer aurium veſtrarum duritiem, quæ me tot horas blaterantem ferre potuerint. Quare ſucceſſorem mihi peto, qui quæ reſtant, diſertius poſſit diſputare. GVILHELMVS: Tum *Guilhelmus* pudenti riſu: Te-ne, inquit, *Batte*, injuſſu Senatus ante negotium confectum de tradita provincia decedere, ac cum jam prope debellatum ſit, ſucceſſorem tibi nullo exemplo petere, penes quem omnis belli profligati ſit gloria? Quod vero de meliore imperatore quærendo dicis, ambitioſus tu quidem videri non vis, cæterum eum adhuc te ducem præſtitiſti, cui prorogandum etiam ſit imperium, tantum abeſt ut ſucceſſor ante tempus ſit mittendus: quare volente Senatu perge, ac ſtrenue ut cœpiſti tuo munere defungere. Tantum autem abeſt ut tua oratio cuiquam è nobis viſa ſit longior, ut mira quadam cum voluptate omnes habuerit attentiſſimos. Dum hæc inter ſe cavillantur illi, Conſulis puerum ab illius villa recurrentem conſpicimus: is cum domi inſtructa eſſe omnia, corrumpi prandium, uxorem jamdudum nos operiri renuntiaſſet, Age, inquit Conſul, eamus omnes: ad prandium Philoſophicum non Conſulare vos voco: quod reliquum eſt diſputationis, id pomeridiano conſeſſu in hortis meis conficiemus. ERASMVS: Hîc ego, Ita-ne mecum agitur? inquam, ni tam eſſes Juriſconſultus, in jus te vocarem, injuriæ tecum agerem, qui tam caros hoſpites ſic abducas, quia luxurioſior ſit tibi culina, quaſi domi noſtræ, ſi frugaliter, tamen non lautiſſime ſint accipiendi. CONSVL: Tum Conſul, Æquus, inquit, eſſe debes, ego hac pomeridiana diſputatione villulam meam nobilitari cupio, hanc gloriæ partem ſi mihi non invides, libenter nobis concede. Tum uxor id jubet, cujus hujuſcemodi in rebus imperium noſti.

ANTIBARBARORVM LIBRI PRIMI FINIS.

DE-

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI EPISTOLA

AD QVOSDAM IMPVDENTISSIMOS GRACVLOS.

Des. Erasmus Rot. quibusdam Fratribus absque observantia, bonam mentem.

VIDEO quid agatis, Fratres Patres: subornatis aliquot indoctos ac perfrictæ frontis juvenes, qui junctis phalangibus conficiant *Erasmum*. Nihil habent frontis, nihil cordis, non habent quod illis possit eripi, non possunt deprehendi, plusquam Polypi, aliunde alio migrant, & sub unius umbone latet exercitus. *Salamanca* habet unum, cujus nomen putabam esse fictum. Inauditum erat, nec mihi persuadere potui in illo sodalitio latere tantam petulantiam. Cognomen sonabat quiddam Judaicum, nec in *Hispaniis* tantum latitant *Judæi*, latitant & in aliis nationibus sub Christiani nominis titulo. At ille noluit perdere suum triumphum, eamque gloriam putavit suo Ordini asserendam. *Brabantia* habet alterum quendam ejusdem farinæ gloriosissimæ loquacitatis. Mera hypocrisis est modestia, quam præ se ferunt. Hæc in malos dicta velim, sine ulla bonorum nota. Hac syngrapha vos præmoneo, Fratres Patres, subornate, fingite, fallite, contemnite Cæsaris & Episcoporum constitutiones, emittite furtivos Libellos, posthac nec legere dignabor nænias vestras, nec refellere. Ipse Deus inveniet impios hypocritas, cui juste judicanti vindictam tradidi. Quam sum illis decrepitus? *Budæus* biennio me minor est, *Bedda* fortasse quinque aut quatuor, *Latomus* tribus. Ad hanc usque ætatem perpetuo versor in laboribus, unde maxima pars & valetudinis & senii. Senex unus quatuor juvenum robustorum sustineo sarcinam: non caligant oculi gratia Deo, cum multi mirentur jam olim non esse prorsus exoculatum. Conspicillis vitreis nunquam usus sum hactenus, neque interdiu, neque ad lucernam: Scipionem nunquam attigi, firmis pedibus & alacriter ingredior, manus minus tremunt quam ulli juveni, calculus in dies fit mitior, & si moderer studiorum labores, favente Deo possim adhuc integris sensibus quatuordecim annos vivere. Sed vitæ modus in manu Dei est. Qui mecum vivunt, nec ingenii, nec memoriæ magnam jacturam sentiunt. Et ubi est illud decrepitum ac mox collapsurum silicernium? O scurras non mihi tantum, sed toti Mundo graves! Quid autem proficient istis loquacibus & indoctis næniis? Eruditi non legent, pii detestabuntur. Ego nondum invenire potui, qui pro me legeret ejusmodi nugas. Sed talibus libellis conficient decrepitum senem. Hoc sicis commodius effecerint: nihil enim refert quo utantur organo, cum adsit sicariorum animus. Atqui hic decrepitus senex dedit vobis *Hieronymum*, dedit *Cyprianum*, dedit *Augustinum*, nunc dat *Chrysostomum*, ex quo & *Athanasio* tam multa vertit. Ex Græcis Auctoribus tot loca illustravit in Novo Testamento, legant indicem & intelligent quam multa dederit hic decrepitus senex tum ad eruditionem tum ad pietatem conducentia. Quid faciunt isti? Coaxant & obstrepunt alienis laboribus, neque quicquam adferunt præter improbam & indoctam garrulitatem, perinde quasi Mundus non habeat nisi sues & asinos. Cæsar semel dedit eis potestatem accusandi me legitime, dedit summos judices, tum debebant proferre suam sapientiam. Istis Libellis se doctis ac bonis omnibus propinant deridendos. Et mihi adhuc tantum adest roboris, ut possim ex alto deridere, etiamsi exoriantur tria millia. Apud doctos & posteros cygni loquentur, cum tacebunt graculi. Si senem volunt conficere, sicis opus erit. Nisi aliter discant scribere, nihil aliud sibi parabunt apud optimum quemque, quam odium ac ludibrium. Vos pii Patres tales asinos compescite, vos pii Laici, quos sic insanire scitis, ne quid detis, nisi tales blaterones abigant è suo contubernio, quo vel sic moniti resipiscant: nam aures habent non in capite, sed in ventre. Suas dulcorationes stolidas adhibeant suis pultibus, à me nihil exspectent: sed videant exitum malitiæ. Rursus admoneo hæc in pios non esse dicta: novi enim plurimos esse in eo sodalitio, qui istam petulantiam detestantur. Et post hæc occinitur nobis excommunicatio Pontificis in eos qui lædunt Ordinem *Minorum*. Ea excommunicatio si quid valet, in istos potissimum cadit, qui stolidis Libellis adducunt Ordinem suum in odium eruditorum ac bonorum omnium. Satis illos admonui, in dies vergunt in pejus. Posthac contemnentur, quod utinam initio factum esset! Non libet τοῖς βατράχοις ἀντικοαξᾶν. Contemtis fortiter & divinis & humanis legibus, dicant, *oportet Deo magis obedire quam hominibus*. Recte dictum est hoc ab Apostolis, nec prorsus incongrue dicitur ab istis: At non idem utrorumque Deus. Illis Deus erat cœli terræque conditor, his pro Deo venter est. Valete.

FINIS.

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI
RESPONSIO
AD PETRI CVRSII DEFENSIONEM
NVLLO ADVERSARIO BELLACEM.

Ornatissimo viro Joanni Cholero, Praposito Curiensi, Erasmus Roterod. S. D.

MEA quidem sententia erat, *Cholere* candidorum amicorum candidissime, quicquid est istud *Cursiani* negotii prorsus silentio transmittere, adeoque nullam parare responsionem, ut defensionem illius nec lectione dignarer. Sed amicus quidam egregie cordatus, cujus judicio plurimum tribuere soleo, quique mecum libenter consentire solet, hîc dissensit, ratus operæ pretium, ut seditiosam criminationem, qua me fingit totius *Italici* nominis hostem, saltem paucis diluerem. In ea sententia cum persisteret, ego magis illius obsequens animo, quam meum sequens judicium, paginis aliquot carptim degustatis, deprehendi quid erraret *Cursius*, reique summam unica pagella complexus sum. Eam *Romam* ad amicos misi, ut apud eruditos me calumnia liberaret. Sed rem insperatam audio: magnis typis excusa est, & per omnes viarum angulos celeberrima hominum frequentia affixa, quemadmodum Edicta Pontificum solent affigi. Ea res male habet *Cursii* animum, & atrocem vindictam minitari dicitur. Hoc utrum à benevolis an malevolis factum sit, nescio. Meo sane judicio nihil opus erat isti camino oleum adjicere. Ut omittam quod dum *Cursium* exponunt ludibrio, me quoque *Romæ* fabulam faciunt. Ludunt quidem isti, sed quemadmodum solent pueri ranas lapidibus impetentes. Ludunt pueri, sed ranæ ictæ serio moriuntur. Nunc postcaquam video vulgatum, quod inter eruditos premi cupiebam, idem argumentum quod delinearam, paulo tractavi plenius, ac percurri verius quam legi totam *Petri Cursii* apologiam, qua suis *Italis* & rei bellicæ, & totius eruditionis summam laudem revindicat, per me, ut putat, prorsus ademtam. Mihi quidem ex eo gustu visus est vir minime malus, φιλόπατρις, Latini sermonis copia non infeliciter affluens: sed suspicor esse *Romæ* quosdam male feriatos, quibus non satis est Pasquillicorum jocorum licentia, nisi nunc hos, nunc illos suborneat, quorum simplicitate, aut si mavis bovitate, vel ad vindictam, vel ad delicias suas abutantur. Atqui hæc tam prolixa, tam atrox tragœdia ex una vocula nata est, eaque perperam intellecta. Rei summam paucis expediam. In proverbio *Myconius calvus*, ex *Donati* sententia indico *Pamphilum* in *Hecyra Terentiana*, *Myconium crispum* dixisse, cum *Apollodori* Græca habeat *Myconium calvum*, idque non insciția *Terentii* factum, sed studio, quo sermo esset festivior ac facetior. Ridet enim ibi *Pamphilus* servum curiosum & garrulum, quem ablegat in portum, fictis mandatis ut conveniat hospitem *Myconium*, cum illic nullus esset hospes *Myconius*. Hîc adhuc nihil est quod reprehendi possit, sed simile exemplum addo de meo, quod quidem, inquam, ipsum proverbium resipit de raris inventu, veluti si quis *Scytham* dicat eruditum, *Italum* bellacem. Hæ tres syllabæ *bellacem*, universam belli laudem tot seculis, tot præliis, tot monumentis terra marique partam semel adimunt universæ *Italiæ*. Atqui ista cogitatio ne in somnis quidem unquam in mentem venit, ut *Italiæ* vel pilum in hoc genere laudis detraherem adderemve. Sed homo barbarus mihi persuaseram bellacem vocari, non esse virtutis, sed feritatis elogium. Siquidem pleræque hujus generis voces quæ veniunt à verbis mediis, declarant non actionem, sed vitiosum animi habitum: velut illa, edere, bibere, loqui, dicere, petere, pugnare, utrolibet usurpantur vel in laudem, vel in reprehensionem: at edax, bibax, loquax, dicax, petax, pugnax, non nisi vitii cognomina sunt, duntaxat cum de homine prædicantur, in quem cadit virtutis ac vitii ratio. Nam spongiam esse bibacem, aut gallinaceos esse pugnaces, naturæ sunt epitheta. Similiter & bellare ancipiti significatu dicitur: Bellax autem nemo dicitur, nisi qui per ingenii feritatem belli appetentior est quam oportet. Ita *Thraces* appellamus bellaces, non quod hi præter cæteras nationes belli gerendi peritia præcellerent, sed quod ob barbaricam immanitatem vitam haberent vilem, temereque ad arma proruerent. Nisi forte *Thracum* fortitudinem laudavit *Horatius* cum ait,

Otium, bello furiosa Thrace.

Aut eum ait,

Natis in usum lætitiæ cyphis
Pugnare Thracum est.

His etiam immitiore ingenio fuere *Scythæ*, qui spretis omnibus disciplinis liberalibus, omne studium conferebant ad arma, ferarum ritu in campis & plaustris vitam agentes: eoque *Scytharum* feritas multis etiam proverbiis est celebrata. Videlicet cum orationem atrocem & inhumanam appellant Σκυθῶν ῥῆσιν, vitam agrestem Σκυθῶν ἐρημίαν, sermonem inconditum Σκυθικὸν ἄσμα. Eodem carbone notati sunt *Cares*, quos *Homerus* appellat βαρβαροφώνους, & *Afri*:

Quod genus hoc hominum, quave hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arena.
Bella cient, primaque vetant consistere terra.

At qui istiusmodi nationes appellet bellaces, utrum videatur eas magnifico fortitudinis titulo cohonestare, an vituperare potius ob barbaricam naturæ feritatem? Dextre gerere bellum si vitare non liceat, laudi ducitur, bellum appetere feritatis ac stoliditatis est. *Dissipa*, inquit Propheta, *gentes quæ bella volunt*. *Italus* erat qui censuit iniquam pacem æquo bello præferendam. Imo nulli felicius obeunt belli munia, quam qui primum hoc agunt pro viribus, ne veniatur ad manus: id si non queat obtineri, tum eo conferunt sua consilia, ut bellum quanta minima potest sanguinis effusione cito finiatur. Ad id inutilis est inconsulta temeritas, & sanguinis avida feritas. Jam si quis hîc consulat Grammaticorum ac Dialecticorum filios, negabunt has voces bellacem & imbellem inter se contrarias esse, quod proferre liceat, qui nec bellax sit nec imbellis, si modo imbellis significabat bellandi imperitum, aut bello inutilem. Veluti cunctator ille *Fabius*, nec bellax erat, nec imbellis. Rursus proferre licet qui idem & bellax sit & imbellis. Tales erant agricolæ, qui nuper tantos tumultus excitarunt in *Germania*: procurrebant in aciem, quasi vellent occidi. Sed inter se pugnant bellax & pacis amans sive pacificus, quemadmodum fortitudo & ignavia. Ad bellicæ virtutis laudem non satis est animosum esse, & earum rerum, quæ belli sunt, egregie peritum. Alioqui debebatur hæc gloria

An-

Digitized by Google

Annibali & *Alexandro Magno*, quorum priorem deteſtatur *Italia*, alterum *Seneca* appellat furioſum juvenem, uterque mea ſententia jure optimo. Quem regnandi libido propellit ad invadendum nihil commeritos, furioſus eſt, non vir fortis: fortitudo enim cum virtute conjuncta eſt, à cujus commercio ſi disjungatur, fortitudo non erit. Verùm de his alias. Poteram in hac cauſa à principe Peripateticorum adſciſcere patrocinium, qui negat eſſe neceſſe, ut ſententiæ veritas requiratur in exemplis quæ docendi gratia proponuntur, ſatis eſt per ea perſpicuum fieri quod diſcitur. Veluti cum *Ariſtoteles* ita proponit: *Omne A eſt B, omne B eſt G, ergo omne G eſt A.* Falſum eſt quod dicitur, & tamen exemplum probatur. Item cum *Donatus* dicit, *Virgilius doctiſſimus Poetarum*, vel *optimus plebis*, non eſt neceſſe ut credamus *Virgilium* fuiſſe virum plebis Romanæ optimum. Sed ut falſa ſit ſententia, tamen exemplum ſuo fungitur officio. Quod ſi exempli cauſa falſis utimur, multo magis licet abuti opinione vulgari. Quales nunc ſint *Scythæ* nobis incognitum eſt, fortaſſis ea gens nunc eſt ignaviſſima luxuque perdita, & tamen agreſtia ac violenta vocamus *Scythica*, nimirum abutentes olim vulgato rumore. Sic apud quaſdam nationes *Itali* audiunt imbelles, falſo an vere mea non refert. Verùm hæc extra cauſam dixerim, non quod ad hæc præſidia velim confugere. Nihil enim opus, qui nec falſis ſum uſus in exemplo, nec vulgi rumoribus abuſus, ſed ſimpliciter quod ſenſi verbis opinor Latinis expreſſi, *Scythicam* bellacitatem in *Italis* raram eſſe, *Italorum* eruditionem in *Scythis* eſſe ratam. Ex his arbitror eſſe perſpicuum, non ignominiæ ſed laudis gratia *Italo* me bellacis titulum ademiſſe, qui *Scythas*, *Thraces* & *Cares* dedecorat. Hîc ſi objiciet *Curſius*, nomina quædam in *ax* deſinentia ancipiti eſſe ſignificatu, quod genus ſunt *perſpicax* & *capax*, fatebor eſſe quædam ſed perpauca. At horum de numero non arbitror eſſe quæ commemoravi. Bellacem laudis gratia neminem memini appellatum, præterquam apud *Curſium*. Sed largiamur hanc vocem alicubi apud bonos viros, ac probatos Auctores inveniri vel ancipiti ſignificatu, vel etiam laudis ſi libet: fatebitur tamen opinor frequentiſſimo uſu ſonare vitium. Me vero bellacis nomen in malam partem uſurpaſſe ſatis arguit, quod *Scytham* cum *Italo* confero, hoc eſt, incultam, indoctam, feram ac barbaram gentem, cum natione minime barbara, ſed Philoſophiæ, liberalium diſciplinarum & eloquentiæ ſtudio perpolita, quas artes conſtat non belli ſed pacis alumnas eſſe: ſignificans interim eum abſurde facturum, qui quod eſt *Italorum* transferret in *Scythas*, contra, quod *Scytharum* transferret in *Italos*. Porro cum *Scytham* & *Italum* nomino, non deſigno ſingulos, ſed gentem in genere. Nam fieri poteſt ut inter *Italos* inveniantur quibus adſit *Scythica* feritas, & inter *Scythas* reperiantur qui liberales calleant diſciplinas, qualis olim fuit *Anacharſis*, ſed utrumque rarum fuerit, ſicut apud *Myconios* rarum erat inveniri criſpum. Nec video quo conſilio *Curſius* hîc admiſceat *Pœnum*, fortaſſis ut obſcuret diſſimilium nationum collationem. Atqui *Pœnus* extremo loco mihi ponitur, duobus exemplis ab *Italo Scytha*que diremtus. Quid igitur poſtulat *Curſius*, ut *Italum* pronuntiemus ita bellacem quemadmodum *Scythæ*, *Thraces* & *Cares* dicuntur bellaces? An hoc illius animo non erit ſatis, ſed exiget ut dicamus *Italum* omnibus illis barbaris nationibus bellaciorem? Tum vero mihi viderer *Italiam* inſigni adſperſiſſe ignominia, meritoque in me provocaret omnium militum gladios, omnium eruditorum calamos. Res ipſa opinor jamdudum clamitat, nihil hîc eſſe quod quenquam *Italum* cordatum poſſit offendere, & qui hanc ſcribendi materiam *Curſio* ſuggeſſerunt, eos ridendi quæſiſſe occaſionem. Jam mihi vide, lector, *Curſius* ex una vocula quantos excitet tumultus. Fingit me impotenti militum *Italorum* odio flagrantem atque etiam occæcatum, tam indigne totius *Italica* nationis bellis partam gloriam conſpurcaſſe, ut pro ea vindicanda *Itali* omnes, qui non aquis pluviis, ut ait, ſed vivo orationis flumine exundant, dicendi facultate contendere, qui bellicarum virtutum ſtudio gloriaque trahuntur, gladiis, telis, equis, velis depugnare digladiarique debeant. Et exclamat interim μάλα τραγικῶς, ô cœlum, ô mare, ô terra! quod *Italos* milites, quorum in bello tam excellens eſt virtus (utar ipſius verbis) ut humano captu nequaquam, vix etiam ipſo cœlo comprehendi queat, imbelliæ ignaviæque damnarim, & omnium nationum victores ipſis etiam *Gamphaſantibus* omnium nationum ignaviſſimis judicarim poſthabendos, cum mihi nec dux nec miles *Italus* unquam venerit in mentem: ac dira minatur, niſi mox *Steſichorum* imiter, canamque palinodiam. Cæterum cum *Criſpus* ille *calvus* ante tot annos volitet per manus hominum, tamen fugerat *Petrum Curſium*, & lateret etiamnum, niſi forte quidam illi locum in Adagiis commonſtraſſet. Quod ubi factum, ſubſtitit *Curſius* ſic perturbatus, ut ipſe dubitet, attonitone an irato fuerit ſimilior: tantaque ſtomachi procella concitata eſt, ut minimum abfuerit quin diruptis omnibus modeſtiæ repagulis velis remiſque in me inveheretur, niſi pro *Pallade Marius* impotenter efferveſcentem, ad hanc qua nunc uſus eſt temperantiam revocaſſet. Quis obſecro credat ὑγιαίνειν qui de nihilo tantos excitet tumultus? Illud de ſuo addit: *Credo*, inquit, *quod quoniam in certam hanc veneras opinionem, Latinas litteras* Italis *jam penitus abs te eſſe præreptas, rei quoque militaris præſtantiam à tuis jam* Germanis Italo *præreptam, poſteritati inſinuare es conatus.* Quod cum ſit ſeditioſiſſime dictum, tamen abſque riſu legere non potui. Nunquam mihi curæ fuit, utra natio bellicis laudibus anteiret. Utinam *Helvetia* & *Germania* minus eſſet bellax quam antehac fuit! Quanquam ea jam ſtudiorum commercio fit mitior. Quod ad eruditionem attinet, ego de *Italorum* ingeniis ſemper & magnifice ſenſi & honorifice prædicavi, nec meas litterulas unquam tanti feci, ut vel *Germanum* quenquam præ me contemſerim, neque quicquam fateor libentius quam omnia mea eſſe infra mediocritatem, tantum abeſt ut exiſtimem litteras Latinas per me præreptas *Italiæ*. Jam tametſi non eſt philoſophicæ mentis, cuiquam nationi addictum aut averſum eſſe, quod nulla ſit gens quæ non ex bonis maliſque permixta ſit, tamen in nullam à teneris annis animo propenſiore fui quam in *Italicam*. Eum affectum non alia res in me genuit quam ingeniorum & eruditionis admiratio, qua tum maxime florebat *Italia*, cum apud noſtrates ubique regnaret horrida barbaries, & omnis litteraturæ politioris odium capitale. Magnoque ſtudio frequenter molitus ſum iter in *Italiam*. Primum adoleſcens annos natus fermè ſeptemdecim. Rurſus ex *Hollandia* annos natus xx. Iterum è *Lutetia* natus annos xxviii. ſed ſemper quaſi fatis ab inſtituto ſum repulſus. Tandem à *Guilhelmo Montjoio* diſcipulo pertractus in *Angliam* cum multæ offerrentur, nullam conditionem recipere volui priuſquam viderem *Italiam*, idque feci diſſuadentibus amicis omnibus, jam accedens ad annum quadrageſimum, mihique præter eximias regionis dotes, tantopere placuit illius gentis ſimplicitas, ſobrietas, civilitas, candor & humanitas, ut *Romæ* ſtatuerim figere ſedem, in eaque velut in communi patria conſeneſcere: idque adeo feciſſem, niſi promiſſis montibus aureis in *Angliam* fuiſſem retractus verius quam revocatus. Interea cum apud *Italos* agerem, cum eruditis qui ſupererant non vulgaris mihi amicitia interceſſit, *Bononiæ* cum *Paulo Bombaſio*, cujus ingenio nihil unquam ſum expertus candidius; *Venetiæ* cum *Baptiſta Egnatio*, *Aldo Manutio*, *Hieronymo Aleandro*, *Urbano Regio*. *Romæ* cum *Scipione Carteromacho*, viro citra omnem oſtentationem undecunque docto. Is frequenter in cubiculum meum ſolet improviſus obrepere, & aliquot horas pomeridianas fabulis litteratis fallere. Neque

Digitized by Google

mensa tantum crebro mihi fuit cum illo communis, sed aliquoties eodem lectulo dormivimus. Idem adjunxit mihi *Ægidium Viterbiensem*, qui post adscitus est in ordinem Cardinalium. Cum *Petro Phædra*, cujus eloquentiam tum *Roma* pro *Cicerone* mirabatur, mihi fuit propinqua familiaritas, cum *Julio Camillo* me nonnunquam eadem junxit culcitra. Cum *Francisco Spherula* & *Philippo Beroaldo* juniore mihi fuit amicitia. Breviter cum nullo vel mediocriter erudito fuit unquam ulla contentio. Nam heroes illi, quorum scripta semper veneratus sum, jam è vivis excesserant, *Hermolaus Barbarus*, *Angelus Politianus*, & his posterior *Philippus Beroaldus*, cujus paulo ante defuncti *Bononia* spirabat adhuc memoria. Ægre & invitus reliqui *Italiam*. Verùm ubi reversus essem in *Angliam*, & hinc in *Brabantiam*, cum nulla natione mihi melius convenit, neque jucundior fuit consuetudo quam cum *Italica*, nec de ulla candidius tum sensi, tum prædicavi. Possem id compluribus exemplis docere, si res urgeat. Unde igitur nunc fingitur istud terque quaterque cæcum *Italici* nominis odium? An quod lacessitus *Pii* non pias calumnias depuli? nec honoris illius causa hæreticus haberi sustinui? An quod in *Ciceroniano* taxo eos qui perperam & inepte *Ciceronem* imitantur? Eosdem palam irridet *Quintilianus*, & horum similes *Horatius*,

O imitatores servum pecus!

Neminem, ut ait *Cursius*, illic *Italum* probo. Imo neminem illic nomino, cui non candide tribuam quod illi debetur laudis, nonnullis etiam aliquid ultra meritum admetior. Num improbantur omnes qui non exacte referunt *Tullianam* phrasim? Rejicientur igitur *M. Varro*, *Salustius*, *Seneca*, *Quintilianus*, *T. Livius*, *Cornelius Tacitus*, *Val. Maximus*, *Aulus Gellius*, uterque *Plinius*, quorum oratio multum recedit à *Tulliana*. Quanquam ibi *Sadoletum* & *Bembum* patior dici *Ciceronianos*. Sed horum opinor nihil legit *Cursius*, tantum ex delatis contexuit Apologiam. Fingor *Ciceronis* hostis & osor implacabilis, cujus ingenium ac reconditam eruditionem magis admiror quam eloquentiam. Eloquentiam autem sic admiror, ut palam & ingenue & ex animo fatear, omnes qui per se sunt facundissimi, ad hunc collatos obmutescere. Sed aliquid ibi detrahitur laudibus *Ciceronis*. Quid mirum si *Ciceronem* habemus pro homine? solus enim Deus est, in quo nihil desideres. Quanquam ea referuntur illic à Priscis præjudicata, idque non mea sed aliena persona. Si nihil horum recipiunt, quid facient illi qui nuper Dialogum edidit de *Cicerone* relegato & revocato? Quæ convitia quam atrocibus verbis illic referuntur in *Ciceronem* ab homine *Italo*? Tot locis in meis lucubrationibus & Epistolis laudatur *Italia*, atque his omnibus dissimulatis profertur vocula *bellax*. Objecit & *Pius* odium *Italiæ*, quod citra nomenclaturam notassem quorundam eruditorum impietatem. An odit universam *Italiam*, qui in certis *Italis* aliquid virtutis desiderat? Quid igitur supereſt, nisi ut omnium nationum hostis & perduellio judicer? Quod si postulant ut credamus in *Italia* non nasci nisi Deos, quid facient tot fabulis eorum qui domum reversi narrant quid in *Italia* viderint? Imo quid si quis referat, quid *Itali* vulgo jactent in *Italos*, in *Jannenses*, in *Bergomates*, in *Florentinos*? Denique quid *Roma* privatim ac publice jactent in quosdam eruditos, idque nominatim, ne Cardinalibus quidem ac summo Pontifici parcentes. At ego *Germanus* nunquam fui tam futilis, ut vulgi fabulas litteris committerem.

Verum ut hæc obiter incidentia missa faciamus, ad *Cursianam* Apologiam redeo. Quo videatur justis de causis huc adductus, ut tam indignam, tam injustam ignominiæ notam *Italis* inustam aboleret, profert, se suosque avos, atavos in *Italia* procreatos, sed has causas habet cum multis *Italorum* millibus communes. Quanquam interim periculum est, ne dum avos, proavos, atavos tritavosque commemorat, *Gothos* laudet pro *Italis*. Siquidem cum essem *Romæ*, quidam eruditi serio fatebantur, heroicos illos viros *Gothorum* aliarumque barbararum nationum esse progeniem, pusillos quosdam, deformes ac macilentos esse veras *Romanæ* stirpis reliquias. Nec illud dissimulabant, pleroſque *Italiæ* nobiles generis originem ad barbaras nationes referre. Cæterum hoc utcunque habet, quando tantum audita narro, licet ab *Italis*, justiore titulo *Cursius* suum commendasset officium, si non modo commemorasset quod in *Italia* natus sit, verum etiam quod illic in *Christo* renatus omnes Satanæ pompas abjurarit, demum & per Sacerdotii dignitatem *Christo* factus sit conjunctior. At in illis quæ illic abjuramus, adsciti in *Christi* imperatoris militiam, opinor esse & illas æternas belli glorias, ovationes ac triumphos, è devictis hostibus reportatas. Christiano Sacerdoti, mea quidem sententia, magis convenit, ad bella exhortari quæ sub *Christi* vexillis Spiritus Sancti copiis geruntur cum vitiis, & in hoc eloquentiæ nervos omnes intendere, ut *Christi* majestas per universum Orbem inclaresçat, & hujus virtus intimis sensibus omnium commendetur. Nunc in hoc tam prolixo sermone, cum bellatorum laudes ultra nubes attollantur, totiesque legamus, Diis hominibusque invitis, multisque in Deos atque homines impie nefarieque commissis, & ab *Italia* nationes omnes Deorum cultu superatas, Et, *cave per Deos obsecro*, nusquam tamen nominatur *Christus*, cum multis verbis destomachetur in *Aquilonem* Christianæ Religionis violatorem. Non id criminis loco commemoro. Existimo *Cursium* hominem esse pium, sed studio & usu nitide loquendi, *Christum* illi non venisse in mentem. Quin & alios audio esse, qui cum se Sacerdotes atque adeo Theologos profiteantur, justis voluminibus commendent bellum, non laicis tantum, sed Episcopis quoque & Monachis. Id præter quam quod est parum decorum, nihil opus est nostris hortatibus ad bellandi studium. Non desunt improbissimi exstimulatores. Quinam, inquis? Ambitio & regnandi cupido, avaritia, ira, superbia, stultitia, temeritas, ut nihil opus sit Sacerdotes ac Theologos canere classicum. Fortasse vetus exemplum revocabitur, ut posthac, juxta *Mosi* præceptum, Sacerdos militibus prælium inituris sit loco tubæ: *Nolite timere, nolite cedere*. At mea sententia Christianum Sacerdotem magis decet à bellis deterrere, & laicos ad arma spectantes in concordiam redigere. Et haud scio an sibi persuaserint esse Ecclesiastica dignitate reverendos, qui malint esse belli duces quam id quod esse deberent, seque decentius galea quam mitra credant ornari.

Quandoquidem hic Libellus visus est dignus qui & *Romæ* excuderetur, & *Paulo* tertio P. M. dedicaretur. Quanquam id à quibusdam studio persuasum arbitror, ut hominis simplicitatem magis etiam traducerent. Sed his fundamentis feliciter jactis rem aggreditur, ingentem fortissimorum militum ac ducum turmam mihi proferens. Egregium vero campum nactus est, in quo decurrat *Cursius*, si mihi referre pergat quicquid facinorum vel ante, vel post Urbem conditam ad hanc usque ætatem gestum est ab *Italis*, sive in monomachiis, sive in bellis terrestribus ac navalibus, sive in bellis intestinis, sive in bellis adversus exteras nationes. Ait vir æquus, *Curiis*, *Fabiis*, *Scipionibus*, aliisque nimium priscis non vult gravare me. Recentioribus nostraque memoria gestis uti mavult, in quibus tamen multa sunt quæ multo post editum calvi proverbium gesta sunt, cum interim me appellet, an ideo putarim *Italiam* imbelliæ damnandam, quod *Româ* sit per *Borbonium* occupata. Similiter in singulis fere narrationibus me quasi conscium appellat. At ego ut simpliciter quod res est fatear, quemadmodum è ducum nominibus vix duo aut tria agnosco, ita gestorum nunquam fui curiosus, nec ad ullas fabulas minus attentus esse soleo, toties expertus quam multa sint belli inania, ut vix unquam audierim duos qui eidem prælio interfuerant in narratione consentientes. De fide

Digitized by Google

fide Scriptorum alii viderint. Cum *Alvianus* à *Venetis* conductus trucidaſſet *Germanos*, qui pauci numero per invia Alpium irruperant in *Italiam*, eram *Venetia*. Ipſum *Alvianum* non vidi, quanquam invitatus ſum ab eo ad cœnam. Atqui ſi referam quæ mihi de rebus ibi geſtis narrarunt, non *Germani* ſed *Itali*, nec quilibet *Itali*, ſed quibus erat cum *Alviano* familiaritas, mihique ceu *Germano* eam victoriam exprobrabant, cum id temporis nondum pedem in *Germania* poſuiſſem, tum quæ in navigiis audivi ab *Italis* militibus qui ei prælio interfuerant, res multum abeſſet ab ea ſpecie quam nobis verbis exaggeravit *Curſius*. Verùm id mea nihil refert, per me quidem milites *Italiæ* omnes ac duces, *Achilles* aut *Diomedes* ſunto. Quod geſſit Ducis *Lotharingiæ* frater adverſus Ruſticorum manum, è propinquo audivimus, de *Italorum* manu nihil accepimus. Et ea res longe ſecus habet quam ad *Curſium* delata eſt. Ait triginta millia fuiſſe trucidata. Vix erant decem millia. Nec agebatur de Religione Chriſtiana, ſed Agricolæ cupientes herile jugum excutere, ducibus aliquot latronibus moverunt eos tumultus. Itaque vereor ne *Curſius* in cæteris quoque commemorandis ſimili fide ſit uſus. Porro quoniam illic *Alviani* nomen aliquot paginas explet, credas laudari non mercenarium ducem, ſed *Camillum* quempiam aut *Scipionem*, qui pro tuenda patria ſemet omnibus periculis objecerit. Subolet mihi in cujus gratiam hoc argumentum ſuſceperit *Curſius*. Nihil igitur ſupereſt, niſi ut *Alvianum* inter bellaces Deos relatum hoc carmine conſalutemus,

Alviane Dii beent
Te qui beaſti Oenotriam.

Verùm hæc mihi prorſus extra cauſam dicuntur, quando mea nihil refert quantum quiſque laudis putet in belli peritia militibus *Italis* tribuendum. Quæ voces vulgo de *Italorum* fortitudine volitent, me nihil unquam moverunt, nec ſuper hac re cum quoquam unquam tria verba commutavi. *Curſius* mavult *Italum* bellacem, quam diſertum, ego malim omnes eſſe pacificos, *Scytharumque* ac *Thracum* diſſimiles. Mihi probri vice objicit, quod *Phormioni* ſim quam *Annibali* ſimilior. Quaſi pulchrius ducat, impio, perfido & ſanguinario latroni ſimilem eſſe, quam Philoſopho. *Octavium Auguſtum* non inficior multa præclare geſſiſſe in armis, bellacem tamen fuiſſe non verear inficiari. In hujus imperio quod diuturnum tenuit, nihil accidit illi ſpecioſius, quam quod ſub eo *Jani* Templum aliquot annis *Romani* clauſum viderunt. Inter laudatiſſimos Imperatores numeratur *Probus*, & tamen is pollicebatur ſe effecturum, ut Romano Imperio nullus eſſet exercitus. Papæ! quantum hujus viri ingenium aberat à titulo bellacis. Rogat ad quam ætatem ſpectarit meum proverbium. Palam eſt quod ad illam, qua jam *Italia* Græcorum diſciplinis erat exculta: nam antea multum ruſticitatis ac feritatis erat apud *Italos*, vel *Horatio* teſte,

Gracia capta ferum victorem cepit, & artes
Edocuit. ——

Olim enim apud *Romanos* ſumma laus erat, dici bonum virum & bonum agricolam. Nec acceſſio diſciplinarum ademit illis bellandi peritiam, ſed auxit potius, quando, ut ipſe fatetur *Curſius*, prudentia conſiliis animique præſentia veræ fortitudinis laus ac bellicæ diſciplinæ gloria comparatur, non vitæ prodigalitate, non ferina illa rabie, quam barbari pro virtute habent. Atqui eam ferinam rabiem ego bellacitatem appello, & ab *Italis* in *Scythas* transfero, hoc eſt totius hujus controverſiæ caput, atqui hoc ipſum minus eſt quam nihil. Quale vero eſt circa rem frivolam tantum verborum effundere, tam atroces exaggerationes excitare, tam dira minari, tot convitiis impetere? Quid eſt, ſi hoc non eſt ex muſca facere Elephantem? Non eſt copia *Tulliana* in caſſum verba fundere, non eſt rhetorica argumentatio, pro argumentis adducere figmenta, non eſt vera δεινότης, in nugis excitare tragœdiam, & quod nuſquam eſt, ſid verborum præſtigiis in immenſum attollere. Pollicitus fuerat ſe nullo convitio me perſtricturum, cum toties crepet teterrimum mendacium, inaniſſimi impudentiſſimique mendacii illuſionem, quod eo uſque exaggerat, ut futurum arbitretur, ut ipſa rerum natura, aut Deus aliquo terribili oſtento ulciſcatur, quod *Italo* non tribuerim *Scythicam* bellacitatem: nullum enim aliud argumentum hactenus produxit. Atqui hujuſmodi tumultus propius accedit ad *Ajacis* imaginem quam ad *Ciceronis*. *Ajax* cum ſæviret & verbis & verberibus in porcos, tametſi non lædebat eos quibus indignabatur, tamen in animalia ſæviebat, quæ pro fletu grunnitum edebant. *Curſius* adeo ſævit in id quod nuſquam eſt. Solent tirones ad palum exerceri, ſed *Curſius* veteranus eſt. Ridentur qui cum umbris dimicant. At hîc ne umbra quidem eſt ejus rei, quam fingit *Curſius*. Nam umbra licet corpus non ſit, refert tamen aliqua corporis lineamenta. At *Scythica* bellacitas nihil habet ſimile cum fortitudine bellica, quam *Italis* vindicat *Curſius*, ego non adimo. *Paulus* Apoſtolus à pugilum certamine ducit ſimilitudinem, quæ propius id repræſentat quod ſentimus. Οὐ πυκτεύω, inquit, *quaſi aerem verberans*. Hujuſmodi ſpectaculum riſimus in Palatio *Julii* Secundi, quo ad taurea ab amicis quibuſdam eram pertractus: nam ipſe nunquam cruentis illis ludis ac vetuſtæ paganitatis reliquiis ſum delectatus. Ibi quidem intervallis, quæ inter taurum occiſum & alterum in certamen producendum intercedebant, perſonatus proſiliit in medium, ſiniſtram manum habens toga obvolutam, dextra gladium geſtans, omneſque geſtus imitabatur qui ſolent eſſe taurum aggredientium: ſenſim accedens inſidiabatur lateri, mox velut à tauro viſus refugiebat. Interdum velut pertinacius inſequente tauro togam abjecit: nam ea res ſolet taurorum impetum remorari: rurſus quaſi digreſſo tauro, ad togam recipiendam timide accedebat. Nonnunquam & gladius illi quaſi metu excidebat. Interim ſub apſidem lapideam, quæ eſt in areæ medio, ſeſe abjiciebat, quod ſolet extremum eſſe refugium tauro pertinacius urgente. Tandem taurum aliquem exanimem tranſiliebat, equo inſidens, quaſi victo inſultans. Hujus hominis facetia vehementius me capiebat quam cætera quæ illic gerebantur omnia. Ab hac imagine mihi non multum abeſſe videtur *Curſius*. Omni machinarum genere adoritur, *Italici* nominis oſorem, totius *Italicæ* gloriæ prædonem, qui univerſæ *Italiæ* ademit arma, qui cunctos *Italos* eruditos præ ſe fœnum putat. In hunc profertur *Demoſthenis* acrimonia, *Ciceronis* copia, ad hunc opprimendum quicquid unquam ſtrenuorum militum, aut fortium ducum habuit, aut habet *Italia* provocatur, omnium eruditorum ſtyli acuuntur. Sed interim is, quem fingit *Curſius*, & in quem tantus tumultus excitatur, oſor & prædo nuſquam eſt. Nuſquam eſt ille *Batavus*, qui in proverbio calvi, bellicam laudem adimere tentavit *Italiæ*, quique veluti claſſicum, quo efferas barbaraſque nationes ad *Italiæ* vaſtationem excitaret, cecinerit. Quid his dici poteſt atrocius? atqui ſi verba ad rem conferas, nonne ſubito tota tragœdia vertitur in riſum? Verùm quod ad belli laudem attinet, occaſionem qualemcunque dedit *bellacis* nomen perperam intellectum, aut, ſi malint, à me per imperitiam Latini ſermonis ſecus quam oportet uſurpatum. At qua fronte ſumit veluti novæ invectivæ argumentum, quod univerſis *Italis* omnem eruditionis & eloquentiæ gloriam mihi vindicem, tanta inſolentia, ut meis Lucubrationibus tumidus, doctos *Italiæ* ad unum omnes pro fœno cœnoque ducam, qui conſtanter tot teſtimoniis etiam publicatis, in litteris primas tribuam *Italiæ*? Mea vero vel cum *Megarenſibus* nullo in numero poni æquiſſimo animo feram, quibus adeo non turgeſco, ut interdum admirer ullis placere. Quid ni fatear infantiam meam, qui nihil non abortu projiciam, nec unquam à mea deſidia impetrare potuerim,

Digitized by Google

ut vel Epiſtolam eandem bis deſcriberem. Quod ſi facerem, ſi non melius, certe aliquanto minus male ſcriberem, opinor.

Hîc objiciet quiſpiam, ſi tua tibi diſplicent, cur effundis tot volumina? Dicam paucis. Me adoleſcente in noſtrate *Germania* regnabat impune craſſa barbaries, litteras Græcas attigiſſe hæreſis erat. Itaque pro mea quantulacunque portione conatus ſum juventutem ab inſcitiæ cœno ad puriora ſtudia excitare. Neque enim illa ſcripſi *Italis*, ſed *Hollandis*, *Brabantis* ac *Flandris*. Nec omnino male ſucceſſit conatus meus. Ut autem bonæ litteræ ſervirent pietati, ſcripſi *Enchiridion militis Chriſtiani*. Adagia locupletavi, quod primæ Editionis puderet nimium jejunæ. E *Luciano* verti Dialogos aliquot, ex *Euripide* Tragœdias duas, non ob aliud niſi ut quoniam deerat præceptoris copia, ipſe memet in Græco ſermone exercerem. Siquidem in hac parte litterarum prorſus fui αὐτοδίδακτος. Præterea nihil fere ſcripſi, niſi precibus amicorum adactus: nam ipſe malueram alienis legendis animum paſcere. Certe hic animus longiſſime abeſt ab ea inſolentia, ut non dicam omnes, ſed quenquam omnino *Italum*, *Gallum* aut *Germanum*, præ me fœnum eſſe putem. Itaque quemadmodum ducum *Italorum* catalogum citra omnem invidiam legi, ita eruditorum, quos nominatim plurimos recenſet, catalogum magna cum animi voluptate legi, è quibus agnoſco nonnullos, quibuſdam etiam amicis utor. Nec dubito quin multo plures habeat *Italia* quam *Curſii* recenſio. Nec eſt quod mihi minitetur eos aliquando plura edituros quam à me ſunt edita, & fortaſſe digniora (ſic enim ille loquitur) ſiquidem ea res mihi hoc erit jucundior, quo majore luce meam mediocritatem obſcurarint. Si iſta *Curſius* ad me ſcribit, rem officioſam facit: ſi adverſum me, rem abſurdam facit. Ducum gloria ad me nihil pertinet. Eruditorum memoria perquam eſt jucunda. Quare nihil eſt cauſæ, cur *Curſius* toties me obſecret, ut ponam odium *Italicæ* nationis, qui nullius omnino gentis odio teneat, in *Italicam* quam in ullam aliam propenſior: ut ponam eruditorum *Italiæ* contemtum, qui nemini me confero, nedum antepono, & his quoque eruditionis eloquentiæque laudem tribuens, qui me pluſquam hoſtiliter impetierunt impetuntque. Ne id quidem decoris invideo *Italiæ*, quod illi nationum omnium domitrici non ſolum univerſus Orbis debeat plurimum, verum etiam quod illi, ut ſcribit *Curſius*, ipſum quoque cœlum debet, debet, inquam, cœlum ipſum. Quo nomine? Quod Deorum cultu omnes exteras nationes ſuperavit, quodque ſuis quamplurimis civibus in cœlum relatis, cœlitum numerum adauxit, cœlum ipſum reddidit auguſtius, effecit venerabilius. Non enim arbitror illum de *Romulo* ſentire, ſed de Divis quos Pontifices in numero ſanctorum habendos cenſuerunt. Itaque dum ſerio jubeor odium *Italiæ* ponere, ſermonem audire videor non minus abſurdum quam ſi juberer alas & cornua ponere. At quod toties mihi opprobratur, quod in *Italia* didicerim Latinas litteras, atque eadem magiſtra nitorem aliquem ſermonis adjecerim, doleo non eſſe verum. Ego, ut ante dicere cœperam, jam fere quadragenarius *Italiam* adii, non diſcendi, jam enim ſerum erat, ſed videndi gratia. Et utriuſque litteraturæ plus habebam ingrediens *Italiam* quam extuli, quanquam id omne fateor eſſe perquam exiguum. Sed quantulumcunque hoc erat, libris editis declararam priuſquam *Italiæ* limites attingerem, *Lutetiæ* editis Adagiis, aliquot *Luciani* Dialogis, & duabus *Euripidis* Tragœdiis. Quanquam de Tragœdiis ſparſerunt rumorem vaniſſimum, eas eſſe *Rodolphi Agricolæ*, quem mecum fatentur virum fuiſſe doctiſſimum, meque ſuffuratum exemplar pro meis edidiſſe. Quid malitioſius? Cum id temporis de *Rodolphi* Bibliotheca ne ſomniarim quidem, ac tam multi ſuperſint etiam quibus teſtibus hoc negotium peregi, ne id quidem juſta cura, ſed horis fere pomeridianis inambulans dum pranderent famuli, interdum in lecto dum alterum exſpecto ſomnum. Nec ſemel ubi ſucceſſit, uno impetu centum verſus abſolvi. Si dicant parum feliciter verſas, non admodum refragabor, ſed in illis nulla ſyllaba eſt alterius quam mea: nec ullius interpretatione, nec ullis commentariis ſum adjutus: quod ſi eas cenſent *Rodolpho* dignas, magnificentius de me ſentiunt quam ipſe ſentio. Sed illic nihil eſt *Rodolphi*. Alioqui qui favent *Rodolpho*, & omnes illius ſchedas colligunt, an tam impudens furtum ferrent taciti? At quæ tandem eſt illa prudentia, quod hic aut ille dixit in litteras mittere? qualia prodidit ille *Carporum* Princeps, vir eloquens minimeque indoctus: qui perſuaſus ab æmulis ſcripſit *Aldum* fuiſſe herum meum ac magiſtrum, cum ipſe *Aldus* quendam egregie doctum, qui id temporis una mecum in iiſdem ædibus agebat, ſic mecum contulerit, ut diceret illum melius ſcire Græce, me melius Latine. Tantum abeſt ut *Aldus* me Latine docuerit. Hæc non jactandi gratia, ſed dolens refero. Utinam ea fuiſſet mea felicitas, ut totam eruditionem *Italiæ* poſſim acceptam ferre! Qui legunt æmulorum calumnias, par eſſet & meas apologias legere.

Objicit mihi *Curſius*, quod D. *Paulum* phanaticum, D. *Joannem* meros crepare mundos litteris prodiderim, aliaque, ut ait, dictu cogitatuque tam turpia, ut ea mihi pius ac verecundus inimicus exprobrare erubuiſſet. Et hîc exclamatur in impium Religionis illuſorem. Sed quid faciet *Curſius*, ſi reſpondeam iſtarum rerum nihil in meis Lucubrationibus inveniri? An mihi objiciet *Lutheri* Epiſtolam adeo non ſobriam, ut nec iis placeat qui *Luthero* ſunt juratiſſimi? Sed unde nunc tanta apud illum *Lutheri* auctoritas, quem in eodem libello tot convitiis proſcindit? Si quis hoc ad illum retulit, non erat *Curſiana* gravitatis illico credere: ſin legit *Lutheri* criminationem, debuerat & meam legere defenſionem. Quod ſi feciſſet, nihil erat opus iſta ſevera admonitione. At ſi induxit animum credere quicquid ſcribit *Lutherus*, eadem opera credat illa quæ ſcribit in *Romanos* Pontifices & Cardinales. An in me unum veridicus eſt? Exiſtimo jamdudum ipſi etiam *Curſio* exemtam opinionem, quam illi quidam infixerant, nec ipſi, nec mihi bene cupientes. Siquidem mihi perſuaſi, *Curſium* eſſe virum bonum, ac ſedulo quod agit agere. Proinde lubens illum admonuerim, ne ſe poſthac tam facile permittat inſtigatoribus, ſed ſuam ipſius *Palladem* in conſilium adſciſcat. Si ducitur amore patriæ, laudet illam citra cujuſquam injuriam, citraque ſeditioſas comparationes. Nihil enim erat hîc cauſæ cur barbaras, ut ille vocat, ac feras nationes attingeret, & *Germaniam* cum *Italia* committeret, cum in meo proverbio nulla ſit *Germaniæ* mentio. Laudet prudenter ac moderate, ne plus illi conciliet invidiæ quam gloriæ. Laudavit *Virgilius Italiam*, laudavit *Plinius* major jam omni decorum genere florentem. Eam tamen longe moderatius laudarunt quam *Curſius*. Porro luſiſſe eos qui *Curſium* in hoc proſcenium protruſerunt, præter alia multa & illud ſatis arguit, quod in carmine præfixo hæc habetur ſententia, *Etiamſi Germana pubes totum ebibat Rhenum, nihilominus tamen ſtaturum Italiæ decus:* quod utrum ſeditioſius an ſtultius dictum ſit neſcias. Adſcribunt eidem fulmen. Addiderunt mulierem inſidentem ſeptem collibus, mundum manu tenentem, *Eraſmum* dejectum in ſterquilinium: nec deſunt inſignia Pontificis, cui perſuaſerunt Opus eſſe dicandum. Præclare vero de ſummo Pontifice ſentiunt, ſi putant illum talibus libellis delectari! At audio Pontificem ſimul ut ſenſit excudi, juſſiſſe premi, qua occaſione proruperit neſcio. Addiderunt aliud luſus genus. Finxerunt prolixam Epiſtolam velut à me ſcriptam ad *Petrum Curſium*, plenam ſcurrilibus ineptiis: eamque multis exemplaribus per urbem ſparſerunt, affingentes id ita me fieri juſſiſſe: imitati ſunt manum meam, atque etiam phraſim. In ea faciunt *Eraſmum* hoc ſuppliciter agentem cum *Curſio*, ut premat ſuam apologiam, me proxima Editione caſtigaturum ea quibus offenditur. Senſit *Curſius* fucum, ſed in hoc errat, quod

Digitized by Google

quod existimat eam Epistolam à *Calvo* quodam amico confictam in rem meam, cum ipsa res loquatur ab inimicis confictam, & ni fallor ab iisdem qui *Carsium* ad hoc argumentum excitarunt. Festivus vero lusus effingere manum alienam, & alieno nomine quicquid libet in vulgus spargere! Exemplum *Romana* gravitate dignum! Id quoniam bellum videtur, quidam in *Italia* sunt imitati. Atqui quod isti pro lusu habent, olim erat crimen falsi, & famosus libellus, Cæsarumque legibus puniebatur. Et tamen ista fiunt sub oculis summi Pontificis & Cardinalium, qui si cohibeant, clament Urbem non esse liberam. Nec me fugit quis sit princeps istarum intemperiarum choragus. Quod ni vererer offendere Christum, quem unum unice propitium habere cupio, brevi hinc migraturus, depingeretur suis coloribus. Egregium vero strategema, & *Italico* dignum ingenio, si quis ipse sui magnificum scribat encomium, idque alterius titulo evulget! Rursus rabiosos scribere libellos in eos quibus male velis, eosque subornatis nominibus edere! Quod exemplum si *Germani* vicissim imitentur, an non res exiret in seditiosam rabiem? nec enim desunt qui possent atque etiam vellent. Sed ego meos semper ab his intemperiis deterrui. Non hic est Musarum ludus, sed furiarum tumultus, indignus non dicam Christianis Sacerdotibus, sed Ethnicis etiam studiorum cultoribus. Finem faciam, mi *Cholere*: vix enim credas quam mihi videor hoc opellæ male collocasse. Qualecunque tamen est, volui tuam subire censuram, ut tuo arbitratu vel edatur, vel prematur. Quemadmodum enim vix alium habeo qui me sincerius amet, qui patrocinetur ardentius, qui consulat fidelius, ita multis experimentis exploratum habeo, mihi feliciter cedere, quicquid tuis geritur auspiciis.

FINIS.

DESIDERII ERASMI
EPISTOLA APOLOGETICA
DE TERMINI SVI INSCRIPTIONE
CONCEDO NVLLI.

Des. Erasmus ornatissimo viro Alfonso Valdesio, Cæsareæ majestatis Secretario, S. D.

QVOD mihi pro tuo ingenio modestissime significas, idem ex aliorum litteris dilucide cognovi, exstitisse qui Terminum annuli mei sigillum in calumniam vocent, vociferantes intolerabilis arrogantiæ esse, quod adjectum est symbolum, *Concedo nulli*. Quid est, si hic non est fatalis quidam morbus calumniandi omnia? Ridetur *Momus*, qui sandalium *Veneris* reprehenderit, at isti *Momum* ipsum superant, qui in annulo quod arrodant invenerint. *Momos* dicerem, sed *Momus* nihil carpit, nisi quod prius attente perspexerit. Isti φιλαίτιοι, vel sycophantæ potius, clausis oculis carpunt, quod nec vident, nec intelligunt. Tanta est morbi vis. Atque interim sibi videntur Ecclesiæ columnæ, cum nihil aliud quam traducant suam stoliditatem, cum pari malitia conjunctam, jam notiores Orbi quam expedit. Somniant ab *Erasmo* dici, *Concedo nulli*. Atqui si mea scripta legerent, viderent vix quenquam esse tam mediocrem ut illi me præferam, citius concedens omnibus quam nulli. Jam qui me propius ex convictu familiari noverunt, quidvis vitii tribuent potius quam arrogantiam: meque fatebuntur propiorem esse illi Socratico, *hoc unum scio, me nihil scire*, quam huic, *concedo nulli*. Sed fingant animum tam insolentem esse mihi, ut memet omnibus anteponam, etiam-ne tam stultum existimant, ut id symbolo profitear? Si quid haberent Christianæ mentis, interpretarentur ea verba, aut non esse mea, aut aliam habere sententiam. Vident illic sculptam imaginem, inferne saxum, superne juvenem capillis volitantibus. An hæc habet aliquid *Erasmi*? Id si parum est, videant in ipso saxo expressum, *Terminus*, in quam dictionem si desinas, versus erit jambicus dimeter acatalectus, *Concedo nulli, terminus*: Sin hinc incipias, erit dimeter trochaicus acatalectus, *Terminus concedo nulli*. Quid si pinxissem leonem, & addidissem symboli loco, *Fuge, ni mavis discerpi*, num hæc verba mihi tribuerent pro leone? At nihilo sanius est, quod nunc faciunt: nam similior leoni sum, quam saxo, ni fallor. Dicent, non animadvertimus esse carmen, nec novimus Terminum. An igitur posthac crimen erit scripsisse carmen, quoniam illi metricam rationem non didicerunt? Certe cum scirent in hujusmodi symbolis captari etiam obscuritatis aliquid, quod conjecturas intuentium exerceat, si non noverant Terminum, quanquam hoc ex *Augustini* & *Ambrosii* libris poterant discere, scisciari debebant à talium rerum peritis. Olim fines agrorum signo quopiam discernebantur. Id erat saxum è terra prominens, quod ἀκίνητον esse jubebant Priscorum leges, quarum hæc vox est apud *Platonem*, *Quæ non posuisti, ne tollas*. Addita est superstitio, quo magis deterreretur imperita multitudo, à tollendi audacia, dum credit in saxo violari Deum, quem Romani *Terminum* vocant, cui sanum ac festum etiam dicatum, *Terminalia*. Hic *Terminus*, ut est in Romanis Annalibus, solus *Jovi* noluit concedere, quod cum cæterorum omnium sacellorum exauguraciones admitterent aves, in solo *Termini* fano non addixere. Refert *T. Livius* Libro ab Urbe condita I. ac rursus Lib. VI. narrat, quod cum augurato liberaretur Capitolium, Juventas Terminusque moveri se passi non sunt. Id omen magno omnium gaudio exceptum est, quod existimarent portendi perpetuitatem imperii. Juventus ad bellum utilis, & Terminus fixus est. Hic forte clamabunt, quid tibi cum fabuloso Deo? Obvenit, non adscitus est. *Alexander*, Archiepiscopus titulo S. ANDREAE, cum à patre *Jacobo*, *Scotiæ* Rege, *Senis* in patriam revocaretur, mihi *Romam* evocato, velut gratus & amicus discipulus, annulos aliquot dono dedit, habitæ inter nos consuetudinis μνημόσυνον. In his erat, qui in gemma sculptum habebat Terminum. Nam hoc prius ignotum indicavit *Italus* quidam, rerum antiquarum cu-

curioſus. Arripui omen, & interpretatus ſum admoneri me, non procul abeſſe vitæ terminum: nam id temporis agebam annum circiter quadrageſimum. Hæc cogitatio ne poſſet excidere, litteris hoc ſignum imprimere cœpi. Addidi carmen, ut ante dictum eſt. Itaque ex profano Deo feci mihi ſymbolum, adhortans ad vitæ correctionem: Mors enim vere Terminus eſt, qui nulli cedere novit. Atqui in fuſili imagine adſcriptum eſt Græce, ὄρα τέλος μακρῆς βίυ, id eſt, *Specta finem longæ vitæ*, Latine, *Mors ultima linea rerum*. Poteras, inquient, inſculpere defuncti cranium. Forſitan accepturus eram, ſi obveniſſet: ſed hoc arriſit, primum quia fortuito contigit, deinde quod geminam haberet gratiam, alteram ex alluſione ad priſcam ac celebrem hiſtoriam, alteram ex obſcuritate, quæ ſymbolis eſt peculiaris. Habes Apologiam de Termino, ſeu verius de lana caprina. Atque utinam iſti tandem calumniis ſuis terminum ponerent. Lubens enim cum illis paciſcar, ut mutem ſymbolum meum ſi illi mutent morbum ſuum. Ita ſane rectius conſuluerint auctoritati ſuæ, quam clamant per bonarum litterarum ſtudioſos labefactari. Ego profecto tantum abſum à cupiditate lædendi exiſtimationem iſtorum, ut vehementer doleam, quod ipſi ſeſe tam ſtolidis ſycophantiis Orbi propinent deridendos, nec erubeſcant toties cum ludibrio confutati. Dominus te ſervet incolumem & corpore & animo, amice in Chriſto cariſſime. Datum *Baſileæ*, 1. Auguſti, Anno 1528.

DES. ERASMI ROT. OPERVM NONI ET VLTIMI TOMI FINIS.

MARTINI LYDII
APOLOGIA
PRO D. ERASMO ROTERODAMO
OPPOSITA CALVMNIIS EORVM, QVI IPSVM ARIANISMI ACCVSANT: QVAE DOCET QVID IPSE DE SINGVLIS CONTROVERSIS RELIGIONIS DOGMATIBVS SENSERIT. COLLECTA EX IPSIVS ERASMI SCRIPTIS, ET NVNC PRIMVM EX CHIROGRAPHO IN LVCEM EDITA.

AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, ET REVERENDIS

SENATORIBVS
INCLYTAE CIVITATIS ROTERODAMENSIS

JOANNES LYDIVS
S. P. D.

QVOD *de ſe ipſo* (*Ampliſſimi D. Conſules*) Eraſmus *adhuc vivus amico ſuo*, Andreæ Alciato, *ſcripſit*, *id nos verbis ipſius utentes conteſtari poſſumus*: Hoc quod vivo (*inquit*) calamo linguæque debeo. *Hinc factum eſt, ut veterum Theologorum exempla ſibi proponens, placide omnia convitia hoſtium neglexerit. Fuerunt enim multi, qui eum nunc* Erraſmum *ab errando, nunc* Araſmum *ab arando, nunc* Eraſinum *ab aſino vocarunt; quos ille non verbis, ſed riſu ſolo refutavit: non ignorans, magnum illud Eccleſiæ lumen* Cyprianum, *à quibuſdam* Caprianum *dictum fuiſſe. Sed hoc maxime mirandum eſt, id quod in aliis verum eſt, in uno* Eraſmo *fallere Proverbium*, Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit. *Non enim minuitur, ſed augetur in dies numerus eorum qui* Eraſmum *prophanum & impium fuiſſe dicant hominem, & qui Religionis cauſam inſtar* Luciani *riſerit. Recte igitur doctiſſimus parens meus, cum diligenter Epiſtolas & Apologetica* Eraſmi *legiſſet, defenſionem tanti viri ſuſcepit, & ex ſcriptis illius oſtendit, eum de multis articulis bene ſenſiſſe, etſi metu quodam humano Euangelium non tam libere, quam multi alii, ſit primo illo tempore profeſſus. Hoc ſcriptum Patris mei cum clariſſimo Hiſtoriographo, D.* Paulo *G. F. P. N.* Merulæ, *tantopere placeret, ut una cum aliis quibuſdam* Eraſmi *ſcriptis evulgandum putaret, libenter illi communicavi: adjiciens ſimul Epiſtolam* Henrici *Regis* Angliæ *ad* Eraſmum *ſcriptam*, ut omnes rectius de illo diſcant ſentire. Vobis vero, Senatores Ampliſſimi, totum hoc offerendum eſſe omnes clamabunt, quos jus naturæ & civile patronos civis veſtri* Eraſmi *fecit, qui ſtatuam illi in foro publicam erexiſtis, & domum, in qua natus eſt, verſibus certis exornaſtis, ad perpetuam illius memoriam. Oſtendunt iſta vos litteras amare, nec ita Mercaturæ eſſe addictos, ut Eruditioni non omnia poſtponatis. Accipite ergo, viri Reverendi, gratis animis, hoc dilecti Patris mei ſcriptum, quod à* D. Merula *publico bono editur†, & à me veſtro nomini offertur ac inſcribitur. Deus Opt. Maximus vos Patriæ ac Reipublicæ incolumes conſervet.* Veteraquini 1. *Auguſti* (*qui dies, Anno octavo ante natum* Chriſtum, *natalis fuit* Tiberio Claudio *Cæſari, Anno poſt natum* Chriſtum *centeſimo vigeſimo ſeptimo*, Ælio Pertinaci *Imperatori: fatalis* Ludovico *Craſſo* Franciæ *Regi, Anno* 1137.) *An.* 1606.

MAR-

* Habetur in noſtra Editione pag. 1840. † Quod tamen non præſtitit, certis de cauſis, quas ſcire parum intereſt.

Digitized by Google

MARTINI LYDII APOLOGIA PRO D. ERASMO ROTERODAMO.

ORNATISSIMO VIRO, D. DOCTORI, GISBERTO FREDERICO, MEDICO AMSTERODAMENSI, *S. IN CHRISTO JESV.*

PRAECIPVVM hujus ætatis inter plures alios ornamentum fuiſſe *Eraſmum* quoque *Roterodamum*, & organum Dei ad reſtituenda ſtudia linguarum & bonarum litterarum in *Germania* patrum memoria inprimis ſalutare, tibi, ornatiſſime *D. Gisberte*, mecum conſtare ſcio, & Deo ingrati ſunt qui hoc non agnoſcentes aliter judicant. Religionis etiam illum à ſuperſtitionibus repurgandæ ſtudioſiſſimum fuiſſe cum res ipſa tum conteſtationes ipſius * crebro repetitæ & adverſariorum de ipſo querelæ plus ſatis evincunt. Dolet itaque mihi ex animo quoties ab aliis illum in *Arianiſmi* ſuſpicionem vocari, ab aliis tanquam irriſorem omnis religionis accuſari, audio. Collegi itaque in tuam, *D. Gisberte*, gratiam, qui præclare & olim & recens ante biennium de valetudine mea merebaris, ex Epiſtolarum ipſius volumine, quod mediocri diligentia propter hiſtoriam illius temporis cognoſcendam evolvi, tum ex Apologeticis ipſius duobus, teſtimonia: ex quibus rem longe aliter ſe habere, apertiſſime liqueret. Nam veram & æternam *Chriſti* eandemque cum Patre & Spiritu Sancto divinitatem illum agnoviſſe oſtendent, & ſerio illum ſtuduiſſe veram religionem à ſuperſtitionibus vindicare. Teſtatur hunc ſibi ſcopum fuiſſe Epiſt. DXXIV. *ad Turzonem*, pag. 572. A. cum inquit: *Adnixi ſumus Mundum nimis ad ſcholaſticas argutias prolapſum ad Veterum fontes revocare, ac plus ſatis fidentem* Judaicis *Ceremoniis ad vere pietatis ſtudium accendere.* Injuriam ergo illi faciunt, qui diverſum de ipſo affirmant.

Fateor quidem quod aliqua loca Scripturæ, quibus ad probandam Chriſti divinitatem uti ſolemus, aliter ille conſtruxerit ac interpretatus ſit. Sed & ipſe in *Apologia contra Monachos Hiſpanienſes* prolixe & abunde hac de re ſe excuſat: tum *Jo.* etiam *Calvinus* eodem modo teſtimonia Scripturæ aliquot, quibus ad *Judæos* convincendos uti ſolebamus, ſic explicavit, ut contra illos adhiberi amplius non poſſint. Neque tamen ideo reprehenſionem meretur, quia ſolidis, certis, & minime detortis teſtimoniis pugnandum cenſebat. Idem ergo & de *Eraſmo* non judicabimus? Quantum vero vulnus Pontificiæ religioni inflixerit, *Colloquia* ipſius, *Moria*, *Enchiridion militis Chriſtiani*, *Ratio veræ Theologiæ*, & alia ſimilia ſcripta ſatis teſtantur, & oderunt ideo illum etiam nunc quotquot ſerio Pontificiæ religioni ſunt addicti. Certe ſtravit viam *Luthero* his ſcriptis, ſicut objectum ſibi eſſe queritur Epiſt. MCCLXV. pag. 1486. C. Sed ægerrime ferebat *Lutherus* & noſtri, quod non aperte ad ipſius partes, deſertis caſtris Pontificiorum, tranſiret, nec profiteretur ac tueretur *Lutheri* omnia. Verùm ſciendum eſt nec omnia illum dogmata *Lutheri* in iſtis tenebris natum probare ſtatim potuiſſe, & deterruiſſe illum tum hyperbolas *Lutheri*, tum nimis illos vehementes ejuſdem impetus. Indicat hoc multis Epiſtolarum locis. Ad *Melanchthonem* ita ſcribit †: *Abſit ut Euangelica doctrina ſuccenſeam, ſed in doctrina* Lutheri *multa me offendunt; illud inprimis,*

* Vid. Epiſt. DXXIV. pag. 572. A. † Epiſt. DCCXIV. p. 830. D.

A *quod quicquid ſuſcepit defendendum, ibi impendio vehemens eſt, nec unquam facit finem, donec perferatur ad hyperbolen. Eam admonitus adeo non mitigat, ut omnia reddat* ὑπερβολικώτερα. Plurimæ exſtant in eo volumine ſimiles illius voces; cujuſmodi ſunt illæ Epiſt. CCCXXV. p. 334. E. *Multa præclare monuit* Lutherus, *ſed utinam civilius admonuiſſet! Plures haberet fautores & propugnatores, & uberiorem meſſem demeteret Chriſto.* Et Epiſt. DCCXVIII. p. 838. B. *Me quidem præter dogmatum hyperbolas vehementer offendit in* Lutheri *libris amarulentia.* Epiſt. DCVI. p. 682. A. etiam inquit; *Utinam vir ille tantum haberet moderationis quantum habet eruditionis Theologicæ!*

B Perſpicue item illud innuit etiam Epiſt. DCL. p. 761. D. ſic ſcribens: *Cur igitur quidam indignantur* Eraſmo? *qui duas res vellet abeſſe a libris* Lutheri, *quæ potiſſimum ei fidem abrogant, & optimi cujuſque animum alienant: arrogantiæ ſpeciem & maledicentiam immodicam? Et tamen hæc ita inſigniter ſunt manifeſta, ut quamquam amiciſſime defendunt, non habeant colorem quem adferant, niſi ſic commeruiſſe peccata noſtra, ut per tam acerbum objurgatorem ſcorpionibus caderemur. Mihi certe primùm* Lutheri *ſpiritum nonnihil ſuſpectum reddidit illa ſcriptorum ferocia, & nuſquam non parata convitia.* Quid mirum igitur ſi non audebat ſe his partibus adjungere, quarum dux tam aſper & immitis eſſet? C Cum tamen non omnia improbaret in *Luthero*, Medium ſe gerere maluit: ideo ipſi Cardinali *Campegio* ſcribebat Epiſt. DXLVII. p. 598. D. *Nec tamen hæc velim fraudi eſſe* Luthero. *Ego de illo in neutram partem pronuntio, ſuos habet judices.* Et ad ipſum etiam Archiepiſcopum *Moguntinum*, Epiſt. CCCCLXXVII. p. 514. C. eodem modo ſcripſit: (quia adhuc videbatur *Eraſmo* vir bonus: lege Epiſt. *ad Alfonſum Fonſecam* p. 1173. D.) *Ego* Lutheri *nec accuſator ſum, nec patronus, nec judex. De ſpiritu hominis non auſim judicare (eſt enim difficillimum) præſertim in partem pejorem. Oecolampadius* in quadam epiſtola ad amicum quempiam ſcripſerat, (*noſter Eraſmus*) id magnopere ne fiat amplius deprecatur D his verbis Epiſt. DCCXXVIII. p. 848. A. D. E. *Equidem de vobis non pronuntio, relinquens vos Domino, cui ſtatis, aut caditis. ..... Quare delebis illud* (noſtrum Eraſmum) *& iſtam laudem ſervabis alteri loco. ..... Non poſſum periclitantibus & opem noſtram implorantibus* (veſtris) *ſuccurrere apud Pontificem aut Principes, ſi perſuaſum habuerint me veſtrum eſſe.* Et quamvis multis locis (ut Epiſt DCXLIX. *ad Adrianum Papam*, p. 745. D. Epiſt. DXCIV. *ad Bombaſium* p. 663. C. & Epiſt. DI. *ad Marlianum* p. 543. E.) velit videri de nullo articulo ſibi convenire cum *Luthero*, tamen id per infirmitatem humanam, metu, & exiſtimationis ſuæ retinendæ ſtudio, expreſſum ipſi eſſe non eſt dubium, E quia & meticuloſior natura fuit, & nimium pacis ſtudioſus: non enim ab omni culpa ipſum liberare poſſum. Nec diſplicuiſſe ſibi *Lutheri* omnia multis aliis locis ſignificat, in quibus *Lutherum* valde prædicat & excuſat. Singula hæc locis aliquot ex volumine Epiſtolarum ipſius confirmabo. Metum indicant illa verba Epiſt.

Digitized by Google

DXXXVIII. p. 585. C. *Nec tacere mihi licet, nec digna Christo loqui.* Et Epist. DLXXXVII. p. 657. F. *Videbam alteram partem sic instructam & copiis & dentatis libellis, ut malim* Helvetiorum *lanceis objici, quam horum stylis confici.*

Quam fuerit nimium pacis studiosus vel illa verba satis declarant, ubi dicit, Epist. DCXLIII. p. 739. E. *Ego sic odi dissidium, sic amo concordiam, ut verear, ne si inciderit articulus, citius desertur sim aliquam veritatis portionem, quam turbaturus concordiam.* Auctoritatis vero & gratiæ, quam apud summos *Europæ* Reges tantam habuit, ut nemo doctorum nostro tempore habuerit majorem, conservandæ perquam fuisse studiosum declarant ea quæ *Oecolampadio* scribebat hoc modo, Epist. DCCXXVIII. p. 848. A. *Illud reputo, quid sentiat de vobis Cæsar, Pontifex,* Ferdinandus, *Rex* Angliæ, *Cardinalis* Eboracensis, *&c.*

Sunt hæc sane ejusmodi impedimenta, quæ remorari hominem infirmum plus quam efficaciter possint ab agnoscenda veritate, alioquin ab ea non alienum. Non autem vere ab eo dictum esse, *In nullo sibi articulo convenisse cum* Luthero, apparebit primum ex iis quæ hoc scripto de multis controversis articulis, illum communia habuisse cum *Luthero* probavi. Clamant illud ipsi Pontificii, quorum aliqui illum adhuc viventem hoc nomine passim traducebant, imo *Erasmum* ideo appellabant. Sed quid multis opus est refellere, quod de nullo articulo sibi cum *Luthero* convenire interdum scripsit, cum non minus sæpe, ut ante dixi, etiam illum laudet & excuset. Aperte enim sic scribit Epist. DCL. p. 760. C. *Negari non potest quin multa monuerit* Lutherus, *quæ corrigi sit in rem Christianam, quæque Mundus diutius ferre non poterat.* Et ad ipsum Ducem *Saxoniæ Georgium*, summum *Lutheri* hostem, Epist. DCXXXV. p. 731. D. Lutherus, *quod negari non potest, Christi pene abditi negotium, summo cum Orbis applausu, cœperat agere. Atque utinam in scriptis illius non essent tam multa bona, aut sua bona non vitiasset malis haud ferendis!* Et rursus Epist. DCCCCLXXI. p 1094. F. & 1095. A. *Theologi quidam odio* Lutheri *damnant & illa quæ pie sunt dicta, nec a nobis reperta sunt, sed ab Apostolis & Christo prodita.* Hoc modo non tantum laudavit & excusavit *Lutherum*, sed insuper etiam opprimi illum noluit: *Semper correctum malui*, inquit Epist. DI. p. 544. F. & Epist. DLXXII. p. 643. F. *quam oppressum, vel exstinctum. Qualis qualis erat* (ait Ep. DXLVII. p. 599. B.) Lutherus, *certe humanius erat sanare quam exstinguere.* In Epistola ad Rectorem *Erfordianum* scribit Epist. CCCXXV. p. 334. E. *Impium sit* Lutherum *in his quæ recte dixit prorsus indefensum relinquere, ne posthac nemo sit, qui verum ausit proloqui.* Iterum Epist. CCCCLXXVII. p. 514. E. *Optarim pectus illud, quod videtur habere præclaras quasdam scintillas Euangelicæ doctrinæ, non opprimi, sed correctum revocari ad prædicationem gloriæ Christi.* Quicquid sit, quod alibi toties scribat sibi cum *Luthero* de nullo articulo convenisse, non tamen ideo in omnibus illum doctrinæ capitibus Papistam fuisse, id sicut his testimoniorum collectaneis probare instituimus, ita ipse idem aperte fatetur, sic scribens Epist. DCLXXII. p. 790. D. *De certa fiducia salutis sibi adhuc non satisfieri, nec à* Lutheranis, *nec ab* Antilutheranis. Item Epistola DCCCXLVIII. p. 767. F. *Neutram partem esse sobriam.* Epist. DCCCCXCIII. p. 911. D. *Utramque partem ad se trahere funiculum contentionis.* Epistola MCLXXXIV. p. 1400. B. *Se impeti ab utraque parte, quarum altera multos habet pro Catholicis cacolycos: altera pro Euangelicis dysangelos.* In Epistola ad Cardinalem *Sedunensem* inquit, Epist. DCLXVII. p. 781. E. *In utraque parte video quod mihi displiceat, in altera multum mundani spiritus, in altera multum seditiosi.*

Hæc erant accidentia & peccata quorundam, propter quæ non debuisset à recte sentientibus abstinere, nec abstinebat certe penitus: nam & amicitiam his, qui in parte *Lutheri* erant, neutiquam renuntiabat, & occulte juvabat, quantum quidem poterat, Euangelii causa. Non hoc tamen dico, sed illustre affirmationis meæ testimonium exstat in Epist. ad *Gasp. Hedionem*, Epist. DCCXXV. p. 845. E. *Quid agam pro Euangelio*, inquit, *nolim quosvis scire.* Et in Epistola ad *Laurinum* dicit, Epist. DCL. p. 759. E. *Nec ideo submoveo quenquam ab amicitia mea, si paulo propensior est in* Lutherum. Unum adjiciam, quod vel in primis illum à causa *Lutheri* deterruisse facile omnibus certissime persuadebo: nempe quod cum maximam invidiam apud plurimos Pontificios sustineret ex Novi Testamenti & Linguarum bonarumque litterarum restitutione, metuerit, ne, si adjungeret se *Luthero*, plus etiam accederet invidiæ studio huic suo, atque ita magis etiam & speciosius ab adversariis impediretur. Evidentissime hoc testantur loca ista Epist. CCCXVII. p. 322. D. *Adversus* Lutherum *fuimus aliquando iniquiores, ne quid invidia recideret in bonas litteras, quas nolebam amplius onerari: neque enim me fugit quam invidiosa res sit ea labefactare unde messis optima demetitur Sacerdotibus aut Monachis.* Et ad *Pentingerum* Epist. DXLII. p. 591. A. *Sic agunt ut non minus ledant optimas litteras ac linguas quam* Lutherum. *Neque æquum est ob* Lutheri *causam ledere innoxia, imo sanctissima studia, nec expedit sine causa plures in negotium* Lutheri *involvere.* Addebat *Faber* (cujus verba recitat & probat *Erasmus*) esse perpendendum quo fonte natus esset hic tumultus, nimirum ex odio bonarum litterarum, quas nunc malitiosa versutia conantur admiscere *Lutherano* negotio, quo nimirum eodem telo conficiant utrosque, licet multum inter se semotos. Ex his apertissimum est, hujus quoque periculi metum *Erasmum* deterruisse à partibus *Lutheri.* Deterruerunt etiam illum, ut sæpissime queritur, mores Euangelicorum, minime professione Euangelii digni. Hæc certe ejusmodi sunt terriculamenta, ut, inter initia, infirmum non possint non graviter percellere.

Adducor itaque omnino, ut neutiquam ferre patienter possim eos, qui illum lusisse omnes religiones non sunt scribere aut dicere veriti. Longe certe aliud præ se ferunt hæ ipsius voces Epist. DCCXIV. p. 832. B. *Illud polliceor, me nunquam scientem arma sumturum adversus Euangelicam veritatem.* Et p. 833. B. *Nec alio spectavit mea vel cunctatio, vel moderatio, quam ut utrique parti prodessem.* Et Epist. DCCCCLXIII. p. 1087. F. *Ego me sedulo paro ad supremum illum diem, nec unquam committam sciens quod conscientiam hinc demigrantis oneret.* Rursus Epist. CCCXVIII. p. 324. B. *Christum mihi semper iratum imprecor, nisi hoc quicquid est eloquentiæ, quicquid ingenii, id totum gloriæ Christi, Ecclesiæ Catholicæ, sanctisque studiis dedicatum esse volo.* Sic affectus animus certe non est irrisor omnis religionis. Hinc etiam factum est, quod tantopere detrectaret scribere contra *Lutherum*, sicut ad *Fonsecam* scribit, Epist. MXXXIII. p. 1173. E. *Ut ingenue dicam, religione quadam abstinui, ne vel imprudens repugnarem divinæ voluntati, vel pietatis causam redderem deteriorem, si eam tot nominibus impar suscepissem.* Et alibi: *Omnia recusavi quæ Principes mihi obtulerant, ut scriberem adversus* Lutherum. Rursus Epist. DXCIV. p. 664. F. *Proclive dictu est, scribe adversus* Lutherum, *sed ad hoc pluribus opus est quam ad plaustrum fabricandum.* Ex eodem etiam fonte natum est quod tantopere dissuaserit, ne vis adhiberetur aut crudelitas exerceretur in illos qui Euangelium profitebantur. Hinc toties in Epistolis reperiuntur hæ ipsius voces. *Dices* (Epist. DCCCCX. p. 1042. F.) *cum talibus non argumentis, sed fasciculis agendum: Fortasis illud dictat lex humana, sed lex caritatis aliud dictat.* Item Epist. DCCXVIII. p. 839. B. *Magnopere vereor ne carceribus & incendiis malum nihil aliud quam exasperetur.* Et Epist. DCCX. p. 826. D. *Metuo ne carceribus & fasciculis non simus admodum profecturi.* Ex his omnibus liquido me probasse arbitror, quod non fuerit sub-

ſubſannator omnium religionum, ſed quod veritatem in multis agnoverit & amplexus ſit: longius etiam progreſſurus fuerit, niſi illum hyperbolæ, vehementia & maledicentia *Lutheri*, tum etiam natura ipſius nimis formidoloſa, nimiumque pacis ſtudioſa, impediviſſent. Acceſſit ſtudium conſervandæ auctoritatis ſuæ apud Pontificem, Cæſarem, Reges *Europæ* & Principes præcipuos, & ne ſtudio ipſius de reſtituendis bonis litteris major invidia crearetur apud Monachos, ſi *Lutheri* partes ſequeretur. Hæc poſtrema, fateor, non liberant illum lata culpa, ſed infirmitatis humanæ triſtia ſunt teſtimonia, quæ per Spiritum Sanctum in aliis plus, in aliis minus corrigitur. Spero illum hanc ſerio apud Deum ut agnoviſſe, ita etiam deploraſſe, & Dei gratiam impetraſſe. Agnoviſſe autem colligo ex illis verbis Epiſt. DCL. p. 765. A. B. *Si quis* Eraſmum *non poteſt amare ut Chriſtianum infirmum, ſumat in illum quem volet affectum: ego alius quam ſum eſſe non poſſum. Si cui Chriſtus impertiit grandiora dona Spiritus, & ſibi fidit, utatur in Chriſti gloriam. . . . . Saltent bonis avibus inter Prophetas, quos afflavit Spiritus Domini. Me nondum corripuit iſte Spiritus: ubi corripuerit fortaſſe dicar & ipſe*, Saul *inter Prophetas.* Non debet ergo propter infirmitates iſtas, aut grandem etiam culpam plane à nobis abjici & ſperni: ſic ut non agnoſcamus eximia Dei dona in ipſo, & quanta per hoc organon beneficia Deus patrum memoria in genus humanum per *Europam* contulerit, ſed prædicare ejus conſilium ſtudiumque de bonis litteris reſtituendis, ac memoriam ejus grato animo venerari debemus.

Nemo vero imitari exemplum ipſius, in ſtudio neutralitatis, hiſce temporibus debet, ut ſe medium ſemper in cauſa religionis & tanquam ἀμφωτεριζόμενον, *Eraſmi* exemplo, amplius præſtare quicquam velit. Alia enim nunc ſunt tempora, & lux Veritatis hiſce LX. ab ejus morte annis longe clarius enituit. Abunde confirmata ſunt interea dogmata & ſatis luculenter expoſita, de quibus in iſtis initiis varie & minus certo tunc quærebatur, & in utramque partem diſceptabatur: ſic ut mihi dubium non ſit, ſi hiſce temporibus vivere *Eraſmo* daretur, minime Neutralem aut Medium amplius eſſe futurum. Acciderunt interea admirabiles liberationes Profitentium Reformatam Religionem, qui non niſi divinitus à tanta potentia Regis *Hiſpani*, *Galli*, imo ipſius Cæſaris & Papæ, qui jam videbantur Pontificiæ doctrinæ deſertores peſſum dediſſe ac oppreſſiſſe, ſunt cum magna admiratione omnium & contra vim & inſidias ſæpe repetitas aliquoties defenſi. Pericula illa, in quæ incidimus, prævidit & ſummopere exhorreſcebat *Eraſmus*: nos qui dextera Dei protecti ſumus & conſervati, plus ſane animi habere debemus: nec in utramque partem, poſt tot conſpecta miracula defenſionis divinæ in *Gallia*, *Germania*, & *Anglia*, amplius claudicare, niſi plane ingrati eſſe Deo videri velimus. Quanta res fuit reſtituta, poſt bellum *Germanicum*, libertas religionis, Principum captivorum liberatio, Reginæ *Angliæ* & *Navarreni* conſervatio, *Gallicarum* Eccleſiarum, cum poſt lanienam illam horribilem *San-Bartholomæanam* viderentur prorſus exciſæ, reſtitutio: Claſſis illius *Hiſpanicæ* præpotentiſſimæ diſſipatio, & tot molitionum hujus Regis, omnibus Monarchis formidabilis, everſio? Hæc ſane non ſinunt nos amplius ἀμφωτεριζειν, nec potuiſſent non movere (me ſane judice) ipſum etiam *Eraſmum*, ſi hæc ei videre licuiſſet. Si quem vero hæc non movent, illum moveant hæ divinæ vocis commonefactiones, *Qui non eſt mecum* (Luc. XI. Matth. XII.) *contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.* His verbis hoſtes judicat *Chriſtus* illos, qui ſe ſemper medios gerunt. Duo enim hic poſtulat *Chriſtus*; primum, ut ſecum ſint omnes, deinde ut una colligant. Non permittit ergo tibi libertatem ut parti adverſanti *Chriſto* te adjungas. Alterum eſt, ut in Eccleſia *Chriſto* colligenda laborent. Requirit ergo confeſſionem apertam, qua alii etiam ad veritatis agnitionem perducantur. Qui id non faciunt, dicuntur diſpergere: & ſic eſt revera: nam voluntates hominum inter ſe alienant, & hoſtibus feneſtram aperiunt, liberius ovile *Chriſti* perſequendi. Debet ergo hæc *Chriſti* vox altiſſime mentibus piorum eſſe inſculpta, & eos à neutralitate iſta deterrere, ſicut & illæ, *Uſque quo claudicatis in duas partes?* Et 2. Cor. VI. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ pars fideli cum infideli?* Hæc ad te, ornatiſſime *D. Gisberte*, ſic præfari de *Eraſmo* noſtro volui, quæ ut non ſunt ex alio quam benevolo erga te animo, propter collata in me olim felicis curationis beneficia, profecta: ita in bonam etiam partem, ut ſpero, accipies. Vale in *Chriſto Jeſu*. Ex Muſeo meo hoc Auguſto menſe.

Tui ſtudioſiſſimus Martinus Lydius.

QVID ERASMVS ROT. DE PLERISQVE DOGMATIBVS RELIGIONIS HODIE CONTROVERSIS SENSERIT.

CAPVT I.
DE TRINITATE.

IN *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1172. C. Tom. IX. Si quo pacto faviſſem veſaniæ *Arianorum*, cur innumeris locis deteſtarer illorum dogma, vivideque atque expreſſe profiterer, quod qui profiteantur inter Chriſtianos habendi non ſint?

Ibid. pag. 1175. E. Scriptura citra controverſiam appellat Filium Dei, Unigenitum, Joan. I. *Vidimus gloriam ejus quaſi Unigeniti a Patre.* Rurſum cap. III. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Non eſt igitur filius per gratiam, quemadmodum Sancti cæteri. Per naturam ergo. Si natura, natus eſt ex ſubſtantia Patris. At ea cum ſit ſimpliciſſime ſimplex, non poteſt partitione communicari: eadem igitur numero ſit oportet in Patre & Filio.

Ex *Apologia adverſus Monachos Hiſpanos*, Tom. IX. pag. 1023. B. Cum meæ Lucubrationes tam numeroſæ, locis innumeris ingenue, dilucide, vivideque profiteantur de Sacroſancta Triade, quod tradidit Eccleſia Catholica, hoc eſt, divinæ Naturæ æqualitatem in tribus Perſonis, imo, ut expreſſius dicam, eandem individuam eſſentiam in tribus Perſonis, proprietatibus diſtinctis, non natura diviſis; quumque toties deteſter *Arianorum* dogmata, inſignis cujuſdam impudentiæ videtur mihi tam exſecrandæ impietatis ſuſpicionem impingere, quaſi cum *Arianis* ſentiam.

Ibid. pag. 1024. B. Quicquid creatum eſt, initium ſumſit ex tempore. Sed Filius Dei bis natus eſt, ſemel à Patre ante tempora, vel potius ſine tempore, ex vero Deo verus Deus rurſus in tempore, &c.

Ibid. pag. 1026. B. Locus Joan. XVII. *(Ut cognoſcant te ſolum verum Deum)* præter alios *Arianis* præbuit occaſionem erroris, ut dicerent, ſolum Patrem eſſe vere ac proprie Deum, cum quod *(ſolum)* dixit non excludat Filium, ſed ſeparet verum Deum à Diis Gentium.

Ibid. pag. 1027. B. Cum in Symbolo Apoſtolorum *Dei* nomen non expreſſe tribuatur Spiritui Sancto, ego tamen *Numen* appello, quod plus eſt quam ſi dixiſſem *Deus*. Deos etiam homines vocat Scriptura, Numina nequaquam.

Ibid. lit. F. Totius Eccleſiæ caput *Chriſtus* eſt, qui eſt ſuper omnia Deus, benedictus in ſecula.

Ibid. p. 1029. A. In hypoſtaſi *Chriſti* tres erant ſubſtantiæ ſive naturæ; divina Natura, Anima humana, & corpus humanum.

Doceo ſic eſſe eandem Naturam divinam totam in tribus Perſonis, quemadmodum eadem anima tota eſt in ſingulis corporis membris, cum ſit forma ſimplex & indiviſibilis: at divinam Naturam eſſe multo ſimpliciſſimam.

Ibid. lit. B. Sic Pater producit Filium, ut tamen Filio non ſit prior.

In eodem libro prolixe reſpondet ad 21. *Objectiones,*

Digitized by Google

quibus adverſarii illum volebant convincere Arianiſmi *& negata doctrinæ de S. Trinitate, ac maxime divinitate Spiritus Sancti. In hac reſponſione etiam longe evidentius confitetur* Chriſti *& Spiritus Sancti divinitatem, quam in ſuperioribus teſtimoniis ſit factum.*

Cap. II.

De Avctoritate Sacrae Scriptvrae.

In *Apol. contra Alb. Pium*, pag. 1074. B. Cum hîc non agatur de ſententia, ſed tantum de ſtructura verborum grammatica, quam iſti ſomniant impietatem? Si impium eſt aliquid deſiderare in ſermone Apoſtolorum, frequenter impius eſt *Hieronymus* ac Veteres omnes. Imo hæc vitia ſermonis Apoſtolici faciunt ad gloriam Euangelii, non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis prædicati, ne evacuaretur crux *Chriſti*.

Ibid. pag. 1078. D. Lucæ IV. in Annot. deplorat quod in ſacris Codicibus hac occaſione multa loca depravata ſint, dum lector ſtudioſus ex alio transſcribit aliquid in alium: deinde alius quod erat annotatum in margine aut ſpatio dirimente verſus, transfert in contextum. Id eſſe factum frequenter indicamus. Nec tamen hinc periclitatur fides Chriſtiana, quanquam optandum erat in Libris Canonicis nihil prorſus vel additum eſſe vel detractum, idque quantum in nobis eſt agimus. Quod ſi quis contendat nihil omnino per ſcribas orthodoxos depravatum in ſacris Codicibus, apud eruditos nihil aliud lucrifaciet quam riſum; cum & veteres Scriptores & ipſa res aliud loquantur. Quod ſi hoc eſt derogare S. Scripturæ, crimen eſt mihi cum ſanctiſſimis probatiſſimiſque commune: & mira eſt ſcribarum poteſtas, ſi poſſunt abrogare Scripturis auctoritatem.

Cap. III.

De Primatv Petri.

Ex *Apologia adverſus Alb. Pium*, *Carporum Principem*, Tom. IX. pag. 1180. B. Si uni Pontifici totus Orbis debet cedere, quod docet *Pius*, quid opus eſt Conciliis particularibus & univerſalibus? & exſtincto Pontifice quid tunc eſt Eccleſia? Reſpondet *Pius*, nil niſi truncum cadaver: cum (tamen ea) juncta ſit vivo & immortali capiti *Chriſto*. Negat caſum, quem quidam (in Jure Canon.) poſuit, eventurum, ut Pontifex univerſos deduceret ad inferos. Et tamen is, qui ponit, fatetur fieri poſſe, ut Pontifex ſit hypocrita, hæreticus, impius & tyrannus.

Ibid. lit. D. Illud feſtivum, quod ut doceat dominii poteſtatiſque nomina competere in Pontifices, profert illud, *Vos me vocatis, magiſter & Domine:* cur (ergo) ex *Hieronymo* citatur in Decretis relatum, Sciant ſe eſſe patres, non dominos? Cum dominum voco, tyrannicum intelligo.

Ibid. lit. E. De nullo Pontifice pronuntio, ſed quid de quibuſdam totus Orbis ac *Roma* prædicarit, clarius eſt quam ut ſit referendum. Fateor non temere eſſe judicandum de Præſulibus, ſed utinam ab iis nihil fiat, quod excuſari non poſſit? An protinus evertit *Petri* cathedræ auctoritatem, qui deplorat aliquando exſiſtere Pontifices, qui ſub umbra religionis tyrannidem exercent? *Eraſmus* nuſquam dixit, ô φιλαίτιε, eccleſiaſticam poteſtatem eſſe tyrannidem, ſed tales exoriri nonnunquam *Romanos* Pontifices. Quod utinam accidat rarius! . . . . . *Parcat*, inquit, *tibi ſummus Deus*, Eraſme. Imo parcat Deus ſummis Pontificibus, qui tanto ſcandalo ſunt interdum Eccleſiæ *Chriſti*. Et continue: Nihil indignor urbi *Romæ*, nec ibi quicquam venatus ſum, imo illa me complexa eſt humanius quam pro meritis meis. Sed urget me (Adverſarius) num quando viderim *Romæ* quenquam piratam factum Epiſcopum? Omitto quid viderim, audeat ipſe negare nonnunquam ad ſummas dignitates evehi, ſi non piratas, certe homicidas, veneficos, ſimoniacos, ac vitiis aliis non hic referendis obnoxios. Exponat nobis, quid eſt quod ſtomachatur *Hieronymus* à gregibus exoletorum admitti ad Epiſcopi dignitatem.

In Epiſtola *ad Alfonſum Valdeſium*, Epiſt. MXXXI. p. 1166. E. Jureconſulti, qui hanc inutilem contentionem cum aliis multis invexerunt, Pontificem faciunt Solem, Cæſarem Lunam. Equidem probarem exemplum, ſi quemadmodum Sol indefatigabili motu univerſum terrarum orbem luſtrat, illuſtrat & conſervat, ita unus homo poſſet ſingulis Orbis nationibus proſpicere.

In Epiſtola *ad Albertum Arch. Moguntinum*, Epiſt. CCCCLXXVII. p. 515. F. Auſus eſt *Lutherus* immoderatius loqui de poteſtate Romani Pontificis, ſed de qua iſti nimis immoderate prius, ſcripſerant, quorum præcipui ſunt tres Prædicatores, *Alvarus*, *Sylveſter*, & Cardinalis S. *Sixti*.

In Epiſtola *ad Petrum Barbirium*, Epiſt. DCLIII. pag. 766. D. Quæ *Lutherus* ſcribit de tyrannide, avaritia, turpitudine *Romana* Curiæ, utinam, mi *Barbiri*, eſſent falſa!

In Epiſtola *ad Epiſcopum Baſilienſem*, Epiſt. DCLXI. pag. 775. D. E. Nec mihi ſane placet tolli primatum illius Sedis, ſed optarim eam eſſe illius diſciplinam, ut omnibus præluceat ad Euangelicam pietatem enitentibus: quemadmodum aliquot jam ſeculis palam exemplo ſuo docuit, quæ *Chriſti* doctrinæ prorſus adverſantur.

Cap. IV.

De Fide et Operibvs.

Epistola DCL. pag. 764. C. Videbam hinc *Scyllæ* periculum illiciens ad fiduciam operum, quam ego peſtem religionis maximam eſſe fateor.

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1192. B. *Paulus* diſputans adverſus *Judaicam* fiduciam operum *Moſaicorum*, contemnit opera *Abrahæ*, non damnat: contemnit autem, hoc eſt, non vocat in rationem juſtificationis.

Epiſt. DXXVIII. *ad Gerardum Noviomagum*, p. 578. A. Mihi dolet ſic obrui doctrinam Euangelicam, noſque cogi tantum, non doceri: & doceri ea, à quibus abhorrent, & ſacræ Litteræ, & ſenſus communis.

Epiſt. MLIII. *ad Jodocum Juſtum*, pag. 1193. C. Quæ *Lutherus* deſtomachatur in noſtros, veriora ſunt quam vellem. De libero arbitrio, De bonis operibus ac meritis, deque ſimilibus, themata ſunt quæ cum fructu pietatis diſputari poſſent inter eruditos; ſi abſit pervicacia Veritatis inimica, & odium excæcans omne judicium. Et quæ *Lutherus* urget, ſi moderate tractentur, mea ſententia propius accedunt ad vigorem Euangelicum.

Vide amplius in De amabili Eccleſiæ Concordia, *Tom. V. pag. 469.*

Cap. V.

De Indvlgentiis.

In *Apologia adverſus Monachos Hiſpan.* pag. 1090. C. Nemo dubitat quin Epiſcopus de pœnis Eccleſiaſtica cenſura inflictis poſſit ſuis aliquid remittere, ſi videatur id expedire ſaluti, vel gregis, vel ejus cui indicta eſt ſatisfactio. Porro quantum Indulgentiæ valeant apud inferos, opinor ipſum etiam Romanum Pontificem dubitare.

Epiſtola MDLXXII. *ad Botzemum*, pag. 1226. F. Condonationes Pontificias, dum intra modum conſiſterent, olim reverenter accipiebat populus: cæterum ubi redemtores ac Monachi quæſtus ſui gratia incredibili pompa eas invehunt, immodice prædicant, avariſſime exercent, dum ſine fine omnia templa cruce & ſcrinio rubente plena ſunt, dum ſingulis columnis affixa ſunt inſignia Pontificis cum triplici corona, dum quoſdam etiam adigunt ad eas emendas, minimo minus ruperunt & hunc *(concordiæ)* funiculum.

Cap.

Digitized by Google

CAP. VI.

DE CVLTV SANCTORVM ET EORVM INVOCATIONE.

EPISTOLA DCCCCLXXIV. pag. 1199. F. Considerent quanta fuerit superstitio in cultu Divorum, & videbunt nostram admonitionem maxime necessariam fuisse. Gratissimus Divis cultus est, si quis illorum vitam imitetur, tametsi à nullo certius exemplum vitæ petitur, quam ab ipso *Christo*. Ad verum cultum provoco. Sed superstitiosus cultus istis erat utilior, & hinc vociferatio.

Epistola DCCXLVI. *ad Natalem Beddam*, pag. 869. A. Si pateris me aliquam partem veri in sinum tuum effundere, quid opus erat hoc inter articulos *(accusati)* notare, quod scripsit, à concionatoribus rectius invocari Spiritum Sanctum quam *Mariam* Virginem? Fit, inquis, injuria laudabili consuetudini. Ut laudabilis sit hodie, certe Veteres hanc laudabilem consuetudinem nescierunt. *Hieronymus* in singulis pene præfationibus commentariorum, quos scripsit in Prophetas, meminit de invocando auxilio Spiritus divini, de invocanda *Maria* non meminit. Verùm, ut donemus esse laudabilem, quid peccat qui ostendit quod sit laudabilius? Quale vero est ob hujusmodi nænias virum talem in vitæ famæque discrimen vocare?

Epistola DCCCCLXXIV. pag. 1104. B. Docendus erat populus, Divos venerandos quidem, non adorandos latria quæ dicitur. Perfectius esse à *Christo* petere quicquid impetrare volumus. Tutius esse *Christum* nobis imitandum proponere, quam quemvis Divorum: Divos religiosissime coli benefactorum imitatione.

Epistola MXCIII. *ad Sadoletum*, pag. 1270. D. Primum, constat nullum esse in divinis Voluminibus locum, qui permittit invocare Divos: nisi fortassis huc detorquere placet, quod dives in Euangelica parabola implorat opem *Abrahæ*. Quanquam autem in re tanta novare quicquam præter auctoritatem Scripturæ merito periculosum videri possit; tamen invocationem Divorum nusquam improbo, nec improbandam sentio, modo absit superstitio, quam aliquoties noto, nec id sine causa: superstitionem enim interpretor, cum omnia petuntur à Divis, quasi *Christus* sit mortuus: aut cum hoc animo Divorum opem imploramus, quasi sint exorabiliores Deo; aut cum à singulis peculiaria quædam petimus, quasi hoc præstare possit *Catharina* quod non potest *Barbara*: aut cum illos inclamamus, non ut intercessores, sed ut auctores eorum bonorum, quæ nobis largitur Deus. Hæc admonere non arbitror tibi impium videri, ne supervacaneum quidem sat scio, si prodigiosam nostratium hac in re superstitionem cognosses.

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1162. D. Jam hoc ipsum superstitiosum est, sibi ex *Christophori* conspecta figura polliceri, quod nec ex *Christi* corpore conspecto debebant polliceri, nisi corrigerent vitam. . . . . Latet hic tertia superstitio, quod vulgus imperitum non hæc corporum commoda petit à *Christo* per Divos intercessores, sed ab ipsis Divis velut auctoribus. Dicent, Non ista facit Ecclesia. Fateor, nec Ecclesia distribuit singulis Divis singula munia: sed hoc facit imperitæ multitudinis superstitio: dissimulant quidam sacerdotes, quibus quæstus dulcior est *Christi* gloria. Supereſt quarta superstitio, quod hæc externa petunt à Divis, non respicientes ad *Christum*, sed ad carnis affectus. Quod si taxandus est qui longævam vitam petit à *Christo*, ut diutius fruatur deliciis hujus Mundi, multo justius taxandus, qui eadem simili animo petit à *Christophoro* aut *Barbara*.

CAP. VII.

DE VENERATIONE DEIPARAE VIRGINIS.

IN *Apolog. contra Alb. Pium*, pag. 1163. F. Quis autem negat beatam Virginem esse dignam honorificentissimis titulis, sed tamen non omnes illi æque contendunt. Si mare est hic Mundus, in quo navigamus dum in corpore vivimus, si stella Cynosura aut Helice, à qua non oportet oculos dimovere, si portus, vita æterna est; *Christus* est potius stella maris, qui dixit: *Ego sum via, veritas, & vita, qui sequitur me non ambulat in tenebris*. Neque nescio tamen hæc omnia commoda interpretatione posse defendi, sed eadem commoditate defendi possunt & illæ preces, quæ suspenduntur in Templis, quæ excuduntur à Typographis, in quibus à beata Virgine petunt, quicquid peti poterat à Deo; odium peccatorum, veram confessionem, sinceram ac stabilem caritatem, spem, denique vitam æternam: nam dat quadantenus, quæ genuit illum, qui hæc omnia largitur. Rursus dat quodammodo, cujus interventu sunt impetrata. Sed non tutum est longius à Cynosura divinarum Litterarum, ô viri præclari, recedere. Et periculum est, ne istæ commodæ interpretationes inducant nobis pro religione superstitionem: præsertim cum videamus imperitam multitudinem huc adeo proclivem. Comminiscatur humanus affectus sexcentos titulos, nullus est Matri gratior, quam quo maxime glorificatur Filius.

Ibid. pag. 1164. C. Quis præfecit divinam Virginem mari nisi pius, sed superstitiosus, affectus? *Christus* dixit, *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra*.

Ibid. pag. 1165. F. Si est fons gratiæ, quid opus est illi dicere, *Ora pro nobis?* Non est probabile eam consuetudinem à gravibus viris inductam, sed ab inepto quopiam, qui quod didicerat apud Poetas propositioni succedere invocationem, pro *Musa* suppositit *Mariam*.

Ibid. pag. 1166. C. In Ecclesia canitur, *Monstra te esse matrem*, hoc est, auctoritate materna impera Filio, ut audiat preces nostras. Sed Filius in convivio nuptiali *(in Cana Galilææ)* non fert imperium matris de vino. ..... Si Virgo potest imperare Filio Deo, quid opus est nos esse Deo supplices? In has superstitiones, in has blasphemias erat exclamandum, O mores, ô leges! A *Christo* pendet salus nostra, cui & ipsa Virgo debet suam salutem. In *Christo* jubemur gloriari, non in beata Virgine.

In *Apologia contra Monachos Hisp.* pag. 1087. A. Virgo optime colitur imitatione..... Si Virginis cultum obliterant qui *Christi* cultum ubique prædicant, ego me de illorum numero profiteor. In *Christo* fixa est nostræ salutis sacra ancora, non in Virgine.

Epistola MLVIII. pag. 1204. E. Theologorum vulgus Scripturam universam ad scholastica quædam dogmata velut ad gnomones examinat, minimum tribuit priscis Ecclesiæ Doctoribus. Nunc discimus *Christum* in negotio à Patre delegato debuisse Matri obedientiam; eique nunc cum Patre in cœlis regnanti Matrem pro sua auctoritate posse imperare, juxta illud, *Monstra te esse matrem*.

CAP. VIII.

DE IMAGINIBVS.

EPISTOLA MXCIII. *ad Sadoletum*, pag. 1270. F. Jam graviori periculo vicina est Imaginum adoratio, ad quam nobis adeo non suffragatur Scriptura, ut graviter etiam deterreat: nam si placet subtile *Scoti* commentum, Imagines eadem adoratione adorandas, qua sunt adorandi quos repræsentant, magnopere crassi fuerunt illi Veteres, qui tanto studio obstiterunt, ne quid imaginum in templo Christiano reperiretur. Ad hæc, si non idem adorandi genus competit imaginibus Dei ac Divorum, cum populus æque ante Divorum imagines adaperit caput, procumbit in terram, adrepit genibus, exosculatur à contactu manus, affricat strophiola, qua tandem nota discerneres adorationis genus? Quid nunc de illis loquar, qui perinde fabulantur cum Imaginibus quasi sensum habeant, nec similiter affecti sunt in omnes *Christi* ac Divorum imagines, sed ab his sperant quod ab illis non auderent petere.

Epist. DCCCCLXXIV. pag. 1104. B. Docendus

Digitized by Google

erat populus, Imagines nihil esse nisi signa, idiotarum animis data..... Perfectius esse, tollere sursum animas ad *Christum* sine imaginibus corporeis, quam per imagines..... In templo non convenire quaslibet imagines, sed in his modum & decorum esse spectandum.

Vide Lib. De amabili Ecclesiæ Concordia, *Tom.* v. *pag.* 469.

Cap. IX.
De Confessione.

Epistola eadem, pag. 1099. D. Formam Confessionis, quæ nunc in usu est, à *Christo* institutam fuisse, nec est verisimile, nec quisquam adhuc docere potuit. Si quis doceat, me quidem est habiturus applausorem: quam tamen interim ita doceo servandam, quasi *Christus* instituerit..... Jam cum totus Mundus plenus sit fabularum de flagitiis ac sceleribus, quæ sub umbra Confessionis admittuntur, indignantur mihi quod moderatissime quædam attigerim: nec reputant, quam multa pudore Christiano siluerim ejus generis, ut vel sola commemoratio posset lectoris animum inficere. Verùm Monachi complures non amore pietatis urgent hanc Confessionem, sed quod hinc auferant luculentam messem, dum regnant in ædibus divitum, quorum secreta norunt. Considerent lernam malorum, quæ hactenus orta est ex confessionibus, & mirari desinent si quid admonui de recte confitendo.

In *Apologia contra Monachos Hispan.* pag. 1062. E. Confessionem, qualis nunc habetur cum suis circumstantiis omnibus, non adfirmo non esse institutam à *Christo*, sed ajo mihi videri institutam à Patribus ex occasione, cum ipsam & servem & doceam reverenter esse servandam, quasi sit à *Christo* instituta. Ab ipso *Christo* fuisse præscriptam docere non potui, quia nondum ad hoc probandum satis instructus sum: ubi fuero, profitebor & illud. Nec arbitror hoc ab Ecclesia decretum, ut credamus hanc Confessionem, qualis nunc habetur, à *Christo* fuisse traditam. Hìc nihil video quod possit reprehendi.

Ibid. pag. 1063. D. Non in hoc adhibetur pœnitentiæ pharmacum, ut homo semper trepidet ac mœreat, sed ut temporariam ægritudinem excipiat alacritas, ac terrori succedat amor..... Jam præter Ecclesiæ constitutionem, quantum scrupulorum & laqueorum addiderunt Pharisaici quidam, quibus ex hoc aucupio quæstus est uberrimus, & subinde novos addunt laqueos, quasi hoc habeant studio, ne quis omnium tranquillam habeat conscientiam, cum ipsi interim liberrimam habeant conscientiam. Quam multos videmus morientes anxios, trepidos, ac propemodum desperantes, quod dubitent an ex confessione prætermiserint aliquam circumstantiam? Hæc admonuisse pietatis arbitror, & Christianæ caritatis potius quam Hæreseos.

Ibid. lit. F. Anxiam illam ac subinde repetitam recensionem verius quam confessionem, nunquam sensi cuiquam pio cordatoque probari..... Nec hodie Theologi Scholastici negant Confessionem, quantum ad accidentalia, sic enim loquuntur, institutam à Patribus recentioribus, sic ut hinc quædam etiam possint mutari, videlicet ut confiteamur cuivis sacerdoti & non nisi quinquennio, decenniove, aut etiam bis in anno, &c. Imo quidam, libris etiam ex propesso super hac re proditis, videntur simpliciter dubitare de Confessione, An sit tradita à *Christo*, An in Scripturis divinis expressa, An præcepta Jure Canonico per generalem Ecclesiæ ordinationem, juxta Glossam quandam, quæ exstat *De pœn. Dist.* 5. in principio. Quanquam ea Glossa non indicat generalem fuisse constitutionem, cum fateatur Græcos non fuisse obstrictos, nec probabile est ad illos universalem Ecclesiæ constitutionem non perveniisse tot seculis.

In *Apologia contra Alb. Pium*, *Carporum Principem*, pag. 1190. C. *refellit argumenta ex locis Scripturæ petita a Pontificiis ad confirmationem Confessionis, sic enim ibi scribit:* Non contendo, sed admoneo, *Jacobum* (cum dicit, *confitemini alterutrum*) &c. loqui de mutuis offensis. Ejus interpretationis cito auctorem *Bedam*, qui fere sua hausit ex commentariis Veterum, præsertim *Augustini*. Huic certe loco non multum fidunt Theologi, qui maxime satagunt in asserenda Confessione. Omitto quæ refert vulgata de leprosis, quibus dictum est, *Ostendite vos sacerdoti*, deque clavibus, quibus fundamentis nec ipsi Theologi satis fidunt, si quando serio disputant.

Ibid. lit. D. Illud confirmandum erat, non posse remitti quæ nesciuntur singulatim & nominatim, cum remittantur ipsi confitenti ignorata, cum in baptismo remittantur omnia citra confessionem, cum homo possit inimico condonare & quæ novit, & quæ ignorat. Non dico argumentum esse malum, sed egere fulturis.

Epist. DLXXXVII. pag. 655. E. Probavit *Atensis* omnia. Tantum addi cupiebat, *Confessionem hanc, ut nunc exercetur, à* Christo *fuisse institutam.* Ejus dogmatis, quoniam mihi non constabat, auctor esse nolui.

Vide Lib. De amabili Ecclesiæ Concordia, *Tom.* v. *pag.* 469.

Cap. X.
De Ceremoniis.

Epistola DCCCCLXXIV. pag. 1100. A. At quidam clamant, Quis nesciebat in ceremoniis non esse constituendum finem pietatis? Imo quis nescit totam religionem hactenus fuisse redactam ad ceremonias, ac vigorem illum Euangelicum fuisse per eas propemodum antiquatum? Verùm id erat utilius ad quorundam dignitatem & quæstum. Sed *Christus* aliud sitit lucrum, cujus dignitatis primam oportet esse rationem. Commendent se vera pietate, quæ si absit, ceremoniarum pompa quid aliud est quam hypocrisis?

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1152. F. Nos magnam partem Orbis terrarum perdidimus, dum omnes ceremonias ad vivum exigi volumus. Et pag. 1153. B. Quis audivit ætate *Pauli*, eo die jejunandum est sub pœna gehennæ? Abstinendum est ab ovis & carnibus sub pœna gehennæ?

Ibid. Quare *Paulus* pugnabat adversus Ceremonias Judaicas? an quod essent naturæ malæ? Nequaquam, sed quod per hominum superstitionem obscurabant Euangelii gratiam. Quod si idem fit hodie per Ecclesiasticas ceremonias ac simpliciter humanas, non dico eas abolendas, sed contrahendas. Quod si in his obsecundemus quorundam superstitiosis affectibus, nullus erit ceremoniarum modus, neque finis. Quod si recte laudatur *Christus*, qui suave jugum imponens nobis paucissimis ceremoniis, eisque facillimis, collegit Ecclesiam: quid absurdi sit, si Dominum imitantes servi moderatis ceremoniis onerent gregem Dominicum? Hæ si immodice adhibeantur, obruunt Euangelicam libertatem: his fidere, ut fere vulgus hominum solet, pestis est veræ pietatis. Ex his obtrectare fratri, venenum est Euangelicæ Religionis.

Ibidem lit. D. Non probo contumaciam istorum, qui palam & insultantes, velut in ludibrium publicæ consuetudinis, carnes ederunt, sed hactenus damno ut docendos, admonendos, & si res poscat etiam increpandos existimem, non ut parricidii reos deferendos apud magistratus.

Cap. XI.
De Transsvbstantiatione.

Epistola MLIII. pag. 1193. E. Alioqui nullum reperio locum in Scripturis divinis, unde certo constet, Apostolos consecrasse Panem & Vinum, in carnem & sanguinem Domini.

Epist. MXCII. pag. 1265. B. De Eucharistia Prisci religiose locuti sunt, priusquam hoc veniret in quæstionem: fortasse ne nunc quidem evidenter definivit Ecclesia, quomodo sit ibi corpus, sub accidentibus, an sub ve-

Digitized by Google

vero pane. Et mox lit. C. Nec uſquam in Canonicis Litteris invenitur, ubi Apoſtoli certo conſecraverint corpus Domini, ſicut nunc conſecratur in altari; excepto uno loco prioris *ad Corinthios* Epiſtolæ XI. & tamen in X. cap. unde fluxerat hic *Pauli* ſermo, non videtur agi de conſecratione ſacerdotali.

Epiſtola CCCCLXXVIII. *ad Slechtam*, pag. 521. F. Cæterum quomodo illic ſint decem Prædicamenta, & quomodo transſubſtantietur panis verbis myſticis, & quomodo corpus idem poſſit eſſe ſub tantilla ſpecie ac diverſis locis, meo judicio haud multum conducit ad profectum pietatis.

Epiſt. DLXII. pag. 621. Cum ego citaſſem è *Thoma* commentariis, quod opinionem eorum, qui negabant ſub Euchariſtia eſſe verum *Chriſti* corpus, appellaret hæreſim, cæterum eorum ſententiam, qui negarent his verbis *Chriſtum* conſecraſſe, *Hoc eſt corpus meum*, refelleret quidem, cæterum errorem vocaret, non hæreſim: moxque adjicerem mihi videri tutius in totum, ſi proceres Eccleſiæ de hiſce rebus, quæ nec certis teſtimoniis Scripturarum, nec argumentis ſolidis doceri poſſent, non ita definirent, ut opinionem ſuam vellent haberi pro oraculis, tu judicabas ingens illic eſſe periculum, &c.

In *Apologia contra Monachos Hiſp.* pag. 1065. A. *Chriſtum* his verbis conſecraſſe, *Hoc eſt corpus meum*, Et, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, nondum mihi conſtat, expreſſe pronuntiatum ab Eccleſia, etiamſi conſtaret à *Chriſto* nobis traditam hanc conſecrandi formam, & juxta ſpeciem probabilius videtur quibuſdam, quod benedictione conſecraverit. Nec ipſe *Thomas*, nec hoc recentior *Gabriel* diſſimulant, varias Theologorum hac de re fuiſſe ſententias, etiam orthodoxorum; quorum nullus pronuntiat hæreticum eſſe de hoc dubitare, nec ullum adducunt Auctorem, qui hoc affirmarit, præter *Euſebium Emiſſenum*, Auctorem parum ſecundæ famæ, ſi modo illius ſunt verba, quæ referuntur in Decret. *De conſecratione*, Diſt. 2. *Quia corpus*.

Ibid. D. Et ut ingenue fatear, quemadmodum ipſe nunquam hæſi in verbis conſecrationis, ita frequenter optavi certius aliquid, quod, præter Theologorum & Eccleſiæ auctoritatem, contentioſis reſpondeamus. Nunc quod ad corporis ſubſtantiam attinet, ſatis adverſus illos ſumus inſtructi: at de forma verborum non item: rationes enim, quas hîc adfert *Thomas*, cæterique Theologi, non ſunt adeo firmæ, quin poſſint dilui. Quid autem dicemus, cum in Græcorum liturgiis eadem verba non reperiuntur? Et *Auguſtinus* Epiſt. LIX. inter multas orationes, quibus benedici ſolet id, quod eſt in altari, commemorat etiam Precationem Dominicam, veluti clauſulam totius conſecrationis. Et veriſimile eſt Veteres non anxie diſputaſſe quibus verbis finiretur conſecratio, ſed peractis omnibus, quæ ſolent in conſecratione, quam illi, ni fallor, benedictionem appellabant, fieri, certum erat eſſe corpus & ſanguinem Domini.

Epiſtola MXXXV. p. 1180. D. Dogma, quo quidam cuivis tribuunt poteſtatem conſecrandi, abſolvendi & ordinandi, ſemper habui pro manifeſta inſania.

Cap. XII.

De Certamine Eucharistico.

Epistola DCCXC. pag. 908. E. Eam perſuaſionem nuper etiam confirmavit *Oecolampadius* edito Libello tam operoſo, tot machinis inſtructo, ut provinciam difficillimam tradiderit reſponſuris.

Epiſt. DCCLXVIII. *ad Barbirium*, pag. 894. B. *Oecolampadius* tandem emiſit Libellum tam accurate ſcriptum, tot argumentis, tot teſtimoniis inſtructum, ut poſſit vel electos in errorem pertrahere.

Epiſt. DCCLXVII. *ad Natalem Beddam*, pag. 893. E. *Oecolampadius* tanto ſtudio, totque machinis argumentorum idem agit, & tanta facundia, ut ſeduci poſſint, ni vetet Deus, etiam electi.

Epiſt. DCCLXVI. pag. 892. A. Exortum eſt novum dogma: in Euchariſtia nihil eſſe præter panem & vinum. Id ut ſit difficillimum refellere, fecit *Joannes Oecolampadius*, qui tot teſtimoniis, tot argumentis eam opinionem communiit, ut ſeduci poſſe videantur etiam electi.

Ex hoc Eraſmi *quater repetito teſtimonio ſatis liquet vim argumentorum* Oecolampadii *conſcientiam* Eraſmi *pupugiſſe, & aurem illi vellicaſſe, ſic ut veritatem intus ſatis agnoverit. Quid autem illum impedierit, quo minus eandem quoque profiteretur, id apparet ex his ejus verbis, quæ exſtant* Epiſt. MLIII. *ad Jodocum Juſtum*, pag. 1193. E. Niſi me moveret tantus Eccleſiæ conſenſus, poſſim in *Oecolampadii* ſententiam pedibus diſcedere. Nunc in eo perſiſto, quod mihi tradidit Scripturarum interpres Eccleſia.

Atqui Eraſmus *non ſatis veram Eccleſiæ antiquioris ſententiam ſemper expendit: quam aliud ſenſiſſe, ipſe ſatis, quater repetito teſtimonio ſuo, quod* Oecolampadii *de hoc argumento ſcripto præbuit, teſtatus eſt. Hoc revera ita ſe habere liquet ex* Epiſt. MXCII. *ad Tonſtallum*, pag. 1265. C. ubi ſic inquit: Conſtat temporibus Apoſtolorum fuiſſe ſynaxim, quam laici inter ſe faciebant, adhibita precatione & benedictione: & eum *panem* (ut eſt probabile) appellabant corpus Domini; ut frequenter etiam in ſacris Litteris eadem vox Signo & Rei ſignatæ accommodatur.

Sed quid opus eſt verbis, Eraſmum *adeo intus permotum fuiſſe vi argumentorum* Oecolampadii, *ut in verbis* Chriſti, Hoc eſt corpus meum, *tropum agnoſceret, & illi ſententiæ immoreretur, (quicquid etiam alibi ad alios ſcripſit) teſtantur verba illius in lib.* III. Eccleſiaſtæ *ſui, ſeu* de ratione concionandi, *quem non integro anno ante mortem ſuam edidit, ubi ſic ſcribit, p.* 1019. *Tom. V.* At cum Dominus porrigens panem Apoſtolis dicit, *Accipite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*; ſi per tropum, *eſt*, interpreteris, *ſignificat*, aut *corpus* interpreteris *ſignum corporis*, non ſunt defuturi qui tuæ reclament interpretationi. At ſi hunc in modum interpretaris: Hoc ſymbolum, quod vobis exhibeo, ſignificat indiſſolubilem unitatem meam, qui ſum caput corporis mei myſtici, quod eſt Eccleſia, quoniam tropus ſubſervit recto ſenſui, non eſt rejiciendus.

Hinc liquet ergo cui ſententiæ ſit immortuus Eraſmus: *pugnant enim hæc è diametro cum his quæ ſcribit* ad Pellicanum *Epiſt. DCCCXLV. pag.* 963. B. *decem ante mortem annis. Profecit ergo plurimum ab eo tempore.*

Vide Lib. de amabili Eccleſiæ Concordia, *Tom. V. pag.* 469.

Cap. XIII.

De Commvnione svb vtraqve specie.

In *Apologia contra Monachos Hiſp.* pag. 1066. B. Ex verbis, quæ recitant ex Epiſtola mea, quid aliud poteſt colligi, quam me credere quidem auctoritati Eccleſiæ, cæterum cauſas, quas quidam allegant, mihi per omnia non ſatisfacere, præſertim cum ætate *Auguſtini*, &, ut eſt conjectandum, multo poſt, etiam infantibus dari ſoleat Euchariſtia ſub utraque ſpecie, ubi plus erat periculi, ne quid liquoris effunderetur, aut à puero refunderetur, ut ſolent, ſi quid diſpliceat ingeſtum. Optabam igitur cauſas adferri graviores in re tanti momenti, & tamen captivo ſenſum meum in obſequium Eccleſiæ, ſi non reddantur aliæ. Et mox lit. C. Oportet autem graviſſimas cauſas eſſe, quæ perſuaſerint, ut præter veterem totius Eccleſiæ conſuetudinem, præter *Chriſti* traditionem, præter auctoritatem Scripturæ divinæ, dimidium ejus Sacramenti ſubtraherent Laicis. Nec dubito quin habuerint, quas fortaſſis ob offendiculum aliquod premere maluerunt: neque enim per ſe impium eſt, ſub utraque ſpecie ſumere. Alioqui diu rem impiam peregiſſet Eccleſia tum Græcorum, tum Latinorum. Conſtitutionis humanæ eſt quod immutatum eſt.

In Epiſtola CCCCLXXVIII. pag. 519. F. Tametſi,

Digitized by Google

etsi, ut dicam ingenue quod sentio, demiror cur visum sit immutare quod à *Christo* fuit institutum: cum causæ, quas adferunt, non admodum graves videantur.

Cap. XIV.

De Missa.

In *Spongia* Tom. IX. pag. 1663. B. An Missa possit dici aliqua ratione sacrificium, non est de articulis fidei: nec se velle dicit ibidem pro hoc in discrimen capitis venire, nec alium occidere, si judex esset.

Cap. XV.

De Constitvtionibvs hvmanis.

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1182. B. Neque vero protinus arbitror esse piaculum, quod admittitur adversus constitutiones humanas, nisi contemtus accesserit malitiosus. Imo vix arbitror crimen capitale, cui non sit adjuncta malitia, hoc est, perversa voluntas.

Ibid. lit. E. Non probo quod humanis constitutionibus tota pene vita humana oneratur, & quod his nimium tribuitur, pietati minimum: quod his freti simplices studium veræ religionis negligunt, &c. Quid hîc impie dictum?

In *Ratione Veræ Theologiæ*, Tom. V. pag. 107. A. D. Quid igitur dicent homunculi obscuri, qui ob interdictum esum carnium aut his frigidiores constitutiunculas postulant, ut totus homo veniat in capitis periculum? *Christus* clamat, *Non quod intrat in os polluit hominem*, & tu exigis à Christiano, ut ingenti valetudinis dispendio vescatur piscibus? Imo præ te non ducis pro Christiano, qui corporis habitu compulsus, quocunque die, quocunque cibo vescens, gratias agit Deo? . . . . . At nos ad hæc omnia pene surdi, plusquam Judaicis constitutionibus oneramus *Christi* sanguine liberos? ob has calumniamur immerentem?

Cap. XVI.

De Votis et Coelibatv.

Epistola DCCXXV. *ad Gasparum Hedionem*, pag. 846. A. Apud omnes Papistas (sic enim isti vocant) semper liberrime professus sum, matrimonium non esse pernegandum Sacerdotibus in posterum ordinandis, si continere non queant, nec aliud dicerem, si cum summo Pontifice agerem: non quod non præferam continentiam, sed quod nullos pene videam qui servent continentiam.

Epistola CCCCXLII. Append. pag. 1823. C. Si vere piorum ac spiritualium sententia plus valeret quam crassorum judicia, nullum posthac esset votum insolubile, præter vota baptismi, præsertim ut nunc habet mortalium vel malitia, vel imbecillitas.

Ibidem pag. 1830. B. Non hîc disputo de votis Monasticis, quæ quidam supra modum exaggerant, cum hoc genus obligationis, pene dixeram servitutis, nec in Novo nec in Vetere Testamento reperiatur.

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1183. C. Sequitur de Votis vu'garibus, quæ mea sententia non suscipere tutissimum est, aut temere suscepta pro nullis haberi. Rogabit hic rursus me, quæ sint temere suscepta: Respondeo, omnia non necessaria, omnia inutilia temere suscipi, multo magis inutilia & perniciosa. Temere suscipiuntur & illa, quæ leviter & inter pocula, quæ metu, quæ superstitione suscipiuntur. Quot adolescentes, quot mulieres ex voto currunt *Romam*, quotusquisque, aut quotaquæque non rediit deterior? Et tamen dicuntur Vota.

Ibidem lit. F. Certe eos, qui clam aut invitis parentibus, quibus lex divina jubet obedire, dedunt se in id vitæ genus, unde non queant se in posterum extricare, verisimilius est malo adflari spiritu.

Ibid. pag. 1184. A. Filius adolescens nondum emancipatus, si bono spiritu adflaretur, saltem hoc honoris haberet parentibus Christianis, ut aut cum illorum bona gratia fieret Monachus, aut exspectaret tempus emancipationis, præsertim si parentes egeant illius obsequiis. *Et lit. B.* Quid autem mali esset, si hoc quoque statueret Ecclesia, ut filii vix puberes & nondum emancipati non profiteantur Monachismum sine consensu vel impetrato, vel saltem rogato, parentum?

Ibidem lit. E. Plus, dicunt, debent filii Deo, patri spirituum, quam parentibus. Fateor: sed ille pater spirituum jussit simpliciter obediri parentibus, nisi à *Christo* revocent. Sed non est impietas non profiteri Monachismum, & potest filius eadem aut majora præstare vivens apud parentes, quemadmodum olim faciebant sacræ Virgines ac Monachi complures; ob hoc ipsum à laudatis viris laudatæ, quod à parentum contubernio non discederent.

Ibidem pag. 1186. E. Nunc mutatis seculis, haud scio an magis expediat, sanctum connubium & immaculatum torum sancte pureque colere, etiam Sacerdotibus, si qui non continent, quando horum tam ingens ubique numerus est, rursus tanta raritas caste viventium.

Cap. XVII.

De Delectv Ciborvm.

Epistola CCCXXIX. *ad Voltzium Abbatem*, pag. 344. E. De delectu ciborum nihil uspiam præcipit *Christus*, nihil Apostoli, *Paulus* sæpe dehortatur.

Epist. DCCCCLXXIV. pag. 1100. B. Nullus est vere pius, quin si attente rem consideret, mallet in his rebus obligationem versam in exhortationem: ut nunc quidem sunt tempora, minus esset laqueorum, & plus esset ex animo jejunantium; maxime si in vita Sacerdotum reluceret exemplum abstinentiæ temperantiæque Christianæ. In *Gallia*, ut scribunt, duo periclitantur, non ob aliud, nisi quia duobus Quadragesimæ diebus comederunt carnes, coacti morbo. Vide quid faciunt ceremoniæ, nimirum ut ob hominum constitutiones violemus præcepta Dei, levius ducentes parricidium, quam præterire constitutionem Pontificum.

In *Apologia contra Monachos Hisp.* pag. 1089. C. Ciborum delectum compluribus in locis detestatur *Paulus*; & *Petrus* in Concilio *Jerosolymitano* in totum sustulit omnem delectum ciborum, & ante hos ipse Dominus docuit iis quæ intrant per os non inquinari hominem. Hæc cum verissima sint, negari non possunt. Nec ideo damno Patrum constitutiones ex affectu pio profectas, si præsens temporum ratio postulat aliquot constitutionum immutationem, quod antehac non raro factum vidimus ab Ecclesia, idque in rebus aliquanto gravioribus quam est ciborum aut inediarum præscriptio.

Et continue: Ciborum delectus, quem damnat *Paulus*, etiam hodie damnandus est Christianis: quisquis enim sic abstinet à carnibus, quasi cibus reddat hominem immundum, aut sic vescitur piscibus, quasi pisces adferant munditiem, rem *Judaicam* ac superstitiosam facit. Et ideo Apostoli super hac re nihil præscripserunt, imo potius docuerunt indifferentiam, ne per occasionem pertraherentur imbecilles in *Judaismum*. Quod si hodie periculum idem urget, fortassis expediret ab hujusmodi præscriptionibus abstinere: sed ita, ut quod decederet ceremoniis, accresceret pietati. Et tamen hujus rei judicium omne defero Episcopis.

Cap. XVIII.

De Jejvnio.

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1143. E. *Judaicus* ciborum delectus nobis interdictus est, & tamen ab eo minimum abest vulgus Christianorum.

Ibidem p. 1144. B. Annon magna superstitio, cum adulterium & ebrietas habeatur pro lusu, hominem ob gustatum ovum aut carunculam, rapi in carcerem pro hæretico, cui fortasse causa gravis fuit vescendi?

Ibi-

Digitized by Google

Ibidem lit. D. Prima ejus propositio est: Electum ciborum, quem hodie vulgus observat & utinam observet, non esse institutum à *Christo*. Hoc reor fuisse verum, si intelligas, ore *Christi*.

Ibid. pag. 1145. A. Jejunium ubique probamus, modo Christianum. Sed tot dies jejunio fuisse præscriptos debebat ostendere, & hîc homines per homines obligari sub pœna gehennæ: ad hæc in jejuniis superstitionem, anxietatem, trepidationem, fiduciam, præposterum judicium oportuit probare à *Christo* inductum: nam hæc sola taxat *Erasmus*, Christiana jejunia laudat locis innumeris.

Ibid. pag. 1146. B. Multis aliis locis taxo superstitionem hominum circa jejunium, veluti cum exigunt ab his, à quibus Ecclesia non vult exigi; cum contra mentem Ecclesiæ jejunant cum pernicie valetudinis: & hoc ipsum impeditur ad quod est institutum jejunium: cum in die jejunii & effusius indulgent deliciis, & magis onerant ventrem quam diebus cæteris: cum in hoc tantum jejunant ut jejunent, negligentes ea, quorum gratia indictum est jejunium: cum jejunant à cibis, nec jejunant à temulentia, turpiloquio, alea, obtrectatione, odio, invidia, avaritia; cum perfectam sanctimoniam putant jejunasse tantum. Hæc, aliaque, quibus obnoxia est maxima vulgi pars, appello superstitionem. Christiana jejunia nec joco, nec serio, damno usquam.

Ibid. lit. E. His & illis diebus jejunare nemo tenetur ex præscripto *Christi*. Delectus ciborum nullo pacto probari potest ex Euangelio, nec ex Apostolicis litteris..... *Paulus* omne ciborum genus probat, modo sobrie, & ad necessitatem corporis, cum gratiarum actione; crapulam & ebrietatem in nullo genere probat.

Cap. XIX.
De Festis.

Epistola DCCCCLXXIV. pag. 1100. C. Immodicam festorum multitudinem non ego solus improbo: præsertim cum hodie nullis diebus plus peccetur quam festis. Moderata festa valde probo, sed ea velim sacris rebus, quibus inventa sunt, non voluptatibus & sceleribus dari.

Vide Lib. *de amabili Ecclesiæ Concordia.*

Cap. XX.
De Cantv.

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1155. A. Nihil ibi aliud ago quam ut damnem vel quorundam morem, qui nihil aliud quam canunt, cum *Paulus* jubeat adesse prophetam, quem præfert omnibus: vel cantum ineptum, quo verba obscurantur, cum in hoc repertus sit cantus, hoc est, modulata pronuntiatio, ut verba efficacius influant in mentes hominum. Et ipse *Augustinus* fatetur suo tempore quosdam Episcopos non recepisse cantum ullum, sed tantum recitationem. Quod si tam Angelicum est Monachos semper in templis canere, cur *Paulus* invitat ad charisma præstantius, hoc est, ad enarrandam Scripturam? Cur Monachi jubentur operari manibus? Cur *Gregorius* in Decretis indignatur quod presbyteri, quorum officium erat exponere Euangelium, canunt in templis?

Cap. XXI.
De Cereis.

In *Apolog. contra Alb. Pium*, pag. 1156. B. Stupescit, quo ore scripserim, *Hieronymum* videri in hac fuisse opinione, ut putaret superstitiosum accendere cereos in honorem Martyrum luce. Recitentur igitur verba *Hieronymi* è libro, quem scripsit contra *Vigilantium: Cereos*, inquit, *non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne caci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum, de quibus vere possumus dicere, Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hac pro honore Martyrum faciunt; quid inde perdis?* Hæc *Hieronymus*. Negat cereos accendi in honorem Martyrum, seculares aut religiosas fœminas, quæ hoc faciunt in honorem Martyrum, appellat simplices, habentes zelum Dei, sed non secundum scientiam.

Ibidem lit. D. Verùm apparet eam consuetudinem eo seculo magis toleratam fuisse quam comprobatam, & multa commutat ætas.

Cap. XXII.
De Templorvm ornatv.

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1158. D. Non est latriæ opus exstruere templa supra modum sumtuosa, verum latriæ opus proprium in animis geritur. ..... *Christus* non dixit, quicquid templis impenderitis, mihi impenderitis, sed, *quod uni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis.*

Cap. XXIII.
De Reliqviis.

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1161. B. Si calcei soleæque servantur ut argumentum fragilis vitæ, non improbarem. Cæterum impudens est, soleas, calceos & subligaria osculanda obtrudere.

In *Apologia contra Monachos Hisp.* p. 1090. D. Adversus superstitionem, quia secus quam oportet quidam venerantur Divorum reliquias, & in horum honorem longinquas & inutiles peregrinationes suscipiunt, nec interim student sanctorum vitam æmulari, sed potius sub religionis umbra sceleratiores sunt, sæpe loquor in scriptis meis, sed infra rei dignitatem.

Cap. XXIV.
De Peregrinationibvs.

In *Apologia contra Alb. Pium*, pag. 1183. B. Ire *Jerosolymam* nulli necesse est qui non vovit, cum possit *Christi* vestigia melius in Euangelicis litteris visere. Est etiam inutile, si domi relinquit uxorem & liberos, quibus ipso præsente est opus, nec fortassis inutile tantum, verùm & pernicioſum.

Cap. XXV.
De Pvrgatorio igne.

In eadem *Apol.* pag. 1190. D. De Purgatorii pœnis relaxandis optarem Pontificem multo plus posse, quam quidam illi tribuunt. Si, ut ait *Pius*, relaxat per modum suffragii, non potestate, falso narrant de bullis, quibus præcipiatur de Angelis Dei *(a Papa ut morientes in peregrinatione religionis ergo perferant in cœlum.)*

Cap. XXVI.
De Monachis.

Epistola DCCCCLXXIV. pag. 1101. F. Monachis quis nescit plurimum deberi honoris? Sed da vere Monachos, non deerit honos. Verùm ubi sunt isti, aut quid habent præter vestem & raſuram? Excipio perpaucos, nam nullos dicere religio est. Obsecro te, vir pietatis amator, obambula per tuæ regionis Monasteria, & vide quantulum illic inventurus sis veræ Christianæque pietatis, quantulum sacræ eruditionis, quantulum vigoris spiritualis, præsertim apud eos qui se vocant *Mendicantes*.

Epist. CCCXLV. Append. pag. 1728. A. Præsertim cum Monachismus propemodum eo prolapsus sit, ut si externa detrahas, fere deteriores sint cæteris. Bona vero pars Monasteriorum adeo nullam habent religionis disciplinam, ut nusquam minus liceat religiosam vitam agere.

Epist. MLXXII. pag. 1227. D. Palliis suis Monachi tantum dum tribuunt, ut depellere morbos, ut fortunatas reddere domos, ut à cacodæmonibus tueri possint, quid aliud profecerunt, nisi ut pro diis habiti, nunc vix habeantur pro bonis viris?

Epist. MLXXXV. pag. 1257. A. In confesso est nullum esse genus hominum corruptius hodie quam Monachos. *Augustinus* dicit, in Monasteriis aut rectissime vivi, aut quam periculosissime errari. Posterius hoc nunc perspicit ac suspirat Orbis. *Vide reliqua quæ ibi sequuntur.*

Epist. MCLXXXIV. *ad Levinum Ammonium*, pag. 1399. D. Cum interdum mecum reputo cujusmodi ingenia premantur ac sepeliantur in istis ceremoniis, interdum subit animum cogitatio, fortassis humana, istiusmodi vitæ ergastula non sine instinctu Satanæ fuisse inducta.

CAP. XXVII.
DE ECCLESIA ROMANA.

EPISTOLA DLXXII. pag. 639. B. Quam Ecclesia *Romana* & olim degenerarit ab Euangelicæ puritatis studio vel *Hieronymus* satis arguit, qui eam ex Apocalypsi *Babylonem* appellat, vel divus *Bernardus* in libris, quibus titulum fecit *De consideratione*. Quanquam non defuerunt & ex recentioribus celebrati nominis Auctores, qui publicam instaurationem ecclesiasticæ disciplinæ flagitarent.

Ex *Ratione veræ Theologiæ*, pag. 90. F. Tom. v. Sunt qui corpus universum Ecclesiæ in unum contrahunt *Romanum* Pontificem, quem negant errare posse, quoties de moribus aut fide pronuntiat, & hujus unius sententiæ Mundum universum in diversa opinione consentientem debere credere; ni faciat, schismaticum esse censendum; & tamen qui tantum potestatis tribuunt *Romano* Pontifici, quantum nec ipse agnoscit, iidem minimum illi tribuunt, si quid illorum vel quæstui vel ambitioni conetur obsistere: tunc illuminatus Theologus præponderat universali Concilio: tunc profertur ad Synodum provocatio. Nonne hujusmodi dogmatibus ingens aperitur fenestra tyrannidi, si tanta potestas incidat in impium ac pestilentem hominem?

Epist. MLXXII. pag. 1227. E. Rursus in altera parte, quæ Catholica videri postulat, sunt qui adeo nihil detrahi patiuntur receptis, ut multum etiam adjungant superstitionis & Pharisaismi.

Epist. MCLXXXIV. pag. 1400. B. Impetor ab utraque parte: quarum altera multos habet pro Catholicis cacolycos.

Epist. MLXXXV. pag. 1257. A. Videmus ac dolemus Ecclesiam undique collapsam.

Epist. DCCCCX. pag. 1044. C. Malitiosas calumnias non feram, etiamsi sex *Romani* Pontifices subscribant vestræ sententiæ. Nec enim Pontificum, nec vestra auctoritas valere debet ad opprimendam veritatem & innocentiam.

Epist. DCCCCIII. *ad Alfonsum Mauricum* p. 1026. Quod ad animum meum attinet, malim cum *Jona* dedi fluctibus, & unius capitis jactura publicam redimere tranquillitatem, quam pernicioſæ tempestati esse, non non dicam causa, sed vel occasio.

CAP. XXVIII.
DE FRANCISCANIS.

IN Epistola MCCXXX. *ad Carolum Utenhovium*, pag. 1449. F. Risi satis quod scribis de *Seraphicis* Histrionibus, qui me toties occisum lingua, denuo isthic sepelierunt, videlicet ictum fulmine, simulatque non sum veritus in sacrosanctum *Francisci* Ordinem debacchari. Ego vero nec in aurigarum ordinem unquam sum debacchatus, tantum abest ut *Franciscanum* Ordinem incessiverim. Quos ego noto, reor ipsi *Francisco* magis invisos esse, quam sint ulli mortalium. Indignantur, opinor, quod in *Colloquiis* attigerim *Medardum*. Quin ipsi magis indignantur, qui magno Ordinis dedecore tam impudenter publicitus scurram egerit, & adhuc agat . . . . . Putant mihi *Franciscum* iratum, quod eos notarim, qui cœlum promittunt iis, qui in veste *Franciscana* sepeliuntur. Atqui nuper in somnis mihi post mediam noctem apparuit B. *Franciscus*, vultu sereno atque amico, egitque gratias quod ea traducerem corrigenda, quæ ipse semper fuerat detestatus, meque inter Ordinis amicos numeravit. Nec erat eo cultu, quo nunc eum depictum ostentant: vestem habebat non ex lana diversi coloris permixtam, sed ex lana fusca, quemadmodum ab ovibus detondetur intincta, seu *Græce* mavis ἀβάφῳ, nec habebat rostratam cucullam, sed caperonem tunicæ à tergo affixum, qui poterat in caput revocari, si forte pluvia vehementior fuisset oborta, quod hodie quoque videmus in cultu quorundam *Hibernorum*. Nec funis habebat nodos arte factos, sed enodis ac simpliciter rusticanus erat funis; nec tunica defluebat usque ad terram, sed palmo, aut eo amplius supra talos erat. Nec calceos habebat fenestratos, sed plane nudis erat pedibus. Quinque vestigiorum, quæ pingunt, nullum omnino vidi vestigium. Abiens dixit, dextra porrecta, Milita strenue, brevi meorum eris. Quamquam de cultu non arbitror laborandum, si modo Patriarcham suum iis virtutibus referant, in quibus ille sitam existimavit ejus Ordinis perfectionem. Illi sex alas *Seraphicas* appellant. Primum est Omnimoda Obedientia, secundum Paupertas Euangelica, tertium Castitas immaculata, quartum Humilitas profundissima, quintum Simplicitas pacifica, sextum Charitas *Seraphica*. Hæc utinam omnes in pectore circumferant, quemadmodum circumferunt in sinu! Tum illos haud secus ac angelos pacis, non mulierculæ tantum, sed cordatissimi quique complecterentur. Nunc quam rari sunt, qui pure doceant Euangelicam Philosophiam, quanta porro turba per Aulas Principum, per divitum domus oberrantium, qui nec docent, & iis sunt moribus, ut ædes, in quibus versantur, nihilo sint puriores. Intelligit hic prudens lector quid hic sileam, & quid silendo magis loquar. Utinam nihil committant ipsi quod silentio tegendum sit! Ostentant chirographum fratris *Leopoldi*, fratris *Bernardini*, quos nemo natos novit. Hoc abunde satis esse putant, ut pro bonis viris habeantur. Atque in longinqua profectione flagitant pecuniam, quam linteolo tamen excipiunt, non contingunt nuda cute. Quis hoc cordatus absque risu videre possit? Jam & illud à nonnullis repertum est, persuadent divitibus imperitis animam agentibus, non tantum ut sepeliantur in veste *Franciscana*, dataque mercede veniant in consortium omnium ab Ordine bene gestorum, verum etiam ut Testamento jus faciant omnibus & singulis, qui de grege sunt Observantium, ad illorum ædes divertendi, vocatis & invocatis ut sit locus. Ac primum hîc hæredi sua libertas, quam suæ cuique domi salvam esse par est, eripitur, præter Naturæ Jus ac Civile. An non gravis est servitus, hominem, cui sunt liberi, adolescentes & puellæ, uxor ætatis integræ, pedissequarum chorus, obstrictum esse, uti, velit nolit, subinde recipiat in ædes suas homines ignotos, *Hispanos*, *Italos*, *Gallos*, *Anglos*, *Scotos*, *Hibernos*, *Germanos*, & *Indos*, etiamsi in eadem Civitate habeant *Seraphici* Sodalitii Monasterium? An non videmus, quanta cautione curent ipsi, ne quis è vicinia qualiscumque prospectus sit in ipsorum Monasteria? Quas hinc querimonias, quas tragœdias moveant? . . . . . Verùm utcumque hæc habent, certe mendicitatem professis conveniebat rogare hospitium, & ab hoc negatum, ab altero petere. Cæterum ad volentem nolentem irrumpere, non est hospitem agere, sed ædium dominum. . . . . Queruntur vulgo refrixisse charitatem; fortassis in causa est, quod in ipsis refrixit pietas.

CAP. XXIX.
DE CARDINALIBVS.

IN Epistola MCXXXII. *ad Andream Critium Episcopum Ploacensem*, pag. 1306. E. Crescit ubique Cardinalium numerus; hoc an gratulari Ecclesiæ debeam, nescio. Veteres non absque causa tanto studio Cardinalium turbam conati sunt excludere. Satis erat fastus in domo Dei, plus satis erat hominum devorantium Abbatias, Episcopas & dignitates, etiamsi hic tam numerosus non accessisset chorus. Olim Cardinalis, officii nomen erat, nunc est regni. Sed hac ratione suas res, ut videtur, communit Pontifex, & Principes habent splendidos famulos Ecclesiæ salariis.

FINIS.

IN-

INDEX EXPVRGATORIVS HISPANICVS ET ROMANVS, VT ET ALEXANDRI VII. ET CONCILII TRIDENTINI OPERVM DESIDERII ERASMI ROTERODAMI.

EX omnibus Operibus Desiderii Erasmi Roterodami, quæcunque ipse Auctor pro suis agnovit, novem Tomis distinctis, *&c.* Basileæ, per Hieronymum Frobenium, & Nicolaum Episcopium, Anno 1540. *Ut fine I. Tomi habetur.*

In prima omnium Operum inscriptione, post illud, *Erasmi Roterodami*, adde, *Auctoris damnati.* —— Et post illud, *perspicue exhibebunt*, adde, *hactenus prohibita, nunc vero cum expurgatione permissa.* —— Initio vero Operum Erasmi affigatur hæc Nota; *Opera omnia Erasmi caute legenda: tam multa enim insunt correctione digna, ut vix omnia expurgari possint.*

Tomo I.

Qui ea continet, quæ spectant ad institutionem Litterarum.

In prima inscriptione, post illud, *Institutionem litterarum*, dele usque ad, *Addito Indice copiosissimo*, exclusive. —— Expungatur deinde tota Præfatio, seu Epist. Beati Rhenani ad Carolum V. Imper. quæ incipit, *Quanta semper laudi fuerit, &c.* finitur vero, *Anno à Christo nato M. D. XL.* —— In Catalogis duobus Operum Erasmi, sive in Epist. Erasmi ad Joannem Botzemum Abstemium, cui initium, *Non pateris, Abstemi, &c.* pag. 4. circa finem, (Nostræ Editionis p. 3. lin. 30.) post illud, *rebus ludit fortuna*, dele omnia usque ad illud pag. 6. ejusdem Epistol. in medio, (N. E. p. 4. lin. 25.) *Caterum quoniam videbam multos scriptores*, exclus. —— P. 10. ejusd. Epist. initio, (N. E. p. 6. lin. 24.) post illud, *Depravatissime exsonderetur*, dele usque ad, *Admodum adolescens*, excl. —— ead. p. à med. (N. E. ead. p. lin. 45.) post illud, *annotavi quædam*, dele usque ad, *posteaquam rursus è Lutetia*, excl. —— & paulo inferius, post illud, *aliquandiu neglectus*, dele usque ad, *Huic adjeceramus*, exclus. —— P. 11. ejusd. Epist. ad fin. (N. E. p. 7. l. 28.) ibi, *edito specimine Sycophantias*, dele, *Sycophantias.* —— P. 12. ejusdem Epist. ante medium, (N. E. ead. p. lin. 44.) post illud, *libello compescuimus*, dele usque ad, *Quamquam id eruditis*, excl. —— Ibidem paulo inferius, post illud, *excusum tamen clam*, dele usque ad, *rursum vetuerunt distrahi*, exclusive. — eadem p. à medio, (N. E. ead. p. lin. 59.) post illud, *& hujus libello respondimus*, dele usque ad, *verum Pasquillus*, exclus. —— P. 13. ejusdem Epist. sub initium, (N. E. p. 8. lin. 6.) post illud, *& omnino linguam habet*, dele usque ad, *Huic ludus est*, exclus. —— Et à medio ejusd. pag. (N. E. ibid. lin. 34.) post illud, *inquit, negat pœnitentiam*, dele usque ad, *quasi ideo sublata sit satisfactio*, exclus. —— P. 14. sub initium, (N. E. ibid. lin. 50.) post illud, *arceat à bonis litteris*, dele usque ad, *Quin & Novo Testamento*, exclus. —— P. 15. à medio, (N. E. p. 9. lin. 36) post illud, *Linguis & calamo*, dele omnia usque ad illud, pag. 17. versus finem, (N. E. p. 10. lin. 59.) *Ad Apologiarum genus*, exclus. —— P. 18. à medio, (N. E. p. 11. lin. 24.) post illud, *si tamen cudetur unquam*, dele usque ad illud pag. sequentis sub initium, (N. E. ead. p. lin. 40.) *Hæc erat illa techna*, exclus. —— P. 19. ad medium, (N. E. ibid. lin. 56.) post illud, *tamen fortiter oblatrant quidam*, dele usque ad, *Epistolarum tantum*, exclusive.

Libro II. De Copia Rervm.

Titulo, *Decima dilatandi ratio*, p. 74. ante medium, (N. E. 86. lit. D.) post illud, *Sic rem prius labefactet*, dele usque ad, *Post ad tertiam veniet*, exclusive.

Eadem pagin. ante finem, (N. E. 87. B.) post illud, *viam ad causam poterit*, dele usque ad, *Quandoquidem Christiana religio*, exclus. —— Epist. ad Christophorum Urserwicum, quæ præfigitur Luciani Dialogo, qui inscribitur, *Somnium*, sive *Gallus*, pagin. 209. ad finem Epistol. (N. E. 246. lin. 7.) post illud, *ullus posset Gelotopoios*, dele usque ad, *Vale optime, atque humanissime*, exclus. —— Epistol. ad Joannem Eutychium, quæ præfigitur Luciani Dialogo, qui inscribitur, *Convivium*, p. 284. (N. E. 330.) post illud, *omne genus laceret*, dele usque ad, *Hunc igitur libellum*, exclusive.

Lib. De Ratione conscribendi Epistolas.

Titulo, *De superstitione epitethorum*, p. 343. ante medium, (N. E. 374. A.) post illud, *tui periculo feceris*, dele usque ad titulum, *Quomodo dicendum, Vale*, exclus. —— Titulo, *Exemplum Epistolæ suasoriæ*, p. 359. initio, (N. E. 415. A.) post illud, *& cœlibatu relicto*, dele usque ad, *Sanctissimo conjugio indulgebis*, exclus. —— Ead. p. ante medium, (N. E. ibid. lit. C.) post illud, *à majoribus accepimus*, dele usque ad, *Quod si matrimonii*, exclusive. —— Et versus finem ejusdem pag. (N. E. 416. A.) post illud, *à conjugio abstinuit?* dele usque ad, *Virginitas eam decebat*, exclusive. —— Et in eodem exemplo Epistol. suasoriæ §. *Sed quid de scriptis*, dele, *Stultorum Monachorum.* —— P. 360. initio, (N. E. lit. B.) post illud, *sumta fuisset imago*, dele usque ad, *Jam vero Mosaica lex*, excl. —— Et paulo inferius, (N. E. lit. C.) post illud, *Quamobrem tandem?* dele usque ad, *In Deuteronomio*, exclusive. —— Et paucis interjectis (N. E. lit. D.) post illud, *in circuitu mensa tua*, dele usque ad, *Hebræorum leges*, excl. —— Ead. pag. prope medium, (N. E. lit. E.) post illud, *Christianæ religionis*, dele usque ad, *Quin Cæsar Augustus*, excl. —— P. 361. à med. (N. E. 417. D.) §. *Sed quid de scriptis*, post illud, *sanctissimas leges adduxisse*, dele usque ad, *Age vero, quando*, exclus. —— P. 362. sub initium, (N. E. 418. D.) post illud, *exsultos interire*, dele usque ad, *Apud Hebræos*, excl. —— Et ante medium ejusd. pag. (N. E. lit. F.) post illud, *quicquam frustra facere*, dele usque ad, *Quasi vero matrimonium*, exclusive. —— Et à medio ejusdem p. (N. E. 419. B.) post illud, *Naturæ parendum*, dele usque ad, *unde nisi proficiscatur*, excl. —— Et paulo inferius, (N. E. lit. C.) ibi, *Illis hoc venia datum est*: dele, *hoc venia.* —— Et paulo inferius, (N. E. lit. C.) ibi, *Sacerdotum ac Monachorum privilegium*, dele vocem, *privilegium.* —— Ibid. paucis interjectis, (N. E. lit. C.) post illud,

Digitized by Google

ſed ſententiam interpretor, dele uſque ad illud pagin. ſequentis ante medium, (N. E. lit. F. in med.) *Tum ſi in cæteris*, excl. —— Pag. 363. ante medium, (N. E. 420. A.) poſt illud, *palinodiam ſit invitatus*, dele uſque ad, *Quare ſi quid natura ſenſus*, excl. —— Pag. 364. ante medium, (N. E. 421. B.) poſt illud, *delectari videmus*, dele uſque ad, *Quid enim eo homine*, excl. —— Et paulo inferius, (N. E. lit. C.) poſt illud, *potius quam contemnuntur*, dele uſque ad, *Etiamſi minima*, excluſ. —— Et paucis interjectis, (N. E. lit. C.) poſt illud, *indignam contemnere*, dele uſque ad, *ponatur ſi vis*, excl. —— P. 365. à medio, (N. E. 422. F.) poſt illud, *centum annos ſuperaris?* dele uſque ad, *Num exſpectamus ut Jupiter*, excluſ. —— P. 366. ante medium, (N. E. 423. C.) poſt illud, *conjugii uſum ſuſtuleris*, dele uſque ad, *Liceat è numeroſa*, excl. —— Titulo, *De Genere diſſuaſorio*, pag. 368. ante medium, (N. E. 425. E.) poſt illud, *Hieronymus, & alii qui*, dele uſque ad, *vires eloquentiæ*, excluſ.

Ex Declamatione, Pveros ad virtvtem, ac Litteras liberaliter institvendos.

P. 437. à medio, (N. E. 507. F.) poſt illud, *illius, dum infans eſt*, dele uſque ad, *Noſtra virga ſit liberalis*, excluſ.

In Parabolis, sive Similibvs.

P. 468. verſus finem, (N. E. 562. A.) §. *Ut rex mundi*, poſt illud, *magna curat*, dele uſque ad, *quemadmodum dicit Euripides*, excl. —— P. 487. ante medium, (N. E. 581. D.) §. *Non ut Cœneus*, poſt illud, *optando tantum: ſic*, dele uſque ad, *ut qui cubitum abiit*, excluſive. —— P. 491. ſub initium, (N. E. 585. D.) §. *Ut ſacrificis*, ibi, *Ita multo magis honorandus Principis*, dele, *multo magis*. —— P. 504. à med. (N. E. 600. C.) §. *Gypſum etiam*, ibi, *vitiiſque non poteſt refingi*, dele, *non*. —— Ibid. paulo inferius, (N. E. lit. D.) §. *Ut vitrum copia*, poſt illud, *magno in pretio futuri*, dele uſque ad finem. —— P. 507. à medio, (N. E. 603. E.) §. *Quemadmodum Magi*, dele totum §. uſque ad §. *Ut auguria*, excluſive. —— P. 510. à med. (N. E. 606. F.) §. *Luna ſemel*, poſt illud, *At homo*, dele uſque ad, *nec repubeſcit ſenex*, excluſ. —— Ibidem paulo inferius, (N. E. ibid.) §. *Sol poſt occubitum redit novus: homo non item*, dele, *homo non item*. —— P. 518. ante med. (N. E. 615. A.) §. *Sicut picis*, poſt illud, *nonnunquam emoriantur*, dele uſque ad fin. §. —— P. 519. ante med. (N. E. 616. A.) §. *Si fuco alas ademeris*, dele totum §. uſque ad §. *Apes peragunt*, excluſ. —— P. 521. ante medium, (N. E. 618. B.) §. *Ut aquæ laus eſt*, poſt illud, *requirimus eloquentiam*, dele uſque ad finem §. —— P. 522. prope medium, (N. E. 619. D.) §. *Ut loci ſalubritas*, dele totum §. uſque ad §. *Ut nihil minus*, excluſ. —— Ibidem in fine (N. E. 620. B.) §. *Cedrus & Juniperus*, poſt illud, *ſucco animus*, dele uſque ad fin. §. —— P. 523. ad medium (N. E. ibid. E.) §. *Arator niſi*, poſt illud, *Ita miles*, dele uſque ad fin. §. —— P. 524. ad finem, (N. E. 622. B. C.) dele duos integros §§. nempe §. *Ut cibi male olentes, &c.* & §. *Ut panthera, &c.* uſque ad §. *Ut qui hircoſi*, excluſ. —— P. 525. ad medium, (N. E. 622. F.) §. *Ut venti deſituri*, poſt illud, *maxime efferunt ſeſe*, dele uſque ad, *tum proximi exitio*, excluſ.

Familiaria Colloqvia.

Expungatur totum Opus Familiarium Colloquiorum, cum Epiſtola præfixa ad Joannem Eraſmium, quæ incipit, *Vicit libellus*, &c. Et altera Epiſtola, De utilitate Colloquiorum, Operi ſubjecta, cui initium, *Adeo nunc in omnes*, &c. Opus vero Colloquiorum incipit, *Non temere docet quidam*, &c. Continentur autem omnia à p. 526. uſque ad p. 763. quæ per errorem eſt 673. incluſive (N. E. 629. uſque ad 908.

Dialogo de recta Latini, Graecique Sermonis pronvntiatione.

Pag. 768. verſus finem, (N. E. 918. A.) poſt illud, *gratius offerre poſſis?* dele uſque ad, *Reperiuntur, qui ſuas*, excluſ. —— P. 772. ante medium, (N. E. 921. F.) poſt illud, *frangunt ac dejiciunt*, dele omnia uſque ad illud pag. ſeq. non longe à principio, (N. E. 922. C. in fine) *His rebus quidam fortaſſe magis*, excluſive.

Dialogo, cvi titvlvs, Ciceronianvs.

Pag. 815. à medio, (N. E. 974. D.) poſt illud, *cui ſe dicare cœperat*, dele uſque ad, *a quibus fortaſſe non ſatis*, excluſ. —— Ibidem paulo inferius, (N. E. lit. D.) poſt illud, *ni iſthuc malim*, dele uſque ad, *Cæterum quando hoc*, excluſ. —— Et in fine ejuſdem pag. (N. E. 975. A.) poſt illud, *Non miror*, dele uſque ad, *NO. In hujus igitur*, excluſ. —— P. 833. verſus finem, (N. E. 994. C.) poſt illud, *ſint minus quam Ciceroniani*, dele uſque ad, *Ciceronis fama labem*, excl. —— P. 834. in fine, (N. E. 995. E.) ibi, *ut per gratiam fidei juſtificati*, dele vocem, *fidei*. —— P. 835. ſub initium, (N. E. ibid. F.) ibi, *ut perſuaſionis munificentia ad innocentiam*, dele, *perſuaſionis munificentiæ*. —— P. 852. ſub initium, (N. E. 1014. B.) poſt illud, *magni molitus ſit*, dele uſque ad, *BV. Conradum Goclenium*, excl. —— Eadem pag. ante medium, (N. E. lit. D.) poſt illud, *acceſſit Germaniæ ſtudiis*, dele uſque ad, *BV. Ulrico Zaſio plurimum laudis*, excluſ.

Epitome in Elegantiarvm Libros Lavrentii Vallae.

Littera P. pag. 918. in medio, (N. E. 1106. B.) poſt illud, *& perſona in divinitate*, dele uſque ad, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, excluſ.

In Indice * qvi est initio Opervm, Tomo I. dele sequentia.

Pag. 1298. D. poſt illud, *Scripturarum collectis dejiciatur*, dele uſque ad, *Si urgeat improbus*, excl. —— Pag. 1306. D. poſt illud, *precibus laborantem ſublevat*, dele uſque ad, *Non poteſt eſſe pauper*, excluſ. —— Pag. 1306. F. poſt illud, *cum gratiarum actione*, dele uſque ad, *His rationibus optime fit*, excluſ. —— Pag. 1313. D. poſt illud, *prævalui adverſus eum*, dele uſque ad, *Corporis oculos obſcurat mors*, excluſive. —— Pag. 1316. E. poſt illud, *eximere conantur*, dele uſque ad, *Rectius faciunt, qui Miſſis*, excluſ.

TOMO VI. NOVVM TESTAMENTVM COMPLECTENTE.

Ad marginem Epiſtolæ Leonis Papæ X. ad Eraſmum, quæ incipit, *Dilecte fili, ſalutem*, & habetur ſeq. pag. poſt inſcriptionem hujus Tomi adſcribe, *Dulcibus encomiis pius Pater nutantem ovem allicere conatur.* —— In Apologia Eraſmi, quæ incipit, *Jam ut paucis occurram*, pag. 2. lin. 10. à fine, poſt illud, *eſſe quicquid diverſum eſt*, dele uſque ad, *Quod ſi licet alicubi*, excluſive. —— Et paucis interjectis, ibi, *ſententias majori fide reddidiſſe, quam ille reddiderit, ne damna*, dele, *majori fide*, & *quam ille reddiderit.* —— Pag. 3. poſt princip. poſt illud, *& pudendo errore lapſos eſſe*, dele uſque ad illud, pag. ſeq. initio, *Quid minutius hypoſtigma*, excluſ. —— In præfatione ad Lectorem, de duabus poſtremis Editionibus, quarta, & quinta, cujus initium, *Omnibus omnium cavillationibus*, &c. pag. 1. circa med. §. *Sed offenduntur*, ibi, *ob ſermonis imperitiam, ne dicam ſpurcitiem*, dele, *ne dicam ſpurcitiem.* —— Pag. 3. circa med. §. *Poteram & ego*, dele totum §. uſque ad §. *Audio quoſdam*, excl. —— Pag. 5. in medio, §. *Tot mendas*, ibi, *tot loca male reddita explicuimus*, dele, *male reddita.* —— Pag. 7. ad finem, §. *Quum Theologorum Schola*, dele totum §. & ſequentes §§. uſque ad §. *Jam ſentio quoſdam*, excluſive. —— In Peregrinatione Petri, & Pauli, pag. 427. ultra medium, poſt illud, *ab ipſo Paulo ordinatum*, dele uſque ad, *Ab Attica venit Corinthum*, excl. —— In argumento in Epiſtolam Pauli ad Romanos, pagin. 549. ante medium, ibi, *per Euangelium ac ſolam fidem in Chriſto*, expungatur vox, *ſolam.* —— In argumento in Epiſtolam ad Galatas, pag. 799. in fine poſt illud, *Auctores hujus facinoris*, dele uſque ad, *Hanc Epiſtolam, ut apparet*, excluſive.

EX ANNOTATIONIBVS IN NOVVM TESTAMENTVM, AB IPSO AVCTORE JAM POSTREMVM SIC RECOGNITIS, VT PROPEMODVM NOVVM OPVS VIDERI POSSIT.

In Præfatione ad Lectorem, quæ incipit, *Quanquam id pro noſtra*, circa finem primæ pag. poſt illud, *non libenter diſſentimus tamen*, dele uſque ad, *Solœciſmos evidentes, ac prodigioſos*, excluſ. —— Ead. p. lin. 2. à fine, poſt illud, *opera ſubſidiaria*, dele uſque ad, *quod ipſe in litteris Hebraicis*, excluſ. —— Pag. 2. lin. 4. ſub initium, ibi, *qua ſublimes Theologi, magno*, pro, *ſublimes Theologi*, ſcribe, *quidam.* —— Pag. 2. poſt med. poſt illud, *de alio transfuſis*, dele uſque ad, *gratius eſt pomum*, excl. —— In titulo Annotationum, pag. 1. ibi, *vel diſſonet, ubi depravatior.* —— Et poſt illud, *ubi caſtigatior*, dele uſque ad, *quod obſcurum*, excluſ. —— Et poſt illud, *impeditum expeditur*, dele uſque ad, *Et non ſolum id agitur*, excluſ.

IN MATTHAEVM.

Cap. 2. ad verba illa, *Et tu Bethleem*, pag. 13. C. poſt illud, *optimo genere interpretandi*, dele uſque ad, *Nam quod eſt in Hebræo*, excl. —— Ibidem paulo inferius lit. D. ead. pag. poſt illud, *eandem efferat ſententiam*, dele omnia uſque ad illud, in fine ejuſdem paginæ, *Aut ſi quid mutatum eſt divino*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Et admonitus*, pag. 17. C. poſt illud, *ἀλὲ κατ' ὄναρ*, dele uſque ad, *quod modo verterat*, excluſive. —— Cap. 3. pag. 17. E. ad verba illa, *Pœnitentiam agite*, poſt illud, *& ſic vertit alicubi*, dele uſque ad, *Appropinquabit*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Et venientem ſuper ſe*,) pag. 22. C. poſt illud, *quod ſequitur ἐπ' αὐτὸν*, dele uſque ad, *ſuper eum, ſive ſuper*, excl. —— Cap. 4. ad verba illa, *Dominum Deum tuum*) pag. 24. D. poſt illud, *Et illi ipſi ſervies*, dele uſque ad, *tunc reliqui*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Pœnitentiam agite*, pag. 25. D. poſt illud, *Μετανοεῖτε*, dele uſque ad, *ἤγγικεν*, excluſive. —— Cap. 5. ad verba illa, *Omne malum*) p. 27. E. poſt illud, *ad hæc frigemus omnes*, dele uſque ad, *Atqui hæc eſt*, excluſ. —— Cap. 6. ad verba illa, *Nolite multum loqui*,) pag. 35. F. poſt illud, *pietatis faſtigium collocent*, dele uſque ad, *quid ſuper hac re ſentiam*, excl. —— Ibidem, pag. 36. B. poſt illud, *Chriſtoque gratam offerant*, dele uſque ad illud, *Levius videri poterat*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Quia tuum eſt regnum*,) pag. 36. lit. B. poſt illud, *Fuiſſe decurtatam*, dele uſque ad illud, *Quod ſi quis contendat*, excl. —— Eodem Cap. & pag. lit. F. ad verba illa, *Exterminant enim*,) ibi, *Exterminandi verbum inſcitia interpretum*, dele, *inſcitia.* —— Cap. 8. ad verba illa, *ipſe infirmitates noſtras*,) pag. 45. F. poſt illud, *Quinquageſimo tertio*, dele uſque ad, *Etenim quod illic*, excluſ. —— Cap. 9. ad verba illa, *Panni rudis*,) p. 50. E. poſt illud, *quod recens eſt*, dele uſque ad, *Opera pretium eſt*, excluſ. —— Cap. 10. ad verbum illum, *Primus Simeon*,) p. 53. C. poſt illud, *Quo à Matthæo*, dele uſque ad, *Certe ex ordine*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verbum, *Prædicate*,) pag. 57. E. poſt illud, *Margaritas objiciat porcis*, dele uſque ad, *Nos humilia tractamus*, excl. —— Cap. 11. ad verba illa, *Jugum meum ſuave*,) pag. 63. C. poſt illud, *Quam factis benigni*, dele omnia uſque ad finem Annotationis, & Capitis. —— Cap. 12. ad verba illa, *Quærentes te*, pag. 69. F. poſt illud, *Illius virtutes æmularetur*, dele uſque ad illud pag. 70. E. *Nos id ſane poſſumus pie*, excl. —— Cap. 13. ad verba illa, *Auditu audietis*, p. 72. E. poſt illud, *Juxta veritatem Hebraicam*, dele uſque ad, *Niſi forte mutarunt*, excl. —— Cap. 15. ad verba illa, *Munus quodcumque eſt*, pagin. 82. C. poſt illud, *Suo jure fraudetur*, dele uſque ad, *Cæterum ideo dixit Phariſæis*, excluſ. —— Cap. 16. ad verba illa, *Quia tu es*,) pag. 88. E. poſt illud, *Utram volnerit*, dele uſque ad, *Non prævalebunt*, excluſ. —— Cap. 17. ad verba illa, *Ipſum audite*,) pag. 91. F. poſt illud, *qui vos audit, me audit*, dele uſque ad, *Cæterum quod ajunt*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Prævenit illum Jeſus*, p. 94. C. poſt illud, *à vectigalibus immunes ſumus*, dele omnia uſque ad finem Annotationis, & Capitis. —— Cap. 19. ad verba illa, *Quacunque ex cauſa*,) p. 98. D. poſt illud, *Cum immundis ſpiritibus*, dele uſque ad, *Maſculum*, &c. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Qui facti ſunt*,) pag. 100. E. poſt illud, *Dei ſeſe continent*, dele uſque ad, *Ac curſus, oblati ſunt*, excluſ. —— Cap. 21. ad verba illa, *Benedictus qui venit*,) p. 108. E. poſt illud, *de maledicere, & maledictus*, dele uſque ad, *Equidem arbitror ad hanc formam*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Quia auferetur*,) pag. 114. C. poſt illud, *locis recte prætermiſit*, dele uſque ad, *Facienti*, excluſ. ——

Cap.

Digitized by Google

Cap. 22. ad verba illa, *Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium*,) pag. 114. F. ibi, *Interpres dormitans Græcum genitivum*, dele, *dormitans*. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Sicut te ipſum*,) pag. 117. C. poſt illud, *Vix duodecim reddimus*, dele uſque ad, *Porro quod Interpres vertit*, excluſ. —— Cap. 23. ad verba illa, φυλακτήριον,) pag. 118. C. poſt illud, *Habitos ceu religioſos*, dele uſque ad, *Partim ex Numerorum*, excluſ. —— Ibidem pag. 118. D. poſt illud, *Superſtitioſos ac ſimplices*, dele uſque ad, *Ac magnificant*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Orationes longas orantes*,) pag. 120. D. poſt illud, *Annotavit & Chryſoſtomus*, dele uſque ad, *Hos ventres orbi*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Et facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*,) pag. 120. E. poſt illud, *Ad noſtros mores pertinet*, dele uſque ad, *Non quod hoc non ſit*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Debitor eſt*,) pag. 120. F. poſt illud, *Pertineat, id inculcant*, dele uſque ad §. *Stulti, & cæci*, excluſ. —— Cap. 24. ad verba illa, *Ecce hic Chriſtus*,) pag. 125. C. poſt illud, *Nobis orthodoxi videmur*, dele uſque ad, *Sicut fulgur*, excluſ. —— Cap. 27. ad verba illa, *Ager ille Acheldemach*,) p. 140. C. poſt illud, *Spiritus didicerit Apoſtolus*, dele uſque ad, *Equidem arbitror nihil*, excluſive. —— Ibid. pag. 140. D. poſt illud, *Judicium lectori relinquens*, dele uſque ad, *Adam de meo quintam*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Improperabant ei*,) pag. 144. C. poſt illud, *Terra alter reſipuerit*, dele uſque ad, *Et tenebræ*, excluſ.

In Marcvm.

Cap. 1. ad verba illa, *In Iſaia Propheta*,) pag. 152. E. ibi, *Poſuerunt ſemitas ejus opinor*, dele vocem, *opinor*. —— Eodem Cap. ad verbum, *Pœnitemini*,) p. 155. C. poſt illud, *Pœnitentiam agite*, dele uſque ad, *Et credite*, excl. —— Cap. 5. ad verba illa, *ad Archy-ſynagogum*,) pag. 170. E. ibi, *Non animadvertens, ſive lector, ſive interpres hanc*, dele, *ſive*, &, *ſive interpres hanc*. —— Cap. 6. ad verba illa, *Calceatos ſandaliis*,) pag. 173. D. poſt illud, *Calceamenta mutatoria*, dele uſque ad, *Non venit in mundum*, excl. —— Et paulo inferius lit. D. poſt illud, *Derogat Sacerdotis dignitati*, dele uſque ad, *Paulus apud Corinthios*, excluſ. —— Ibid. poſt illud, *Apoſtolos, ut emant cibum*, dele uſque ad, *Nec paupertas quidem per ſe*, excluſ. —— Ibidem pag. 174. B. poſt illud, *Rejicienda ſi officiat*, dele uſque ad, *Sed hiſce de rebus jam plus ſatis*, excluſive. —— Capit. 11. ad verba illa, *Si quid forte*,) pag. 194. F. poſt illud, *Idque ſuo more*, dele uſque ad finem Annotationis. —— Cap. 14. ad verba illa, *Qui pro multis effundetur*,) pag. 205. E. poſt illud, *Paulo poſt eſſe futurum*, dele uſque ad §. *Quod jam*, excluſ.

In Lvcam.

Cap. 1. ad verba illa, *Parare Domino*,) pag. 222. D. dele uſque ad, *Alterum infinitum verterit*. —— Et paulo inferius, poſt illud, *Ut ſtudio feciſſe videatur*, dele uſque ad, *Itidem in Pſalmis*. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Et ſanctum nomen ejus*,) pag. 227. C. poſt illud, *enim dixit glorioſum*, dele uſque ad, *à progenie*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Abraham & ſemini*, pag. 228. C. ibi, *Et hunc locum Monachi quidam*, dele, *Monachi*. —— Ibidem paulo inferius, poſt illud, *Obiter indicare volui*, dele uſque ad, *in ſæcula*, excluſive. —— Cap. 2. ad verba illa, *involutum pannis*,) pagin. 231. E. poſt illud, *Sed diverſantium turba*, dele uſque ad, *hominibus*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Hominibus bonæ voluntatis*) pag. 233. D. ibi, *Abolitionem peccatorum, quæ gratis datur per fidem*, dele, *per fidem*. —— Ibidem pag. 233. E. poſt illud, *Eſſe in vitis Pontificum*, dele uſque ad, *Paſtores*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Adaperiens vulvam*) pag. 235. C. poſt illud, *Proprietatem dictum eſt, pronoſcens*, dele uſque ad, *Et ecce homo*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Et tuam ipſius animam*,) pagin. 236. D. poſt illud, *Etiam quod præterit*, expungantur omnia uſque ad, *Et hæc vidua*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Et Jeſus proficiebat*, &c.) pag. 239. F. poſt illud, *Studioque humano comparaſſe*, dele uſque ad, *Jam illud etiam excutiendum*, excl. —— Cap. 3. ad verba illa, *Calumniam faciatis*,) pag. 241. F. poſt illud, *Reſidere penes raptorem*, dele omnia uſque ad, *Stipendiis*, excluſ. —— Cap. 6. ad verba illa, *Beati pauperes*,) p. 254. F. poſt illud, *Vere reddunt Chriſtianos*, dele uſque ad, *Exprobraverint*, excluſive. —— Cap. 7. ad verbum, *Solicite*, p. 258. F. poſt illud, *Ipſe ædificavit nobis*, dele uſque ad, *Nec in Iſrael*, excluſ. —— Cap. 8. initio, ad verba illa, *Per civitates & caſtella*,) pag. 261. E. ibi, *Unde Interpres non omnino perperam*, dele, *omnino*. —— Cap. 10. ad verbum, *Pœniterent*,) pag. 273. E. poſt illud, *Fiat de ſacco, & cinere*, dele uſque ad, *Qui vos*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Qui vos ſpernit, me ſpernit*,) eadem p. lit. E. poſt illud, *ad Cornelium fratrem*, dele uſque ad, *Scio tamen etiam*, excl. —— Cap. 11. ad verbum, *Mentam*, p. 280. F. poſt illud, *Præſtatur & inimicis*, dele uſque ad, *Quæ portare*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Non tangitis, ſarcinas*,) pag. 281. C. poſt illud, *Ad Græcam vocem*, dele uſque ad, *Quod conſentitis*, excluſ. —— Cap. 19. ad verba illa, *Exegiſſem illud*,) pag. 307. D. poſt illud, *Et Interpres*, dele uſque ad, *Reliquit illud*, excl. —— Cap. 22. ad verba illa, *Dominantur eorum*,) pag. 316. F. ibi, *Proinde in αὐτῶν, oblitus ſui Interpres*, dele, *oblitus ſui*. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Sed nunc qui habet ſacculum*,) pag. 318. F. poſt illud, *Quem nos comminiſcimur?* expungantur omnia, uſque ad illud prope finem Annotationis, pag. 321. E. *Cæterum ut id ſolum agam*, excluſive.

In Joannem.

Cap. 1. ad verba illa, *Ego neſciebam eum*,) pag. 345. F. poſt illud, *Et idem negari poteſt eſſe hominis*, dele uſque ad, *Alioqui nec Joannis*, excluſive. —— Eodem Cap. & ad eadem verba, pag. 346. E. poſt illud, *Non potuerit efficacius fieri*, dele uſque ad, *Si nihil volumus latuiſſe*, excluſive. —— Cap. 4. ad verba illa, *qui non habeo virum*, pag. 355. E. poſt hæc ipſa verba, dele uſque ad, *Bene dixiſti te virum*, excluſive. —— Cap. 6. ad verbum, *Docibiles*,) pag. 366. E. ibi, *Proinde hoc loco non erat vertendum, Docibiles Dei, ſed docti à Deo*, dele, *non erat vertendum*, & pro, *ſed*, ſcribe, *id eſt*. —— Cap. 8. ad verba illa, *Principium, qui & loquor vobis*,) pag. 375. B. poſt eadem ipſa verba, dele uſque ad, *Græci dicunt*, τὴν ἀρχὴν, excluſ. —— Cap. 13. ad verba illa, *In hoc cognoſcent omnes quod*, &c.) pag. 395. D. poſt illud, *Chriſtianus à cæteris*, dele uſque ad, *Hanc igitur notam*, excluſ. —— Ibidem paulo inferius, lit. E. poſt illud, *Cauſa digladiationis*, dele uſque ad finem Annotationis. —— Cap 14. ad verba illa, *Et majora horum*, pag. 397. D. ibi, *Sed Interpres per oblivionem reliquit*, dele, *per oblivionem*. —— Cap. 15. ad verba illa, *Quam ut animam*,) pag. 401. F. poſt illud, *Quam nec additur*, dele uſque ad, *Certe codex aureus*, excluſ. —— Cap. 17. ad verba illa, *Te ſolum verum Deum*, pag. 405. F. poſt illud, *Auguſtinus veriſſima eſt*, dele uſque ad, *Clarifica me*, excluſive. —— Cap. 20. ad verba illa, *Dixit ergo eis iterum, Pax vobis*) pag. 416. E. poſt illud, *repetit, pax vobis*, dele omnia uſque ad, *Fixuram*, excluſ. —— Cap. 21. ad verba illa, *Sic eum volo manere*,) pag. 419. D. poſt illud, *acuto præditus ingenio*, dele uſque ad illud, *Imo ſi quis attentius*, excluſive. —— Eodem Cap. & ad eadem verba, pag. 421. B. poſt illud, *Ut ego taceam res ipſa loquitur*, dele uſque ad, *Donec veniam*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Donec veniam*,) p. 421. C. ibi, *Fallit hic*, dele verbum, *Fallit*.

Digitized by Google

IN ACTA APOSTOLORVM.

Cap. 2. ad verba illa, *Pœnitentiam agite*,) p. 445. F. ibi, *Pœniteat vos, ſive reſipiſcite*, dele, *ſive reſipiſcite*. —— Cap. 3. ad verba illa, *Pœnitemini igitur*,) p. 448. F. poſt illud, *Pœnitentiam agite*, dele uſque ad, *Sive pœniteat vos*, excluſ. —— Cap. 5. ad verba illa, *Et venundatum erat in tua poteſtate*,) pag. 458. F. ibi, *Et tamen oblitus ſui ſubjecit*, dele, *oblitus ſui*. —— Deinde ibi, *Reſpondens ad Græcam vocem*, dele uſque ad, *Horarum*, excluſive. —— Cap. 6. ad verba illa, *Et impoſuerunt illis manus*,) pag. 459. D. *Ut populus eligat, Epiſcopus ordinet*, pro, *eligat*, ſcribe, *paſtulet*. —— Cap. 7. ad verba illa, *Qui ait*,) eadem pag. 459. F. poſt hæc eadem verba dele uſque ad, *atqui Græce eſt*, excl. —— Cap. 8. ad verba illa, *Multi eorum*, &c.) pag. 463. E. poſt illud, *Voce magna exibant*, dele uſque ad, *Græca ſic habent*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Stupens admirabatur*,) pag. 466. E. poſt illud, *Duabus Latinis reddidit*, dele uſque ad, *Ut eandem dictionem Græcam*, excl. —— Cap. 10. ad verba illa, *Per ter*) pag. 471. E. poſt illud, *Erat dicere ter*, dele uſque ad, *Et ſtatim*, excl. —— Cap. 17. ad verba illa, *In quibus, & Dionyſius*,) pag. 503. C. poſt illud, ἐν οἷς, dele uſque ad illud, lit. F. *Demiror autem quum*, excl. —— Cap. 19. ad verba illa, *In ſchola tyranni cujuſdam*,) pag. 507. E. poſt illud, *Sed auctoritate ac vi*, dele uſque ad, *Judæi*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Confitentes, & annuntiantes actus ſuos*,) eadem pag. 507. F. ibi, *Antiquitus nonnullam confeſſionem malæ actæ vitæ*, dele, *nonnullam*. —— Et poſt illud, *actæ vitæ*, dele uſque ad, *Et Actus*, τὰς πράξεις, excluſive. —— Cap. 20. ad verba illa, *ne qua mora illi fieret*,) pag. 512. F. poſt illud, *Elegantius reddidit*, dele uſque ad, *longiorem metuebat*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Nec facio animam meam*, &c.) pag. 513. E. poſt illud, *Pretioſiorem quam me*,) dele uſque ad, *Græcum*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Lupi rapaces*,) eadem p. 513. F. ibi, *id eſt, graves, non rapaces*, dele, *non rapaces*. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Qui potens eſt*,) p. 514. E. poſt illud, *eſt maſculini generis*, dele uſque ad, *nec eſt ſimpliciter*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Beatius eſt dare magis, quam accipere*.) pag. 514. F. poſt illud, *Noſtri temporis concionatores*, dele uſque ad finem Annotationis. —— Cap. 21. ad verba illa, *Omnes ubique docet*,) pag. 517. E. ibi, *Nec eſt violavit ſanctum*, dele, *nec eſt*. —— Cap. 22. ad verba illa, *Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt*,) pag. 519. D. poſt illud, *aut depravatum eſſet*, dele uſque ad, *rogat autem qui*, excluſ. —— Cap. 24. ad verba illa, *Secundum ſectam, quam dicunt hæreſim*,) pag. 527. D. poſt hæc ipſa verba, dele uſque ad, *ſciat lector hoc loco Græcis*, excl. —— Cap. 25. ad verba illa, *poſtulantes adverſus illum damnationem*,) pag. 530. F. poſt illud, *Verti poterat cognitionem*, dele uſque ad, *Sed poſtulabam*, excluſ. —— Cap. 26. ad verba illa, *Æſtimo me beatum*,) pag. 531. F. poſt illud, *Quum antea verterit ad te*, dele uſque ad, *atqui Hieronymus*, excluſ. —— Cap. 27. ad verba illa, *Conſolabatur eos Paulus*,) pag. 536. D. poſt vocem, *Paulus*, dele uſque ad, *Græcis eſt*, excl. —— Deinde, poſt illud, *Satis arguit illum*, dele uſque ad, *Dare conſilium*, excl.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Cap. 2. ad verba illa, *Quærentibus vitam*, p. 570. C. poſt hæc ipſa verba, dele uſque ad, *cum Græca lectio*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Cogitationum accuſantium*,) pag. 571. F. poſt hæc eadem verba, dele uſque ad, *Cogitationibus invicem accuſantibus*, excluſ. —— Et paulo inferius in textu poſt illud, *quiſquis is fuit*, dele uſque ad, *ſi autem*, excluſive. —— Cap. 5. ad verba illa, *Propterea ſicut per unum hominem*,) pag. 585. A. poſt illud, *invidit in mortem, nos item*, dele uſque ad, *in mortem incurrimus*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *In quo omnes peccaverunt*,) eadem pag. 585. C. poſt illud, *Excludit peccatum originis*, dele omnia uſque ad finem Annotationis. —— Eodem Cap. ad verba illa, *In ſimilitudine*,) pag. 590. E. poſt illud, *lex quæ prohiberet peccatum*, dele omnia uſque ad finem Annotationis. —— Cap. 7. initio, ad verba illa, *lex in hominem dominatur quamdiu vivit*,) pag. 595. F. poſt illud, *à maritali jure liberaret*, dele uſque ad, *Quæ ſub viro*, excluſive. —— Cap. 9. ad verba illa, *Qui eſt ſuper omnia Deus*,) pag. 610. B. expungatur tota Annotatio ad eadem verba, quæ incipit, *Locus hic trifariam*, &c. finitur vero, *Quemadmodum ex patribus homo*. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Et non miſericordiam conſequutam*, &c. pag. 615. D. ibi, *Per ſimilitudinem detorſit ad gentes*, pro, *detorſit*, ſcribe, *deduxit*. —— Cap. 10. ad verba illa, *Moſes enim ſcripſit*,) pag. 617. E. poſt illud, *Scribit, eſt Græcis*, dele uſque ad, *Apud Græcos rectè ſic habetur*, excluſive. —— Cap. 14. ad verbum, *aſſumite*,) pag. 638. F. poſt illud, *Cæremonias negligant*, dele uſque ad, *non in*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *nam alius judicat*,) pag. 640. B. poſt illud, *Alius autem judicat omnem diem*, dele uſque ad, *Quod idem eodem adſcribit*, excluſ. —— Ibidem inferius, poſt illud, *Hactenus Auguſtinus*, dele uſque ad, *Quod nolim ita rapiat*, excluſ. —— Ibidem inferius, poſt illud, *Et cultum Divinum*, dele uſque ad, *in ſuo ſenſu*, excluſ. —— Cap. 15. ad verba illa, *Quod prætereiens*,) pag. 649. E. poſt illud, *Nec apud Ambroſium*, dele uſque ad, *Fructus*, excluſ. —— Eodem Cap. pag. 650. D. poſt illud, *Alioqui nihil deberetur*, dele uſque ad, *Sic enim Paulus appellat*, excl.

IN I. EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

Cap. 3. ad verba illa, *Unum ſunt*,) pag. 670. F. poſt illud, *Primum erat initiati*, dele uſque ad, *Dei enim*, excl. —— Eod. Cap. ad verba illa, *Fœnum, ſtipulam*,) p. 671. B. poſt illud, *Operum gradus referant*, dele uſque ad illud ejuſdem p. lit. F. *Theophylactus de gradibus*, excl. —— Cap. 5. ad verba illa, *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*,) p. 678. E. poſt illud, *Ad Galatas lib.* 3. dele uſque ad, *Citans hunc locum, & emendat*, excl. —— Et pro, *emendat*, ſcribe, *legit*. —— Et paulo inferius, poſt illud, *Aquæ pars, aqua*, dele uſque ad, *Non eſt bona*, excl. —— Eod. Cap. ad verba illa, *Debueratis, excl.* pag. 679. F. poſt illud, *Senſu, multos producit*, dele uſque ad, *Quorum primus eſt*, excluſ. —— Cap. 7. ad verba illa, *Mulierem non tangere*,) pag. 685. F. poſt illud, *Protinus ſimpliciter bonum eſt*, dele uſque ad, *Propter*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Volo autem omnes manere*,) pag. 687. C. poſt illud, *In totum abſtinere ab illis*, dele uſque ad, *Dico autem*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Liberata eſt à lege, cui autem vult, nubat*,) pag. 692. D. poſt illud, *Ut depravatum in autem*, dele omnia uſque ad illud, *Beatior autem erit*, excluſ. —— Cap. 8. ad verba illa, *Eſca autem nos non*, &c.) pag. 704. E. poſt illud, *Sive gratos reddit Deo*, dele uſque ad, *Deficiemus*, excluſ. —— Cap. 9. ad verba illa, *Sororem mulierculam*, pag. 706. C. poſt illud, *Vetuſtiſſimis exemplaribus*, dele uſque ad, *Ambroſius legit*, excluſ. —— Et paulo inferius, poſt illud, *Alteram lectionem neſcierit*, dele uſque ad, *aut ego*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Hoc operandi*, eadem pag. 706. E. poſt illud, *Gravare gregem ſuum*, dele uſque ad, *Sed fortaſſe rectius eſt*, excluſive. —— Eod. Cap. ad verba illa, *Qui altario deſerviunt*, p. 707. D. poſt illud, *Aſſiduum cultum ſacrorum*, dele uſque ad, *Et* συμμερίζονται, *partem*, excluſ. —— Cap. 10. ad verba illa, *Et panis, quem frangimus*, pag. 711. E. poſt illud, *Panem quem frangimus*, dele uſque ad, *Annotatum eſt hic*, excluſ. —— Cap. 11. initio ad verba illa, *Imitatores mei eſtote*, &c. p. 713. F. poſt illud, *ad archetypum Chriſti*, dele uſque ad,

Per

Digitized by Google

Per omnia, excluſive. —— Eod. Cap. ad verba illa, *Hoc eſt corpus meum,)* pag. 716. E. poſt illud, *In quibuſdam additum reperio*, dele uſque ad illud, *Verum hic captivandus eſt*, excluſ. —— Ibidem p. 717. C. poſt illud, *Noſtra vulgaris habet lectio*, dele omnia uſque ad illud, *Caterum frangendi verbum*, excluſive. —— Cap. 12. ad verba illa, *Et nemo poteſt dicere dominus,)* pag. 719. E. poſt illud, *Vitandum hominem ſignificarent*, dele uſque ad, *Diviſiones gratiarum*, excluſ. —— Cap. 13. pag. 724. D. deleatur ab illis verbis, *Opera charitatis fidei tribuenda ſunt*, uſque ad illa, *Caterum ut hæc parum habeant ponderis.* —— Cap. 14. ad verba illa, *Et qui loquitur mihi,)* pag. 730. C. poſt illud, *Viciſſim apud Scythas*, dele uſque ad, *Sic, & vox*, excl. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Quam decem millia,)* pag. 731. C poſt illud, *Apud Latinos eſt inuſitatius*, dele uſque ad illud, *Pſallamus ſpiritu, ſed Pſalmus, Chriſtiane*, excluſ. —— Cap. 15. ad verba illa, poſt illud, *Reſurgemus,)* pag. 743. B. *Omnes quidem uterque profeſſor ejus religionis*, dele uſque ad, *Atrocem calumniam mihi*, excluſ. —— Ibid. pag. 743. E. poſt illud, *Patronos his meliores*, dele uſque ad, *In momento*, excluſive.

In II. Epistolam ad Corinthios.

Cap. 1. ad verba illa, *Quum autem hoc voluiſſem,)* p. 754. C. poſt illud, *Quæ cogito*, dele uſque ad, *Ambroſius legit.* —— Cap. 6. initio, ad verba illa, *Adjuvantes autem exhortamur,)* p. 769. E. poſt illud, *Apud illos qui peccaverant*, dele uſque ad, *Bis autem rogat*, excluſ. —— Cap. 7. ad verbum, *Stabilem,)* pag. 774. C. poſt illud, *Pigere eſt, tedereque*, dele uſque ad, *Sæculi autem*, excluſive. —— Cap. 10. ad verba illa, *Sed potentia Deo,)* pag. 784. E. poſt illud, *Et opera divina*, dele uſque ad, *conſilia*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Non in deſtructionem*, pag. 785. E. poſt illud, *Deſtruere, ladere*, dele uſque ad, *Græci interpretantur*, excluſive. —— Cap. 11. ad verba illa, *Alium Chriſtum,)* p. 788. C. poſt illud, *Nobiſcum legit Chriſtum*, dele uſque ad, *Recte pateremini*, excluſ.

In Epistolam ad Galatas.

Cap. 4. ad verba illa, *Sub elementis mundi eramus ſervientes*, p. 817. E. poſt illud, *Viſibile & caducum*, dele uſque ad, *Miſit Deus*, excluſ.

In Epistolam ad Ephesios.

Cap. 1. ad verba illa, *Evangelii ſalutis,)* pag. 834. D. poſt illud, *Quod eſt Evangelium ſalutis*, dele uſque ad, *In quo, &*, excluſ. —— Cap. 2. ad verba illa, *Decretis evacuans,)* pag. 839. C. poſt hæc ipſa verba, dele uſque ad, *Abolevit legem ſitam*, excluſive. —— Cap. 5. ad verba illa, *In quo eſt luxuria,)* pag. 853. D. poſt illud, *Chorearum, & libidinis*, dele uſque ad §. *implemini*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Sacramentum hoc,)* pag. 855. B. poſt illud, *id eſt myſterium*, dele totam annotationem.

In Epistolam ad Philippenses.

Cap. 2. ad verba illa, *Eſſe ſe æqualem Deo,)* p. 865. D. poſt illud, *Adverbii loco poſitum*, dele uſque ad illud, *neque tamen me clam eſt*, excluſ. —— Ibidem pag. 868. B. poſt illud, *Vere volunt eſſe Deum*, dele uſque ad, *Neque tamen inficias iverim*, excluſ. —— Cap. 4. ad verba illa, *Germane compar,)* pag. 875. F. poſt illud, *ſinceram affectionem*, γνησίως, dele totam annotationem.

In Epistolam ad Colossenses.

Cap. 1. ad verba illa, *Primogenitus omnis creaturæ,)* pag. 885. D. poſt illud, *Proinde quod ſequitur*, εἰς αὐτὸν, dele uſque ad, *in ipſum, ut accipias*, excluſive. —— Et paulo inferius, poſt illud, *Admodum ad rem pertinere*, dele uſque ad, *in cœlis, & in terra*, excluſ.

—— Eodem Cap. ad verba illa, *Verbum Dei myſterium,)* pag. 887. D. poſt hæc verba, dele uſque ad, *quamquam myſterium hoc loco*, excluſive. —— Cap. 2. ad verba illa, *judicet in cibo aut in potu,)* pag. 890. F. poſt illud, *Quotidianarum harum formarum*, dele uſque ad, *Neomenia*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Ne guſtaveritis*, pag. 892. E. poſt illud, *Chriſtus liberos eſſe voluit*, dele uſque ad, *Non igitur ſic accipiendum eſt*, excluſ. —— Eodem Capite, & ad verba illa, *Rationem quidem habentia ſapientiæ,)* pag. 893. D. poſt illud, *à Religione Chriſti*, dele uſque ad, *Nobiſcum facit aperte*, excluſive. —— Ibidem ad verba illa, *in ſuperſtitione,)* poſt illud, *Et* θέλω, *volo*, dele uſque ad, *Et humilitate*, excluſ. —— Ibidem ad verba, *in humilitate,)* poſt illud, *Sentit atque terrena*, dele uſque ad, *Non ad parcendum*, excluſive.

In 1. Epistolam ad Thessalonicenses.

Cap. 4. ad verba illa, *Ut veſtrum negotium agatis,)* pag. 909. D. poſt illud, *propendebant plerique*, dele uſque ad, *Porro ridicule quidam*, excluſ.

In II. Epistolam ad Thessalonicenses.

Cap. 2. ad verba illa, *Non retinetis,)* pag. 917. E. poſt illud, *id eſt, Non meminiſtis*, dele totam annotationem. —— Cap. 3. ad verba illa, *Non inquieti fuimus,)* pag. 919. F. poſt illud, *item vertit intemperanter*, dele uſque ad, *modo attactos*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verbum, *Denuntiabamus,)* pag. 920. D. poſt illud, *id eſt, Præcipiebamus*, dele uſque ad, *Plutarchus libro ſuo*, excluſ.

In 1. Epistolam ad Timothevm.

Cap. 1. ad verbum, *Interminatis*, pag. 926. C. poſt illud, *Judaice diſputant*, dele uſque ad, *Porro quod hic vertit*, excluſive. —— Eodem Cap. & p. ibid. D. *In vaniloquium*, poſt illud, *& cœlo dignos reddant*, dele omnia uſque ad illud, *Non hæc eo ſpectant ut ſuadeam*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Soli Deo,)* pag. 930. F. poſt illud, *Filio communia cum Patre*, dele uſque ad §. *Secundum*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *In illis,)* pag. 931. D. poſt illud, *Invenire errata, quam effugere*, dele uſque ad, *Quam quidam*, excluſive. —— Cap. 2. ad verba illa, *Si permanſerit,)* pag. 933. C. poſt illud, *Diſſentit Ambroſius*, dele uſque ad, *Theophylactus indicat*, excluſive. —— Cap. 3. ad verba illa, *Unius uxoris virum,)* pag. 933. F. poſt illud, *ſemel duntaxat maritus*, dele omnia uſque ad verbum, *Ornatum*, excluſ. —— Eodem Cap. pag. 934. E. ibi, *reprehendit vulgatam illorum temporum editionem*, dele, *vulgatam.* —— Eodem Cap. ad verba illa, *Domui ſuæ bene præpoſitum,)* eadem pag. 934. F. poſt illud, *ſuis bene præſint*, dele uſque ad, *Cum omni*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Non neophytum,)* p. 935. D. poſt illud, *vel calumniari poſſit*, dele uſque ad, *Ad hunc ſenſum facit*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Mulieres ſimiliter pudicas,)* pag. 936. B. poſt hæc eadem verba dele uſque ad, *Chryſoſtomus interpretatur*, excluſ. —— Deinde poſt illud, *utebatur Eccleſia*, dele uſque ad, *Deinde* σεμνὰς, *eadem vox*, excluſ. —— Cap. 4. ad verba illa, *Manum presbyterii,)* pag. 938. F. poſt illud, *presbyterii tui, nimirum Epiſcopus*, dele uſque ad, *Porro quominus*, excluſ. —— Cap. 5. ad verba illa, *Non alligabis os,)* pag. 942. E. poſt illud, *flagellis excutiant*, dele uſque ad, *Adverſus*, excluſ.

In Epistolam ad Titvm.

Cap. 1. ad verba illa, *Non turpis lucri cupidum,)* p. 966. F. poſt illud, *fœdum eſſe Sacerdoti*, dele uſque ad, *Benignum*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verbum, *Continentem,)* pag. 967. F. poſt illud, *vulgi cupiditatibus*, dele uſque ad, *Amplectentem*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Quos oportet redargui,)* pag. 968. B. poſt illud, *illic diximus*, dele uſque ad, *Pro-*

Digitized by Google

prius, excluſ. —— Cap. 2. ad verba illa, *ut prudentiam doceant*, pag. 969. D. poſt illud, *ad caſtitatem erudiant*, dele uſque ad, *Ambroſius legit*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Magni Dei, & Salvatoris*,) pag. 971. C. & initio Annotat. poſt illud, ϗ Σωτῆρος, dele omnia uſque ad, *Populum*, excluſive. —— Cap. 3. ad verbum illud, *Devita*,) pag. 973. D. poſt illud, *Eodem verbo expreſſit*, dele uſque ad, *Proprio*, excluſ.

In Epistolam ad Hebraeos.

Cap. 2. ad verba illa, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*,) pag. 989. F. §. *Quadrageſimo quinto*, poſt illud, *Gravem Auctorem Paulum*, dele uſque ad, *Poſtremo non video*, excluſ. —— Ibidem pag. 990. D. §. *Quinquageſimo ſexto*, poſt illud, *certe conſtat receptum*, dele uſque ad, *Porro ſi ſacro ſancta*, excluſive. —— Cap. 3. ad verba illa, *Habet domus*,) pag. 992. F. poſt illud, *exitum ſententia*, dele uſque ad, *Thomas, & hoc*, excluſive. —— Cap. 6. ad verba illa, *Per majorem ſui*,) pag. 1000. E. ibi, *Rurſum oblitus, reliquit*, dele, *oblitus*. —— Cap. 11. ad verba illa, *Sperandarum ſubſtantia*, pag. 1012. E. poſt illud, *Vertit convitionem*, dele uſque ad illud, *Gloſſema quoddam vetuſtum*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Et adoravit faſtigium virgæ ejus*, pag. 1015. D. poſt illud, *Quid faciemus*, dele uſque ad, *Aut qui patrocinabimur*, excluſ. —— Ibidem paulo inferius, poſt illud, *Ad lecticuli caput*, dele uſque ad, *Caterum quum locis aliquot*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *in melotis*,) pag. 1017. D. poſt illud, *Exuvium leonis*, dele uſque ad, *in pellibus caprinis, Græce eſt*, excluſ. —— Cap. 12. ad verba illa, *Et ſpirituum*,) pag. 1020. F. poſt illud, *Animas piorum*, dele uſque ad verbum, *Et ſanguis*, excluſ. —— Cap. 13. ad verba illa, *Placuerunt quidam, &c.* pag. 1021. E. ibi, *Interpres male ſecutus*, dele, *male*. —— Ibidem pag. 1022. D. ibi, *Thomas Tenedia bipennis, ita nodum*, dele, *Tenedia bipennis*. —— Cap. 13. ad verba illa, *De Italia fratres*,) pag. 1023. C. initio Annotationis, poſt illud, *Et apud Græcos*, dele omnia uſque ad finem Annotationis, Capitis, & Epiſtolæ.

In Epistolam Jacobi.

Cap. 1. initio, ad verba illa, *Jacobus Apoſtolus*,) pag. 1025. B. poſt illud, *in Latinis emendatioribus*, dele uſque ad, *Hunc eſſe qui cum Hieroſolymis*, excluſ. —— Cap. 5. ad verba illa, *Peccata veſtra*,) p. 1037. D. poſt illud, *Continuo vult reconciliari*, dele uſque ad, *Ab hac ſententia*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Et operit*,) pag. 1038. C. §. *De hac item Epiſtola*, expunge totum §. uſque ad finem Capitis, & Epiſtolæ.

In 1. Epistolam Petri.

Cap. 5. ad verba illa, *Non dominantis in cleris*,) pag. 1055. C. poſt illud, *Cateros eſſe permiſſum*, dele uſque ad, *Præceptum Apoſtolorum Principis*. —— Ibidem paulo inferius, poſt illud, *Benefactis vincite*, dele uſque ad verbum, *Sed forma*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba illa, *in Babylone collecta*,) pag. 1056. D. poſt illud, *nomine deſignaſſe Romam*, dele omnia uſque ad finem Annotationis.

In 11. Epist. Petri.

Cap. 3. ad verba illa, *Veſtrorum præceptorum*,) pag. 1066. E. poſt illud, *refert, quod refert*, dele uſque ad finem Annotationis. —— Eodem Cap. ad verba illa, *Ne inſipientium, &c.* pag. 1068. B. poſt illud, *noſtra diſſideat editione*, dele uſque ad finem Capitis, & Epiſtolæ.

In 1. Epist. Joannis.

Cap. 5. ad verba illa, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo*,) pag. 1079. B. poſt illud, *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, dele omnia uſque ad finem Annotationis, nempe uſque ad §. *Et hi tres unum ſunt*, excluſive, qui eſt pag. 1081. F.

In 111. Epist. Joannis.

Ad verba illa, *Teſtimonium redditur*,) pag. 1088. C. poſt illud, *Teſtimonium perhibitum eſt*, dele omnia uſque ad finem Annotationis, & Epiſtolæ.

In Apocalypsim.

Cap. 12. initio, ad verba illa, *Et clamabat parturiens*, pag. 1109. F. poſt illud, *Et cruciatur ut pariat*, dele uſque ad finem Annotationis. —— Cap. 22. ad verba illa, *Etiam venio cito*,) pag. 1123. E. poſt illud, *Veni Domine Jeſu*, dele omnia uſque ad finem Annotationis, & Capitis.

Ex Indice Rervm, ac Vocabvlorvm in Annotationes Novi Testamenti, deleantvr sequentia.

Æmulari pro provocare ridicule verſum) dele, *ridicule*. —— *Ambroſius viro facit jus*, &c. —— *Ambroſius etiam uxori*, &c. —— *Ara* vertit forte, ſed peperam,) dele, *peperam*. —— *Auguſtinus videtur tribuere Mariæ*, &c. —— *Bellare non eſt Evangelica puritatis*. —— *Belli deteſtatio*. —— *Bellum quidam approbant*, &c. —— *Chriſtum etiam nunc eſſe ſub imperio*, &c. —— *Chriſtus quomodo matris aperuit uterum*. —— *Chryſoſtomus aliquid imperfectum tribuit*, &c. —— *Chryſoſtomus fidei gradus*, &c. —— *Chryſoſtomus Mariæ tribuit humanum quid*. —— Cœperunt progredi non apte verſum, dele, *non apte*. —— *Confeſſio onus in immenſum*, &c. —— *Confeſſio qualis olim fuerit*, &c. —— *Conſtitutionum humanarum onus*. —— Credit manducare, male redditum) dele, *male redditum*. —— Decretis evacuans, locus depravatus,) dele, *locus depravatus*. —— *Dionyſius non meminit*, &c. —— *Divortium nomine tantum à nobis inventum*. —— *Divortium novum à novis inventum*. —— *Eccleſia non fundata ſuper Petrum*. —— *Epiſtola ſecunda Petro*, &c. —— *Epiſtola ad Hebræos an ſit Pauli*. —— *Epiſtola Jacobo inſcripta*, &c. —— *Epiſtola ſecunda, & tertia Joanni*, &c. —— *Evangeliſta an alicubi memoria*, &c. —— *Jacobus qui ſcripſit epiſtolam, non eſt*, &c. —— Interpres male vertit,) dele, *male*. —— *Interpretis inconſtantia*. —— *Interpres oſcitabundus*. —— *Interpres auſus mutare numerum*. —— *Interpres auſus addere de ſuo*. —— *Interpres auſus mutare Græca*. —— *Interpres dormitans*. —— *Interpres non expreſſit ſenſum*. —— *Interpres parum attentus*. —— *Locus incommode redditus*. —— Locus ridicule redditus,) dele, *ridicule*. —— Locutio Græca male reddita,) dele, *male*. —— *Matrimonia olim ab Epiſcopis diremta*. —— *Matrimonii jus adimere*, &c. —— *Matrimonium conſummatum lapſus in hæreſim dirimit*. —— *Miſſa quomodo creverit*. —— *Presbyteri olim iidem qui Epiſcopi*. —— *Sacerdotes otioſi*. —— *Sacerdotes quidam nihil aliud quam decimatores*, &c. —— *Sacerdotum avaritia fœda*. —— *Sacerdotum incontinentia*. —— *Superſtitioſa reliquiarum oſtentatio*. —— *Thomæ annotatio ridicula*,) dele, *ridicula*. —— *Thomæ citatio inepta*,) dele, *inepta*. —— *Thomæ commentum ſuffrigidum*. —— *Thomæ lapſus miſerandus*,) dele, *miſerandus*.

VII. Tom. Paraphrases in vniversvm Novvm Testamentvm continente.

In Epiſt. Eraſmi ad Cæſarem Carolum Quintum, cujus initium, *Haudquaquam ignarus*, &c. pag. 1. lin. 12. poſt illud, *Sumſiſſem tractandas, niſi eas, qua*, dele

Digitized by Google

dele uſque ad, *à Paulo conſcripta ſunt*, excluſive. —— Pag. 2. lin. 3. poſt illud, *Quoque tempora pertinant*, dele uſque ad, *Hæc ut ſpiritu prophetico*, excluſ. —— Expungatur tota Præfatio Eraſmi ad pium Lectorem, quæ incipit, *Memini, Lector optime, & alias*, &c.

In Matthæum.

Cap. 1. ad verba illa, *Liber gener.)* pag. 1. E. poſt illud, *Per tot religionum ſpecies*, dele uſque ad, *Ad veram pietatem, veramque*, excluſive. —— Eodem Cap. ad eadem verba, pag. 2. C. poſt illud, *Onus legis Moſaica*, dele uſque ad, *Et hactenus quidem viva voce*, excluſive. —— Cap. 3. ad verba, *Tunc venit Jeſus à Galilæa*, &c. pag. 17. A. poſt illud, *Baptiſmum omnem ſanctificat Joannes*, dele uſque ad, *Tamen admirabilem probitatem*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verb. *Baptizatus autem Jeſus,)* eadem pag. 17. D. poſt illud, *Jeſus alacer, & properans*, dele uſque ad, *Egreſſus ab aqua*, excluſive. —— Cap. 5. ad verba, *Dictum eſt autem, quicumque dimiſerit uxorem,)* pag. 32. D. poſt illud, *Niſi forte adulteram*, dele uſque ad, *cogit illam ad adulterium*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis,)* pag. 33. A. poſt illud, *Ac punit lex Evangelica*, dele uſque ad, *Neque per Deum, neque per ea*, excluſ. —— Eodem Cap. ad ead. verba, pag. 33. C. poſt illud, *Quod animo ſentiunt*, dele uſque ad, *Abunde ſatis ſunt duæ*, excluſive. —— Ibidem paulo inferius lit. D. poſt illud, *Præſtaturum receperas*, dele uſque ad, *Quod ſi quid his acceſſerit*, excluſive. —— Et paucis interjectis, ibi, *Itaque quum in totum vetem jurare*, dele vocem, *in totum*. —— Eodem Cap. ad verba, *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum,)* pag. 34. C. ibi, *Accipite jam & illud præceptum, quod habetur in lege præcipuum*, dele duas illas voces, *præceptum, & præcipuum*. —— Cap. 7. ad verba, *Nunquid colligunt de ſpinis uvas,)* pag. 46. A. poſt illud, *Submovebitis à cura gregis*, dele uſque ad, *Ut caveatis ne gregi*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba, *Omnis ergo qui audit verba mea*, pag. 47. D. poſt illud, *interceſſerit adulterium*, dele uſque ad, *Jeſus exigebat*, excluſive. —— Cap. 8. ad verba, *Et adſcendente eo in naviculam,)* pag. 51. B. poſt illud, *Serva nos, perimus*, dele uſque ad, *Nec credunt ſeſe tutos*, excluſive. —— Cap. 12. ad verba, *Dominus enim eſt filius hominis etiam Sabbati,)* pag. 71. A. *Aut forma, materieſve, jejunium, feſti dies*, dele, *jejunium, feſti dies*. —— Cap. 13. ad verba, *Ediſſere nobis parabolam zizaniorum,)* pag. 80. E. poſt illud, *Doctrina, eſt diabolus*, dele uſque ad, *Tempus meſſis eſt conſummatio ſæculi*, excluſ. —— Cap. 15. prope verba, *Sinite illos, cæci ſunt, duces cæcorum,)* pag. 88. C. poſt illud, *Spiritualis eſt, ac cæleſtis*, dele uſque ad, *Horum igitur prima debet eſſe*, excluſive. —— Cap. 16. ad verba, *Venit autem Jeſus,)* pag. 93. A. poſt illud, *ædificium meum inexpugnabile*, dele uſque ad, *Regnum cæleſte eſt Eccleſia*, excluſive. —— Cap. 18. ad verba, *Amen dico vobis,)* pag. 101. A. poſt illud, *à conſortio cæli*, dele uſque ad, *Quin, & amplius dicam*, excluſive. —— Cap. 19. ad verba, *Si licet homini dimittere uxorem,)* pag. 103. E. poſt illud, *Præbet adulterii cauſam*, dele uſque ad, *Sed qui talibus de cauſis*, excluſive. —— Et pag. 104. B. *Certet qui volet, quique ſuis fidit viribus an ferat*, dele, *quique ſuis fidit viribus*. —— Eodem Cap. ad verba, *Et ecce unus accedens ait,)* pag. 105. A. poſt illud, *Abſolute bonus eſt*, dele uſque ad, *Jeſus igitur excitans*, excluſive. —— Cap. 21. ad verba, *Ite in caſtellum,)* pag. 112. A. poſt illud, *abeſſet ab illius magnitudine*, dele uſque ad, *Hoc igitur ſtrepitu*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *Et ejiciebat ementes, & vendentes*, eadem pag. 112. B. poſt illud, *Aliud ſignificabat Jeſus*, dele uſque ad, *Tum enim templum, quod*, excluſive. —— Eodem Cap. ad eadem verba p. 112. E. ibi, *Nunc pueri naturæ inſtinctu, vel potius afflatu Numinis*, dele, *naturæ inſtinctu, vel potius*. ——

A Et paulo inferius 112. F. ad verba, *Et videns ſici arborem*, ibi, *Velati indignans, quod ſpe deluſus eſſet, exſecratus eſt*, dele, *quod ſpe deluſus eſſet*. —— Cap. 27. ad verba, *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones*, pag. 143. A. poſt illud, *Poſſet furtim tollere*, dele uſque ad, *Perſeverarunt illic duæ Mariæ*, excluſive.

In Marcum.

In epiſtola Eraſmi ad Franciſcum Galliarum Regem, quæ incipit, *Quo minus ad hunc uſque diem*, p. 149. lin. 14. poſt illud, *Conflatinet ſpiritus Euangelicus*, dele uſque ad, *Quod autem ſpectaculum*, excluſive. —— Eadem epiſt. pag. 151. lin. 23. poſt illud, B *Quid me fugis Galle?* dele uſque ad, *Cur nunc inveniatur Epiſcopus*, excluſ. —— Et pag. 151. poſt medium, poſt illud, *Principem pro viribus referas*, dele uſque ad, *Atque hæc ſcribo, Rex inclyte*, excluſive. —— Eadem epiſt. pag. 153. lin. 15. *Archiepiſcopus Cantuarienſis, leviore de cauſa libertatem*, dele, *leviore de cauſa*. —— Eadem epiſt. & p. lin. 18. ibi, *Itaque quum levioribus de rebus eſſet contentio*, dele, *levioribus de rebus*. —— Ead. epiſt. pag. 153. poſt medium, poſt illud, *Ut illos longius ſubmoveamus*, dele uſque ad, *Mihi vero, vel illud argumento*, excluſive. —— Capit. 1. ad verba, *initium Euangelii Jeſu Chriſti*, pag. 157. C. poſt illud, *Ad cognitionem inviſibilium*, dele uſque ad, *Porro terror divina*, C excluſive. —— Eodem Cap. ad verba, *Sicut ſcriptum eſt*, p. 159. A. ibi, *Aut holocaustomata, non ad vota, ſeu jejunia, ſed ad baptiſmum*, dele, *non ad vota, ſeu jejunia*. —— Eodem Capite ad verba, *Poſtquam autem traditus eſt Joannes*, pag. 163. A. poſt illud, *Nec diſcipulos colligebat*, dele uſque ad, *Nos docens, non poſſe*, excluſive. —— Eodem Capite ad verba, *impletum eſt tempus*, p. 164. A. poſt illud, *Summa fuit impietas*, dele uſque ad, *Lex figuris ſuis*, excluſive. —— Eodem Cap. & ad eadem verba, & eadem pag. 164. C. poſt illud, *Nihil opus eſt holocaustomatis*, dele uſque ad, *Hujuſmodi ſermonibus*, excluſ. —— Cap. 2. ad verba, *Cognito Jeſus ſpiritu ſuo*, pag. D 173. F. poſt illud, *Satis eſt veniſſe ad pedes Jeſu*, dele uſque ad, *Totus ſibi diſplicebat*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *Et erant diſcipuli Joannis*, pag. 177. B. poſt illud, *Juſtior ſit jejunante*, dele uſque ad, *Hilaris autem eſſe*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *Nemo aſſumentum panni*, eadem pag. 177. E. poſt illud, *id vividum eſt, ac validum*, dele uſque ad, *inutilis eſt mixtura*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba, *Et factum eſt iterum cum do.* pag. 178. F. ibi, *Pius quivis dies ſit æque ſacer*, dele, *æque*. —— Eodem Capite ad verba, *Et dicebat eis*, pag. 179. C. ibi, *Irreconciliato proximo*, dele uſque ad, *Itidem cibus hominis*, E excluſ. —— Cap. 3. pag. 181. A. poſt illud, *Debiles habet Synagoga*, dele uſque ad, *Quiſquis eſt obnoxius*, excluſ. —— Cap. 7. pag. 209. F. ibi, *Non ut perpetuo, ſerioque ſervaremur*, dele, *ſerioque*. —— Eodem Cap. ad verba, *Et ſuſpiciens in cœlum*, pag. 215. B. poſt illud, *Doleat magis, quam iraſcatur*, dele uſque ad, *Sed ſuſpiciat in cœlum*, excluſ. —— Cap. 10. ad verba, *Et offerebant illi parvulos*, pag. 233. F. poſt illud, *Violata conjugii fides*, dele uſque ad, *His dictis, aderant*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba, *Erant autem in via adſcendentes*, pag. 238. F. *ſi de præmio non cogitetis*, dele uſque ad, *Nemo ſui judex ſit*, excluſive. Eodem Cap. ad verba, *Et veniunt Hiericho*, pag. 241. E. poſt illud, *redde præmium debitum*, dele uſque ad, F *Illico viſum recepit*, excluſive. —— Cap. 11. pag. 245. D. poſt illud, *Numquam æque ſæviſſe*, dele uſque ad, *Conſpicit haud dubie*, excluſ. —— Cap. 12. ad verba, *Et venerunt ad eum Sadducæi*, pag. 249. F. poſt illud, *Tentent divinam ſapientiam*, dele uſque ad, *Sed quod in illo erat infimum*, excluſive. —— Eodem Cap. ad eadem verba, pag. 251. B. poſt illud, *Omnibus aliis præceptis*, dele uſque ad, *Contra Judæorum vulgus*, excluſive. —— Cap. 13. ſub initium Cap. pag. 253. C. poſt illud, *Sit futura perennis*, dele uſque ad, *Porro*

Digitized by Google

cum ſederet, excluſive. —— Cap. 15. pag. 269. D. poſt illud, *Ac Deum profitetur*, dele uſque ad, *Conſidera, & illud*, excluſ.

In Lucam.

In Epiſt. ſeu Præfatione Eraſmi ad Henricum VIII. quæ incipit, *Mitto tibi Lucam*, pag. 273. ultra medium, poſt illud, *Scripſit omnes Epiſtolas*, dele uſque ad, *Scripſit poſt Marcum*, excl. —— In eadem epiſt. pag. 275. lin. 8. poſt illud, *Elaborata præcepta*, dele uſque ad, *Non ſapiebat amore Prophetarum.* —— Et paucis interjectis, lin. 11. poſt illud, *Animorum morbis*, dele uſque ad, *Quemadmodum autem*, excluſive. —— Cap. 1. ad verba, *Deſponſatam viro*, pag. 289. D. ibi, *Quod offertur, non meriti tui*, dele, *non meriti tui.* —— Eodem Cap. & ad eadem verba, pag. 290. B. ibi, *Sanctus hic divinæ naturæ cum humana coitus*, pro, *coitus*, repone, *nexus.* —— Ibidem paulo inferius, lit. C. ibi, *Ut congreſſum ſuſtinere poſſit*, dele vocem, *congreſſum.* —— Et inferius, lit. D. ibi, *Sicut autem in hoc congreſſu divina natura*, dele, *in hoc congreſſu.* —— Eodem Cap. ad verba, *Et peperit Filium*, pag. 294. D. poſt illud, *Conſtabat operibus præſcriptis*, dele uſque ad, *Non ceſſerunt*, excluſive. —— Cap. 3. ad verba, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, pag. 311. A. poſt illud, *Mutati in diverſum animi*, dele uſque ad, *Mutanda ſunt prava*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba, *Et ne cœperitis dicere*, p. 311. B. ibi, *Neomeniæ, delectus ciborum, lata phylacteria, triſtia jejunia*, dele, *delectus ciborum, triſtia jejunia.* —— Cap. 4. ad verba, *Et in Synagoga erat homo*, pag. 331. A. ibi, *aliaſque magicis non diſſimiles cæremonias*, dele, *magicis non diſſimiles.* —— Et poſt vocem, *Cæremonias*, dele uſque ad, *Ut exigatur ſpiritus*, excluſive. —— Cap. 5. ad verba, *Et ipſe præcepit illi, ut nemini*, pag. 338. B. poſt illud, *Genus tollit ab omnibus*, dele uſque ad illud, *Porro quod Dominus*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba, *Et poſt hæc exiit*, pag. 342. C. poſt illud, *& clam eſſe orandum*, dele uſque ad, *Ad quædam etiam connivens*, excluſive. —— Cap. 6. ad verba, *Non eſt enim arbor bona*, pag. 349. E. poſt illud, *Ex affectu bono proficiſcitur*, dele uſque ad, *Vultis autem noſſe*, excluſive. —— Cap. 7. pag. 359. B. poſt illud, *Figuram rerum ſpiritualium*, dele uſque ad, *Atque in his, quæ narravimus*, excluſ. —— Eadem pag. paulo infer. lit. C. poſt illud, *oblatione rerum corporalium, juſtitia Dei*, dele uſque ad, *Non fuere ſubjecti*, excluſ. —— Ibidem ſtatim, ibi, *Irrupit ad eum, ac fidei ſimplicitate promeruit*, dele, *fidei ſimplicitate.* —— Pag. 359. F. poſt illud, *Gravioribus malis obnoxius*, dele uſque ad, *Quid enim ſi mulier*, excluſive. —— Cap. 12. ad, *Et omnis qui dicit verbum*, pag. 389. A. poſt illud, *Venia ſpem habent*, dele uſque ad, *Me vident hominem*, excluſ. —— Cap. 15. p. 409. A. poſt illud, *Animus vere reſipiſcens*, dele uſque ad, *Qui ſe reddiderat*, excluſive. —— Cap. 18. pag. 424. F. poſt illud, *Peculiariter uti conſuevit*, dele uſque ad, *Veluti quum juberet*, excluſive. —— Et pag. 425. A. poſt illud, *Quam divitem in Regnum Cœlorum*, dele uſque ad, *Quum promitteret ſe*, excluſive. —— Cap. 19. pag. 427. F. poſt illud, *Ebionitæ clamant, Ecce hic eſt*, dele uſque ad, *O Judaicum, & incredulum*, excluſive. —— Cap. 22. pag. 452. B. poſt illud, *Honor vindicandus*, dele uſque ad, *Vos autem de præmio*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *Simon ecce Satanas*, pag. 453. D. ibi, *Fallit eos ad tempus*, pro, *fallit*, repone, *tenet.* —— Et paulo inferius, lit. D. poſt illud, *ab armatis ſatellitibus invadi*, dele uſque ad, *Ait autem Dominus*, excluſ. —— Cap. 23. pag. 461. C. poſt illud, *Jeſus autem*, dele uſque ad, *Compeſcuit illarum indecoram*, excluſ. & dele vocem, *indecoram.* —— Cap. 24. pag. 470. E. poſt illud, *Victimis, ſabbatiſmis*, dele uſque ad, *cæteriſque cæremoniis*, excluſ. —— Et paulo inferius, lit. F. poſt illud, *Et inter legem Evangelicam*, dele uſque ad, *Hoc, inquit, erit*, excluſ. —— Et pag. 471. C. poſt illud, *Moſi lex conceſſerat*, dele uſque ad, *Jubens etiam inimicos diligere*, excluſ. —— Eodem Capite, pag. 472. A. poſt illud, *Ac gentis calamitatem*, dele uſque ad, *Non delectabatur victimis*, excluſive. —— Et paulo inferius, lit. B. poſt illud, *Congruerit nomen Iſraelis*, dele uſque ad, *Sed tamen hæ rerum*, excluſive. —— Et pag. 473. A. poſt illud, *Ut per hunc omnes juſtificentur*, dele uſque ad illud pag. 473. B. *Judæi gloriantur in monte*, excluſ. —— Eodem Cap. pag. 474. D. ibi, *Subinde ſumi poſſit ſpiritualiter, grata*, dele vocem, *ſpiritualiter.*

In Joannem.

Cap. 1. pag. 497. E. poſt illud, *Ejuſdem naturam divinam*, dele uſque ad, *Ut, & pios, ac dociles*, excluſive. —— Eodem Cap. pag. 499. A. ibi, *Tamen ſimilitudine Patrem quaſi refert*, dele vocem, *quaſi.* —— Eodem Cap. ad verba, *Quotquot autem receperunt*, pag. 503. C. poſt illud, *Quos mundus habet pro nihilo*, dele uſque ad, *Non eruditio, non generis nobilitas*, excluſive. —— Et pag. 503. D. ibi, *Hæredes gehennæ, per ſolam fidem fierent filii Dei*, dele, *per ſolam fidem.* —— Eodem Cap. ad verba, *Et gratiam pro gratia*, pag. 505. D. *Uberior gratia, quæ per fidem Evangelicam gratis condonat omnibus*, dele, *per fidem Evangelicam.* —— Et paulo inferius, lit. E. ibi, *Per Jeſum Chriſtum, qui per fidem Evangelicam gratis condonat omnibus*, dele, *per fidem Evangelicam.* —— Eodem Cap. ad verba, *Et teſtimonium perhibuit Joannes, quia vidi Spiritum*, pag. 510. A. poſt illud, *Conferret gratis*, dele uſque ad, *Remiſſionem omnium peccatorum*, excluſive. —— Eodem Cap. pag. 514. A. poſt illud, *Cognitionem ſublimiorem*, dele uſque ad, *Præterea quod ceu magnifico*, excluſ. —— Cap. 2. pag. 515. B. poſt illud, *Verſor in patris negotio*, dele uſque ad, *Ultro faciam, quod res ipſa*, excluſive. —— Cap. 3. ad verba, *Qui credit in Filium, habet vitam*, pag. 525. C. poſt illud, *damnum incredulitatis*, dele uſque ad, *Quiſquis habet Filium, habet*, excluſive. —— Cap. 4. pag. 528. F. poſt illud, *Cultor Evangelicæ religionis*, dele uſque ad, *Mulier, inquit, fidem*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *Mulier, crede mihi*, pag. 529. C. poſt illud, *non umbris, ſed veritate*, dele uſque ad, *nec pecudum victimis*, excluſive. —— Cap. 6. p. 546. C. poſt illud, *Evocare ad perfectiora*, dele uſque ad, *Ad hæc turba*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *Amen dico vobis*, pag. 549. B. poſt illud, *Habere pro indubitato*, dele uſque ad, *Ego ſum ille panis*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba, *Panem, quem ego dabo*, eadem pag. lit. D. poſt illud, *Sumite, & vivite*, dele uſque ad, *Nec ignorabat, horum*, excluſ. —— Eodem Cap. pag. 551. D. poſt illud, *Spiritualiter intelligatis*, dele uſque ad, *Quam ſi per credulitatem*, excluſ. —— Et pro, *quam*, lege, *quem.* —— Eodem Cap. pag. 551. D. *Vitam conferunt animæ*, dele uſque ad, *Scio quibuſdam hæc fruſtra dici*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *Nunquid & vos vultis abire?* pag. 552. B. poſt illud, *Jeſum ſequi viderentur*, dele uſque ad, *Et Jeſus mavult*, excluſive. —— Cap. 8. pag. 564. B. poſt illud, *Unumquemque judicaturus eſſet*, dele uſque ad, *Lex in terra ſcripta*, excluſ. —— Eodem Cap. ad verba, *Multa habeo, quæ vobis loquar*, pag. 568. E. poſt illud, *de Jeſu ſcripſerant prophetæ*, dele uſque ad, *donec peragereturpro mundi*, excluſive. —— Eodem Cap. pag. 573. A. poſt illud, *Mortem non videbit in æternum*, dele uſque ad, *Hoc tam manſueto*, excluſ. —— Cap. 13. pag. 602. E. poſt illud, *Utcunque perſpexerat*, dele uſque ad, *Nondum viderat reſurrexiſſe*, excluſ. —— Cap. 15. ad verba, *Vos amici mei eſtis*, pag. 616. B. poſt illud, *Communicavi vobis*, dele uſque ad, *Quicquid Pater vos*, excluſ. —— Cap. 16. ad verba, *Hæc in proverbiis loquutus ſum vobis*, pag. 624. A. poſt illud, *Amat igitur vos*, dele uſque ad, *Ob id quia me mutuo*, excl. —— Cap. 21.

poſt

post finem Cap. pag. 649. ibi, *Per Des. Eraſmum Roterodamum Theologiæ profeſſorem finis*, dele, *Theologiæ profeſſorem.*

IN ACTA APOSTOLORVM.

Cap. 15. ſub initium Capitis, pag. 725. D. poſt illud, *Circumciſio Sabbatorum otia*, dele uſque ad, *Fuga moricinorum*, excluſ.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

In argumento Epiſtolæ, pag. 775. lin. 19. poſt illud, *Lucas Actorum cap.* 21. dele uſque ad, *Vel in hoc, ut placarentur*, excluſive. —— Eadem pag. in medio, poſt illud, *Legis auxilia, per Euangelium*, dele uſque ad, *Conferri ex æquo omnibus*, excluſive. —— Cap. 1. ad verba, *Dilectis Dei, vocatis ſanctis*, pag. 779. D. poſt illud, *Hoc eſt, gratuitum donum*, dele uſque ad, *Et per hanc penitus abolitis*, excluſive. —— Eodem Capite ad verba, *In Euangelio Filii ejus*, pag. 780. D. poſt illud, *Æque ad omnes pertinet*, dele uſque ad, *In Jeſum Chriſtum Filium Dei*, excluſ. —— Eodem Capite ad verba, *Ex fide in fidem*, pag. 781. B. poſt illud, *Judæorum cæremoniis*, dele uſque ad, *Quemadmodum & Abacuch*, excluſ. —— Cap. 3. ad verba, *Ubi ergo gloriatio tua?* pag. 787. C. poſt illud, *Imo per novam legem*, dele uſque ad, *Etiamſi Moſaicæ legis*, excluſive. —— Cap. 4. ad verba, *Ei autem, qui operatur*, pag. 788. E. poſt illud, *Ad Chriſti fidem deſciſcunt*, dele uſque ad, *Ad quam nemo cogitur*, excluſive. —— Eodem Capite ad verba, *Et ſignum accepit circunciſionis*, pag. 789. C. poſt illud, *Atque incircunciſus etiamnum*, dele uſque ad, *Deo placuiſſet*, excluſive. —— Cap. 5. ad verba, *Propterea ſicut per unum hominem*, pag. 793. B. poſt illud, *Poſteritatem dimanaret*, dele uſque ad, *Ita per unum Chriſtum*, excluſive. —— Eodem Capite ad verba, *Nam judicium ex uno delicto*, pag. 794. A. poſt illud, *Redderet obſtrictos*, dele uſque ad, *Similiter mortis jugum*, excluſ. —— Eodem Capit. ad verba, *Sicut enim per inobedientiam*, eadem p. 794. C. poſt illud, *Traxit in peccatum*, dele uſque ad, *Ita unus Chriſtus, qui*, excluſ. —— Cap. 6. ad verba, *Non enim ſub lege eſtis*, pag. 796. B. poſt illud, *Non eſtis obnoxii legi*, dele uſque ad, *ſed gratia Dei*, excl. —— Eodem Cap. ad verba, *Nunc vero liberati à peccato*, pag. 797. D. poſt illud, *Miſeroque ſervitio rependit*, dele uſque ad, *Idque non per Moſem*, excluſ. —— Cap. 10. ad verba, *Corde creditur ad juſtitiam*, pag. 811. E. poſt illud, *Antiquat cæremonias*, dele uſque ad, *Ea ex æquo communibus*, excluſ. —— Cap. 14. ad verba, *Si autem propter cibum frater tuus*, pag. 825. B. poſt illud, *Mortalitatis noſtræ ſubſidia ſunt*, dele uſque ad illud, lit. C. *Illa nobis potius meditanda*, excluſive.

IN 1. EPIST. AD CORINTHIOS.

Expungatur tota Præfatio Eraſmi ad Erardum de Marca, quæ incipit, *Cum mihi multorum*, &c. pag. 849. —— In argumento Epiſtolæ, pag. 857. poſt illud, *De divortiis, de virginitate*, dele uſque ad, *Totoque hoc ſermone*, excluſ. —— Cap. 3. ad verba, *Detrimentum patietur*, pag. 868. D. poſt illud, *Cum iſta profeſſione?* dele uſque ad, *His rebus, qui vos ſua doctrina*, excluſ. —— Cap. 7. ad verba, *His autem qui matrimonio*, pag. 880. B. ibi, *Exciderit à jure conjugii*, repone, *tori.* —— Cap. 8. ad verba, *Si enim quis viderit*, pag. 886. F. poſt illud, *Expertem ſcientiam retundamus*, dele uſque ad illud pag. 887. B. *Verum in aliis non perinde*, excluſive. —— Cap. 9. ad verba, *Nam cum liber eſſem*, pag. 890. C. poſt illud, *Inſinuandi Chriſti*, dele uſque ad, *quin ex ipſorum etiam*, excluſ.

IN EPISOLAM AD GALATAS.

In Argumento Epiſtol. pag. 943. lin. 2. poſt illud, *Contra quod Galatæ Chriſtum amplexi*, dele uſque ad, *Protinus in Judaiſmum relapſi*, excl. —— Et ad finem ejuſdem Argumenti, & pag. 943. lin. 8. à fine, poſt illud, *Non eſſe peccandi licentiam*, dele uſque ad, *Poſtremo hortatur ad Chriſtianam*, excluſ. —— Cap. 2. ad verba, *Quod non recte ambularet*, pag. 950. D. ibi, *Cuiquam homini veræ juſtitiæ, ſed potius per fiduciam, qua ſalutem*, dele, *per fiduciam, qua.* —— Cap. 4. ad verba, *Sed nunc quidem neſcientes Deum*, pag. 957. C. poſt illud, *In jus hæreditatis adſciſcit*, dele uſque ad, *Vos quondam, cum Deum*, excl. —— Cap. 5. ſub initium, pag. 961. B. poſt illud, *Non poſſunt qui diffidunt*, dele uſque ad, *Aut plane Judæi ſitis*, excluſive. —— Eodem Cap. ad verba, *Evacuati eſtis à Chriſto*, p. 961. F. poſt illud, *Promiſſam juſtitiam exſpectamus*, dele uſque ad, *Nihil autem refert*, excluſ. —— Et paulo inferius, poſt illud, *Minis vel ſupplíciis*, dele uſque ad, *Bene currebatis*, excluſ.

IN II. EPIST. AD EPHESIOS.

Præcidatur tota Epiſtola Dedicatoria ad Laurentium Campegium, quæ incipit, *Quoties inconſtantiam rerum humanarum intueor*, &c. pag. 967.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

Cap. 4. ſub initium, pag. 1001. E. poſt illud, *Quin & te rogo*, dele uſque ad, *Mecum in Euangelii negotio*, excl.

IN 1. EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

Cap. 2. ad verba, *Nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonis*, pag. 1009. F. poſt illud, *ac præda fiatis hoſtibus*, dele uſque ad, *Iſta magis avocant à Chriſto*, excluſ. —— Et ad finem ejuſdem Cap. pag. 1012. A. poſt illud, *Per Chriſtum à Patre*, dele uſque ad finem Cap. —— Cap. 3. ad verba, *Verbum Chriſti habitet in vobis*, pag. 1013. F. poſt illud, *Cantilenis delectatur Deus*, dele uſque ad, *Poſtremo quidquid agitis*, excluſive.

IN 1. EPIST. AD TIMOTHEVM.

Cap. 1. ad verba, *Finis autem præcepti eſt char.* pag. 1036. E. poſt illud, *Ac fide neſcia fuci*, dele uſque ad, *Humana charitas, quoniam*, excluſ. —— Cap. 2. pag. 1040. B. ibi, *Et nos deſinemus eſſe Chriſtiani*, corrige, *Et nos deſinemus probi eſſe Chriſtiani.* —— Cap. 4. pag. 1047. C. poſt illud, *Percipitur cum gratiarum actione*, dele uſque ad, *Nihil enim in rebus conditis*, excluſive.

IN EPISTOLAM AD TITVM.

Cap. 1. initio, pag. 1067. A. ibi, *Non ad legis obſervationem, aut operum fiduciam, ſed ad fidem, quæ ſola cunctis aperit*, dele, *aut operum fiduciam, & ſola.*

IN II. EPIST. PETRI.

In Epiſtola ad Thomam Cardinalem, quæ incipit, *Cum frequenter circumſpectaſſem*, &c. pag. 1079. lin. 9. *Epiſtolas Paulinas certo germanas dumtaxat explicui*, dele, *Certo germanas dumtaxat.* —— Eadem epiſt. pag. 1079. ultra medium, poſt illud, *Diſcipulis teſtes adfuerunt*, dele uſque ad, *Epiſtola Judæ ſerius*, excl. —— Et paulo inferius, poſt illud, *Ex Epimenide citat teſtimonium*, dele uſque ad, *De tempore ac loco*, excluſ.

IN EPISTOLAM JACOBI.

Auferatur tota Epiſt. ad Matthæum Cardinalem Sedunenſem, cui initium, *Jam videbar ad hujus curriculi*, &c. pag. 1114. in fine. —— Cap. 1. pag. 1117. B. poſt illud, *Tolleraretis. Porrò*, dele uſque ad, *Pertinet hoc ad Euangelii gloriam*, excluſ. —— Cap. 2. ad verba, *Quid proderit fratres mei*, &c. p. 1127. E. poſt illud, *Benefactis ubicunque adeſt*, dele uſque ad, *Quod dixi, clarius fiet*, excluſive. —— Et 1128. A. poſt

Digitized by Google

post illud, *Quæ necessitati non opitulatur*, dele usque ad, *Quod in arbore sunt flores*, exclus. —— Eodem Cap. ad verba, *Similiter & Rahab meretrix*, pag. 1129. E. post illud, *Sed ex fide factis comprobata*, dele usque ad, *Etenim quemadmodum corpus anima*, exclus.

In 1. Epistolam Joannis.

In argumento epist. pag. 1141. lin. 16. post illud, *Quemadmodum & duæ sequentes*, dele usque ad finem argumenti.

In Epistolam ad Hebraeos.

Cap. 11. ad finem, pag. 1192. E. post illud, *Æternam laudem meruerunt*, dele usque ad, *Omnes enim ejusdem corporis*, exclusive.

VIII. Tomvs Theologica ex Graecis Scriptoribvs Theologicis ab ipso Erasmo in Latinvm sermonem transfvsa complectens, totvs permittitvr.

IX. Tomo, complectente ipsivs Apologias, &c.

In Epistola Apologetica ad Martinum Dorpium, quæ incipit, *Non fuit reddita*, &c. p. 8. A. post illud, *Ex ipsis imbiberint fontibus*, dele usque ad illud, *O si tibi liceret, mi Dorpi*, excl. —— In Apologia ad Jacobum Fabrum, cui initium, *Quum essedum conscenderem*, p. 54. D. post illud, *Duntaxat ajo dubitatum*, dele usque ad, *Et addo, constantius receptam*, exclusive. —— Pag. 55. B. post illud, *& Ethnicorum testimonia*, dele usque ad, *Idem exponens Matthæi*, exclusive. —— Pag. 56. A. post illud, *De auctore digladiandum*, dele usque ad, *Origenes ecclesiastica*, exclusive. —— In Apologia, *De in principio erat sermo*, quæ incipit, *Quum nuper ex composito*, pag. 112. C. post illud, *Doctus à suo præceptore*, dele usque ad, *cordatis, & eruditis*, exclus. ——. In Responsione ad Annotationes Eduardi Lei, titulo, *Ad CXXIII.* pag. 237. B. post illud, *Characterem imprimi indelebilem?* dele usque ad titulum, *Ad CCXXIV.* excl. —— Tit. *Ad CCXXXIII.* pag. 240. A. post illud, *Docere magis est, quam decernere*, dele usque ad, *Ego doctis, gravibus*, exclusive. —— Titulo, *Ad CCXLIII.* pag. 247. F. post illud, *Si ego labor alicubi?* dele usque ad, *Quas autem hæreses*, exclus. —— Ibidem paulo inferius, pag. 248. A. post illud, *Eloquentiæ suæ mucronem?* dele usque ad, *An Fabrum notat?* exclus. —— In Responsione ad Annotationes novas Eduardi Lei, titulo, *Ad II.* pag. 249. D. post illud, *Per lenas, & lenones*, dele usque ad titulum, *Ad III.* exclusive. —— Titul. *Ad III.* pag. 250. A. post illud, *De Hebræa voce, addidimus*, dele usque ad titulum, *Ad IV.* exclusive. —— Titulo, *In Acta XV.* pag. 255. A. omnia quæ sub hoc titulo continentur, ab initio illo, *Confitentes & annunciantes actus suos, &c.* usque ad finem, seu usque ad titulum, *Ad XVI.* exclus. qui est pag. 262. E. omnino deleantur, usque ad finem. —— Titulo, *Ad XVII.* pag. 266. B. post illud, *Ex Monacha non Monacham*, dele usque ad, *Nam si sufficiat ea ratio*, exclus. —— Titulo, *Ad XXII.* pag. 272. D. post illud, *Ob unam, aut alteram voculam*, dele usque ad illud pagin. 273. A. post illud, *Jam quod ait?* exclusive. —— In Apologia ad Jacobum Lopis Stunicam, pag. 286. C. post illud, *Ubique deferam Hieronymo*, dele usque ad, *Atque adeo si quid illum*, exclusive. —— Titulo eodem, *Annotatione III.* pag. 291. E. post illud, *Scriptum sit, non Bersabe*, dele usque ad, *Si quid frontis haberet*, exclusive. —— Et statim, ibi, *Hoc imputasset, non Oecolampadio*, dele, *non Oecolampadio.* —— Et paulo inferius, post illud, *Sibi satis est & supersit*, dele usque ad Titulum, *Eadem Annotat. IV.* exclus. —— In Annotationibus in Epist. 1. ad Corinthios, Titulo, *Ex cap. XVI. Annotat.* pag. 332. C. post illud, *Stunica est Athanasius*, dele usque ad, *Stunica multis modis*, exclus. —— In Annotatione 2. ad cap. 3. Epistolæ 1. ad Timoth. pag. 343. B. post illud, *Abhorrere ab uxorum mentione*, dele usque ad, *Cæterum non illic*, exclus. —— In Apologia adversus Libellum Stunicæ, &c. à pag. 356. usque ad 374. in titulis paginarum deleatur illud, *Ad blasphemias Stunicæ.* —— In eadem Apologia, p. 362. B. §. *Actorum cap. XXII.* post illud, *Suam muniens causam*, dele usque ad, *Hic si credimus Stunicæ*, exclusive. —— Et paulo inferius, eadem pag. 362. C. post illud, *Cur recenset Hieronymus?* dele usque ad, *Nam Hebræi nonnunquam*, exclus. —— Eadem pag. 362. E. post illud, *Et cum ira loquutus*, dele usque ad, *Nam hoc certo habuit*, exclusive. —— Pag. 363. C. §. *Epistolæ ad Corinthios posterioris*, post illud, *Accersamus nobis alium Christum*, dele usque ad §. *Epist. ad Colossens.* exclusive. —— P. 363. F. §. *In priore ad Timotheum*, dele totum §. usque ad §. *In Epist. ad Titum*, exclusive. —— Pag. 364. E. §. *Rursus adducens locum, &c.* dele totum §. usque ad §. *Ex Methodo, quo annoto*, exclusive. —— Pag. 365. C. §. *Ex Methodo, quo annoto*, post illud, *Summum jus clavium*, dele usque ad, *Deinde an ad solum*, exclus. —— Pag. 366. B. §. *Supereſt adhuc una blasphemia*, dele totum §. usque ad §. *Sed capitalius etiam est*, exclusive. —— Eadem pag. 366. E. §. *Sed capitalius etiam est*, ibi, *magno ipsorum tædio, nec ullius omnino fructu*, dele, *nec ullius omnino fructu.* —— Pag. 367. A. post illud, *Vocalem sonare possit*, dele usque ad, *Hæc & ejusmodi tametsi*, exclusive. —— Pag. 367. E. post illud, *Hoc certe nomine sanctiorem*, dele usque ad, *Quod hic & à Deo*, exclus. —— Pag. 368. B. §. *A divis exordiar*, post illud, *Ne dicam impie colunt*, dele usque ad, *Noto vulgus, qui*, exclusive. —— Pag. 368. E. §. *Ritus Ecclesiastici*, post illud, *Parum digna sacro cultu*, dele usque ad, *Porro indocta quædam*, exclusive. —— Pag. 369. B. §. *Vide quantum*, post illud, *ad Euangelicam pietatem*, dele usque ad, *admoneo ut prima sit*, exclus. —— Eadem pag. 369. B. §. *De Sacramentis Ecclesiæ*, post illud, *Proprie dicuntur Ecclesiæ sacramenta*, dele usque ad §. *Doctorum auctoritatem*, exclusive. —— Pag. 370. D. §. *Supereſt extremum*, post illud, *Hac quidem in parte*, dele usque ad illud paginæ ejusdem 370. F. *Neque tamen me clam est*, exclusive. —— In Apologia ad Conclusiones Stunicæ, p. 390. D. num. 20. post illud, *Decrevisse pietatem*, dele usque ad 21. *Christiani*, exclus. —— Et paulo inferius, n. 22. post illud, *Vehementer improbo*, dele usque ad titulum, *Confusi tituli*, exclusive. —— In epist. Apologetica adversus Stunicam, pag. 395. B. n. 13. ibi, *Interpres perperam pro quod*, dele, *perperam.* —— Ibidem inferius, post illud, *Vertit igitur Latine*, dele usque ad, *Et si dicam in ipsius*, exclusive. —— Eadem pag. 395. E. n. 15. ibi, *Sæpe perperam vertere, in quanta*, dele, *perperam.* —— Et n. 16. post illud, *Antiquis codicibus*, dele usque ad, *Quia præcesserat*, exclusive. —— Ibidem n. 17. post illud, *Codicibus reperio quæ*, dele usque ad illud sequentis paginæ 396. B. *Verum hac de re*, exclusive. —— Pag. 397. C. n. 28. ibi, *Hujus orationis absurditatem*, pro, *absurditatem*, rescribe, *difficultatem.* —— Pag. 398. B. n. 36. post illud, *Erat hic labendi occasio*, dele usque ad, *πάντων enim*, exclusive. —— In Apologia ad Sanctium Caranzam, pag. 404. B. post illud, *Deum secundum naturam*, dele usque ad, *Sed quod Christus ederet*, exclusive. —— In Notatis per Natalem Beddam, pag. 459. D. num. 15. priore, post illud, *Ne quis resiliat à prima fide*, dele omnia usque ad titulum, *De ipsa Paraphrasi*, excl. —— Pag. 464. E. §. *R. Hæc verba*, post illud, *Hactenus Chrysostomus*, dele usque ad, *Quod si quis habet*, exclusive. —— Pag. 469. F. §. *R. Ubi merces*, post illud, *Paraphrasis non excludit*, dele, *Ego Pauli verba*, exclus. —— In titulo, *De epist. ad D. Leodien. in Paraphrases Epistolarum ad Corinthios*, pag. 472. C. §. *N. Pag. 73. Utinam qua*, post illud,

Digitized by Google

illud, *De Eucharistia sive Synaxi*, dele usque ad §. *R. Quid piaculi*, exclus. qui est pag. 473. C. —— Titulo, *De Epistola Beati Jacobi*, pag. 479. E. §. *R. Agit hic de fide*, post illud, *Per quam datur salus*, dele usque ad §. *N. pag.* 480. A. *Lege Mosaica*, exclusive. —— Pag. 484. D. §. *R. Hunc libellum, quem Bedda*, dele omnia ab initio §. usque ad Titulum, *Annotationes Bedda Theologi in Paraphrasim Erasmi Roterodami in Lucam*, exclus. qui est pag. 489. A. —— Pag. 491. E. §. *R. Hic videtur*, post illud, *Festis ac jejuniis loqui*, dele usque ad finem §. —— In Elencho ad Beddæ Censuras erroneas, pag. 498. A. num. 36. qui incipit, *Imo hæresis est dicere, &c.* totus expungatur. —— P. 505. C. expungatur numerus 147. qui incipit, *Quod hic damnat Bedda, &c.* usque ad illud, 149. & 150. & 151. *Quum ad has*, exclusive. —— Pag. 507. A. n. 170. post illud, *Quid ista ad hæc tempora?* dele usque ad finem numeri. —— Pag. 509. B. tollatur totus numerus 192. qui incipit, *Si consequimur regnum, &c.* —— Eadem pag. num. 195. post illud, *Non vere credunt corde*, dele usque ad, *Mecum sentit Ambrosius*, exclus. —— Eadem pag. initio num. 196 post illud, *Bedda incertum*, dele usque ad, *Non enim intelligit*, exclusive. —— Pag. 510. B. numer. 197. post illud, *Episcopi habebant uxores*, dele usque ad illud, *Ea res Petrum non submovit*, exclusive. —— In supputatione errorum in Censuris Beddæ, pagin. 539. F. post illud, *Horum non esse dissimilem*, dele usque ad, *Hæc non dico, quod*, exclusive. —— Pagin. 586. F. propositione 35. post illud, *Ad consequendam salutem*, dele usque ad, *Si facillimum est continere*, exclusive. —— Et post verbum, *continere*, dele usque ad, *Cur Paulus dixit*, exclusive. —— P. 611. C. propositione 63. post illud, *Priusquam absolvat Sacerdos*, dele usque ad, *Certe solus Christus*, exclusive. —— Pag. 615. A. propositione 68. post illud, *Ecclesiæ probatissimos viros*, dele usque ad, *Calumniosum & illud*, exclus. —— Pag. 617. E. propositione 70. post illud, *Sibi crucifigant Dominum*, dele usque ad, *Evangelii testimonium pro me*, exclus. —— Pag. 618. C. post illud, *Redemtione mundi, pie flet*, dele usque ad, *Male sentit de Christo*, exclusive. —— Pag. 621. E. propositione 73. post illud, *Cœli præmium debetur operibus*, dele usque ad finem propositionis. —— Pag. 645. A. propositione 111. post illud, *Quid ille docuerit*, dele usque ad finem propositionis. —— Pag. 652. A. propositione 128. post illud, *Blasphemias serit in mundum*, dele usque ad §. *Nec illud vacat calumnia*, exclus. —— Pag. 697. D. §. *Ex paraphrasi Jacobi*, dele totum §. —— Et paulo inferius §. *Loquor illic*, post illud, *Non est absque charitate*, dele usque ad, *Jam quod in scholis*, exclusive. —— In Notatis ex Enchiridio Militis Christiani, pag. 701. C. §. *Idem ex Paracleti*, post illud, *Ac disost in silentio*, dele usque ad, *Triginta ferme tales*, exclusive. —— In Apologia adversus Petrum Sutorem, pag. 756. B. §. *Subit obiter admirari*, dele omnia ab initio §. usque ad illud pag. 756. F. *Quomodo excusabit Juvencum*, exclusive. —— Pag. 763. E. post illud, *Veritate mortem oppetant*, dele usque ad, *Complectitur autem hæc sententia*, exclus. —— Pag. 769. A. §. *Porro quod reprehendit*, post illud, *Lucam accuset, non me*, dele usque ad, *Si tam insignem errorem*, exclusive. —— Pag. 786. A. §. *Sed imminet periculum*, dele totum §. usque ad §. *Postremo profert*, exclus. —— In Appendice ad quædam Antapologiæ Petri Sutoris, pag. 805. D. post illud, *Habes unam blasphemiam*, dele usque ad, *Accipe alteram*, exclusive. —— In propositionum Erasmicarum Censuris Facultatis Theologiæ Parisiensis, declaratione 4. pag. 827. E. post illud, *Judæi jejunium celebrabant*, dele usque ad, *Arbitror autem puriorem*, exclusive. —— Et pag. 828. A. post illud, *Arguit hominum malitiam*, dele usque ad, *Paulus nusquam non clamat*, exclusive. —— Pag. 828. B. post illud, *Veluti fræno coercuit*, dele usque ad, *Ne laditur præpositorum*, exclusive. —— Declaratione 5. pag. 831. A. post illud, *Vel addit, vel adimit*, dele usque ad, *Chrysostomus, ac Thomas*, exclus. —— Declaratione 22. & 23. pag. 851. C. post illud, *Liquere è tot libris meis*, dele omnia usque ad illud, pag. 852. F. *Neque propono hæc tanquam dubia*, exclusive. —— Declaratione 44. pag. 882. E. post illa verba, *Evangelica majestati admiscere*, dele usque ad, *Quanquam hunc locum*, exclus. —— Declaratione 72. pag. 903. D. post illud, *Non enim est ἐν ᾧ*, dele usque ad, *At Augustinus vehementer, &c.* exclusive. —— Declaratione 76. & 77. pag. 908. B. post illud, *Et illius ætatis præsulibus*, dele usque ad, *Atque ut verum esse fateor*, exclus. —— Declaratione 84. pag. 912. D. post illud, *Solus novit Deus*, dele usque ad, *Sed de his qui accedebant*, exclusive. —— Declaratione 92. p. 918. C. post illud, *Non damnat illius naturam*, dele usque ad, *Proinde quæ hic dicuntur*, exclus. —— Pag 929. C. Titulo, *Subsequuntur nonnulla erronea, scandalosa, &c.* deleatur totus hic titulus, & omnia quæ deinceps sub eodem titulo continentur per viginti, & amplius paginas, usque ad finem declarationum Colloquiorum; nempe usque ad finem pag. 954. —— Pag. 955. A. expungatur tota responsio ad Disputationem cujusdam Phimostomi de Divortio, quæ incipit, *Legi Disputationem de divortio hominis meo judicio, &c.* usque ad finem, nempe per novem paginas, usque ad titulum, *Erasmus Roterodamus Lectori*, exclusive, qui est pag. 965. D. —— In Præfatione Responsionis ad Collationes cujusdam Juvenis Gerontodidascali, quæ incipit, *Ad Collationes*, pag. 967. D. post illud, *Et potest fieri ut talis fuerit*, dele usque ad, *Et si Paganus nobis dedisset*, exclusive. —— Et ejusdem paginæ 967. D. post illud, *Et tamen non raro labuntur*, dele usque ad, *Divus Hieronymus*, exclusive. —— In responsione ex Cap. 5. ad Romanos pag. 988. B. post illud, *In Schola decantatis dogmatibus*, dele usque ad illud, *Illud non modo calumniosum*, exclusive. —— In responsione de Trinitate, Cap. 2. pag. 1046. A. post illud, *Illorum vacillat auctoritas?* dele usque ad §. *Notant, & hoc dictum*, exclusive. —— Titulo 4. *Contra sanctam hæreticorum Inquisitionem*, pag. 1054. D. §. *Ad hunc articulum*, post illud, *ad carceres, & incendium*, dele usque ad, *Equidem talibus*, exclusive. —— Pag. 1055. D. post illud, *Ne quem capite plectat*, dele usque ad, *Nunc etiam ultra principum*, exclusive. —— Pag. 1056. C. post illud, *Pugnatum esse cum hæreticis*, dele usque ad, *Quid autem reprehendi potest*, exclus. —— Et versus finem ejusdem pag. 1056. E. post illud, *Hominem tradi flammis*, dele usque ad, *Res agitur per relatores*, exclusive. —— Pag. 1057. D. post illud, *Edictis dicta est multa?* dele usque ad, *Et olim in Synodo*, exclusive. —— Et paulo inferius, post illud, *Errorem esset relapsus*, dele usque ad, *Cætera petantur ex eo loco*, exclusive. —— Pag. 1060. A. §. *Item in Colloquio quod*, dele totum §. usque ad §. *Locus hic non exstat*, exclusive. —— Eadem pag. 1060. C. §. *O sanctam Inquisitionem*, dele totum §. usque ad titulum, *Contra Orthodoxa, &c.* exclusive, qui est eadem pagina 1060. F. —— Pag. 1062. F. §. *Hanc non affirmo*, post illud, *Institutam à Christo*, dele usque ad, *Quum ipsam, & servem*, exclus. —— Pag. 1063. C. §. *Fateor hæc verba*, post illud, *Quod illic adjecit Confessionem*, dele usque ad, *Si modo recte utantur*, exclus. —— Pag. 1065. B. §. *Christum his verbis*, post illud, *Et hic est calix sanguinis*, dele usque ad, *Nec ipse Thomas*, exclusive. —— Pag. 1069. A. §. *In 1. Cor. c. 7.* post illud, *Quemadmodum illic demonstravimus*, dele usque ad, *Nec statim collabitur*, exclus. —— Pag. 1075. D. §. *Si Paulus fuisset*, ibi, *Sic & Christus peccare potuit, qui vulgo*, dele, *peccare potuit.* —— Pag. 1076. B. §. *Generali vocabulo*, post illud, *qua vere pios reddit*, dele omnia usque ad §. *In Apologia ad Leum*, exclusive, qui est pag. 1077. B. —— Pag. 1081. B. post illud, *Velle mortem oppetere*, dele usque ad,

Digitized by Google

Pro his de quibus asserit Lutherus, excl. —— Et Pag. 1082. B. §. *Levia dico*, post illud, *Ut falsum esse credo*, dele usque ad fin. §. —— Pag. 1084. F. §. *Ad hanc calumniam*, post illud, *Quam ut negari possit*, dele omnia usque ad §. *Item in Colloquio Proci*, &c. exclus. qui est p. 1085. E. —— P. 1086. C. §. *Item in Colloquio, Naufragium*, dele omnia usque ad §. *Item in calce libelli*, exclus. qui est p. 1087. A. —— P. 1090. C. §. *Nemo dubitat*, post illud, *Indicta est satisfactio*, dele usque ad, *Quanquam à me*, excl. —— Ead. p. 1090. D. §. *Contra Sanctorum veneraciones*, &c. dele ab initio §. usque ad titulum, *Contra jus in bonis temporalibus*, exclus. —— In responsione ad Albertum Pium, pag. 1105. B. post illud, *Appellamus Ecclesia Principem*, dele usque ad, *Ego apud Lutheranos*, exclusive. —— Pag. 1107. A. post illud, *Verbis indicent, quid optent*, dele usque ad, *Ecclesiam crevisse opibus*, exclus. —— Et paulo inferius, post illud, *In decretis Pontificum?* dele usque ad, *Matrimonium ubique inter Ecclesiæ*, &c. exclus. —— Et paulo inferius, post illud, *Venerint in hunc statum?* dele usque ad, *Nusquam ulla syllaba*, exclus. —— In responsione ad Annotationes marginales, p. 1129. A. §. *Oportet, inquit*, post illud, *Pastorem agnoscunt pii*, dele usque ad, *Summam charitatem ab illo*, exclusive. —— Eadem pag. 1129. E. §. *Ait Pontificem*, post illud, *Honoribus sit indignus Pontifex*, dele usque ad §. *Quum fortiter*, exclusive. —— Pag. 1137. F. post illud, *Excussumque judicium*, dele usque ad §. *Post hæc Moria*, exclusive. —— Pag. 1138. B. §. *Ventum est ad Theologos*, post illud, *Sycophantæ non Moriæ*, dele usque ad fin. §. —— Eadem p. 1138. E. §. *Nusquam non agit calumnioſe*, post illud, *Palam testatur se de malis loqui*, dele usque ad, *Cum audis, magna pars*, exclus. —— Pag. 1140. A. §. *Et hic me deridet*, dele omnia ab initio §. usque ad §. *Quæso per Musas*, exclusive, qui est pag. 1142. C. —— Titulo, *Jejunium*, pag. 1143. E. post illud, *Delectus nobis interdictus est*, dele usque ad, *Bellare Judæorum more*, exclusive. —— Titulo, *de Monachis*, p. 1147. B. post illud, *Num constitutiones innumeræ?* dele usque ad, *Num tot anathemata*, excl. —— Eadem p. 1147. F. post illud, *Censum qui volebant*, dele usque ad, *Hoc igitur*, exclusive. —— Titulo, *Loca*, pag. 1149. D. §. *Ex epistola ad Volzium, hæc detruncavit*, dele totum §. usque ad §. *Ex epistola ad Abbatem*, exclus. —— Titulo, *De Sacerdotum & Episcoporum auctoritate*, p. 1177. A. §. *Sed in Scholiis*, post illud, *Orbis major est urbe*, dele usque ad §. *Presbyteros autem*, exclusive. —— Titulo, *Primatus Petri*, pag. 1181. E. §. *Verum non queo*, post illud, *Et Reges esse illius oves*, dele usque ad finem §. —— Titulo, *Vota*, p. 1183. B. deleantur omnia quæ sub hoc titulo, & sequenti, *Votum continentiæ*, continentur, usque ad titulum, *Virginitas, & cœlibatus*, exclus. qui est pag. 1185. C. —— Titulo, *Virginitas, & cœlibatus*, pag. 1188. E. §. *Jam quod fortiter*, post illud, *Potest tolli per Ecclesiam*, dele usque ad §. *Si, inquit, divinus spiritus*, exclusive. —— Titulo, *Matrimonium*, pag. 1189. E. §. *Nolo scripturam*, dele totum §. usque ad §. *Sed non permittit*, exclusive. —— Expungatur tota epistola Apologetica, *De interdicto esu carnium*, ad Christophorum Episcopum Basilienſem, cujus initium, *Vix oratione consequi*, &c. quæ continetur à pag. 1197. usque ad 1215. —— In Hyperaspiste Diatriba, p. 1251. C. post illud, *Disputationem civiliorem*, dele usque ad, *Certe putabam me*, exclus. —— Pag. 1305. A. post illud, *Ex Scripturis rectius enarratis*, dele usque ad, *Proinde si tuum dogma*, exclusive. —— In Detectione Præstigiarum Libelli cujusdam, pag. 1570. F. post illud, *Ac quæstum ac tyrannidem*, dele usque ad, *Cum his æque peccat*, exclusive. —— In Epist. in Pseudo-Euangelicos, pag. 1576. A. post illud, *Cyprianus, Augustinus*, dele usque ad, *Ipsi lingua, libriſque*; exclus. —— Pag. 1583. B. post illud, *Episcopis, aut Romano Pontifice*, dele usque ad, *Hæc sunt renascentis Euangelii*, exclusive. —— Pag. 1585. C. post illud, *Arte corrigendam est*, dele usque ad, *Videmus in templis*, exclusive. —— Pag. 1586. E. post illud, *Voluptati studetur assatim*, dele usque ad, *Olim Ecclesia præsidet*, exclus. —— In Purgatione ad expostulationem Hutteni, pag. 1651. B. post illud, *Erga Lutherum æquitatem*, dele usque ad illud ejusdem pag. lit. F. *Et hoc me discruciat*, excl. —— Pag. 1654. B. post illud, *Quam habere famam illius*, dele usque ad, *Nec æquum est, ut quisquam*, exclus. —— Eadem pag. 1654. E. post illud, *arbitror esse orthodoxam*, dele usque ad, *Hinc autem Ecclesia*, exclus. —— Et ejusdem pag. 1654. lit. E. post illud, *Sine controversia summos*, dele usque ad, *Sed Huttenus non fert*, exclusive. —— Pag. 1655. B. *Judicio minime mali, qui*, dele usque ad illud, *Cuperent explicari conscientias*, exclusive. —— Pag. 1663. A. post illud, *Est animus mortem oppetere*, dele omnia usque ad illud pag. ejusdem lit. F. *Ubique me vanissimum*, exclus. —— Antibarbarorum Lib. 1. pag. 1699. C. post illud, *Labores consequi par fuit?* dele omnia usque ad illud pag. 1700. F. *Meminisse te scio, quanquam*, exclusive. —— Pag. 1708. A. post illud, *Nec homini, nec nomini*, dele usque ad, *nostri censores, cum ceteris*, &c. —— Pag. 1720. B. post illud, *video verba Theologica*, dele usque ad, *Verum ne tu impune*, exclusive.

ALEXANDRI SEPTIMI INDEX EXPURGATORIUS OPERUM DESIDERII ERASMI.

Desiderii Erasmi Roterodami Libri infrascripti. *Colloquia, Moria, Lingua, Christiani Matrimonii Institutio, de Interdicto esu carnium, Paraphrasis in Matth. quæ à Bernardino Tomitano de Latino sermone in Italicum conversa est.* Cætera vero Opera ipsius, in quibus de Religione tractat, tamdiu prohibita sint, quamdiu à Facultate Theologica Parisiensi, vel Lovaniensi expurgata non fuerint. *Adagia*, quæ non sunt ex editione Pauli Manutii, expunctis locis suspectis judicio alicujus Facultatis Theologicæ, Universitatis Catholicæ, vel Inquisitionis alicujus Generalis permittuntur. Ea vero, quæ sunt ex editione Pauli Manutii, permittuntur.

CONCILII TRIDENTINI INDEX EXPURGATORIUS OPERUM DESIDERII ERASMI.

Desiderii Erasmi Roterodami, Colloquiorum Liber, Moria, Lingua, Christiani Matrimonii Institutio, de interdicto esu Carnium; *Ejusdem* Paraphrasis in Matthæum, quæ à Bernardino Tomitano in *Italicam linguam* conversa est.

Cætera vero Opera ipsius, in quibus de Religione tractat, tamdiu prohibita sint, quandiu à Facultate Theologica Parisiensi, *vel* Lovaniensi expurgata non fuerint.

Adagia vero ex Editione, quam molitur Paulus Manutius, *permittentur*.

Interim vero, quæ jam edita sunt, expunctis locis suspectis, judicio alicujus Facultatis Theologicæ, Universitatis Catholicæ, vel Inquisitionis alicujus generalis permittuntur.

FINIS.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO FVNEBRIS
IN OBITVM
DESIDERII ERASMI ROTERODAMI,
AVCTORE GVILIELMO INSVLANO MENAPIO GREVIBROCENSI, ORATORE LVCVLENTISSIMO.

τῦ αὐτῦ EPITAPHIVM.

Poſtquam doctiloquus fatis conceſſit Eraſmus,
Viſa ſibi eſt pietas relligioque mori.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO CLEMENTISSIMOQVE PRINCIPI ET DOMINO

D. GVILIELMO

DVCI CLIVIAE, JVLIARVM ET MONTIS, COMITI A MARCA ET RAVENSBVRG, &c.

GVILIELMVS INSVLANVS,

PRAEPOSITVS ECCLESIAE DIVI ADALBERTI AQVENSIS,

S. P. D.

CVM *proximis diebus nuntiata mors* Deſiderii Eraſmi Roterodami *fuiſſet à nonnullis ipſius nominis amantiſſimis, ſane, pro eo ac debui, plurimum indolui: non ipſius quidem cauſa, quem ſperamus enavigato hoc turbulentiſſimo pelago illius tranquilliſſimi feliciſſimique ſoliditatem littoris contigiſſe: nec mea etiam ipſius, ut qui una atque altera congreſſione & litterarum mutuo officio, non etiam familiaritatis jure mihi conjunctus fuiſſet, ut, quod multi ſolent, abſentiæ deſiderium ægre ferrem; ſed Reipublicæ Chriſtianæ vicem deploravimus, cujus ille ſpes & vota in media omnium exſpectatione præcidiſſet: jam enim erectis omnium animis ad futuræ Synodi Oecumenicæ celebrationem multi in eam diſceſſerant opinionem, ut ſperarent* Eraſmi *auctoritatem officiumque Reipublicæ Chriſtianæ plurimum momenti allaturum: quippe comperta erant hæc omnia, fides, pietas, religio, doctrina, eloquentia, conſilium, dexteritas, &, quam hic etiam valere credas, ſingularis & infracta ingenii libertas: non enim odio cujuſquam aut ſimultatibus conceſſit, non etiam gratiæ quicquam condonavit. Quarum ille virtutum omnium commendatione ac præſidio fretus, utilis profecto vir rebus gerendis fuiſſet habitus. Verùm quoniam aliter viſum divinæ voluntati eſt, cui reluctari velle, non ſolum nefas ſed etiam habeatur inutile, interim communis fragilitatis ac ſortis memores, præſentem caſum æquo animo feremus, &, quod ſaltem ſupereſt, ſupremum officium pietatis mortuo* Eraſmo *perſolvemus. Orationem igitur lugubrem in ipſius nomen & laudem, à me quatuor vix dierum ſpatio compoſitam, Celſitudini tuæ dedico. Sed cave putes, illuſtriſſime Princeps, me hac tam levi opella ac tenui munere ſolidam gratiam apud Celſitudinem tuam inire velle. Omnem meam fidem, induſtriam, ſtudium, diligentiam, poſthac Celſitudini tuæ devoveo conſecroque. Quod tamen dum facio, minimam partem beneficiorum, quibus ego meique gentiles ſumus ex iſta domo illuſtriſſima affecti, mihi videor aſſecutus: ſpero autem, illuſtriſſime Princeps, illius viri honorificam commemorationem à nobis factam non ingratam, recordationem vero etiam jucundam Celſitudini tuæ fore, cujus tu nobiſcum viventis doctrinam ac reliquas virtutes tanti facere ſolebas. Spero etiam fore, ut ipſius gratia, qua apud Celſitudinem tuam plurium valuit, operi meo commendationem aliquam afferat, ut ſi quid minus officio præſtitero, ipſius me gratia ab offenſa omni vindicet. Sed jam pergemus* Eraſmi *noſtri cauſam agere tum à nobis ornandi, tum vero tuendi etiam adverſus indigniſſimas quorundam male feriatorum contumelias; nam* ſi alterum horum omiſerimus, non ſatis integre officio functi videamur: qua ratione fiet, ut partim occultas, partim apertas ſimultates quorundam æmulorum mihi ſubeundas intelligam. Sed plus apud me obtinuit charitas communis nationis, cujus ego hic vicem in referenda* Eraſmo *gratia fungor, quam metus impendentium calumniarum. Deum Optimum Maximum oro, ut Celſitudinem tuam diu nobis ſuperſtitem eſſe velit.* Colonia 19. *Auguſti, An.* 1536.

* Videtur legendum, *ne*.

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA ORATIONIS SEQVENTIS.

GVILIELMVS Inſulanus, patria Juliacenſis, utraque arte dicendi ac medendi eo tempore, quo *Deſiderius Eraſmus* Baſileæ fatum humanæ conditionis perſolvit, clarus erat. Huic à Magiſtratu demandatum, ut in defuncti viri præſtantiſſimi funebrem Orationem incumberet, quæ Anno 1536. Baſileæ in 8. edita typis Roberti Winteri. Hanc Guilielmus Inſulanus, Aquiſgrani ad Sanctum Adalbertum Præpoſitus jam deſignatus, Guilielmo Juliacenſi Duci obtulit, cui ob originem & beneficia devinctus erat. Mentionem faciunt operis & Scriptoris hujus Conradus Geſnerus in *Bibliotheca Univerſali* fol. 290. editionis primæ 1545. Tiguri in fol. apud Chriſtophorum Froſchoverum, & Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* littera G pag. 321. editionis ultimæ, Anno 1643. Lovanii in 4. Guilielmus autem Aquiſgrani munus Eccleſiaſticum cum laude & vita depoſuit Anno Domini M. D. LXI.

ORATIO FVNEBRIS IN OBITVM DES. ERASMI ROTERODAMI,

A GVILIELMO INSVLANO CONSCRIPTA.

QVOD egregiis ſtatuariis uſu venire ſolet, Auditores optimi, ut in lapide nobiliore, ceu Pario aut porphyretico, aptius clariuſque artificii ſui monumenta edant: quippe ii lapides ob mollitudinem ſuam magis fingi ducique ſunt habiles, & nobilitas materiæ operi ipſo dignitatem quandam addere videtur: idem mihi hodie contra accidiſſe intelligo. Obiit mortem divinus ac incomparabilis vir, *Deſiderius Eraſmus Roterodamus*, in quo tot ſimul concurrunt virtutum ornamenta, ut ſi illa non dico attollere aut amplificare verbis, ſed ſummatim oratione perſtringere velim, omnis ea vis atque facultas dicendi, quæ in me eſt, (quam quidem fateor nonnihil exercitatam) parum ſufficere mihi poſſe videatur. Itaque quæ res aliis Oratoribus ſolet afferre commoditatem quandam, ut facultatem copiamque dicendi materia ſubminiſtret, eadem res eſt impedimento mihi: dubitanti videlicet, unde initium ſumere, aut quem curſum tenere in tanta multitudine varietateque *Eraſmi* ornamentorum debeam. Nec vero idcirco ab inſtituto propoſito ſum abſterritus, quin ſtudiis votiſque quorundam *Eraſmi* nominis amantiſſimorum obtemperarem, qui officii noſtri eſſe duxerunt, ut dolorem mœroremque, ex amiſſione tanti viri animis noſtris conceptum, palam etiam teſtaremur, pietatis vero, ut incredibiles ac divinas ejuſdem viri virtutes publice quoque funebri laudatione proſequeremur. Gratitudinis quin etiam noſtræ eſſe deputaverunt, ut quem ſciremus copioſiſſime ampliſſimeque de univerſa *Germania* promeritum, ejuſdem merita honorifice commemorando vicem utcunque redderemus. Quod ſi hic aut laudes *Eraſmi* pro ſua dignitate amplitudineque verbis meis non adæquavero, (nam quis hoc ſe facturum confidat?) aut deſideriis votiſque familiarium, qui ſupremum hoc pietatis officium *Eraſmo* à me præſtari poſtulaverunt, vel ſpei exſpectationique veſtræ, ô Auditores, non ubique ſatisfecero. Memineritis, nos in hac inſolita palæſtra Funebrium Orationum texendarum hactenus nondum verſatos: ſed in hoc tam præclaro eximioque viro primum nos, quid hic forte poſſemus, periculum facere cœpiſſe. Cæterum quod ad noſtri ſtudii inſtitutique rationem attinet; tametſi hunc morem habendarum Funebrium Orationum publico conſenſu nondum *Germania* recepit, propterea quod virtus omnem fructum ſuum ex conſcientiæ teſtimonio petat, eoque contenta theatri plauſum non requirat: tamen ſi doctæ Antiquitatis uſque æmuli eſſe voluerimus, ſicuti plerique A volumus; conſtat certe ſapientiſſimis probatiſſimiſque viris olim placuiſſe clarorum virorum egregie res geſtas pro concione poſt mortem honeſtare. Et iſtud genus ornamentorum ad excitationem poſterorum plurimum valere ſemper eſt Antiquitas opinata. Verum enimvero priuſquam ad rem ipſam veniam, vos prius precatus accedo, Auditores, ut me de *Eraſmo* verba facientem æquis attentiſque animis accipiatis. Nec ego hic in communem partem invidiæ rapiar, qua ſcimus illum, dum adhuc ſpirabat, plus nimio gravatum fuiſſe. Ego porro ſic totam ſeriem præſentis Orationis attemperabo, ut veræ laudi omnia, falſæ vero aut ſimulatæ nihil tributum eſſe videatur. Concedat igitur invidia veritati, ſi nondum, quod alias tamen ſolet, ceſſit morti. B

Ortus eſt *Eraſmus*, Auditores optimi, ex oppido *Roterodamo Batavie*; nam ſic *Hollandiam* patriam vult vocari in calce *Chiliadum* ſuarum, fide ac teſtimonio certorum probatiſſimorumque Auctorum fretus. Natus eſt parentibus modicis, ſed honeſtis; qui tamen ſi equeſtris Ordinis titulos & inſignia ambiiſſet, potuiſſet ea facile ac ſuo merito conſecutus (id quod de *Catone Cenſorio* etiam legitur) omnem ſuam poſteritatem primus Eques nobilitare: ſed non quæſivit ille extrinſeca virtutum inſignia, qui ſe ſatis ornatum nobilitatumque ſola ipſa virtute putaret. Statim cum ex ephœbis C exceſſit, *Daventriam*, celebrem tunc locum ad capeſſendum ingenii cultum, eſt profectus. Eo loci audivit *Alexandrum Hegium*, virum, ut illa tempora ferebant, ſatis inſtructum Philoſophiæ ſtudiis, nec tamen *Græci* ſermonis expertem, ſingulari præterea pietate ſanctimoniaque præditum. Et cœperant tum quidem bonæ litteræ, quæ eo uſque apud *Germanos* in tenebris & ſqualore jacuerant, caput erigere, viſaque eſt aliqua lux bonæ ſpei affulgere. Commodum igitur ac certe fatorum benignitate quadam accidit, ut in præceptorem tam doctum atque integrum *Eraſmi* ingenium docile, fœcundum & adhuc tenerum incideret, & è jacta adhuc tenuiter ſemente tam uber lætaque ſeges ſurgeret, quæ ſparſim diffuſa multiplicataque olim fœnus copioſiſſime redderet: id quod fertilis beneque culti agri proprium eſt, ut plus multo reddat quam acceperat. His tam lætis auſpiciis cum feliciora quotidie incrementa ſuccederent, & pro captu ætatis, proque illorum temporum conditione, ſatis ſibi profeciſſe *Eraſmus* videretur, jam certum aliquod genus vitæ & profeſſionis ſibi deligendum ſtatuit, in quo reliquum ætatis perageret. Recipitur igitur in quodpiam Monaſterium apud *Batavos* Ordinis *Canonicorum* D

Digitized by Google

corum Regularium. Sed qui corpore eſſet imbecillo, per omnemque vitam valetudinario, victus communis ac promiſcui incommoditates ferre non poterat: itaque ab eo inſtituto vivendi eſt diſcedere coactus: atqui hinc nonnulli homines arbitrati ſunt pulchre ſibi datam materiam hujus tanquam deſertoris carpendi. Quod tamen ego conſilium factumque ipſius non ſolum non in contumeliam, ſed etiam laudem vertendum eſſe cenſeo, ut qui conſcientiæ ſtimulis angeretur, ſi æquato jure cum iis vivere vellet, quibuſcum non poſſet: & altioribus melioribuſque rebus deſtinatum ingenium illud ſuum noſſet. Non tamen minore vitæ ſanctimonia ac puritate vixit, quam prius ſolebat. Quod ſi ſolitudinis nomine Monaſtica vita probatur, quæſo tandem, næ hic tibi faſtum & ſtrepitum externarum rerum ſecutus videtur, qui perenne illud & ſolitarium otium ad utilitatem communem ſtudiorum contulit? Laudetur, probetur, colatur ſolitudo, ſicuti certe decet, plus tamen qui ſis, quam ubi ſis, refert: & ſi vita iſta exterior plures in ſe habet illecebras peccandi, tanto magis in ea innocenter ſancteque vixiſſe eſt laudandum. Sed in hac parte, Auditores candidi, non diutius immorabor, ne fortaſſis occaſionem dem cujuſquam levitati, novi enim licentiam horum temporum, & præcipites in mala occaſiones. Me certe auctore non fiet, ut quenquam pœniteat ſuæ vocationis, ut iſtorum vocabulo utar, quoad aliud commodius invenietur.

Factus igitur libertatis priſtinæ compos & ſuimet juris *Eraſmus*, reliquum deinde tempus ſuum ad ſtudia ſapientiæ retulit, quam veſtigiis omnibus perſequendam ratus, multas ipſe ac longinquas nationes adiit; idque *Platonis*, *Pythagoræ*, *Tullii*, *Hieronymi Stridonenſis*, aliorumque multorum Philoſophorum exemplo, quos legimus ad remotiſſimas partes Orbis terrarum diſcendi ſtudio deſcendiſſe; ſimul arbitrati hac ratione multarum ſe rerum habituros peritiam, ſine qua perfectam ſapientiam nos conſequi poſſe dubitant *Peripatetici*, negat *Homerus*. Quocunque igitur *Eraſmus* ſeſe deinceps conferret, ad modum mercatorum pretioſas merces in ordinem oſtentantium, quo populo gratum amœnumque ſpectaculum præbeant, ita ipſe opes ſuas ſpectandas attrectandaſque paſſim exhibebat: jam enim ingenii doctrinæque ſuæ copiam facturus auſus eſt etiam litterarum monumentis animi ſenſa credere, mandareque. Verum quæ ita ederet, non ſpecimen indolis futuræ, ſed perfecti conſummatique judicii argumentum de ſe reddebant. Nec vero illa ætate *Eraſmus* abuſus eſt ad laſciviam & intemperantiam in ſcribendo, ſed quaſi initio ſuorum ſcriptorum auſpicatus à Libello *De contemtu mundi*, jam tum ſpei documenta præbuit; qualis poſt hoc prœmium ſuperior actus eſſet futurus, quamque felicem eventum tam gratum jocundumque auſpicium portenderet. Scripſit etiam in ea ætate *De copia tum verborum, tum rerum*, perutile ac neceſſarium opus juventuti. Scripſit tum præterea formulas *Colloquiorum familiarium* teneræ ætati dicatum libellum, ſed cujus lectionis grandiores natu merito non pigeat, adeo nullas partes hic vir omiſit juventutis ſtudioſæ ſibi demerendæ. Intelligebat vir ſapiens quantopere referret caſtam litteris & moribus efficere primam illam ætatem. Itaque tum *Eraſmi* nomen inclareſcere & celebrari ubique cœpit, ut beatos ſe putarent, quibus modo contigiſſet hujus viri congreſſu ac familiaritate perfrui.

Apud *Britannos* autem poſtremam adoleſcentiæ partem peregit; delectatus amœnitate Inſulæ, & ſtudiis atque commercio incolarum, quibuſcum magis ſuo ingenio convenire ſentiebat. Ibi primum contracta ei familiaritas cum quibuſdam doctis viris *Londini* & *Oxonii*, quibus in locis aliquamdiu commoratus eſt, ſed ita commoratus, ut diſcedens Inſulam illam ſuo beneficio & opera multo quam antea reliquerit eruditiorem. Inde in *Gallias Pariſios* conceſſit, poſtea in *Italiam* commigravit; ſed ita, ut adventum ſuum præſentiæ deſiderium, deſiderium autem præſentiæ fama præveniret. Nihil uſquam celerius, Auditores, nihil violentius fama egregii & illuſtris hominis: quæ ubi ſemel viam ſibi facere ad ulteriora cœpit, graſſatur, perrumpit, pervadit quicquid uſquam forte objicit malevolentia invidorum, nec anguſtis ſe terminis contineri patitur.

Ad *Eraſmum* redeo, qui aliquanto tempore *Bononiæ* perſtitit ſtudiorum cauſa. Ibi venit in familiaritatem *Scipionis Carteromachi Piſtorienſis*, *Pauli Bombaſii*, *Philippi Beroaldi*, qui quidem eo loci cum magna nominis ſui celebritate tunc verſabantur. Quanto deinde ſit in honore & pretio habitus *Romæ*, *Venetiis*, *Patavii* à ſummis ampliſſimiſque viris quibuſdam, is facile cognoſcet, qui farraginem Epiſtolarum *Eraſmi* ad doctos, doctorumque certorum virorum ad eundem legerit: quo minus neceſſe habeo hic diutius immorari. Nec tamen hæc tam longa ac difficilis peregrinatio ſuo fructu caruit, inter equitandum meditabatur, commentabatur, componebat ſemper aliquid dignum ſuo ingenio, & aliorum lectione. Bibliothecas quin etiam perluſtrabat paſſim, ut ſi quid eruditæ vetuſtatis uſquam eſſet, cognoſceret: quo vero loci, ubi confertas ac vetuſtas Bibliothecas eſſe audierat, pervenire ipſe non poterat, eo mittebat, Catalogum librorum ſibi dari poſtulare ſolitus, ex hiſque deligens, quibus ſibi opus fore intelligebat. Ita & ſubſiſtendo & peregrinando ſemper aliquid ex ſeſe ingenium illud felix protulit, ne tempus & otium inutiliter labi ſineret.

Circumactis igitur annis aliquot in hac honeſta ſimul ac laborioſa exercitatione, & ipſo jam *Ulyſſea* quadam ſapientia cognitioneque plurimarum rerum confirmato, mentem deinde animumque ad altiora transtulit: & jam tum quidem ſecum coquere cœpit *Chiliades Adagiorum*, ingentis molis ac laboris, ſed non minoris utilitatis, volumen. Sic exiſtimate, Auditores, neque enim errabitis. Quicquid uſquam eſt veterum parœmiarum, adagiorum, proverbiorum, ſchematum, alluſionum venuſtarum, apud *Græcos*, apud *Latinos*, in ſacris, in profanis libris, eo volumine comprehendi. Auſim profiteri, eum, qui hunc librum non legerit, inter doctos viros haberi non poſſe, neque debere; qui vero negligat, hoſtem illum eſſe bonorum ſtudiorum. Perfecto igitur hoc Opere & ſacris Litteris animum magis ac magis applicans, in quibus ſuaviorem melle dulcedinem ſe inveniſſe ſolebat prædicare, ſtatim ſeſe accinxit ad Novum Teſtamentum univerſum ac Auctores quoſdam inſtaurandos. Erigitur officina libraria *Baſileæ Eraſmi* ſtudio & opera, ſumtibus vero *Joannis Frobenii*, unde quanta prodierit utilitas in univerſum Orbem terrarum, nemo fere eſt omnium, qui ignorat. Et excudebantur quidem libri ſingulari ac eo uſque nondum viſo nitore munditiaque characterum. Accedebat ſtudium & diligentia Auctores ipſos quam emendatiſſimos reddendi, in cujus ſocietatem laboris *Eraſmus* juvenes quoſdam egregie doctos ac impigros adſciverat. Aggreſſus igitur ipſe Novum Teſtamentum univerſum ſcholiis & paraphraſibus illuſtrare, multum certe in eo genere ſcripti veræ laudis invenit. Et profecto pulchre convenire videbatur, ut tam excellens ac divinum ingenium in argumento ſe digno verſaretur: & quem alias ubique eminere cernebamus, quaſi is extra ſe raptus cum numinibus ipſis quid commune haberet, ita ſeipſo majorem ſublimioremque factum videremus. Multa certe cum religione ad ſcribendum accedebat, prius à Deo, fonte ac principio omnis boni, precatus mentem ſibi largiri recta veraque ſentiendi, & quæ à ſe forte ſcriberentur, publico ea bono evulgari legique: plurimum ſiquidem tribuere precationibus aſſiduis ſolitus erat, nec immerito, quandoquidem nulla res Deum magis conciliat hominibus, modo ne ipſe dubitationis ſcrupum apud nos inveniat; dubitatio namque diffidentiam ſignificat, diffidentia curationem omnem reſpuere videtur, unicam ſcilicet ſalutis viam:

ut

Digitized by Google

ut non præter cauſam *Paulus*, tam ſapientia quam religione præditus vir, *Hebræis* ſcripſerit magnam eſſe remunerationem fiduciæ. Sed de hoc alias ac fortaſſe commodius.

Ad *Eraſmum* revertor, qui licet hoc modo ſcribendo, docendo, monendo, aliiſque id genus optimis artibus Rempublicam *Chriſtianam* erectiſſime ſibi devinciret, obtinere tamen pro tot tamque egregiis meritis atque officiis ſuis non potuit, ut ab æmulorum calumniis remaneret intactus. Tulit ſcilicet tam glorioſis ſucceſſibus inſidias invidia, non etiam nocuit. Irrequietum malum invidia ac ſummorum virorum capitibus perpetuo imminens; humiles, ſordidos, miſeros prætermittit, ſumma quæque in morem fulguris petit. Quam reperio vanum, quod tamen à doctiſſimo graviſſimoque viro quodam traditum accepi, ut qui ſit incomparabili doctrina, ſupraque communem humanum modum atque intelligentiam, eundem etiam poſitum extra aleam invidiæ: propterea, quod æmulatio & contentio illic ſolent eſſe, ubi alius alium non ita multis gradibus antecellit. At quam falſa ſit ea perſuaſio, hic noſter abunde ſuo exemplo docuit: namque à pleriſque, quos ipſe innumeris parafangis præcurrebat, ad mutuum certamen ſæpenumero eſt expetitus. Quorum ſi qui ſunt infimi ordinis, putes lixas, aut velites, aut etiam tyrones, hos omittemus. Claſſiarios quin potius, & triarios, & veteranos in hanc aciem educemus: nam, ut ab hoc ordiamur, quis unquam mentes animoſque ordinum, populorum, nationum omnium plus in ſe convertit, quam quodam tempore *Martinus Lutherus?* Atqui hujus vim acrimoniamque ſcribendi, qua plurimum certe poterat, ſenſit *Eraſmus*. Omitto jocandi licentiam & intemperantiam invehendi, pietate ac modeſtia *Martini* parum dignam: qui tamen qua gratia viciſſim ab *Eraſmo* ſit receptus, non habeo neceſſe dicere; *Lutherum* tantum ſuimet judicii admonebo, quod videlicet paulo plus quam nudum & ambitioſum ſtrepitum verborum in *Eraſmi* ſcriptis offenderit, ac fortaſſis ſua etiam exſpectatione eruditionem majorem. Id quod in promtu ſit iis etiam videre, qui *Eraſmi Hyperaſpiſten* forte legerint *de gratia & libero arbitrio.*

Sed venio ad *Leum*. Cui apud *Britannos* nominis fama inter Theologos olim ceſſit *Edoardus Leus?* Nemini, opinor, aut certe pauciſſimis. Atqui ab hoc *Eraſmus* acerbe & petulanter adeo eſt irritatus, ut niſi Apologia ſua in hoc edita calumnias illius refutaſſet, periculum nominis ſubiiſſet. Quis in *Gallia Lugdunenſi* agens non audivit *Stephani Doleti* nomen? verum hic ſtyli ſui cuſpidem in *Eraſmum* convertit quoque. Nec vero id impune tulit: rejectus namque ita eſt, ut pro ſperato triumpho infamiam ſcite convitiandi retulerit. Eſt quiſpiam præterea *Pariſiis*, Auditores, *Natalis Bedda* è Collegio *Sorbonico*: is ſive privato ſtudio, ſive publico nomine, (intelligo enim hominem forte fortuna provectum ad cenſuram hæreſeos, ſuſpicor tamen commendationem audaciæ ſuffragatam homini ad eum honorem fuiſſe, propterea quod hoc munus hodie à quibuslibet non libenter ſuſcipitur) is, inquam, pro ſua diligentia obſervavit, collegit, annotavit ex ordine certa quædam loca in *Eraſmi* libris hæretica & hæreſin ſapientia; nam quædam ut non ſint hæretica, ita voluit hæreſin reſipere, ut vina aceti ſaporem, ſi in vaſcula ſaporis acetoſi fundantur. Verùm quod non bene ea res *Natali Bedde* verterit, judicent ii, qui utriuſque ſcripta ſimul forte contulerunt. Sentient *Eraſmi* mentem interdum non ſatis diligenter à *Bedda* perpenſam, nonnunquam etiam male intellectam.

Per id tempus cum hæc contentio cum *Gallis* ferveret, ſubortus etiam *Romæ* eſt quidam *Jacobus Stuniga Lopes*, *Hiſpani* generis, qui noſtro huic non parceret. Verùm illius conatus impediti ſunt & inſolentia cohibita doctiſſimorum quorundam virorum interceſſione, qui *Eraſmi* cauſæ æquitatem fovebant, tuebaturque. Nam cum *Jacobo Latomo* poſtea melius convenit *Eraſmo*, cum ad arbitros res relegata fuit. Et hic erat ex *Gallo-Germanis*. Eiſdem veſtigiis ingreſſus eſt *Albertus Pius Carpus*, non ille quidem ſolidis teſtimoniis Sacrarum Litterarum fretus, ut quas non noſſet, ſed certa quadam facultate docte carpendi uſus, ut non ſimili argumento ſicut *Antoninus Commodus* Imperator incommodi, ſed à carpendo *Carpi* cognomentum meruerit: nomen gentilitium, ſed moribus *Alberti* alioquin debitum. Verùm hujus quoque cavillationes *Eraſmus* pulchre eluſit. Sed piaculi loco habeatur, ſi te, *Hulderice Huttene*, in hoc albo prætermittam: nam tu quoque facundiæ tuæ violentia torrenteque illo ſcribendi impetu in *Eraſmi* nomen incurriſti. Sed eo, me *Hercle*, ingratius, quo ampliſſimis ipſius præconiis & honorificentiſſimo elogio ante fuiſſes conſpectior ornatiorque factus. Et addebat quidem animos *Hutteno* fama ſatis feliciter parta, & generis nobilitas, blanda ipſa favorum conciliatrix, inſuper ſubſidiariæ ſociorum cohortes & quorundam acclamationes novis rebus ſtudentium. Quibus ille opibus fretus, videbatur unus omnium idoneus, qui cornicum oculos (ut eſt in proverbio) configeret. *Expoſtulationis* & *Adſperginum* nomine accuſationes *Hutteni* circumferebantur, tituli lenitate acrocitatem criminum mitigante: ſed revera niſi in *Adſperginum* locum *Spongia* ſubiiſſet, ſempiternas maculas *Eraſmus* nomini ſuo contraxiſſet; adeo ſtudio partium & perſuadendi viribus adverſarius valebat. Succeſſit poſtea nova quorundam *Argentoratenſium Expoſtulatio*, ad quam ideo minus mihi reſpondendum ſtatuo, quod neque communi omnium nomine, neque certo diſſinitoque Auctore exierit, & quod exiſtimem plures eo loci fuiſſe, eſſeque adhuc hodie, qui hujuſmodi genus ſcripti ſive civium ſive incolarum nomine prodiiſſe permoleſte ferunt. Quid de *Chriſtophoro Longolio* dicam, noſtri ſeculi *Cicerone?* niſi forte *Jacobus Sadoletus* palmam hujus gloriæ ſibi eripi indignetur. Ille in quadam epiſtola ſua, in farragine Epiſtolarum *Eraſmi* contenta, dum nil ſe in *Eraſmo* deſiderare teſtatur, is tamen eſt exitus totius diſputationis, ut acer & cordatus lector facile cernat, eum in hoc noſtro aliqua deſiderare, quæ omiſſa non omnes numeros integrent. Hoc quid aliud fuit, quam, ſicuti adagio dicitur, ſutorio atramento hominem illum notare? Ecce autem dum jam omnibus ejus generis moleſtiis nobis pulchre defuncti videmur, emergit aliquis *Petrus Curſius*, *Italica* gentis orator; non ineptus ille quidem nec præfervidus etiam, ſed magis fortaſſe gratioſus, niſi hunc noſtrum ſibi vellicandum ſumſiſſet.

Non tamen otioſe illius defenſiones, revera accuſationes, ab *Eraſmo* prætereuntur: & quamvis ita indignis & contumelioſis modis ipſe ab æmulis ſuis acciperetur, eandem tamen modeſtiam conſtantiamque animi retinebat, *Chriſto* omnia accepta referens, cui uni ſtudia ſua approbare cogitabat; & inerat certe adhuc in pectore illo ſeniculo ardor juvenilis roburque vegetum. Præſagierat animo multo ante ac viderat ceu per caliginem vir prudentiſſimus, aliquando futurum, ut ſtudia æmulorum invidorumque adverſus ſe erigerentur. Cæterum cum hæc jam coram apparerent, nihilo ipſe eſt conterritus, qui adverſus hos inſultus armis theologicarum philoſophicarumque rationum paratus inſtructuſque advenerat, nullorum ſimultatibus quidquam remiſit, irritatus ſemper ſeſe ulciſcitur, nec quicquam à conſueta libertate ingenii ſui recedit, modo *Chriſti* negotium agatur. Spectabat vir ille, ſicuti ore & calamo identidem teſtabatur, nihil magis quam gloriam Dei unius: ad quam provehendam cum ſtudia, vota, conſilia, actiones, cogitationeſque ſuas omnes referret: quid eſſet, quod invidiam paucorum hominum pertimeſceret, aut iniquitatem malitioſorum aliquot ſui animi voluntatiſque interpretum reformidaret? Non eſt novum aut inuſitatum, Auditores optimi, viros doctos invidia laborare ſcilicet. Semper egre-

Digitized by Google

gregiis conatibus atque factis comes fuit invidia, semperque erit, dum mundus ſtabit. Renaſcatur *Paulus*, erunt, qui nimium in eo libertatis ſtudium damnent. Reſtituatur *Hieronymus*, multos hodie in ſe concitabit, de veneratione Sanctorum, eorumque ſuſtinendis imaginibus & reliquiis colendis præcipiens. Cathedram ſuam repetat *Gregorius*, invenientur, qui in eo nervos deſiderent. Concionetur de novo *Chryſoſtomus*, erunt qui inſolentem dicacitatem in eo notent & morſus aculeoſque oderint. Deſcendat ad nos *Lactantius*, offendentur aliqui nimio ipſius ſtudio profanas litteras cum divinis miſcendi, & plura alia in eo requirent. Non ſatisfacit *Cornelio Tacito Tullius:* non placet *Aſinio Pollioni T. Livius: Homerum* inſequitur *Zoilus: Platoni* gravis eſt *Xenophon: Virgilio* dicam ſcribit *Macrobius: Tiberius* quin etiam *Cæſar*, alioquin non indoctus, *T. Livii* & *Virgilii* libros imagineſque è Bibliothecis amoveri curaverat, nec multum abfuerat, quin incendio abſumſiſſet. Et ne in ſingulis perſequendis inutiliter ſim prolixus, nemo unus inventus eſt, cujus ſtudia judiciaque paſſim omnibus probarentur. Aliter vulgus hominum, aliter ſapientes ſentiunt & loquuntur, aliter Euangelium docet, aliter Philoſophia pronuntiat, atque hæc ipſa in plures eaſdemque inter ſe repugnantes ſectas abit. Accedit, quod veris incorruptiſque judiciis ſæpenumero privatæ affectiones vim afferunt: quibus, quia nuſquam non laboratur, res eo reciderunt, quo videmus.

An vero dubitetis, Auditores, plures adhuc ſupereſſe, facinoroſos, aleatores, ganeones, decoctores in omnem occaſionem aliena diripiendi intentos? At ſi iis frugalitatem, modeſtiam, continentiam, ſobrietatem perſuadere volueritis, ſurdo verba, quod ajunt. Quid ita? quia aures veritati clauſæ ſunt, quam animus nequeat admittere. Tale quiddam *Eraſmo* in ſuis inſectatoribus uſu venit. Dolebat *Eraſmo* Theologiam ipſam ad ſummulas ac indices (*repertoria* vocant) contractam, rem commodam ac compendiariam pigris & indoctis. Male habebat præterea ipſum pervicacia iſta contentioſarum diſputationum, & inutilium quarundam quæſtionum tractatio, unde eruditior quam melior fieres, ac fortaſſis ne eruditior quidem: optabat tempus & operam, quam huic rei daremus, potius impertiri lectioni Veteris ac Novi Teſtamenti, lectioni vetuſtiſſimorum probatiſſimorumque Scriptorum ac Interpretum Sacrarum Litterarum, quos ea gratia pene omnes ingenti labore repoſuerat. At contra, adverſarii hoc ſtudium *Eraſmi* detorquebant ad opinionem ſuperbiæ, quaſi doctiſſimos ſanctiſſimoſque viros contemneret, quos recentiora tempora nobis dederunt. Arguebant præterea ipſum inquietudinis cujuſdam & libertatem ſcribendi referebant ad excitationem ſeditionis, publice teſtati, ab *Eraſmo* porrigi ſagittas, à *Luthero* torqueri. Rurſus aſſeclæ *Lutheri*, ob omiſſam ſocietatem, quam ſecum initurus credebatur, aperte de levitate & perfugio ipſum accuſare. Inter hæc quid faceret? in bivio erat. Et quoniam decreto *Solonis* olim *Athenis* cautum erat, ut ſeditionum tempore cives palam oſtenderent, quam partem ſequi vellent, idque eo, ut factionum diſcrimina haberentur: ita *Eraſmus* aliquando pertæſus importunitatem & ſtultitiam eorum, à quibus quaſi duplex habebatur, ſeſe manifeſtum judicii voluntatiſque interpretem conſtituit: editis in hoc Operibus aliquot, de Euchariſtia; de fide & operibus; de gratia & libero arbitrio ſemel atque iterum; de invocatione Sanctorum; Exomologeſin ſive de Confeſſione peccatorum; licitum eſſe *Turcis* repugnare. Scripſit item Apologias quaſdam animi ſui indices, & alios quoſdam libros ea gratia, breviter ad omnia crimina ſigillatim reſpondet, purgatque ſeſe egregie. Qui hoc eſt animo præditus, in acie ne hic ſtare dimicareque, an retro pedem referre, bonus fiduſque dux, an contra perfuga tibi videtur?

Abſit ergo, Auditores, ſuſpicio eorum, qui putant, *Eraſmum* omnia ſua judicia ad occaſionem fortunæ accommodaſſe, ac rimam ſemper ſibi reliquiſſe, per quam elaberetur. Nihil in eo fuit ſubdolum aut fucatum, vita, mores, ingenium, ſcripta, ingenua & candida omnia. Sed hoc fateri cogor, ſtupidos aut rudes nonnunquam libertate *Eraſmi* offendi. Verùm ii meminerint, quod de *Tertulliano Hieronymus* quoque ſcribit, *Eraſmum* cum judicio eſſe legendum, & ſingulos libros de eiſdem rebus forte agentes ſimul conferendos. Librorum vero ipſius tanta eſt multitudo, Auditores, quos aut conſcripſit, aut in *Latinam* linguam convertit, aut ſcholiis annotationibuſque illuſtravit, aut puriores emendatioreſque nobis reddidit, ut ſi eos ex ordine commemorare velim, vereor, ne hac quaſi aſtutia quadam tempus videar extrahere voluiſſe. Vere mihi de hoc videor prædicare poſſe, quod de *M. Varrone Aurelius Auguſtinus:* Tam multa legit, ut aliquid ei ſcribere vacaſſe mirum ſit, tam multa ſcripſit, quam multa quenquam legere potuiſſe credamus. Harum igitur rerum admiratione ac fama perciti Reges, Pontifices, Principes, & Barones totius pene Orbis terrarum ſibi hujus viri amicitiam expetendam ineundamque ducebant. Ad decus & ſplendorem nominis ſui acceſſionem quandam ex *Eraſmi* familiaritate factam arbitrati, nec vero quiſquam eorum ſe liberalem ac magnificum haberi poſſe putavit, niſi in hoc viro liberalitatis magnificentiæque ſuæ exempla edidiſſet. Hac gratia ad eum pleraque vaſcula argentea pulcherrimi & artificioſiſſimi operis mittebantur. Ingreſſus domum ipſius putare potuiſſes te videre ædes aliquas ſuperborum olim *Corinthiorum*, adeo ornate cælatis auratiſque operibus inſtructam abacum vidiſſes. Ne vero etiam ſordide parcum fuiſſe credas. Splendore ædificiorum eſt delectatus: *Friburgi* namque contuliſſe ad impenſam domus à ſe conſtructæ plus mille aureos nummos fertur. In reliquis autem ſumtibus faciendis, nonnulli nimium diligentes & accurati æſtimatores rerum, volunt ipſum minimæ quam nimiæ liberalitati propiorem fuiſſe. Sed quam ii perverſe judicent, facile advertet, cui *Eraſmi* conditio fuerit aliquanto exploratior. *Eraſmus* paucis admodum reditibus vivebat, plerumque ſuſtentabatur liberalitate Principum & Bibliopolarum, quibus forte operam navabat. Deinde infirmum illud & valetudinarium corpuſculum ſingulari quadam & exquiſita curatione indigebat, quam nequeat adhibere, cui non abunde facultates ſuppetunt. Venit mihi in mentem quorundam hominum inſulſam vanitatem ridere, exiſtimantium Philoſophi officium eſſe prorſus contemnere pecunias, hoc eſt, ſua fortiter decoquere. Non eſt hoc Philoſophum agere, Auditores optimi: illius in primis eſt, virtutem colere, opes non anxie nimium quærere, partis honeſtæ frui, ipſarum amiſſione non multum diſcruciari: quod ſi omnes à ſe opes excludere removereque Philoſophus debet, non igitur Philoſophus fuit *Pythagoras*, non *Xenophon*, non *Cato* uterque, non *Plato*, non *Ariſtippus* ante naufragium, non ante poſtremum exſilium *Cicero*, non *Seneca*, non *Plinius* Junior, quos legimus admodum locupletes omnes fuiſſe, non ſua turpiter ac ſtulte prodegiſſe: amanda eſt enim mediocris opulentia, non ſuperfluæ divitiæ quærendæ, ut in alios etiam, ſi oporteat, munifici & liberales eſſe poſſimus. Fuit quandoque *Diogenes Cynicus* pluſquam ruſtica rigiditate, non etiam diſciplina, Philoſophus. Fuit etiam *Democritus;* qui ſi hodie ſeſe bonis omnibus exſuat, nec hoc contentus, ſe etiam exoculet, (ingratus & perverſus naturæ interpres) ipſe res mortalium ridere ſolitus, publico riſu è ſcholis exſibiletur. Fuit etiam patrum noſtrorum memoria *Franciſcus Philelphus*, ſi quid ille ad rem: hic cum ampliſſimis ſtipendiis ob famam & auctoritatem nominis ſui publice duceretur: ſexcentos namque aureos nummos quotannis habebat ſucceſſive à *Florentinis*, & *Bononienſibus*, & *Mediolanenſi* Principe, tamen adeo inutiliter erat prodigus, ut conſumtis bonis omnibus, ad extremum pro beneficio habuerit, ſe in Xenodochium *Mediolanenſe* re-

Digitized by Google

recipi, ibidemque mori. Hos si quis velit philosophicam vitam egisse, valeant simul ii Philosophi, & altum dormiant, nobis certe, ut alibi, ita hic quoque mediocritas placet, & ut cuique ratio dati acceptique constet, probamus. Sed quid? quod civilibus legibus olim decoctores & habebantur inter infames, & à publicis muneribus arcebantur? Etsi enim prodigus tolerabilior sanabiliorque *Aristoteli* in *Ethicis* videatur quam avarus, propterea quod ætas aliquid de hac luxurie demit, & discessio eorum, quibus nos charos putamus, & sumtuum ratio cautiores nos, ad remque attentiores, faciunt, tamen stulte facit, qui hujus reparationis necessitatem sibi ultro adsciscit: non minus profecto, quam si quis sibimet causam morbi afferat, quo superveniente vires efficaciamque medicinæ experiatur.

Sed quorsum hæc omnia, diceres, tam longo ambitu conquisita? Hæc simul eo pertinent, ut causam *Erasmi* defendam, & quam nonnulli cupiditatem, ego prudentiam frugalitatemque interpreter: quod quidem eo diligentius me facere decet, ut defensionem ejus in re controversa non omittam, cujus ornandi partes mihi sumseram, quoque ipse à crimine cupiditatis semper fuit alieniſſimus. Quod dum breviter strictimque facio, interim mihi operam detis, Auditores, peto. *Erasmus*, qui usu & peritia multarum rerum valeret, & in omnem partem erectus intentusque esset, haud dubie rem ipsam recta reputaverat via. Videbat fore videlicet si Regum ac Principum liberalitas sumtibus bellicis exhauriretur, ut consuetis ipse stipendiis fraudaretur. Nihil siquidem *Marti* cum *Musis*. Atqui ita tandem evenisse, non sine gemitu & dolore commemorare possum, ut Regum opes se mutuo collidant, atterantque. Igitur si ipse ulterioris vitæ subsidia sibi retinuit, neque curiose quæsita & affatim undique oblata, quæ repudiasse rusticitatis & inhumanitatis fuisset, suggillari-ne igitur avaritiæ debuit? Minime omnium, inquam. Etenim si opum ambiendarum studio laborasset, nunquid illi deesse poterant summi opulentissimique Magistratus Ecclesiarum, in quem quotcunque ornamenta Principes & Antistites omnes contulissent, inferiora meritis ipsius deputassent: sed nihil horum spectavit ille, cui deliberatum fuisset ab institutæ vitæ ratione ne latum quidem unguem, quod ajunt, discedere: hac gratia cum illis conferendus, quorum pedibus pictores mitras & galeros subjiciunt in argumentum singularis despicientiæ rerum humanarum, contemtorumque honorum, quos plerique omnes admiramur. *Plato* ille, Lectores, in sua Republica vult bene instituti civis officium esse, ut ab ambitione omni procul abstineat, ac inter bonos cives facilius citiusque fore contentionem de non suscipiendis quam de suscipiendis honoribus. Ita hic certe noster manibus pedibusque obluctabatur, ne ecclesiasticorum honorum ei administratio deferretur, tantum abest, ut concupiisset.

Sed non ero hic in re manifesta longior, ne vel de approbatione testimonii judiciique vestri videar diffidere, vel Soli, quod ajunt, lumen inferre voluisse: & quoniam *Erasmum* satis superque à nota avaritiæ vindicavimus, quatenus facultatum sumtuumque rationem habeatis, reliquum est, ut quod prius cursim attigeramus, valetudinis suæ incommoda explicemus, quo cognoscatis majores sumtus pecuniasque ipsi in hoc fuisse necessarios. Nam qui intolerabili calculi & vesicæ dolore per omnem vitam laboraret, lauta & diligenti curatione opus habebat. Morbis vero curandis ac relevandis & interim refocillando corpori quanti sumtus sint necessarii, nemo facile agnoscit, nisi qui fuerit expertus. Nisi forte tyrannis crudeliores, nostromet corpori parcere nolimus. Scitis, opinor, renum morbos inter pertinaciores numerari, nec qui fere nisi cum vita desinant, eo interim dolores corporis vehementiores (si singula singulis conferantur) quanto versus imum ventrem plus distant ab epigastrio. Renum vesicæque morbi malitiam in eo gravabant tussis & podagra. His itaque malis concurrentibus ita sæpe-

A numero torqueri ac corripi *Erasmus* visus est, ut præterquam quod præcordia tenuem illum & raris intervallis interruptum spiritum redderent, vita ademta putaretur. Et accedebat senectus ipsa per se morbus habitus. Accedebant insuper quotidianæ vigiliæ & nocturnæ lucubrationes, quibus cum corpus illud gracile & aridulum quotidie attereretur, admirabile nobis ac supra fidem communem videbatur, *Erasmum* potuisse ad tantam ætatem pervenire; septuaginta namque annos complevit, adhibita supputatione annorum, quam ipse facit in quadam epistola ad *Jacobum Hornensem*. Cæterum *Erasmus*, qui omnes notiones naturæ suæ exploratas meditatasque haberet, certa quadam ac exquisite artificiosa victus ratione mederi sibi didicerat, B ut qui ipsius vitæ tenorem inspexisset observassetque, non ita multum desideraturus fuisset *Marsilii Ficini* Opus de victu studiosorum legere. Et adjuvit quidem hominem in extrema etiamnum ætate vita in viridioribus annis frugaliter ac temperanter acta. Scite quidem ille, sicuti omnia: Adolescentia intemperans & libidinosa effœtum corpus tradit senectuti. Verum qui publicis se utilitatibus promovendis natum arbitraretur, nihil tamen de consuetis laboribus remisit: cumque jam alio super aliud superveniente morbo ad extremum dysenteriæ implacabili dolore miserabiliter torqueretur, adesis paulatim intestinis & modicus adhuc calor circa cor palpitaret, spiritusque in summis præC cordiis hæreret, & incredibili est usus patientia, & pari mentis constantia misericordiam Dei interpellabat; non longiores moras hic præstolatus, sed futuræ vitæ felicitatem exspectans, ut in illius regionis aliquando possessionem anima perveniret, ubi mens diu peregrinata fuerat, in hac voce, *Miserere mei, Deus*, defeciſse dicitur. Scripserat biennio ferme ante obitum *De præparatione ad mortem* utilem sane omnibus libellum. Qui igitur ita vixit, ut subinde moriturum cogitaret: hic profecto ita etiam est mortuus, ut perpetuo victurum se confideret.

Sed ô miseram humani generis conditionem! ô inevitabilem necessitatem fatorum! Ubi nunc cultus & honores *Erasmo* habiti? Ubi tot Pontificum, Regum, Principum, Optimatum studia & favores? Ubi amicorum officia & humanitas, quibus ille adhuc senex recreabatur, demulcebatur, sustinebatur? Ubi corporis ipsius dignitas? Ubi gravitas morum, quam grata quadam facilitate, comitate, lepore condire solebat? Ad brevem celeremque auram flos ille decidit, cælo *Erasmus* animam intulit, corpus terræ reddidit, nobis bonum odorem nominis sui reliquit, nihil præterea secum tulit. Soleo nonnunquam mirari mecum, quod cum natura cervis & cornicibus vivacitatem longissimam concedat, quæ animalia nullis usibus idonea (quod sciamus) senectus efficit, quid sit, quod homini multo brevius E ævum præfinierit? Soleo etiam quandoque indignari & succensere naturæ, quod flagitiosos, homicidas, sicarios, sacrilegos, proditores sæpe ad decrepitam ætatem sinat pervenire; bonis autem, probis, modestis, doctis (quorum consilio & prudentia Respublicæ niti ac consistere deberent) ætatem maturam deneget. Sed nescio quo fato fit, ut animi bonis naturæ commoda plerunque non respondeant, ut intelligas naturam, sive, ut *Christiane* loquamur, Deum opes suas in unum aliquem confertim profundere nolle, sed quasi paria facere. Ita quibus acre & vegetum ingenium tribuit, iisdem frequenter debile & languidum corpus relinF quit, quibus vastum, obesum, robustum corpus indulget, tantundem de ingenii viribus & subtilitate detrahit. Et ne solum Dei munera ingrati accusemus, nos studiosa turba mala propria sæpenumero augemus. Bilem flavam acervant, acuuntque, studium, cura, pervigilia, labor nimius; atram solitudo & imaginationes crebræ vehementesque creant: pituitam colligunt umbræ & sellularia, ut sic dixerim, otia. Putem igitur ea causa factum olim ut *Peripatetici* molliter inambulando disputarent, unde cognomen invenerint.

Digitized by Google

Sed ut *Eraſmi* meminerimus, hic etſi ſua quadam arte & induſtria obtinuit, ut ſeptuagenarium annorum numerum conficeret, tamen ipſius mors non potuit eſſe non immatura, qui ſi ſupervixiſſet longius, poterat nutanti Eccleſiæ dorſum manumque, quod ajunt, apponere: bonorum virorum ſemper eſt immaturus obitus; ſed vixit ſatis naturæ, permittimus, vixit ſatis gloriæ ſuæ, ultro concedimus; at nobis parum vixit, qui alieniſſimo Reipublicæ *Chriſtianæ* tempore ſit ereptus. Sed in hoc tanto noſtro luctu & mœrore una ſupereſt conſolatio, levis ea quidem aliquibus videatur, ſed eſt tamen nonnulla: enimvero conferenti tibi animum ad miſerias horum temporum, unquam-ne tot calamitates & ærumnas nos non dico fando audiviſſe, aut in libris legiſſe, aut vaticinanti dudum credere potuiſſe, quam quotidie videmus? Non in uno angulo aliquo Orbis terrarum bella & ſeditiones ſurgunt, non, ut olim, impreſſio *Cimbrorum* & *Teutonum* in *Illyricum*, non in *Germaniam Wandalorum* aut *Gothorum* irruptio, non incurſatio *Scytharum* in *Græciam*, ut divi *Hieronymi* ætate: ſed Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio laborant, quaquaverſum patet Orbis terrarum terraque marique ad arma concurritur: *Xerxes*, olim Rex *Perſarum* potentiſſimus, cum è quodam edito loco innumerabilem multitudinem exercitus vidiſſet, converſus in lachrymas dicitur, quod poſt centum annos nullus ex tanta multitudine hominum ſuperſtes eſſet futurus. Ego ſi in eminentiſſimam aliquam ſpeculam conſcendere poſſem, qua totum Orbem terrarum oculis veſtris ſubjicerem, oſtenderem vobis hos in mutuam cædem furentes, ibi in caſtris tumultuari, hunc fluctibus abſorberi, illum in vada aut ſcopulos illiſum obrui, aliquem veneno hauſto interire, alium laqueo præfocari, per inſidias alium interimi, breviter infinitum quendam miſeriarum mundum vobis demonſtrarem, non unius duntaxat exercitus interitum deſignarem, ſicuti *Xerxes*. Bene-ne igitur tibi cum illis actum videatur, qui cum hac luce careant, è tot tantiſque malis evaſerint?

Accedit alia conſolatio, & ea quidem, niſi fallor, paulo gravior, dummodo cum bona pace veſtra, Auditores, mihi concedatur humano quodam more de judiciis Dei Opt. Max. aliquid commentari & æſtimare, non pronuntiando quidem ſententiam, quod temerarium foret, ſed Scepticorum more diſceptando: Poſſit, inquam, ſapientiſſima conſilii divini diſpenſatione factum videri, ut matura invidia *Eraſmus* rebus mortalium ſit ereptus, ut poſthac poſita cum morte videlicet invidia, ipſius Opera majore cum religione in manus ſumantur & æquiore cenſura cauſa ejuſdem peragatur. Hujus igitur viri nomen grata quadam recordatione proſequimini, Auditores, qui tam copioſe de univerſo genere humano eſt promeritus, qui pro utilitate Reipublicæ *Chriſtianæ* nullos labores refugit, non æmulorum calumnias & impetus reformidavit, qui multos honores, multa præmia non propoſita ſibi modo, ſed etiam parata ſuo illo otio ad communem utilitatem collato, poſthabuit. Cujus denique vita omnis bene docendi vivendique exemplar fuit. Quare agite, ô Auditores optimi, hujus viri memoriam mecum celebrate, manes religioſe venerantor, & gratiam ſempiternam habetote ob utilitatem Reipublicæ *Chriſtianæ* quæſitam, & non intermoriturum decus ac ornamentum *Germaniæ* partum: namque hoc ad nos ſaltem, illud publice ac univerſim ad bonos omnes pertinet.

FINIS.

Illuſtriſſimo puero Duci Henrico Eraſmus Roterodamus *S. P. D.*

MEMINISSE *debes*, Henrice *Dux illuſtriſſime*, *eos qui te gemmis, aurove honorant, dare primum aliena, quippe fortuna munera, præterea caduca, deinde qualia quam plurimi mortales poſſint elargiri, poſtremo qua tibi ipſi domi abundent, queque donare aliis quam accipere, magno Principi longe ſit pulchrius. At qui carmen ſuo ingenio, ſuis vigiliis elucubratum, nomini tuo dicat, is mihi non paulo præſtantiora videtur offerre: utpote qui non aliena, ſed propria largiatur, nec paucis annis intermoritura: ſed quæ gloriam etiam tuam immortalem queant efficere, tum ea quæ perquam pauci poſſint donare, (neque enim pecunioſorum & bonorum poetarum par copia) denique qua non minus ſit Regibus pulchrum accipere, quam remunerari. Et opibus quidem nemo non Regum abundavit, nominis immortalitatem non ita multi ſunt aſſequuti, quam quidem illi pulcherrimis factoribus emereri poſſunt, at ſoli vates eruditis carminibus præſtare. Siquidem & æras, & imagines, & ſtemmata, & aureas ſtatuas, & inciſos in as titulos, & operoſas pyramidas, longa annorum ſeries demolitur: ſola poetarum monumenta, ipſa ætate, qua res omnes debilitat, invaleſcunt. Quod prudenter intelligens* Alexander *ille*, *cognomento Magnus*, *à* Chœrilo *poeta*, *non admodum ſane bono*, *ſingulos verſiculos tolerabileis*, *ſingulis* Philippeis *ex pacto redimebat; proſpiciebat nimirum &* Apellis *tabulas*, *&* Lyſippi *ſtatuas*, *paucis annis interituras*, *nec quicquam omnino fortium virorum memoriam æternam poſſe reddere*, *prater immortalitate dignas eruditorum hominum litteras: nec ullum eſſe gloriæ genus ſincerius ac præſtantius*, *quam quod à poſteris virtuti datur hominum*, *non fortunæ: non ab amore*, *non à metu*, *non ab aſſentatione*, *ſed libero judicio profectum. Age jam qui malos verſus tam chare prodigus emit*, *nonne optet* Homericos *non ſingulis aureis*, *ſed ſingulis urbibus emercari? Quem quidem poetam*, *& in delitiis habuiſſe*, *&* Achilli *invidiſſe legitur; beatum illum pronuntians*, *non ſolum virtute*, *ſed potiſſimum tali virtutum ſuarum præcone. Quanquam non me clam eſt*, *hac noſtra memoria*, *principes pleroſque litteris tam non delectari*, *quam eas non intelligunt: qui utrumque juxta ineptum exiſtimant*, *imo pudendum*, *optimatem virum*, *vel ſcire litteras*, *vel à litteratis laudari*, *quaſi vero ſint ipſi*, *vel cum* Alexandro, *vel cum* Cæſare, *vel omnino cum ullo Veterum*, *aut gravitate*, *aut ſapientia*, *aut benefactorum gloria conferendi. Ineptum putant à poeta laudari*, *quia deſierunt facere laudanda*, *nec tamen à gnatonibus ſuis laudari refugiunt*, *à quibus rideri ſe*, *aut ſciunt*, *aut id ſi neſciunt*, *ſtultiſſimi ſint oportet. Quos quidem ego vel ipſo* Mida *ſtolidiores judico*, *qui aſininis auriculis deturpatus eſt*, *non quod carmina contemneret*, *ſed quod agreſtia præferret eruditis.* Midæ *itaque non tam animus defuit*, *quam judicium: at his noſtris utrunque. A quorum ſtultitia quum intelligerem generoſam tuam indolem vehementer abhorrere*, *Dux clariſſime*, *eoque jam nunc à puero tuos conatus ſpectare*, *ut non tam tuorum temporum quam veterum ſimilis evadere cupias*, *non veritus ſum hunc qualemcunque panegyricum nomini tuo nuncupare. Qui ſi tua Celſitudini longe impar (ut eſt) videbitur*, *memineris facito &* Artaxerxem *Regem præſtantiſſimum aquam à ruſticano quodam operario*, *quam ille manu utraque hauſtam obequitanti obtulerat*, *hilarem ſubridentemque accepiſſe: & ejuſdem nominis alium (ut opinor) pro malo*, *à pauperculo quopiam allato*, *perinde ut pro magnificentiſſimo munere gratias egiſſe*, *ratum videlicet*, *non minus eſſe regale parva promte accipere*, *quam magna munifice elargiri. Quid? nonne etiam Superi ipſi*, *qui nullis mortalium opibus egent*, *ita muneribus hujuſmodi delectantur*, *ut contemta interim divitum Hecatombe*, *ruſticana mica*, *& thuſculo pugnere placentur*, *animo nimirum offerentis*, *non rerum pretio noſtra donaria metientes. Et hæc quidem interea tanquam ludicra munuſcula tua puericia dicavimus*, *uberiora largituri*, *ubi tua virtus una cum ætate accreſcens uberiorem carminum materiam ſuppeditabit: ad quod equidem te adhortarer*, *niſi & ipſe jamdudum ſponte tua velis*, *remiſque (ut ajunt) eo tenderes*, *& domi haberes* Skeltonum, *unum* Britannicarum *litterarum lumen ac decus*, *qui tua ſtudia poſſit non ſolum accendere*, *ſed etiam conſummare. Bene vale*, *& bonas litteras ſplendore tuo illuſtra*, *auctoritate tuere*, *liberalitate fove.*

FINIS.

INDEX GENERALIS

Digitized by Google

INDEX GENERALIS
IN OMNIA
DES. ERASMI
OPERA,

Excepto EPISTOLARVM *Volumine, cui propter rerum copiam ac varietatem, peculiares Indices ſubjecti ſunt.*

Ad calcem notati ſunt loci S. Scripturæ, quos hic illic explicat ERASMVS.

Digitized by Google

LECTORI S.

HIc *habes*, Lector Benevole, *Indicem universalem omnium Operum* Erasmi, *excepto tamen III. Volumine, quo Epistolæ continentur. Ei enim, propter rerum, nominumque copiam ingentem, peculiaris suus Index, isque copiosissimus, est subjunctus. Hîc autem repeti oportere visum non est, quandoquidem, sine ullo tuo usu, pretium hujus Operis auxisset. Sui quidem Indices II & VI. Voluminibus subjuncti fuerant, sed quia non erant tanti, melius nos facturos judicavimus, si universali miscerentur. Ne quid etiam deesset, Indicem locorum S. Scripturæ passim ab* Erasmo *explicatorum, ex Editione Basileensi depromtum, addendum censuimus. Vale*, Lector, *& tuis commodis studentibus faveto.*

INDEX OMNIVM

Digitized by Google

INDEX OMNIVM
DESIDERII ERASMI OPERVM.

Primus numerus Tomum, Secundus Columnas, & tertius Litteras, quæ inter Columnas ſunt, denotat.

A.

ALMA, IX. 88. A.
Aaron *exemplar eccleſiaſtæ*, v. 790. F.
—— *precationis typum gerit*, v. 5. F.
— Ejus *& filiorum officium*, v. 797. E.
—— *duo filii cœleſti igne abſumuntur*, v. 798. A.
—— *doctrina & concionatoris Evangelici quid differant*, v. 797. F.
—— *puritas & conſecratio*, v. 791. B.
—— *veſtes & ornatus*, v. 794. B.
—— *non leve peccatum*, v. 298. E.
Ab *Aboriginibus*, Prov. II. 980. F.
Ab *amicorum conviviis non diu abſtinendum*, Prov. II. 416. A.
Ab *aſino ad boves tranſcendere*, Prov. II. 272. C.
Ab *aſino delapſus*, Prov. II. ibid. E.
—— *ad lanam*, Prov. II. 176. F.
Abauchas *amicum liberis præfert*, I. 230. A.
— Ejus *& Gyndanis amicitia*, ibid. B.
Abba *Pater*, VI. 206. E.
—— *quomodo intelligendum*, VI. 602. F.
—— *non eſt ἀναδίπλωσις*, IV. ibid.
Abbas *indoctus rara avis olim*, I. 746. C.
—— *malim eſſe, quam prior*, I. 647. E.
— Ejus *& puellæ erudita colloquium*, I. 744. E.
Abbatiam *captare longa venatio*, I. 738. A.
Abderitica *mens*, Prov. II. 1082. D.
Abderiticum *imperium*, Prov. II. 540. E.
Abdicamus *pro* abdicavimus, VI. 761. F.
Abdicationis *leges*, I. 199. B.
—— *modus*, ibid.
Abdicatus *Luciani*, I. 197. A.
Abel *ſacrificium*, V. 1160. B.
Abeo *& venio*, VI. 400. E.
Ab *epulo hoc qui poſſum abeſſe*, Prov. II. 419. E.
Ab *equis ad aſinos*, Prov. II. 273. B.
Ab *Eteobutadis ducit genus*, Prov. II. 801. B.
Abhorrentis *ac deteſtantis*, Prov. II. 939. E.
Ab *Hymetto profectum*. Prov. 92. E.
Abiathar *pro* Abimelech, VI. 160. E.
—— *quid*, V. 378. E.
Abjecit *haſtam*, Prov. II. 482. C.
Abjectum, IX. 43. E.
—— *eſſe quid*, V. 495. A.
—— *idem quod humiliatem poſſumus dicere*, IX. 137. D.
Abjicere *potius, quam mittere*, VI. 85. E.
—— *ſcutum*, Prov. II. 482. C.
Abjiciendum *procul*, Prov. II. 1040. C.
Abiit *& taurus in ſylvam*, Prov. II. 44. B.
Ab illo *pro* præ illo, VI. 303. F.
Abimelech *quid*, V. 376. A.
Ab *impiis egreſſa eſt iniquitas*, Prov. II. 344. E.
Ab *incunabulis*, Prov. II. 283. B.
Ἀ'βίωτ& βί&, Prov. II. 647. E.
Ab *ipſa meſſe*, Prov. II. 1074. C.
Ab *ipſo lare*, Prov. II. 254. B.
Abire *in concilium impiorum*, V. 179. D.
A bis *ſeptem undis*, Prov. II. 767. B.
Abiſai *cum ſuis ad homicidium properans, revocatur*, V. 443. C.
Ablegandi *verba*, I. 53. A.
Abnegare *ſemetipſum Deus non poteſt*, V. 328. A.
Abnegatio *Dei tacita*, V. 1186. F.
— Ejus *genus fugere*, V. 1179. E.
Abominandus *ſcarabeus*, Prov. II. 686. D.
A bonis *bona diſce*, Prov. II. 1131. F.
Abortus *unde*, V. 622. A.
— Ejus *cauſa*, V. 709. F.
Ab ovo *uſque ad mala*, Prov. II. 548. D.
Abraham *quæ dura paſſus fuit*, VIII. 85. E.
Abrahami *obedientia*, VIII. 238. B.
Abram, Abraham, VI. 577. F.
—— *dives quomodo nobis exemplum*, V. 50. C.
—— *pater multarum gentium ob matrimonium dictus*, I. 418. E.
—— *poſt genuit ex Cethura*, VI. 581. E.
—— *Saræ obtemperavit*, V. 689. B.
—— *tentatus apud Origenem*, V. 81. B.
— Ejus *duo, filii qui*, V. 119. F. VI. 580. D.
—— *opera Apoſtolus contemnit*, V. 36. C.
— Ei *quando data ſoboles*, V. 17. F.
Abrogandi, *ornandi verba*, I. 55. C. D.
Abronis *vita*, Prov. II. 562. E.
Abſit *clamor in colloquio aut luſu*, Prov. II. 926. F.
Abſolvendi *facultas eſt monachis*, IX. 258. A.
Abſolutionis *auctor ſolus Chriſtus*, IX. 611. D.
— Ejus *varius modus*, IX. 561. E.
Abſque *baculo non ingreditor*, Prov. II. 817. D.
—— *proœmiis & affectibus*, Prov. II. 804. D.
Abſtinenda *vis à Regibus*, Prov. II. 941. A.
Abſtinentia *Manichæorum*, V. 1172. A.
—— *nihil addit virtuti*, IX. 831. A.
Abſurda, I. 834. A.
Abſurditas *ſermonis*, VI. 670. C.
— Ejus *ſpeciem quæ in ſcripturis habeant*, V. 1055. F.
Abſurdum *ad verbum reddere Græca*, IX. 384. D.
—— *eſt nos ipſos commendare*, I. 310. F.
Ab *tranſenna cibum petere*, Prov. II. 1069. F.
Ab *unguibus incipere*, Proverb. II. 1106. E.
Ab *uno digrammate*, Prov. II. 1035. C.
Abuſio *figuræ*, V. 1053. F.
Abuti *pro* uti, VI. 690. D.
Abydenus, Abydus, Prov. II. 1079. E.
Abydena *illatio*, Prov. II. 561. A.
Abydum *ne temere*, Prov. II. 299. B.
Abyſag *myſtica concubina*, V. 60. A.
Academia *Platonis peſtilenti cœlo obnoxia*, IX. 1691. E.
Academici *philoſophiæ injuſti poſſeſſores*, IX. 1732. B.
Acalanthis, Prov. II. 459. D.
A *calce ad carceres*, Prov. II. 836. D.
Acanthia *cicadæ*, Prov. II. 186. C.
—— *minima avis duodecim parit pullos*, I. 615. B.
—— *Eam vincit cornix*, Prov. II. 328. B.
A *capite arceſſere*, Prov. II. 1209. E.
—— *uſque ad calcem*, Prov. II. 84. A.
Ἀ'καπναθύειν, Prov. II. 371. C.
A *carcere*, Prov. II. 580. B.
A *carceribus*, Prov. II. 246. C.
—— *ad metas*, Prov. II. 858. C.
Acarnanius *porcellus*, Prov. II. 508. C.
Acarnici *equi*, Prov. II. 1003. C.
Accentus *ſyllabarum*, I. 941. D.
—— *dictionis quantum valeat*, IV. 399. C.
Accepta *candela*, Prov. II. 1097. B.
Acceptio *perſonarum*, VI. 571. D.
Accerſitum *malum*, Prov. II.
Acceſſibilem *ignem*, *Origenis nova lectio*, VI. 1019. E.
Accii *Synceri doctrina*, I. 1020. C.
— Ejus *Poetæ apophthegm.* IV. 306. A.
Accius *Poeta ubi ſtatuam erexerit*, I. 601. E.
—— *pictor*, I. 310. F.
Accipere, ἀνλαβεῖν *melius quam adjungere*, VI. 8. E.
—— *uxorem*, IX. 129. E.
Accipite *& manducate*, VI. 133. E.
Acciſſare, I. 303. B. Prov. II. 483. B.
Aceldama *quid denotet?* VIII. 208. F.
—— *quid Syris*, VI. 140. F.
Acerbe *dicta*, IV. 226. A. 228. E.
Acervus *bonorum*, Prov. II. 123. D.
Aceſii *& Heliconis opera*, Prov. II. 603. B.
Aceſias *medicatus eſt*, Prov. II. ibid.
— Ejus *luna*, Prov. II. 214. C.
Acetum, VI. 142. F.
—— *habet in pectore*, Prov. II. 506. C.
— Eo *perfundere*, Prov. II. 506. D.
Achab *Rex Iſrael in prælio vulneratus interiit*, V. 358. E.
— Ejus *pœnitentia*, V. 583. B.
Achan *furtum perdidit totum populum*, V. 360. C.

Digitized by Google

Achar *quis fuit*, VIII. 99. D.
Acheſarum *quid Hebræis*, VI. 245. E.
Achias & *Abimelech idem*, V. 360. C.
Achilles, Prov. II. 278. E.
—— *jecit duas teſſeras*, Prov. II. 649. E.
—— *mendacibus infeſtus*, I. 878. E.
Achilleum *argumentum*, II. 278. E.
—— *præceptor*, V. 70. B.
Abimelech *quid*, V. 375. B.
Achis *quis*, V. 379. C.
Ἀχνη, Prov. II. 371. A.
Achor *vallis*, V. 491. B.
Ἀχρειόγελως, Prov. II. 994. B.
Ἀχειχείλης & *ſimilia*, Prov. II. 656. E.
A *Chytropode cibum*, Prov. II. 231. E.
Ἀκήρυκτος πόλεμος, Prov. II. 801. A.
in Acie *novacula*, Prov. II. 33. C.
A *cœlo ad terram*, Prov. II. 580. C.
Ἀκοὴ *auditus pro ſermone*, VI. 619. F.
Acolo *non fico*, Prov. II. 1093. D.
Acoluthi *miniſtri Græce*, VI. 7. B.
Ἀκονιτὶ, Prov. II. 212. A.
Aconitum *ſcorpionum ictui medetur*, I. 604. C.
Acontiæ, V. 1350. F.
Acquievi *dure pro* προσανεπαύλω, VI. 567. B.
Ἀκρεβόω, VI. 15. F.
Ἀκροχωνιαῖος, VI. 840. D.
Ἀκροθίνια *ſpolia opima*, VI. 624. E. 1001. F.
Ἀκροθώρακες, Prov. II. 1092. D.
Ἀκροθότητα κύμβαλα, Prov. II. 542. C.
Ἀκροχειρίζεσθαι, Prov. II. 364. B.
Acta *apud Græcos depravata*, VI. 433. C.
— Eorum *hiſtoria pars eſt Evangelii*, VI. ibid. B.
— Eorum *liber neceſſarius*, VI. *ibid.* E.
Actii & *Titii idem jus*, Prov. II. 390. C.
Acti *labores jucundi*, Prov. II. 498. A.
Actionis *genus olim ſine verbis*, V. 718. B.
Actionum *noſtrarum fons*, V. 302. C.
Actoris & *Eccleſiaſtæ collatio*, V. 831. E.
Actum *agere*, Prov. II. 173. A.
—— *eſt*, Prov. II. 128. A.
Actus, *acta geſta*, VI. 433. B.
—— & *motus in animantibus*, V. 862. A.
—— *ſine temporis ratione*, VI. 122. F.
Aculeo *infixo fugere*, Prov. II. 27. B.
Acum *inveniſſes*, Prov. II. 888. D.
Acu *rem tetigiſti*, Prov. II. 350. D.
Ἄκυρον, VI. 180. D. 815. F.
Adactum *jusjurandum*, Prov. II. 766. A.
Ad *agnatos & gentiles deducendus*, Prov. II. 319. A.
Adam *homo*, VI. 739. F.
— Ejus *duo*, VI. 580. D.
—— *veteris & novi collatio*, V. 569. F. 570. A.
—— *voluntas quomodo corrupta*, IX. 1221. B.
— Ei *cur arbor ſcientiæ interdicta*, I. 790. A.
— Errores *Adamianorum*, V. 475. D.
Adamantis *tenere*, Prov. II. 911. D.
Adamas *ſanguine hircino molleſcit*, I. 877. E.
Adamantini *clavi*, Prov. II. 497. D.
Adamantinus, Prov. II. 279. A.
Ad *ambas uſque aures*, Prov. II. 492. C.
Ad *amuſſim*, Prov. II. 216. C.
Adaperire, *aperire*, VI. 181. E.
—— *vulvam adaperiens*, & *ad Mariam pertinere*, VI. 234. F.
Ad *aquam malus*, Prov. II. 244. E.
Ad *aras*, Prov. II. 904. A.
Ad *archiſynagogum*, *pro ab archiſynagogo depravate*, VI. 170. E. II. 265. F.
Ad *arculas ſedere*, Prov. II. 1206. C.
Ad *aſylum confugere*, Prov. II. 1150. C.
Ad *bonam frugem*, Prov. II. 1060. B.
Ad *Caiphan*, *pro a Caipha*, VI. 409. F.
Ad *calcem pervenire*, Prov. II. 836. D.
Ad *clepſydram dicere*, Prov. II. 174. B.
Ad *confirmandas promiſſiones patrum*, *locus obſcurus*, VI. 645. F.
Ad *conſilium ne acceſſeris*, Prov. II. 103. C.
Ad *coronidem uſque*, Prov. II. 1080. B.
Ad *corvos*, Prov. II. 446. B.
Ad *cribrum dicta*, Prov. II. 1001. E.
Ad *Cynoſarges*, Prov. II. 734. C.
Addebat *mutatum in augebat*, VI. 446. F.
Addere *manum*, Prov. II. 201. A.
—— *verbo Dei*, *aut diminuere quid*, V. 803. D.
Addita *in noſtris*, VI. 307. E. *ſtantem pullum*. Item, *ſicut ſtellæ cœli*, VI. 581. D.
Additum *apud Græcos*, VI. 33. D. 105. D. 147. F. 191. F. 192. F. 201. F. 207. F. 209. E. 292. F. 667. C. 740. D.
—— *homines*, VI. 27. C.
—— *potus*, VI. 38. D.
—— *diſcipulos ſuos*, VI. 46. D.
—— *Jeſus*, VI. 48. E.
—— *aquæ*, VI. 58. F.
—— *illa*, VI. 78. F.
—— *dederunt*, VI. 79. E.
—— *Jeſus*, VI. 87. F.
—— *ficus*, VI. 109. F.
—— *ut impleretur*, VI. 139. D.
—— *igni*, VI. 154. C.
—— & *manentem*, VI. 154. D.
—— *filius Dei vivi*, VI. 183. E.
—— *Diem retributionis*, VI. 248. E.
—— *tui*, VI. 279. C.
—— & *juſtitiam ejus*. Item, VI. 285. E.
—— *Ad ſe*, VI. 289. E.
—— *paſcentem boves*, VI. 300. F.
—— *Aſina*, VI. 307. E.
—— *Ego ſum nolite timere*, VI. 330. F.
—— *In piſcinam*, VI. 358. F.
—— *Et ſi dixero quia non novi eum*, VI. 370. F.
—— *Tranſiens per medium illorum*, VI. 379. F.
—— *inquit*, VI. 436. C.
—— *Et dicit Dominus*, VI. 443. C. D.
—— *in Domino*, VI. 465. D.
—— *Dei*, VI. 563. E.
—— *Ita ut ſint*, VI. 564. C.
—— *manet*, VI. 578. D.
—— *Filiorum*, VI. 583. C.
—— *Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, VI. 592. F.
—— *fratres*, VI. 593. D.
—— *Fortitudo*, VI. 609. D.
—— *Et non miſericordiam conſecutam*, *etiam teſte Hieronymo*, VI. 615. D. E. F.
—— *Salva & Dei*, VI. 621. E. F.
—— *Non ſolum coram Deo*, *ſed etiam*, VI. 633. D.
—— *De eo*, VI. 649. B.
—— *Domini*, VI. 672. D.
—— *Sunt & ego Chriſti*, VI. 677. C.
—— *Magno*, VI. 684. E.
—— *Interpretationes ſermonum*, VI. 722. D.
—— *Super triſtitiam*, VI. 756. D.
—— *Excidant*, VI. 787. F.
—— *Non*, VI. 811. F.
—— *Veritati*, VI. 812. B.
—— *Detis*, VI. 823. E.
—— *Divinitatis*, VI. 885. F.
—— *Sapienti*, VI. 930. C.
—— *Deo*, VI. 1013. E.
—— *Sancto*, VI. 1078. F.
Ad *Deorum aures pervenit*, Prov. II. 602. E.
Addicti *auctoribus*, VI. 237. D.
Addictionis *verba*, I. 70. B.
Ad *digituli crepitum*, Prov. II. 638. A.
Adducere *præputium*, VI. 689. D. E.
Adducit, *pro invitat aut provocat*, VI. 569. E.
Addunt *aliquoties Græci per occaſionem*, VI. 25. D. 35. D.
Adduxiſtis, *pro addixiſtis*, VI. 1036. D.
Ἀδελφίζειν, Prov. II. 1165. D.
A Deo *facti*, Prov. II. 1204. A.
—— *legendum*, *non ab angelis*, *auctore Fabro*, VI. 985. D.
Ad *ephebum properare*, Prov. II. 422. B.
Aderit *Temeſſæus genius*, Prov. II. 60. E.
A dextris & *ſiniſtris quomodo intelligendum*, VI. 770. D.
Adfectionis *ſortes*, I. 409. C.
Ad felicem *inflectere parietem*, Prov. II. 118. D.
Ad felicius *latus inflectere*, Prov. II. ibid.
Ad finem *ubi perveneris*, *ne velis reverti*, Prov. II. 19. E.
Ad *fractam canis*, Prov. II. 239. D.
Ad *Græcas calendas*, Prov. II. 214. B.
Ad *Herculis columnas*, Prov. II. 834. A.
Ad *hoc nati*, *ſculpti*, *facti*, Prov. II. 1204. B.
Adhortantis *verba*, I. 397. C.
—— *ad gloriam*, Prov. II. 919. B.
Adhuc *aliquis Deus reſpicit nos*, Prov. II. 927. E.
—— *cœlum volvitur*, Prov. II. 1026. C.
—— *modicum lumen eſt in vobis*, *vulgo non intellectum*, VI. 391. F.
Adianton *herba*, I. 605. F.
Ad *id quod erat opus*, Prov. II. 765. E.
Adjecta *pars Orationi Dominicæ apud Græcos*, VI. 36. B.
Ἀδικία *pro omni peccato*, VI. 6. C.
Ἀδημονεῖν, VI. 206. E. 871. C.
Ad *incitas*, Prov. II. 1114. B.

Digitized by Google

Adimendi, *perſuadendi forma*, I. 69. C. D.
Adjuncta, V. 930. A.
Adjurantis *ſe facturum aliquid*, Prov. II. 910. A.
Adjuvare βοηθεῖν, VI. 84. F.
Adjuvat, *non* βοηθεῖ, *ſed* συναντιλαμβάνεται, VI. 605. C.
Ad *libellum debere*, Prov. II. 1149. A.
Ad *manducandum*, *pro in edendo*, VI. 441. F.
Ad *menſuram aquam bibunt*, *citra menſuram offam comedentes*, Prov. II. 562. A.
Admeti *nenia*, Prov. II. 589. F.
Adminicula *vitæ*, Prov. II. 942. B.
Admonitio, *non inviſa*, I. 861. E.
—— *libera qualis*, *& ubi ſit*, IV. 15. B. 16. C. 17. C. 18. D. 19. C.
— Ejus *ſimilia*, I. 565. A. E. 566. F. 571. D. 572. E. 573. A. 577. F. 578. A. 579. D. 589. F. 601. B. 602. B. 604 B. 609. B. 621. C.
— Eam *joçoſam*, *pradeſſe*, IX. 3. A.
Admonitorum *genus*, V. 649. A.
Admoto *capite*, Prov. II. 1040. A.
Adnominatio *jucunda*, IV. 566. F. 630. D. 759. D. 840. F.
— Ejus *gratia neglecta*, VI. 48. D.
Ad *noverca tumulum flere*, Prov. II. 336. C.
Adoleſcentia *in malum lubrica*, I. 489. D.
—— *nave diei*, I. 846. D.
—— *periculi minus cogitans*, I. 283. E.
Adoleſcentis *& ſcorti confabulatio*, I. 718. D.
Adoleſcentum *apud Manandrum pudor*, VI. 39. A.
Adolphus *princeps Verienſis*, V. 65. D.
A *Domino*, *h. e. nomine Domini*, VI. 225. E.
—— *factum eſt illud*, VI. 197. E.
Adonidis *horti*, Prov. II. 26. C.
Adoptio, V. 617. B.
—— *dividitur in duas ſpecies*, V. 638. D.
Adoptiva *nomina*, I. 372. A.
Adorabis, *pro timebis*, VI. 24. C.
Adorare *oſculo*, V. 229. D.
—— *coram domino*, V. 534. A.
Adoratio *in Miſſa*, V. 504. F.
—— *animi & corporis*, V. 1018. F.
— Eam *ſuos geſtus habere*, V. 534. A.
Adorato *circumactus*, Prov. II. 24. A.
Adoraturi *ſedeant*. Prov. *ibid.* C
Ad *Orientem precari cur fiebat?* VIII. 527. C.
A *Doria ad Phrygium*, Prov. II. 578. C.
Ad *Patrem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, *quatuor verba redundant*, VI. 842. E.
Ad *pedem*, Prov. II. 657. D.
Ad *pila ubi ventum*, Prov. II. 1195. C.
Ad *pileum vocare*, Prov. II. 416. B.
Ad *porcellum da mihi mutuo tres drachmas*, Prov. II. 858. F.
Ad *principem pro a principe*, VI. 265. F.
Ad *priſtina præſepia*, Prov. II. 335. D.
Ad *pugnam peracta re*. Prov. II. 674. D.
Adraſtea *Nemeſis*, Prov. II. 595. D.
Ad *reſtim funiculum*, Prov. II. 832. D.
—— *res rediit*, Prov. II. 189. B.
Adrianus *funditus delet Judæorum civitatem*, VIII. 27. C.
—— *ei imponit nomen Ælia Adriana*, ibid. D.
—— *Cæſar à muliere increpatus*, V. 1130. C.
—— *Imp. ingenio quali*, IV. 527. E.
— Ejus *leges in favorem matrimonii*, I. 417. B.
—— *ſubvertit ſanctum ſanctorum*, VI. 124. D.
— Ejus *apophthegm.* IV. 280. B.
—— *ſophiſta apophtheg.* IV. 354. D.
—— *dictum de Commodo*, IV. 280. F.
— Eum *Antinoo ſuo divinos honores inſtituiſſe*, V. 559. A.
Adrumetina, VI. 534. F.
Ad *ſaga*, Prov. II. 1124. E.
Ad *ſatietatem uſque*, Prov. II. 656. D.
Ad *Scolan nec proficiſceris ipſe*, *nec alterum comitaberis*, Prov. II. 541. A.
Adſcribendi, *imputandi form.* I. 69. F.
Adſint *Dii beati*, Prov. II. 765. C.
Ad *ſuum quemque quæſtum*, *æquum eſt eſſe callidum*, Prov. II. 888. D.
Ad *terram proſternere*, ἐσαφίζειν, VI. 308. F.
Advenæ, προσήλυτοι, συνδημοῦντες, VI. 443. D.
Adverbia *temporum*, I. 63. B.
Adverſitas *nulla quæ remedio careat*, V. 54. F.
Adverſum *avaritiæ incitamenta*, V. 59. C.
Adverſus *Solem ne loquitor*, Prov. II. 21. D.
—— *ne nejito*, Prov. II. *ibid.* E.
Ad *vinum diſerti*, Prov. II. 1158. F.
Ad *vivum reſecare*, Prov. II. 527. A.
Adulatio *ubique fugienda*, V. 883. D.
—— *ſancta*, VI. 561. D.
—— *concionatorum*, IV. 456. A.
—— *grata principum aulis*, IV. 416. C.
—— *maximum malum*, IV. 707. C.
—— *res ſaluberrima*, IV. 449. A.
—— *aularum peſtis*, IV. 578. B. 611. D.
— Ejus *ſimilia*, I. 564. C. E. 566. A. 597. F. 610. A. C. 612. B. 615. C. 618. E. 621. A. 622. E.
— Ejus *genus diſſimulatum*, IV. 586. A.
Adulator, IV. 707. A.
—— *Chamæleonti ſimilis*, IV. 5. B.
—— *Diis inviſus*, IV. 5. C.
—— *quomodo amicum ſe ſimulet*, IV. 5. B.
—— *quomodo deprehendatur*, IV. 3. E. 5. B. 6. C.
—— *quibus rebus ſimilis*, IV. 5. B.
— Eo *& amico non potes eodem uti*, Prov. II. 476. D.
— Eorum *laus*, IV. 644. C.
— Eorum *laudes quomodo fugiendæ*, IV. 80. C.
— Eorum *alii feri*, *alii manſueti*, IV.
— Eorum *genus bipedum nequiſſ.* IV. 691. B.
— Ii *ferro puniendi*, IV. 585. B.
— Ii *divites demetant*, I. 262. C.
— Iis *gaudens quibus malis obnoxius* IV. 1. B.
Adulter *ſolus impune occiditur*, IV. 647. A.
—— *deprehenſus impune confoditur*, I. 417. C.
—— *apud Hebræos lapidabatur*, I. ibid.
— Eorum *gaudium*, V. 154. C.
Adulterantes, *pro caponantes*, καπηλεύοντες, VI. 758. E.
—— διολοῦντες, VI. 762. B.
Adulterari *quid ſignificat*, V. 1193. F.
Adulterari, IX. 298. A.
Adulterat *eam*, VI. 29. C.
—— *non ponitur Latinis abſolute*, *quemadmodum mœchatur*, VI. *ibid.* F.
Adulteri *pro adulterini*, VI. 1018. F.
Adulterinus, Prov. II. 747. C. 806. E.
Adulterium *eur potiſſimum excipitur*, VI. 98. D. 698 C.
—— *in conjugio*. V. 608. D. 1193. F.
—— *graviter & quomodo olim punitum*, I. 743. A. V. 700. B.
—— *quantum crimen*, V. 499. A. 648. C. 700. B.
—— *pugnat cum natura matrimonii*, IX. 472.
—— *apud Chriſtianos ludus & jocus*, V. 701. C.
—— *corrup. amicitiæ*, IV. 647. A.
— Ejus *pœna*, I. 417. C.
— Ejus *de obtrectationis æquiparatio*, IV. 695. E.
— In eum *incidere per occaſionem levius*, *quam vitiare ſimplicem virginem*, V. 162. D.
Ad *umbilicum ducere*, Prov. II. 82. D.
Ad *unguem*, Prov. II. 216. F.
Ad *utrumvis paratus*, Prov. II. 913. A.
Ἀδυαλῆν, VI. 225. C.
Adyrmachus *Machlyæ Dux*, I. 225. D.
Æacidinæ *minæ*, Prov. II. 1180. C.
Ædes *cur obſerantur*, IV. 71. C.
—— *ſacras decet eſſe puriſſimas*, IV. 638. A.
